Petri Poterii Opera omnia practica et chymica / cum annotationibus et additamentis utilissimis pariter ac curiosis. Friderici Hoffmanni, filii ... Accessit nova doctrina de febribus, ex principiis mechanicis solide deducta [by F. Hoffmann].

Contributors

Potier, Pierre, active 1609-1643.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742. Accessit nova doctrina de febribus.
Guisson, Pierre, active 1665. Epistolica dissertatio de anonyme libello.

Publication/Creation

Venetiis : Balleoniana, 1741.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/csmf2fws

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

41935/C

A.xxx.Por

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 1216
COLLECTION

Dorbl Zu
I 2 D 244
Coll Gr.

P. POTIER

PETRI POTERII
OPERA OMNIA
PRACTICA ET CHYMICA,
Cum Annotationibus & Additamentis Utiliſſimis
Pariter ac Curioſis
FRIDERICI HOFFMANNI,
FILII HALLENSIS,
Medici Electoralis Brandemburgici, Philoſophi & Profeſſoris
Medicinæ Primarii in Academia Fridericiana.

Acceſſit nova Doctrina de Febribus, ex Principiis mechanicis ſolide deducta.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

VENETIIS, MDCCXLI.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PETRI POTERII
OPERA OMNIA
PRACTICA ET CHYMICA.

Cum Annotationibus & Additamentis Utilissimis
Patris ac Curiosis

FRIDERICI HOFFMANNI,
FILII HALLENSIS,

Medici Electoralis Brandenburgici, Philosophi & Professoris
Medicinæ Primarii in Academia Fridericiana.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

VENETIIS, MDCCXLI.
Ex Typographia Balleoniana.

Illustiſs. atque Excellentiſs. Viris

D. JOH. FRIDERICO DE RHETZ,

Sereniſſimi atque Potentiſſimi Electoris Brandenb. Conſiliario Status intimo; &

D. DAN. LUDOLPHO LIBERO BARONI DE DANKELNANN.

Sereniſſimi atque Potentiſſimi Electoris Brandenb. Conſiliario Status intimo, ac rerum bellicarum Commiſſario Generalis;

Academiæ Fridericianæ Summis Curatoribus, Patronis meis maximis.

FRIDERICUS HOFFMANNUS.

ILLUSTRISSIMI VIRI.

PETRI POTERII, *Medicorum ævi ſui Principis opera nova annotationum noſtrarum acceſſione aucta* Vobis *offero*, Patroni maximi. *Sæpius mecum quæſivi, quo cultus genere meam referendæ gratiæ voluntatem Vobis condigne probarem. Sive enim animo meo recolam immortalia merita, quibus & ortum & conſtantem incolumitatem Academiæ noſtræ* Vobis *propriam feciſtis, ſive reſpiciam ſumma beneficia in ordinem noſtrum Medicum & me ipſum collata, meritiſſimo æternum memoriæ* Veſtræ *monumentum ſtatuendum eſſe, honeſtum cumprimis ac*

generoſum duco, quo ventura etiam ætas, quibus ſuam beatitudinem Fridericiana debeat, perſpiciat. Vos unici eſtis, quorum præclara opera, incredibili cura atque propenſiſſima voluntate ſalus, gloria non minus Academiæ quam Ordinis noſtri Medici primum crevit, deinde firmata, conſervata & aucta fuit. Nec ullam hic adulationis metuo notam. Satis me abſolvunt tot præſtantiſſima documenta, quibus devinxiſtis totum Academiæ corpus, ſingulaque ejus membra. Firmum eſt Vobis, Viri Illuſtriſſimi, bonas literas, a quibus ingens animis accedit robur, & quæ genuina reipublicæ & eccleſiæ firmamenta ſunt, amare non modo, ſed & favore eximio fovere, & turbido etiam rerum ſtatu illas languidas tueri atque erigere. Omnia, quæ publico nomine in bonum Academiæ perennaturum apud Munificentiſſimum ejus Nutritorem Vobis interpretibus propenſiſſimis interceſſi repetitis vicibus, obtinui. Nullius rogationis memini, quæ conceſſione novæ cujuſdam liberalitatis Principis Munificentiſſimi non fuerit apprabata. Ordo noſter quantum curis Veſtris debeat, recentibus iiſque maximis beneficiis admonemur. Eſt artis noſtræ potiſſima pars, corporis humani intima noſſe, quæ cum evolvi atque explicari non niſi inciſionibus ſemel ac ſæpius juventutis erudiendæ cauſa inſtitutis minime queant, maximi profecto habenda eſt conceſſio cunctorum, quæ ſupplicio necata ſunt in Magdeburgenſi & Halberſtadienſi Provinciis ad anatomen publicam cadaverum. Plantarum, arborumque plurimarum notitia Medico ita opus eſt, ſicuti Mathematico circini atque inſtrumentorum cæterorum apparatu. Earum itaque ut varia genera, cum uno cœlo non omnia incaleſcant, peregrinis locis huc transferri, ſeri atque educari queant, de horto eximio nobis parando, in quo inter naturæ hæc miracula cum artis noſtræ cultoribus ſine interpellatione verſari, ſingula uſurpare oculis animoque volvere queamus, ſoliciti fuiſtis. Inſuper & pretioſiora inſtrumenta Phyſica non minus, quam Chirurgica, quibus plures Academiæ carent, in uſum publicum Veſtra commendatione a Munificentiſſimo Principe acquiſivimus. Taceo innumera alia mihi a Vobis affatim tributa. Quam humane ac comiter me Berolini verſantem Academiæ cauſa excepiſtis? qua inuſitata morum facilitate jus mihi feciſtis ſcribendi ad Vos neceſſaria? Nihil dicam de affectu quo me conſtanter amplexi eſtis, nihil de hoſpitali humanitate, totque aliis beneficiis, quibus feciſtis, ut totus veſter ſim. Nihil itaque ab hoc tempore mihi fuit antiquius, quam ut pietate, obſequio & officiorum aſſiduitate Vos venerarer ac occaſionem

quæ-

quærerem, qua grata mens tantis nominibus Vobis obstricta publicum monumentum exhiberet. Et cum jam dictorum precibus atque hortatu in publicum prodeat opus Poterii, Medici *olim* Regis Galliæ *præstantissimi, additionibus nostris illustratum, non dubitavi illud nuncupare* Vestris Nominibus, *ea qua convenit observantia rogitans, ut conatum hunc honestum benigne (quod excelsarum animarum indoles est) interpretari, & magis voluntatis quam facultatis in pendendis Vestris meritis rationem habere non dedignari velitis. Quod superest ILLUSTRISSIMI VIRI, Deum opt. max. assiduis precibus oro, ut gravioribus Vestris muneribus, consiliis atque inceptis, sub auxilio porro benignius adesse, & vires constantes firmasque corporis ac animi ulterius concedere atque adaugere velit, quo Vestris curis, patrocinio, benevolentia Vobis submissa & commissa* Fridericiana *uti ac frui possit quam diutissime. Dabam e Museo Calendis Maii. Anno MDCXCVIII.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

TAndem ut Fidem datam ſolvam, ac Bibliopolæ, multorumque deſideriis reſpondeam, prodit foras egregium opus Viri de re medica & chymica optime meriti, *Petri Poterii, Regii in Gallia olim Medici Celeberrimi*, additamentis & animadverſionibus noſtris illuſtratum. Decennium ferme effluxit, ex quo Bibliopola noſter de Authore hoc rurſus in lucem proferendo mentem mihi ſuam expoſuit, ſimulque me rogavit, ut ipſius inſtitutum juvarem, annotationes meas adjiciendo. Cumque docti, iique Celebres Medici quidam ad eundem laborem me iteratis inſtigarent vicibus, lucubrationes & notas quaſdam concinnavi, atque in chartas conjeci: Poſtea autem diu multumque dubitavi, an illas in lucem ederem publicaremque. Eam enim eſſe hujus ævi pluſquam plebejam invidiam, judiciorumque licentiam probe animadverti, ut perfricta fronte quo quiſque magis eſt, eo lubentius ſe aliorum caſtigatorem ac iniquum cenſorem præbeat. Accedit tantam in Medicina hypotheſium ac opinionum eſſe varietatem, tantamque præjudiciorum vim, ut (qui morbus habetur eruditorum) nemo, niſi quod ipſius ſententiæ conveniat, illud verum aut rectum putet, unde odia, perverſaque enaſcuntur judicia, quæ frequentius jurgioſas in contentiones vel (quæ fundi noſtri crevit calamitas) in mutuam maledicentiam, communemque omnium pernitiem exardeſcunt, quo ſit, ut ii conſultius agere videantur, qui vel plane non ſcribunt, vel ſcripta ſua ad tempus ſupprimunt. Præter id ab inſtituto edendi hunc laborem non ſemel me revocavit intempeſtiva illorum libido, qui ſecreta tantum atque magnifica *Authoris* remedia a me flagrantiſſime expectarunt, cum tamen ipſos hac in ſpe fruſtratum iri facile perſpicerem. Ingenue enim fateor, me parciſſimum nunquam non arcanorum fuiſſe admiratorem, multo minus ſcrutatorem, probe gnarus, remedia nobis proſtare efficaciſſima, modo iis recte utamur. At vero cum Vir induſtrius & de re litteraria adjuvanda bene meritus Dom. *Knochius* noſter inſtantiſſime editionem hujus libri urgeret, meaſque additiones & privatim & publica recenſione in catalogis, me invito ſubinde flagitaret; nolui amplius reſiſtere ejus deſideriis, ſed ipſi hæc quæ olim adornavi, reviſa tamen ad edendum conceſſi. Equidem non ſum neſcius, cum ea tradamus, fore ut hic noſter labor varias in reprehenſione incurrat. Erunt enim qui deſiderabunt exactam arcanorum & ſpecificorum *Authoris* deſcriptionem. Alios futuros ſuſpicor, qui ſaltem inauditas ſpecioſaſque curationes & hiſtorias, proceſſus lucroſos, medicamenta univer-

universalia & ejusdem generis alia expectabunt. Non defore quoque puto, quibus non arridebunt principia mechanica, aliis, quod cum veteribus sæpius locutus fuerim & in multis a recentiorum *Cartesianorum* sententiis recesserim. Contra quos omnes dicendum breviter existimo, testatumque volo primum me nulli sectæ esse mancipatum, sed ex omnibus tam veteribus quam recentioribus eruere veritatem, deinde in gratiam discentium ac Studiosorum, quorum commodis inservire, quantum potero, religiosa mei officii ratio exigit, in lucem tantum missa hæc esse, neque illis me scribere, qui medicæ scientiæ fontes penitus exhauserunt, inque Praxi exercitatissimi existunt, vel arcana tantum quærunt. Porro autem hæc laboris nostri ratio, hic status est. *Celebris Author* in eo inprimis laboravit egregie, ut vulgares Practicorum errores atque in medendo abusus annotaret. Ille præcipue ex veteribus cluit, qui medicamenta generosa spagyrica, nec sine ratione, ad curandum proposuit, simulque fortioribus atque concentratis pro morbi ingenio prudenter miscuit debiliora, magis diffusa Galenica, optimo semper cum successu. Historias ægrotantium nonnunquam sanis curate ac solide, interdum etiam perfunctorie recenset. In enarrandis causis & rationibus phænomenorum atque effectuum reddendis, propter defectum veræ Physices atque Anatomiæ interdum satis jejunus ac infelix, in commemorandis autem curationibus admodum glorioſus, maximam ponens fiduciam in suis remediis. Quæ itaque monenda atque animadversione digna visa sunt, breviter strictimque, modeste tamen attigi, emendanda correxi, defectus supplevi, rationes symptomatum ex principiis mechanicis, nec non effectus medicamentorum inde deduxi, historias, cautelas atque observationes, quæ in praxi mihi occurrerunt, fideliter atque sincere adjeci, remediorum a me adhibitorum copiam addidi, quæ ægris meis opem tulerunt, quæ minime, non prætermisi. Nec conficta vel simulata, ut moris est, sed facta & vera, congessi, docui & exposui liberaliter, atque candide, firmissimo experientiæ, quæ optima & prima veritatis medicæ parens est, robore nixus. Neque Authorem castigavi insolentius; nimio enim reprehendendi morbo me non laborare, ingenue confiteor, decantata ab *Authore* tantopere remedia in suis curationibus ex asse me non nosse, professus sum, quantum tamen conjectura ex collatione locorum & circumstantiarum metiri licuit, ex quibus & qua ratione ipsa præparata fuerint, tradidi, & quæ si non majoris, similis tamen effectus medicamenta nobis nata substitui queant, manifestavi. Mirabile est, quando pervolvimus ejus historias, qua ratione tam feliciter, tam breviter rebelles, desperatos, & periculosissimos morbos suis arcanis propulsaverit. Equidem lubentissime largior, remedia ex mineralibus atque metallis summæ activitatis, penetrantiæ ac virtutis deprehendi, maxime in corporibus, quæ mobiliores ac tenuiores fovent humores, quæ climate calidiori, aere subtiliori degunt, sicuti videmus in ætate juvenili temporeque vernali felicius longe succedere medicamentorum operationem; an vero in climate nostro, ubi major humorum densitas, obstructionum veterum contumacia, majorque aeris crassities eundem productura sint effectum, est quo de valde dubito. Accedit, quod pro explorato habeant complures Practicorum, in remediis

non tantam obſervari noſtro tempore efficaciam quam forſan olim præſtiterunt, cui vero cauſæ id adſcribendum, an fato, an majori corruptioni ac pravitati humorum, aliis dijudicandum relinquo? Quocirca abſit, ut penitus de *Authoris* fide circa tales curationes dubitemus, ejus enim præclara ſcripta in plurimis, vero animi judicio, me approbare, etiam atque etiam confirmo. Cæterum operam maxime dedi, ut in hiſce Notis demonſtrarem, qua ratione ex veris prineipiis & ſufficiente hiſtorica morborum cognitione Praxis noſtra & Pathologia vere rationalis reddi queat. Turpe dictu, aſt veriſſimum eſt, ſub tanto apparatu præſtantiſſimorum inventorum circa rem phyſicam, anatomicam, botanicam, chymicam, utiliſſimorum æque ac curioſorum ſpiſſis tenebris involutam ac circumfuſam adhuc latere Pathologiam & Praxin medicam, ita ut nihil minus rationale, ſi rem non velimus diſſimulare, ut pluribus dici queat. Videmus id, quando ad lectum venimus, quomodo ſpeculationes atque hypoteſes noſtræ fallant, quomodo ubique hæreamus in cauſis reddendis horum vel illorum, quæ accidunt ægris, tam ratione morbi, quam ratione effectus medicamentorum, vel prognoſcos, quaque ratione minus reſpondeat vulgaris Theoria prudenter inſtitutæ Praxi. Hujus autem rei duplices potiſſimum allegamus cauſas, quarum prior eſt: Defectus ſufficientis cognitionis hiſtoriæ, ſive obſervationum circa quemvis morbum, quoad omnes circumſtantias. Fieri enim non poteſt, ut vera condatur hypotheſis; niſi prius nobis perſpecta fuerit plenaria quoad omnia morborum accidentia hiſtorica morbi cognitio; ex quorum ſingulorum collatione atque connexione inter ſe invicem, tunc demum aptare atque invenire licet hypotheſin, quæ genuinas phænomenorum ſuggerat cauſas, quæ dubia occurrentia ſolvat, adeoque viam nobis prodat, ad ſtabiliendum certum curandi ſcopum; Eſt ſane ſingulare in Medicina fatum, ut affectus inſolitos, monſtroſas hiſtorias lubentius recenſeamus, vel etiam fingamus parum vel nihil penitus attenti ac ſolliciti, in vulgarium affectum obſervanda natura ac indole. Impedimentum poſterius, quod hucuſque praxeos vere rationalis retardavit incrementa, eſt ignorantia ſolidorum principiorum in Phyſica & conſequenter in Medicina. Conſtanter enim affirmandum eſſe exiſtimo, inſcitiam veræ Philoſophiæ naturalis genuinam & unicam fuiſſe originem tantorum errorum, & ſectarum in Medicina, cum ſedula veri inveſtigatione exploratum habeamus; pleraque principia nec ſenſu nec intellectu concipi poſſe, nec ex natura rerum deſumta eſſe, ſed ſaltem phantaſiæ ſubtilioris commenta fuiſſe. Nos a multis annis, rejectis iis quæ ex phantaſia, & non intellectu proveniunt, operam ſtrenue impendimus, ut ſolidi aliquid in Medicina conſtitueremus. Mirifice itaque mihi placuit illorum conatus, qui ſicuti in explicandis naturalibus; ita & in Medicis rebus, uſi ſunt ſimpliciſſimis principiis, dictis mechanicis, de materia & motu. Cumque omnes naturæ operationes illis ipſis contineantur, credidi ad illa quoque, quippe ſimpliciſſima, omnia quæ occurrunt in Pathologia reduci poſſe, nec infelici

ſucceſſu non ſine Numine id hucuſque tentavi. Plures quidem conſpexi præeuntes egregios viros, deque arte noſtra meritiſſimos, qui Carteſiana principia ad Medicinam traducere anniſi fuerunt, aſt quod pace horum Virorum dixerim, ſatis mihi aliiſve in omnibus non fecerunt. Fuerunt equidem ſolliciti circa unicum principium mechanicum, nimirum materiam, quam varie in morbis accuſarunt, illamque varie corrigere & alterare in morbis curandis intenderunt, at vero penitus ferme omiſerunt activum, & præcipuum, quo natura utitur, inſtrumentum, nempe motum. Multiplici enim experimento conſtat, ſolum motum afficere, modificare vel penitus deſtruere materiam poſſe, uti in Phyſicis ſic etiam Medicis. Ita notiſſima res eſt, in quantum ſpirituum animalium commotio ex perverſa ſaltem impreſſione & ratiocinatione, in pathematibus animi, totam œconomiam animalem, texturam ac craſin ſanguinis pervetere ac turbare poſſit in ſano corpore, nullo præcedente vel concurrente ſanguinis & humorum vitio. Quas porro turbas, quæ ſuaviſſima ſymptomata commotio ſpirituum ex dolore, ex pauca miaſmatis mole procreare valeat, quotidie experiendo edocemur. Tacemus varia medicamenta itidem venena, ſub exiliſſima mole varium ſuſcitando motum exerere ſuas vires atque operationes. Præcipua Medentis intentio mihi eſſe videtur, ut non tantum ad materiam & ejus affectiones in ſanandis morbis reſpiciat, ſed potiſſimum ad formale, ad motum, ut ipſum pro re nata vel excitet ac ſtimulet, vel inordinatum ſiſtat ac ſedet. Verus itaque mihi medicus videtur, qui Praxi ac Pathologia rationali condenda utrumque principiorum conjungit, & quomodo materia motus modificet, & motus rurſus materiam varie afficiat ac diſponat probe cognoverit. Deinde felix ille mihi cenſendus venit, qui recentiores cum veteribus apte & ſcite conjungere callet: Multa enim eleganter fideliterque tradita ſunt ab antiquis, maxime quoad Prognoſin, Hiſtoria morborum & quæ ad prudentiam Medici ſpectant. Recentiores clarent magnis experimentis, inventis, remediis, & meliorem explicationem rerum medicarum ſuppeditant; Nec infelicem denique illum autumaveris, qui Theoriam cum Praxi amico connubio conjungere annitatur. Praxis enim nil niſi Theoria in uſum traducta, & Theoria Praxis ad ſolidiorem rationem perducta eſſe debet. Hic ad docendam, illuſtrandam & confirmandam Medicinam rationalem potiſſimus meus labor, hæc operationum ſumma eſt, ſique Deus vires & incolumitatem conſtantiam clementiſſime conceſſerit, non inutilia circa hanc rem me tentaturum, illius auxilio fretus confido. Specimen quoddam Pathologiæ mechanicæ apparebit in doctrina de febribus, quam adjeci Autoris tractationi. An clarior unquam, & quæ melius difficultates ac dubia circa hanc doctrinam occurrentia cum ſcrupulis eximat ac enodet, prodierit hypotheſis, doctis & a præjudiciis alieniſſimis diludicandum relinquo Viris: quod tamen citra omnem arrogantiæ ſuſpicionem dictum a me velim, in Deum refundens omnia bona, quæ ex ipſo tanquam fonte benigniſſimo hauſi, ac nunc quidam poſſideo. Præterea inter opera *Authoris* eminet etiam Chymia ac Pharmacia eximia. Profecto quam nobilis & utilis hæc ars, tantis difficultatibus, puris putis falſis & innumeris

meris fraudibus ac mendaciis ſcatet, ut verum Augiæ ſtabulum hic purgandum inveniamus. Familiare Chymicis & maxime Paracelſicis eſt, ut non tantum effrænata fingendi impudentia magnas artes, ac præparationes lucrum & aurum faciendi jactitent, verum etiam infallibilia in quovis ſanando morbo crepent remedia. Aſt multiplici experientia convincimur, nullum quando ad Praxin devenitur, ſubſequi effectum, & magnas de iſtis expectationes abire in fumum, unde, ut bene hic quadret, illud *Plinii* effatum *Hiſt. natur. libr. 5. Cum indagare vera pigeat ignorantiæ pudore, mentiri non piget.* *Author* quidem bona egregia atque tum temporis ſatis curioſa in medium contulit; cum autem in multis nimium ejus compoſitiones redoleant credulam vetuſtatem, & non ſufficienti ratione, propter defectum veræ Phyſices, corroboratæ atque concinnatæ fuerint, etiam meas his adjeci animadverſiones. Præterea probata curioſa, & ab optimis Chymicis hodierno tempore inventa nova quam plurima paſſim addere placuit. Compendioſas præparationes inſinuavi ad evitandos magnos ſumtus, & omnibus proceſſibus rationem ſolidam & fundamentum pro viribus appoſui, omniaque ſic temperavi, ut pharmacopœus Medicus in praxi feliciter verſaturus, curioſus item petere inde queat utilia & valde proficua. De cætero quoad ipſam operis formam, lubens fateor, me longe majorem operam & induſtriam collocare potuiſſe in hoc labore adornando, quam factum eſt, ut ſic magis poſteritati commendarem nomen meum; aſt officii, & multorum negotiorum onere preſſo hoc quidem tempore curatius edere non licuit. Styli elegantiam (ſaltem veritatis rationem habui) lubens neglexi & curioſi forte multa obſervabunt, quæ circa ejus limam deſiderare poſſent. Non enim uſus ſum ſtylo ad unguem examinato, nec tamen plane rudi atque inculto. Etenim ſicuti ſemper a longo tempore inſitum in animo meo fuit, clare, perſpicue & ad lectoris ejuſvis captum accommodate dicere & ſcribere: ita etiam hic claris, licet vulgaribus & ſæpius technicis terminis ad ſenſum meum exprimendum aptiſſimis, uſus ſum, prout nimirum res ſimplicitate ſua memoriæ ſe meæ ſuggeſſerunt. Cæterum nullius Eruditi famæ, ut ſpero, me iniquum & injurium præbui, ab illiberali illa rabie, qua docti ſe mutuo non raro lacerant & proſcindunt, ubique mihi temperans: indeque ſpem imbibi certiſſimam, me Lectorem non minus æquum & conditionis humanæ memorem reperturum, ſi forſan ceſpitaverim in tam difficili ac perplexa ſæpius materia. Hiſce itaque utere benevole Lector, & vos Medicinæ Studioſi, quorum in gratiam hæc in lucem emiſſa ſunt, æqui bonique conſulite, & alia in veſtrum uſum adhuc ſperate. Non fallam opinionem veſtram, ſiquidem Deus Clementia ſua ſabori meo adeſſe & vitam aſſervare voluerit, quem ſupplicibus veneror precibus, ut & veſtra ſtudia dirigere & fortunare; atque meam in illuſtranda Medicina alacritatem auxilio ſuo provehere in bonam frugem, atque augere dignetur.

PETRI

PETRI POTERII,

INSIGNUM CURATIONUM, ET SINGULARIUM OBSERVATIONUM

CENTURIA PRIMA.

CAPUT I.

De Catarrhi origine atque curatione.

CUm Obſervationum noſtrarum initia præmeditaremur, celeberrimi illius Cœnobii, Divi Salvatoris nomine, admodum Reverendus Antiſtes Alfonſus Bavoſius, nobis primus occurrit, ut is quem in omnibus primas tenere, atque ob inſignem pietatis, doctrinæ, ac prudentiæ gloriam longe alios antecedere arbitramur. Itaque præſul ille digniſſimus, quinquageſimo ſuæ ætatis anno vix exacto, ſuperioribus novem annis, (*a*) *in infenſiſſimam capitis defluxionem*, eamque ſalſam, & acrem incurrit. Quæ derepente, præcipiti quodam motu, in fauces irrumpens, ſuffocationis metum ipſi haud levem incuſſit: quo paulo poſt excuſſo, eadem in dextrum latus, brachium, coxam, & tibiam effuſa, & ejuſmodi partes diris malis, & ſymptomatis divexans, præduros tophos in brachio, cum ulcuſculis quibuſdam reliquit; ut & in tibiæ ſura, metacarpio pedis ejuſdem lateris, ferina, malignaque ulcera duo fiſtuloſa, calloſa, livida, de his quæ Chironia dicuntur, ſuſcitavit. Hæc omnia concomitabantur acerbiſſimi, & funeſtiſſimi dolores, non tam morbi ſævitia, quam acrium, erodentium, & venenatorum medicamentorum uſu, concitati. Febre inſuper continua, ſed lenta, vigiliis, anorexia, & animi languore aſſiduo conficiebatur. Primis morbi inſultibus, ordinarii Medici Cœnobii ſtatim advocantur: Et licet quatuor adeſſent, tamen eorum opem fruſtra implorat: imo parum abfuit, quin cum Menandro ſimile occineret: Πολλῶν ἰατρῶν εἷς σοδὸς μ' ἀπώλεσεν. Egregio tandem patienti ſanitatem daturus accerſor, quam annuente Deo fœliciter & cito ſic mea opera conſequutus eſt. A dolore ut magis urgente, anagallidis, & aquæ fabrorum fotu incipio; eodem, bis, & ter in die, ulceratæ partes blanda manu demulcebantur: hinc dolore a præcipitato, & aliis acribus ſubacto, antecedenti cauſæ intrinſecæ, (*b*) *decoctο* totum corpus *repurgante*, proſpeximus: jecore cæteriſque partibus haud neglectis, quinimo cichoracea,

cea, ſplenica, & cephalica in eo coquebantur. Idem decoctum omnes ſcopos petiit, & intentiones abſolvit, humores primum incidendo, attenuando, & purgando; poſtea univerſum corporis habitum firmando, & ad naturalem ſtatum revocando. Ejuſmodi decocto ad XL. circiter dies uſus eſt: vanam enim conjicimus illam vulgatam medendi methodum, quæ 5. aut 7. ad ſummum in chronicis præſcribit ſyrupos, aut julepos ad humorum præparationem; parum edocti illi, quid velit Hippocraticum illud: Τά σώματα χρὴ, ὅκου ἄντις βούληται καθαίρειν, ἔνροα ποιεῖν. Interea tibiæ ulcus omnium teterrimum, vitellorum unguento, bis in die implebatur, tantillo *Saturni balſamo* adjecto, maxime ad hoc, ut dolor propter materiæ virulentiam perſtans, penitus ſummoveretur, & eodem modo ulceris ſordes eluerentur: eidem unguento poſtea ſarcotici pulveres adjecti ſunt, quoad ulcera carne implerentur: quæ demum ἐπουλατικοῖς, utpote croco martis, ejuſque oleo ad cicatricem deduximus. Corpore tandem probe repurgato, & ulceribus cicatrice fere obductis, (*ne inpoſterum morbi radices ſæpe latentes*, aut fixius in ſolidis inhærentes, recrudeſcere valerent, & ut viſceribus naturale & priſtinum robur, jecori, ventriculo, ac demum cerebro, conciliaretur) (*c*) *corallorum eſſentiam* (quam tincturam vocant Chymici) cum conſervis cardiacis & refrigerantibus, ex roſis videlicet, & violis, ad aliquot dies exhibuimus. Sic paucis, at optimis remedii, citra ullam medicamentorum moleſtiam atque nauſeam, ſaporemve ingratum, R. & egregium Patrem e faucibus Orei, tuto cito, & jucunde eripuimus, eumque ſanitati reſtituimus; vivit modo, optima valetudine fruens, is qui biennio toto communem Medicorum opem deluſerat. Hic de catarrho in univerſum, veluti per tranſennam, quædam dicere fortaſſe non erit inconſonum, ut qua arte, ac methodo in morbis curandis progrediamur, (ſaltem propter tenebricoſos illos, Lycambeo ſanguine potius, quam doctrina imbutos) cuivis innos teſcat. Quoad vocem, Græca eſt a verbo καταῤῥέω, quod eſt, defluo-Hippocrati περὶ ἀδένων καὶ περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον, cerebri purgatio eſt ad varias partes tendens; unde apud eundem *loco citato* ſeptem ſpecies ſortitur. Etenim περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον ſic eos enumerat: ῥόοι δὲ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, ἑπτά, ὁ μὲν κατὰ τὰς ῥίνας. ὁ δὲ κατὰ τὰ ὦτα. ὁ δὲ κατὰ τοὺς ὀφθαλμούς, quas fluxiones ob oculos manifeſtas, & ſecundum naturam appellat, ut quatuor ſubſequentes non ita manifeſtas, & contra naturam eſſe. Quæ in thoracem fluit, ob frigus in bilem verti; quæ retro ad vertebras, & in carnes defluxerit, hydropem generare; & quæ modicum ad coxendicem, & juncturas vergit, arthritidem concitare dicit. Hinc Galenus, aliique poſteriores eaſdem minutius concidendas, ac in alias ſpecies contrahendas cenſuerunt. Hujus affectus generationis modum his verbis eleganter expreſſit idem Hipp. lib. περὶ φυσῶν Ὅταν περὶ τὴν κεφαλὴν αἱ φλέβες γεμισθῶσιν ἠέρος, πρώτον μένος ἡ κεφαλὴ βαρύνεται τῶν φυσέων ἐγκειμένων. ἔπειτα ἐνειλεῖται τὸ πνεῦμα κατὰ τὸ αἷμα διὰ τὴν στενότηρα τῶν ὀδῶν. τὸ ὀλεπσότατον τοῦ αἵματος διὰ τῶν φλεβοῦν ἐκθλίβεται. τοῦ πόδη τὸ ὑγρὸν, ὅταν ἀθροισθῇ, ῥεῖ δι' ἄλλων πόρων. ὅκου δ' ἂν ἀθρόον ἀφίκηται τοῦ σώματος ἐνταῦθα ξυνίσταται ἡ νοῦσος. Quomodo vero acris, &

mor-

mordax fiat defluxio, paulo poſt idem Author hæc ſubdens; aperte ſatis demonſtrat: τὸ γὰρ φλέγμα δεμέσι χυμοῖσι μεμιγμένον, ὅποι ἂν προσπέσῃ, ἐς ἀηδέας τόπους ἕλκοι. Quid vero ſalſum, & acrem efficiat humorem, nullibi expreſſit, ſalſum tamen homini ineſſe, veluti amarum, & ſimilia, *lib. de veteri medicina* docet. Quamvis autem Gal. *lib. 4. de facult. ſimp. cap. de ſapore ſalſo*, id tribuat caliditati, *non propterea ſalſum gigni a calore, ſed potius manifeſtari*, eundem intellexiſſe arbitramur; nec itidem contrarium ſenſiſſe Ariſtotel. quamvis alii alio modo cenſeant: alioquin Ariſt. contra ſe pugnare, & Gal. perperam philoſophari manifeſtum eſſet. Cum ergo nihil ſupra vires agat, qualitatem ſalem generare non poſſe ſatis tritum eſt. Quocirca (*d*) *ſalſedinis in corpore exiſtentis cauſas* inquirentibus, repetenda Hipp. ſent. qua habetur, corpora iiſdem conſtare, quibus nutriuntur. At Edulia, quæ in noſtri alimoniam cedunt, ejuſmodi ſaporum participia ſunt: quædam enim amara, quædam dulcia, quædam ſalſa, &c. quotidie aſſumimus, iiſque nutrimur, horum inſuper plura ſunt, nonnunquam in eadem re temperata, quæ nonniſi artis beneficio conſpicua fiunt. Hinc licet temperatiſſimis cibis vivat homo, iiſque dulcibus & ſuaviſſimis tantum, eadem tamen in eo conſiſtere minime diffidat; urina, & ſudor quærenti exemplo ſint. Verum enim vero ciborum adhuc ſapores qualitatibus tribui, inconveniens haud diſſimile erit. Sapor enim non minus rei propria affectio, quam quævis alia qualitas, ſuum habet ſal, ſuum ſaccharum & ſimilia: non calidi, ſed ipſius ſalis ſapor eſt, propriaque affectio. Interim non me latet ejuſmodi qualitates, ſecundas nominari, & a primis oriri & dici, cui etiam eadem eſto reſponſio. Cum ergo ex Hipp. ſententia, flatus ſint humorum vectores ad caput, ab eo pariter flatuum ejusmodi cauſa apprime indaganda. Itaque ipſe eodem *de flatib. lib.* non ratiocinii criterio qualitatibus innixo, ſed analogia a majore mundo deſumpta philoſophaturus, inquit: Ἅπαν γὰρ τὸ μεταξὺ γῆς τε καὶ ἀρανῦ, πνεύματος συμπλέον ἐστί: quem flatum agnoſcit mirabilium actionum operatorem, & quidquid in humanis fit, ejuſdem medio fieri: Et ſic ventos in nobis concitari, obſeratis communibus viis, per quas illis liber patebat adĭtus, unde inferioribus occluſis, ſurſum ruere neceſſe eſt, a quo humores ad caput feruntur, hinc fluxiones, quæ tum a ſubjectæ partis, tum ſublatæ materiæ nomine, varias denominationes nanciſcuntur. Nec me latet, quid Ariſtoteles *lib. Meteoron* cenſuerit, ubi materiam ventorum docet eſſe ſpirationem calidam & ſiccam; quæ opinio licet Hippocrati contraria ſit, ipſi tamen brevitatis ergo ſuperſedemus, hic ſupra ſatis fluxionum cauſas ex Hipp. demonſtravimus. Scio neotericos non flatibus, ſed *intemperiebus jecoris, ventriculi*, & cerebri, eaſdem cauſas tribuere, atque ipſorum flatuum originem inde deducere; quibus, cum opinio hæc ad medendum parum apta ſit, etiam ineptum hic reſpondere arbitramur. Præterea ſi Hermeticos conſulere velimus, non aliunde fluxionum cauſas, quam a neſcio quibuſdam ſpiritibus, omnium functionum corporis humani parentibus, oriri comperiemus; ſiquidem ipſi, non qualitatibus rerum actiones atque virtutes adſcribunt, ſed potius naturis quibuſdam ſubſtantialibus, quas ſpirituales, aſtrales, & omni ſaporum genere inſtructas eſſe dicunt. Quod dogma Platonicorum auctoritate, maxime di-

vini

vini illius Plotini *Ennead. 2. lib. 2.* non ridiculum, quin potius maximum, & percelebre censendum; ipsis enim actiones a viventibus procedunt; nam motus dicunt a vitali quodam principio concitari. Quippe Plotinus ipse, *loco citato*, his verbis idem confirmat: Τὰ μὲν οὖν ἄψυχα τῶν ἐν αὐτῇ πάντη ὄργανα, καὶ οἷον ὠθούμενα ἔξω εἰς τὸ ποιεῖν, &c. Consentiunt etiam cum Hippocrate Hermetici ipsi, quantum ad vim atque efficaciam ejusmodi spirituum in humoribus sursum deducendis, nec non in aliis operibus edendis. Quantum vero ad eorum originem, penitus subticuit. Platonici supra sensuum cognitionem elati, proxime ab *anima mundi*, tanquam omnium animantium principio eos derivari asserunt, quibus & assentiri fere videntur illi, dum eorum causam in eum, qui est omnium vita, rejiciunt. Externa porro causa, undenam isti spiritus, flatus, & fluxiones in nobis suscitentur, ab eodem Hipp. multis ex locis elicitur: primum *lib. de aere, locis & aquis*, proponit certa loca, certis aeris injuriis exposita, propriis, & peculiaribus morbis affici; qui Australi plagæ sunt expositi, atque planities incolunt, fluxionibus sunt obnoxii. Ex *lib. 3. Aphorism. 1.* Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, &c. qua de causa Astrologiam Medico omnino necessariam esse perhibet; sic enim ipse *lib. de aere, aquis & locis*: Εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς τεταβομὰς, καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτομάς τι καὶ δυσίας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος, ὁκρῖόν τι μέλλω γίγνεσθαι. οὕτως ἄν τις ἐρευνώμενος καὶ προγινώσκον τοὺς καιροὺς, λάλιστ' ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνει τῆς ὑγιείης, καὶ κατ' ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ. εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρόλογα τῶν, εἰ μεταστάιη τῆς γνώμης, μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικήν. καὶ τὰ ἑξῆς. Locus non indignus qui consulatur, & a medicinæ studiosis consideretur: hinc enim discent, quid præstare possint Medici ab Astrologiæ cognitione, præstantia, & necessitate alieni, & quam belle Hippocratis decretis insistant. Sed ad institutum revertamur. Idem Hipp. *lib. de morbo sacro*, cerebrum compactum, & debile protinus austrum solvere, & laxare perhibet. Cæterum (e) *sedentarios atque molles*, otiis plus nimio indulgentes, *catarrho*, & fluxionibus maxime esse obnoxios ætas hæc nostra satis comprobat; e contra bajulos, agricolas, nautas, compluresque alios laboribus deditos rarius vexari videmus: nam excitato auctoque calore nativo, excrementa, si quæ acervantur, conficiunt, minusque tempestatum mutationes, atque lunæ & aliorum syderum vicissitudines præsentiunt. Præter hæc, qui humidis vescuntur, ut piscibus, fructibus, oleribus, & carnibus humidioribus, etiam fluxionum incommoda facile experiuntur. Prorsus quæ corpori impertiatur damna catarrhus, idem lib. περιαδένων aperit, fluxiones diu consistentes, & magnitudine molestæ, erosiones, & magnam cladem cerebro inferunt, mens desipit, cerebrum convellitur, apoplexia, & alia gravissima concitantur. Indicationes ex eadem disciplina sic colligere non erit difficile. Cum ergo defluxionum causæ proponantur, flatus, flatuum vero origo, externa aeris conditio, & intrinseca materiæ dispositio, una & organorum apta proportio, manifeste liquet aerem immutandum esse, materiæ dispositionem removendum, & organa ad pristinum statum revocanda. Quapropter ipsimet Hippocrati, quandoquidem auster derepente post aquilonem ruens defluxiones parit,

rit, oppositus locus, utpote septentrionalis, eligendus: idem de locis austro expositis judicium esto. Materiæ dispositio frangitur, detubatur ac demum expellitur, si obserati meatus adaperiantur, si peccans materia propriis cathartici purgetur, & si proba victus ratio instituatur. Organa porro, quia plerumque morbi sævitia, & diuturnitate defessa, & a propriis obeundis muniis devia, roborantibus, & his quæ insitum calorem adjuvant, refocillanda sunt. Hæc ad unguem in oblato casu observavimus, eaque inposterum aliis servanda esse potius ducimus, quam tritam obsoletamque methodum, quæ magis verbis quam operibus innititur.

ANNOTATIONES

a In Infensissimam. Dira illa, quibus æger plures per annos correptus est, symptomata unice peti ac duci debent ex pravitate seu discrasia sanguinis & humorum scorbutica. Scorbutus fœcunda morborum gravissimorum mater salium excrementitiorum ferocia tragœdias suas conficit. Corporis nostri fluores, qui vitalibus actionibus inserviunt, secundum naturam constituti puri, sinceri, omni eminente sale superflua aqua, muco & acri oleo privati esse debent. Quem in finem conspirant omnia viscera illorumque mechanicæ constructiones, quæ beneficio motus, qui unicum & necessarium vitæ instrumentum est, & heterogeneas partes a sanguine separare, & evacuare reliquas ac utiles subtilisare, intimeque invicem unire ac miscere debent: in quo consistit sanguinis depuratio & primaria vitæ & sanitatis ratio. Quod si viscera depurationi servientia aut crasso muco infarcta & obstructa, aut spirituum defectu ac robore labascentia ægre officio suo præsunt, sordes excrementitiæ salino-sulphureæ aqueæ contaminant sanguinem & serum, & multæ impuritates fiunt, quæ in partibus tendinosis & membranosis dolorificas spasmodicas contractiones: in glandulosis nimias seri evacuationes & stagnationes: in musculosis inflammationes & ulcera pessima efficiunt. Author acrium erodentium medicamentorum usu dolores acerbiores factos memorat, siquidem omnia calida, subtilia, acria motu suo celerrimo salia peregrina corporis nostri atterendo magis subtilisant, sicque pernicioſiora illa reddunt, quare in omnibus morbis salinis cavendum à calidis, & quæ motum intestinum humorum & partium corporis adaugere solent. Medici quatuor advocati fuerunt frustra. Consultationes plurium medicorum utplurimum damnosæ sunt, & non aliter est, ac si vitrum mundandum pluribus detur; Discordia illorum semper ferme ægrorum pernicies est. *Dn. Author* a dolore ceu magis urgente incepit curam: soli enim dolores acriores propter spirituum concitatum & irregularem motum totam œconomiam corporis sanguinisque & humorum motus mirum turbare, & gravissima mala progignere possunt, nimirum incendium febrile, vigilias, sitim, virium defectionem, anorexiam, animi deliquium & convulsiones: Mitigato sic dolore e. g. in arthritide feroci, dentitione difficili, affectione nephritica vel colica simul ac semel exspirant quasi cuncta symptomata. Optime autem spasmodicam & dolorificam partium tensionem demulcent & leniunt præter intrinsecus data anodyna, externi fotus & balnea, tum partim salia acria diluendo ac temperando, partim nimis tensas fibras relaxando, vires suas exerunt.

b Decocto repurgante. Decocta ex deobstruentibus, aperientibus & incidentibus composita longo usu viscera ab infarctu liberant, & excrementorum colatoria aperiendo sanguinem depurant. Hisce decoctis ex simplicibus saltim herbis præparatis sæpius aniculę & empyrici chronicis in morbis plus præstant laude digni, quam magni chymiatri panaceis suis, elixiriis & essentiis calidis concentratis.

c Corallorum essentiam. Ad recidivam hujus

hujus mali præscindendam, corallorum essentiam commendat Author. Hæc nil nisi solutio est, quæ quo magis subtili & blando menstruo confecta, eo efficacior existit. Optima paratur cum spiritu nitri dulcificato, quæ amurcam venarum abstergendo & evacuatoria blande stimulando, purum sanguinem servare potest. Alias ad præservationem morborum chronicorum egregios effectus edit Elixirium nostrum balsamicum, quod blande chyli & sanguinis spirituascentiam promovet.

d Salsedinis in corpore existentis causas inquirit A. Res admiratione digna est in corporibus maxime scorbuticis tantam salium acerrimorum imo causticorum copiam progigni, ut ut nullis salitis alimentis, sed mere dulcibus, insipidis ac temperatis vescantur. Deducenda hujus effectus causa unice est a motu: Motus enim est, qui atterendo & subtilisando fixas rigidas partes in salia acuta transmutat, quare in chymicis flamma, fermentatio & quivis motus vehemens intestinus salia producit, vel illa exaltat; hinc, cum in scorbuticis frequentes esse soleant ebullitiones & humorum præter naturam agitationes, salium proventus in illis maximus fit.

e Catarrho. Catarrhis magis obnoxii sunt pituitosi ac spongiosi corporis habitus, otio indulgentes. Tardior in talismodi corporibus sanguinis motus & progressivus & intestinus est, nec tantam spiritus vim ac actuositatem habent, hinc ad viscerum oppilationes, ad muci in sanguine abundantiam & stasia in partibus glandulosis admodum sunt proclives; juvat tali in casu abstinentia, exercitatio & motus corporis crebrior; sic enim particulæ viscidæ satis dividuntur, subtilisantur & superfluæ evacuantur! Deinde vitanda omnia, quæ mucum & visciditatem in se recondunt; maxime autem vitanda aeris inæqualitas est, quæ circulationem lymphæ & sanguinis inæqualem reddendo producit catarrhos.

CAPUT II.

De Hydropis curandi methodo.

ANtonius Maria N. Bajulus vini, vulgo *Brintadore*, annum suæ ætatis circiter 40. agens, in bivio Illustriss. D. de Ruina ratione officii continuo astans, anno 1604. circa mensem Augusti, anasarca, & ascite, asthmate, & similibus a quatuor mensibus in lecto moribundus jacebat. Hujus affectus primordia traxit a medelis propter tibiæ dolorem inconsiderate adhibitis: Etenim hac in tempestate Medici plurimi ægrorum salutem in catharticis, & phlebotomiis sæpe repetitis repositam esse arbitrantur, curationis utriusque virium minime memores. (*a*) *Cathartica* siquidem frequenter reiterata radicale humidum exhauriunt, ut & (*b*) *phlebotomia*, quæ pariter totum corpus refrigerat, idem humidum absumens; unde postea cruditates multæ generantur, a quibus mille incommoda, & præsertim hydropes. Horum meminit Seneca in Epistolis, *medicorum consilia*, inquit, *devita, qui parum docti, & multum seduli officiosissime multos occidunt*. Huic tandem occurrendo, (*c*) *metallorum sulphur* cum conserva rosarum adhibuimus, guttulis aliquot olei vitrioli adjectis; intra horam spiritum commodius ducere cœpit. Sequenti die, idem remedium quater reiteratur, summo mane scilicet, a prandio, paulo ante cœnam, & statim in ingressu lecti: magnitudo medicamenti vix fabam superabat, sapore, saccharo rosaceo parum dissimilis. Actio ejus est, non alvum laxare, non vires labefactare, ut elateria, scammonia, ebuli semen, & similia solent; verum

inci-

incidendo, aperiendo, atque nativum calorem adjuvando, saburram omnem aqueam foras propulsare, expellere ac dejicere. Operatur in nobis istud remedium solis instar, crudos humores coquendo, & superfluos insensibibiliter exsiccando; sic fluxiones omnes tollit, partibus nobilioribus robur conciliat, ac demum reparat vires, fessaque membra juvat. Istis ergo roboratis visceribus, & commodioribus viis adapertis, intra 12. dies abdomen totum detumuit, magnæ aquæ copia per os & virgam erumpente. Et tandem 18. die proprio defungitur officio, is qui quadrimestre omni medico auxilio destitutus erat. Nec mirum; nam elapso proxime anno senem octuagesimum quartum annum transcendentem eodem modo, iisdem remediis, sanitati restituimus. Mulieres etiam senio confectas, ut & pueros non paucos, inter quos nuper puellulam D. Jacobi Righo, pari methodo persanavimus.

Hydrops a Græco ὕδωρ, quod, ut satis notum vocabulum, sive pro symptomate, sive pro morbo sumatur, alia nominis explicatione minime indiget. Non me fugit, conspicuum tumorem pro symptomate haberi, & depravatam sanguificationem a frigida jecoris intemperie ortam, pro morbo: verum quia hæc nimis arguta, &, quam conveniat practico Medico, sophistica magis, silentio prætermimus. Hujus affectus tres instituunt species: anasarcam, (quam & leucophlegmatiam) ascitem, & tympanitem. Meminit & aliam Hipp. pro partium obsessarum ratione, ut hydropis testium, uteri: a quo minime recedentes, recentiorum etiam auctoritatibus innixi, in (*d*) *septem species hydropem partiri* minime dubitamus. Quæ divisio, ut superiori longe præstantior, summopere meditanda venit. Prima ergo fit in cerebro. Secunda in pulmonibus. Tertia in corde. Quarta in felle. Quinta in hepate. Sexta in liene. Septima in renibus. Ejusmodi autem species suis signis atque symptomatis cognoscuntur. Capitis Hydrops ipsius capitis gravedine dignoscitur, catarrho, pituita, hemicrania, punctionibus & tumoribus palpebrarum; ad hæc faciei tumor & pallor accedunt. Hydrops pulmonum asthmate, tussi cum dolore pectoris diuturnitate temporis persistente, cognoscitur, etiam oris fœtore, cui æqualis pedum tumor accedit. Cordis Hydropem sequitur omnium membrorum segnities, partis tumor & marcor, & æqualis pedum atque genuum tumor. In fellis Hydrope citrinus color inest, ut in icteritia, tum oculorum, tum dentium, nausea cum appetitu, vomitus amarus, compressio thoracis, anhelitus durus & asper, necnon tumor atque consumptio corporis. Hepatis hydrops, peculiares habet labiorum, & linguæ scissuras, longum paroxysmum, & pedis illius partis tumorem. Qui a liene oritur, partis dolorem habet, ejusdemque lateris pedis tumorem, atque punctiones in affecta parte. In Renum Hydrope sitis ingens, libidinis titillatio, testium tumor, punctiones spinæ dorsi, tumor in pedibus, & alia insunt cæteris communia. Ex his denique mixtis aliæ species essent minutius concidendæ, quæ exercitato Medico facile innotescent. Nec quenquam deterreat, quod hæc partitio minime sit Galeni: etenim cum eodem *lib. de libris*

ſuis, aliorum perpetuo ſectatores ſervos nominamus, ut is ſuo tempore Hippocraticos Praxagoricos, & alios alterius ſectæ fautores appellat: (e) *Hippocr. libro de flatibus*, omnium morborum originem ſpiritibus aſſignavit. Cujus modum inibi eleganter tradidit: Ἢ ἢ δὲ διὰ τῶν σαρκῶν αἱ φύσαι διεξιέσαι τὰς πόρους τοῦ σώματος ἀραιὰς ποιήσωσιν. ἔπεται δὲ τῇσι φύσεσιν ὑγρασίη, ἧς τὴν ὁδὸν ὁ ἀὴρ ἀπηργάσατο, διαβρόχου δὲ γενομένου τοῦ σώματος ὑπεκπίπτουσι μὲν αἱ σάρκες, οἰδήματα δὲ ἐς τὰς κνήμας καταβαίνει, καὶ λέγεται τὸ τοιοῦτον νόσημα ὑδρωψ. Gal. cæterique poſt ipſum, omnia qualitatibus elementorum tribuentes, non a ſpiritibus hydropem, verum potius (f) *ab intemperie jecoris frigida* & humida oriri dicunt. Sed quam apte ad bene medendum, conjicere licet. Etenim *dent quantum velint* (g) *calida* jecori, nihil efficiunt, ſitim augent, *frangunt vires*, & morbo alimentum & incrementum præbent. At ſpiritibus impetum frangant, (h) *obſeratos meatus* adaperiant, intus congregatæ aquæ ſponte effluent, & ſanabitur hydrops. Quæ praxis nobis feliciter ſucceſſit in omnibus: verum in nonnullis, ubi ſubſtantiæ adeſt corruptela, aut ſaltem ſuſpicio aliqua, viam hanc inire non audeo, & tantum prognoſtico caute deferendum judico. Idem Hipp. *l.* 4. *de morbis ſub finem* ſuo more Laconice & ſuccincte hujus morbi curationem tradit: *Nam ſpiritus intra exiſtens vas replet, & externo ſpiritui renititur, & excurſus aquæ non datur præ ſpiritu vas implente, & ſimul aere incumbente. Si vero quis vas ſenſim inclinarit, aut fundum perforaverit, ſpiritu de vaſe exibit: egreſſo autem ſpiritu, procedit etiam aqua foras. Sic ſane in hydrope.* Nos autem, juxta partitionem a nobis traditam, curationem duplicem, univerſalem & particularem, inſtituimus. Univerſalis indicatio erit, ſpiritus impetum coercere, eum videlitet coagulando, cujuſmodi inſenſibiliter foras detruditur, facultate expultrice cooperante: coagulato vero ſpiritu, aquæ ſunt hauriendæ. Hæc autem pluribus modis fiunt, ut in majori mundo videre eſt, ubi compeſcitur ventus, adveniente pluvia, atque ardore ſolis ſedatur, coagulatur frigoris rigore, aut contrarietate ſublata. In microcoſmo pluvia concitatur diaphoreticis; ejuſmodi vi pollet ſulphur hydropicum ſupra citatum, cujus & calor ſolis vices gerit in microcoſmo, atque ſua ſympathia cum noſtro balſamo omnem tollit contrarietatem. Particularis curatio particulares etiam habet indicationes, quas ob brevitatem miſſas facimus, remediorum applicatione tantum contenti, nec inde ſcholaſtico eaſdem excerpere difficile erit.

Cerebri Hydropis curatio.

Rec. Tartari rub. lib. 1. hirundinariæ lib. s. colchotar. unc. viij. s. vini ardentis q. ſ. pro incorporatione. Deſtilla per alembicum vitreum. Doſis drach. s. Mane & ſero ſumpta pellit urinam, quam & fœtidam facit. Detur in vino malvatico.

Pulmonum curatio.

Rec. Meliſſæ, marrubii, an. m. j. vini correcti lib. j. theriacæ, conſ. roſarum, an. unc. vj. reduc. in aquam. In difficili ſpiritu repetenda eſt, quouſque fiat facilior: quo convaleſcente abſtinendum. Si pedes tumeant, tunc utere auro diaphoretico.

Cordis

Cordis curatio.

Rec. Coralli rub. unc. j. mannæ electæ unc. s. dialaccæ unc. ij. raſuræ eboris drach. vj. reduc. in liquorem. Doſis drach. s. vel drach. j. Purgantur & hoc medicamento.

Rec. Seraphini unc. j. trochiſc. de agarico, alhandal, ana drac. iij. diagredii præpar. drachm. ij. fiant pilulæ ſecundum artem, vij. pro drac.

Fellis curatio.

Rec. Carabes deſtillat, oleum, cujus capiat gr. 10.

Hepatis curatio.

Rec. Croci martis unc. iij boli coagulati & aduſti unc. ij. rhabarb. unc. s. fiat pulvis, doſis erit unc. s.

Lienis curatio.

Rec. Lapidis Lazuli calcinati unc. iij. ſpodii unc. s. mumiæ adductæ ad pondus omnium, miſce, fiat pulvis. Doſis drac. vj. ad vij.

Renum curatio.

Rec. Colchotaris unc. vij. olei vitrioli unc. s. fiat bolus. Doſis drac. j. ad iij. Qui noverit præparationem olei dulcis vitrioli, conſtans & certum habebit remedium.

(*a*) *Cathartica*. A cathacticorum cerebro uſu et phlebothomia intempeſtiva hydropis cauſam deducit. Purgantia fortiora et maxime extracta reſinoſa ſale acri inſtar cantharidum cauſtico inſtructa dum plicis inteſtinorum tenujum firmius inhærent, ſpaſmum ſeu dolorificam tenſionem fibris inteſtinorum motricibus inducunt, unde non tantum tormina enaſcuntur cum excretione et expreſſione copioſa lymphæ, verum etiam conſtrictione hac tonus inteſtinorum naturalis ſeu motus periſtalticus illorum labefactatur, ſicque ſanguinis motus, qui maximam partem dependet a tono ſeu robore partium naturali, per inteſtinorum canales debilitatur, ut deinde in robore ſuo deficiant et reſolutionem alimentorum ac fæcum expulſionem minus recte peragere queant. Quare in praxi ſæpius videmus a crebro et intempeſtivo draſticorum pharmacorum uſu digeſtionis vitia, inflationes, alvi conſtrictiones et abdominis intumeſcentias. Nemini a ſolo uſu pulveris fortioris purgantis excitatum flatulentum abdominis tumorem, cui mox ſuccedebat perfectus hydrops.

(*b*) *Venæ ſectio*. Sanguis deficiens non poteſt rite partes muſculoſas corporis ipſumque cordis muſculum inflare ac expandere, hinc ſanguinis et humorum motus tam circulatorius, quam inteſtinus, a quibus totius vitæ et ſanitatis ratio dependet, labaſcunt, excrementa ſeroſa, coacervantur, a quibus obſtructiones, ex illis autem tumores et hydropes.

(*c*) *Metallorum ſulphur*. Dom. Author hoc in ſequentibus curationibus etiam mirifice celebrat ceu præſentiſſimum contra hunc morbum præſidium. Mineralia nimirum partibus conſtant ſo-

lidioribus, minas divisibilibus & spiritu minerali subtilissimo, celerrimique motus. Hisce elementis constantem injungunt partibus nostris fluidis motum; cujus beneficio tenaces humores fundunt, obstructiones liberant, & excretiones promovent. Pauca arsenici grana intrinsecus data, si viscera & vires id patiuntur, intensissimos motus excitant, & hac ratione sæpius felici successu contumaciissimas febres fugant. Ejusdem indolis est antifebrile certi amici, quod constat ex minera, lunari rubra roth guldisch Ert (quæ miscela argentum est sulphuris & arsenici beneficio subterraneis dissolutum:) Hoc ad pauca grana sumptum interdum vomitionem, purgationem, sudorem excitat, & chronicas febres radicitus sic exstirpat. Quod mercurialia in corpore nostro præstent, notissima res est. Martialia, & ex his primas tenens limatura martis, ad motum sanguinis & humorum promovendum obstructionesque expediendas summe idoneas sunt; Observamus post illorum usum protinus pulsum celeriorem, faciem magis rubicundam, appetitum meliorem: ut ideo falsum sit, limaturæ martis efficaciam saltim dependere ab ambitione seu saturatione acidi in primis viis existentis. Crocus antimonii martialis, seu antimonium sic dictum martiale cachecticum in curatione morborum frigidorum & ipsius hydropis opem fert præstantissimam.

(d) *In septem species hydropem partiri posse*. Notæ saltim sunt in foro medico distinctiones hydropis in Anasarcam & Ascitem. Anasarca est tumor partium corporis musculosarum quasi universalis a decubitu seri in partibus laxioribus tono ac robore suo destitutis & humorum circulatione debiliori dependens. Ascites tumor est magis partialis, & pro varietate partium varia nanciscitur nomina, & fit a nimia distensione & subsequente ruptione vasorum lymphaticorum; hinc partes, quæ copiosis gaudent lymphæductibus, ejus extravasationi & indenascenti tumori aquoso obnoxiæ sunt: Quapropter præter abdominis hydropem, qui fit vel ruptis vasis meseraicis aut peritonei aut illis, quæ per omentum & panniculum adiposum feruntur, observatus quoque fuit similis tumor in aliis partibus, uti thorace, capite, utero, ovario muliebre, scroto, pericardio, qualia exempla passim legi apud authores possunt. De hydrope cordis, renum, hepatis, quæ A. memorat, potius intelligenda sunt de harum partium hydatidibus, seu vesiculis magnis aquosis, quibus viscera parteseque non raro glandulosæ obsessæ sunt; a quarum ruptura subito sæpius invadit hydrops.

(e) *Hippocrates*. Hic omnium morborum originem spiritibus affignavit. *Elegantissimus de hac re extat locus libro de flatibus* statim in principio: Spiritus nimirum, qui corporibus insunt, & maximam vim ac facultatem habent, nominat flatus, qui extra corpora, aer sunt, qui magna etiam pollet potentia motrice, a quo spiritus corporis nostri habere suam originem asserit; hinc necessarius aeris in corpore usus: Quocirca ab aere morbos pleroque asserit, cum is aut copiosior, aut parcior, aut etiam plenior aut morbidis inquinamentis infectus, corpus subjerit, quæ sententia ut antiquissima, sic verissima est: tenuissimæ utpote corporis nostri partes magna potentia movendi instructæ, sanguinique jugiter innatantes & separatim in nervis collectæ ex aeris particulis seu spiritulis elasticis magna vi movendi & sese expandendi imbutis rectissime peti debent: sine vivido enim aeris elatere omnes motus & sensus corporis nostri labascunt membraque robur suum exuunt, & actiones vitales pereunt.

(f) *Ab intemperie jecori frigida & humida*. Non semper in hydrope jecur affectum esse, testatur *Helmontius in Tract. Ignotus hydrops pag.* 508. *it. Doctiss. Albrecht. in notis ad Bontecoe Chirurgiam pag.* 114. Sæpius tamen in sectionibus præter alia viscera & hepar corruptum exsuccum & contractum quasi reperitur. Nec improbabile est, cavam hepatis partem, quæ & membranis nerveis & copiosissimis

vasis

vasis lymphaticis ac venarum fortioribus tunicis abundat, spasmodice constrictam, lymphæ & sanguinis circulationem impedire & hydropem subitum producere posse. Intemperies nulla cadit in viscera vel partes solidas, sed magis in fluidas, a quibus & colorem & calorem & robur suum mutuantur.

(g) *Calida frangunt vires*. Generalis regula practica est, nunquam calida sudorifera, vel quæ sanguinis massam in motum vehementem conjicere apta sunt, propinanda esse corporibus impuris succis diffluentibus, qui alioquin commoti symptomatum sævitiam augent, vel periculosiora mala acceersunt, quod etiam valet circa cachecticos & hydropicos, qui semper pejus se habent post calidorum nimium usum.

(h) *Obseratos meatus adaperiunt*. Prima & optima intentio curandi hydropem esse debet lymphæ suum restituere circulum, & obseratos ac infarctos tubulos, partium aperire, sic tumores sponte cessant, & aquæ effluunt, et quicunque tali via non procedit, sed purgantibus fortioribus morbum statim aggreditur successu felici semper carebit. Laudatissimus hanc in rem est locus apud *Hippocr. Lib. 4. de morbis* sub finem, quem ipse A. citat, ubi mechanice hydropis generationem et curationem pereleganter exponit de sumpto experimento a vase repleto aqua angusti orificii, ubi externus aer incumbens impedit egressum; quo aere remoto vel inclinato vase aqua effluit. Simili ratione nisi impedimenta, id est obstructiones removeamus, lympha subsistens in ordinem et circulum suum ægre reduci poterit.

(i) *Cerebri hydropis curatio*. Hæc cum sequentibus nullius prorsus valoris est, desumpta videtur ex Paracelsi libris.

CAPUT III.

De febre hectica, tumore ventriculi, &c.

Illustsis. D. Annibal de Rubeis, 35. annos circiter natus, a septem annis gravissima mala continuo pertulerat. In quartanam etenim duorum & ultra annorum spatio, legitimum quartanarum typum servantem, incidit, quam subsequuta est quotidiana, dein (a) *hectica*; his accedebant frequentes (b) *convulsiones* σπασμοὶ Græcis dictæ, eo quod eas *a flatibus* oriri arbitrantur, quæ brachium aut aliquam partem aliquando arcte contrahebant, & nonnunquam totum corpus, ut humi prostratus, Epilepticus multis haberetur, (c) *Supra ventriculum* creverat prædurus tumor, ovi gallinæ magnitudine, osseus, & indolens, liene & hepate pari tumore distentis: reliquum corpus incredibili macie, ita ut sceletos solum videretur, contabuerat: vigiliæ, cibi fastidium, color cadaverosus, & similia inde sequebantur. Mala hæc omnia omnes Medicorum hujus civitatis artes toto illo septennio deluserant; cum subsequutura remedia manibus meis experturus æger concreditur, quorum ope pristinam, & tamdiu exoptatam recuperavit sanitatem. Primis diebus decoctum consolidæ mediæ, pimpinellæ, ceterach, betonicæ, & burraginis in jure pulli gallinacei factum; ad quindecim dies sumebat. Pulvis dein, quem ob ejus dissolvendi & aperiendi vim diaphoreticum nominamus, cum Electuario ex corticibus citri bis in die dabatur. Febris hectica, ut & tumor regionis ventriculi sensim evanuerunt, & crebræ convulsiones illæ, *granchi* Italis dictæ, Gallis *gouttes grampes*, singulaque symptomata cessarunt.

Cum quartanæ & hecticæ febris mentionem supra fecerimus, non ab institu-

to alienum arbitror, si quid de febribus non tritum, & a paucis animadversum observemus,

Febris Latiuis a feritate, aut potius fervore, ut & Græcis πυρετὸς, quasi accensio, a nomine πῦρ, quod est ignis; Hebræis *dallakath*, a verbo *dalak*, quod accendere, ardere significat, & alio modo *hachadachath*, a verbo *chadach*, quod & idem; vocatur etiam *deschéph*, pruna, & carbo ardens. Hippocr. magnum ignem febrem appellat, in Sileni, & Philini uxoris historia. Gal. non ignem, sed calorem immodice auctum *lib.* 8. *Therapeut.* 2. 9. & aliis in locis. Hinc addubitari potest, an sit potius ignis quædam species, quam sola intemperies calida. Nam intemperies dicit tantum excessum: at excessus actio alterius est caloris, quia calor, ut omne accidens, a se non intenditur. Putredinem constat id præstare minime, cum nulla ipsi sit agendi potestas; quæ etsi daretur, nonnisi actionem congenerem edere posset. Præterea accidentium nullam esse actionem, fatentur omnes Philosophi (*d Constat igitur febrem non calorem*, sed potius *igneam substantiam* dicendam. Nec mirum; quot enim sunt in hoc inferiori mundo ignium species, tot & in microcosmo febrium sunt.

Plato tres olim species instituit, prunam, flammam, & lumen. Ignis quædam species est, quæ aqua accenditur, & terra & fimo extinguitur. In Nimpheo exit e petra flamma, quæ pluviis accenditur. In Etruria non procul a Fiorenzola locus est, *mala pietra* vulgo dicitur, qui mons continuo flagrat, & in eodem statu permanet, nisi quod imbribus concitatior, & vegetior flamma prodit. In Gallia propter Gratiaopolim fons est, in quem demersa ligna flagrant.

Est in rebus duplex materia ignem conspiciens: una aquosa, & altera oleaginosa, altera alteram extinguens: in sulphure materia est ignea, & altera eidem contraria. Non negarim tamen, ejusmodi differentiam oriri potius a subjectis, quibus insidet ignis, quam ab ejusdem natura. Verum quoniam Medicus microcosmici ignis extinctionem tantum procurat, illi sat erit modos cognoscere, quibus hujusmodi ignes consopiri valeant, nec tanti facienda subtilis illa dicacitas, qua hodie plus justo detinentur Medici. Divinus noster Hippocr. *lib.* περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, paucis veritatem aperiens, inquit, quod in unoquoq; fortius & potentius est, quodque natura nostra superare non possit, hoc ipsum lædere, & idipsum antiqui auferendum judicarunt.

Et hoc postquam superius Medicos non opinari insinuasset, calidum, frigidum, humidum, & siccum hominem lædere. Et paulo inferius easdem qualitates, caliditatem & frigiditatem, omnium facultatum impotentissimas esse: quibus satis liquet, nedum febrem, verum & cæteros morbos a quibusdam substantiis potius gigni, quam ab accidenribus; quod & loco allato *de flatibus* probatur, dum spiritus morborum omnium causas instituit.

Ubi vero inquit excessit elementorum causam morborum esse, illic sumit effectum pro efficienter; *loco* enim proxime *citato* innuit, non calidum simpliciter, sed calidum amarum, aut liquidum, aut solidum, & similia in nobis morbosos tumultus concitare; quibus statutis febrium species non a caloris differentia, aut humorum putredine, verum potius ab ipsamet naturæ igneæ materia constituendæ essent.

Quo-

Quoniam vero febres sunt multiplices, quædam continuæ, & quædam intermittentes, quarum quædam singulis diebus, ut quotidianæ, repetunt paroxysmos; quædam binis, ternis, quaternis, quinis, &c. majores nostri easdem postea in melancholicas, biliosas, phlegmaticas, sanguineas, & mixtas distinxerunt.

(c) Eas deinceps in Idiopathicas, & simpathicas; consistentes in spiritibus, ut sunt ephemeræ, vel in humoribus, ut humorales; vel in solidis partibus, ut hecticæ. Mitto & alias, cum hanc in medendo non simus sequuti viam. Itaque febres superius dividendas, ad divisionem substantiarum ignem suscipientium constituimus; quam demum divisionem pro partibus obsessis iterum concidendam censemus. Et sicuti hydropem a septem principalioribus membris partiti sumus, febres etiam in tot species distribuendas, therapeutices gratia, excogitavimus, in hoc Hermeticos sequuti. Quoniam vero in unaquaque parte tria insunt, divino Hipp. etiam dictante, ἴσχοντα, ἰσχομένα, καὶ ὀρμῶντα, unaquæque pars autem proprio igneo subjecto, quod sulphur vocant, prædita est, hinc prima oritur differentia.

Cum autem solidarum partium fixa illa materia inflammabilis ardet, accenditur hectica febris a quæ omnium solutu contumuciſſima est, propterea quod in solidis hospitetur.

Secunda differentia in liquidis sive humoribus consident, quia vero hæc sulphurea substantia continuo gignitur ex alimentorum excrementis, variisque in locis fit, necesse est inde alias emanare species, & hæc proprie putrida dicitur: non tam quod in ea humores putrescant primo, sed quia illa materia nondum a natura ad perfectionem deducta, tanquam excrementitia, dum incendio prehenditur, fœtorem emittit.

Tertia in spiritibus sedem habet, & sanguini in venis, ac arteriis immixta, unde synochos homotonos, paracmastica, epacmastica, & si in solo spiritu, diaria fit.

Quoniam autem unaquæque pars proprio abundat sulphure, materia videlicet inflammabili, contingit, ut eædem in eas species facilius reduci possint; cæteris tamen perito non negligendis.

(a) *Hectica*. Frequens post intermittentes perperam curatas, vel intempestive constringentium & Chinæ Chinæ abusu oppressus fieri febres lentas, quæ in eo ab hectica differunt, quod hujus major sit gradus, & ex viscerum corruptela ac inflammatione nascatur. Febres namque quæ in finem depurandi sanguinem a sordibus excrementitiis instituuntur, critico naturæ motu citius oppressæ multa incommoda post se trahunt; dum impuritates, in sanguine relictæ, obstructiones viscerum fixiores efficiunt, & liberiorem sanguinis motum præpediendo calorem accendunt continuum. Hinc corruptelæ, tumores scirrhosi viscerum, febres lentæ, virium decrementum, digestionis vitia uberrime profluunt, quotidiana id attestante experientia

(b) *Convulsiones a flatibus*. Per flatus antiquiores Medici intellexerunt impetum spirituum sic dictorum animalium in nervis & musculis, qui si justum naturale æquilibrium suum excedit, tensio harum partium nimia, dolorifica, seu spasmus & convulsio fit.

(d) *Suprà ventriculum creverat præ-durus tumor*. Causa horum symptomatum genuina spasmus est, qui pene omnibus sese immiscet morbis, et principalis morborum origo existit, quanquam sæpius bonum in finem, DEO, Naturæ Authore, ex legibus certis præscriptis sic dirigente, instituatur. Spasmus fibrarum motricium & musculosarum (quæ secundum naturam motu dilatationis & contractionis gaudent æquali) est constrictio fortissima, qua, poris et vasis arctius unitis, circulatio sanguinis et humorum sive ejus receptio et emissio in partes ad tempus sistitur; unde partes spasmo affectæ manifesta duritie, tumore imbutæ, et sanguine stagnante diffusæ apparent.

(d) *Constat febrem non calorem* &c. Variæ sunt opiniones de febrium et caloris præternaturalis origine. Nulla autem antiquior, melior et principiis mechanicis infallibilibus et simplicissimis accommodatior videtur, quam *divi nostri Senis, quam tradit in tract. de flatibus sect.* 3. §. 10. *& seq.* ubi a spiritibus seu corporis nostri partibus impetum facientibus ab externo aere provenientibus (quos ob vim illam flatus ubique nominat) febrium fontem deducit. Asserit nimirum, *spiritus corporis nostris obstructo inferiori ventre a sanguine refertas corporis partes illapsos eas refrigerare, quibus refrigeratis totum corpus horror occupat, & quo majori copia flatus irruperint eo major rigor & tremor partium consequitur. Sanguis porro*, inquit, *præsentem horrorem metuens per totum corpus perreptat & ad maxime calidas partes concurrit, atque hi sunt ejus saltus. Desiliente autem ab extremis corporis partibus sanguine, & viscera & carnes contremiscunt. Aliæ enim corporis partes copioso sanguine refertæ aliæ exsangues existunt. Atque exsangues quidem ob frigus minime conquiescunt, sed concutiuntur; quæ vero sanguine replentur, ob sanguinis copiam contremiscunt & inflammationes excitant. Coacto autem cumulatim plurimo sanguine, aer ipse qui sanguinem refrigeravit, a calore superactus, rursus incalescit, incensusque a-velut ligneus existens in toto corpore calorem excitat, ad id etiam superveniente ipso sanguine. Quod enim incensum est liquatur, ex eoque spiritus oritur, qui ad corporis meatus irrumpente sudores fiunt.* Quos non videt, clarissime hic indigitari inæqualem motum sanguinis, et maxime ejus lationem a partibus extremis ad interiores. Certum est, in paroxysmo febrium notabili spasmo affici et contrahi partes extremas, et principaliter cutis glandulas, et munusculorum fibras. Hujus spasmi affecta sunt pathemata inter initia paroxysmi invadentia v. gr. pandiculationes, cutis pororum corrugationes et constrictiones, ingentes rigores, immanes concussiones, ventriculi eversiones, artuum dolores &c. Præterea fortiori et spasmodica harum partium contractione primum sanguinis influxus et refluxus poris coarctatis impeditur, hinc destitutę sanguine ceu caloris fonte frigent, ungues livescunt, venæ, quæ antea turgebant, fiunt minores et sensum fugiunt, sudor cohibetur, introrsum sic retractis et a circumferentia ad centrum coactis ipsis humoribus; Collectus sic sanguis in vasis majoribus majori impetu ruit in cordis musculum et tunicas arteriarum, motuque citatiori fertur per pulmonum corpus, ubi aeris appulsu conquassatus et attritus in subtiles partes discerpitur, quæ vorticoso motu celerrime agitatæ humidum dissipant, propellunt, solidasque partes continua allisione et attritu calefaciunt dum per poros constrictos angustiores velocissime moventur, donec tandem obstructi in extremis partibus tubuli aperiantur, sic spasmus remittat, et liber sanguini circulus restituatur, paroxysmo sic cessante ac transpiratione liberiori facta; Adeo ut mechanica ratione causa febris omniumque symptomatum dilucidissime explanari ac explicari sic possit.

CAPUT

CAPUT IV.

De raro affectu.

PErillustris Domini Flaminii de Marescottis uxor, Dom. Anastasia, acerbissimum dolorem in hypogastrio ad utrumq; hypochondrium vagantem, in dextero tamen fixius, ex quo primum ipse ortum duxerat, hærentem, ab anno patiebatur. Is dolor sensim & sine febre cœpit; paulo post, diebus videlicet 6. vel 7. elapsis, vehementiore facto, (a) *acuta febris*, de genere continuarum, Nobilem patientem adorta est. In hac febre debellanda, qui tunc ejus curam susceperant, bis e pedibus sanguinem miserunt, totiesque e brachiis, nec salvatellæ pepercerunt. Ter & quater corpus purgatur, præmissis præparantibus julepis. Febris post decimum quartum remittitur. Dolore vero in eodem statu, aut saltem paulo mitiore, perstante, toto trimestri, absque intervallo, medicamenta utcunque oblata deglutit. Fonticuli in brachiis & cervice fiunt. Fotus, litus, unguenta, sinapismi, cucurbitulæ, enemata, glandes, & *quæcunque* (b) *vulgaris Medicorum* praxis excogitavit, in usum vocantur, in cassum tamen omnia, imo dolore in dies vegetiore & corporis habitu (alias obeso) tunc gracili & cachectico reddito. Quapropter (c) *tot remediorum pertæsa*, atque nauseabunda, quasi Medicorum manus effugiens, rus se recepit: ubi ad quatuor menses commorata aliquod levamen se percipere arbitrabatur. Reversa vero in urbem idem dolor magis exasperatur, &, quod deterius erat, cui se committat, plane ignorat, (d) *pertimescit* Medicos, remediorum odoris, saporis & aspectus reminiscitur, præteritorum memoriam perhorrescit, & futura veretur. At dolores premunt, vigiliis, anorexia, & aliis symptomatis conficitur, mors imminet, & sic in manus meas, veluti ad extremum asylum, curandam se contulit. Itaque supradictis omnibus ad unguem examinatis, calculosam concretionem circa præcordia ratus, quæ universaliter coagulatum tartarum dissolvunt, adhibitis, optime convaluit.

Dissolventia duobus modis cognoscuntur, similitudine, aut analogia, & arte signata: Similitudine oleosum oleosa dissolvit, aqueum aquosa. (e) *Arte signata*, lapides lyncis, Judaicus, crystallum, astacorum, totidem lapidum species in nobis concretos dissolvunt. Hic modus vocatur ars, eo quod nonnisi magna solertia, & longo studio, lumine naturæ etiam adjuvante, comparetur. Interea ne miremini, antiquam hanc philosophandi methodum penes infinitos Medicos, imperito vulgo famatissimos, tum temporis injuria, tum cacodæmonis arte, consepultam jacere. Communis enim ille mortalium hostis conatur abscondere, quod Deus suæ creaturæ nunquam immemor, naturæ lumine majoribus nostris olim revelavit.

a *Acuta febris*. In omni dolore vehementiori sanguis febrili æstu facile ebullit, & quo dolor acerbior, eo calor solet esse major. Spiritus enim animales intra

tra nervos & muſculoſas fibras motrices velociſſime & inordinate moti a cauſa externa irregulari irritante ſpaſmum & fortiſſimam tenſionem ac conſtrictionem partibus communicant; hinc ſanguis reprimitur in vaſa majora; unde cordis & arteriarum motus major & febris.

b Vulgaris medicorum praxis. Diſtinguendum omnino eſt inter praxin medicorum vulgarem empiricam ſolidiori ratione deſtitutam, & inter illam, quæ ex ratione bene fundata, experientia certa, cauſarumque connexione derivatur, qualis philoſophica eſt rationalis, ſucceſſus feliciſſimi, quæ paucis eget remediis, ſatis tamen probatis & ſelectis, non macerat vel torquet corpora copia inutilium pharmacorum, nec in externis illis cauteriis, fonticulis, unguentis, ſetaceis, cucurbitulis, veſicatoriis, enematibus multum quærit præſidii; Sed magis ad intemperiem ſanguinis & humorum tollendam, & æqualem ipſis motum procurandum reſpicit.

c Tot remediorum pertæſa. Medicamentorum copia & crebra mutatio frequentius magis officit, quam prodeſt ægrotantibus, nauſeam creat ventriculo, fermentum ſalivale deſtruit, & motus varios irregulares excitat, ut cum morbo in gratiam redire nequeant, ſepoſito autem vel neglecto omnium medicamentorum uſu melius ſe habent non raro miſeri ægri, & priſtinam ſanitatem felicius recuperant abſtinentes omni remediorum uſu, quod non ſemel in praxi annotavi.

d Pertimeſcit medicos. Summi periculi plena res eſt committere vitam & ſanitatem ſuam Medico imperito, imprudenti & temerario, qui plus nocere, quam prodeſſe ſolet. Satius tunc eſt, ſoli naturæ negotium curationis committere, & abſtinentia, ſpe, & expectatione morbum ſanare, quam in manus imperiti medici incidere.

e Arte ſignata. Signatura nihil facit ad dignoſcendas medicamentorum facultates, dum non reſpondet experientia, & quæ ſignaturam habent cum corporis noſtri partibus, prorſus illis repugnant, & vice verſa: alia, quæ nullo externo caractere imbuta ſunt, optime illis quadrant & conveniunt; hinc antiqua hæc philoſophandi methodus penes infinitos medicos olim recepta nullius momenti & parvi æſtimanda eſt. Lapides autem a Domino A. commemorati concretum diſſolvunt tartarum, dum calcinatione & pulveriſatione præparati ſal quoddam alcalinum abſterſivum recondunt, acidum deſtruens & mucum colliquans.

CAPUT V.

De lue cum hydrope, febre, & aliis.

ALexander de Thanaris laneæ mercaturæ tunc incumbens, 30. annos natus, teterrima (*a*) *luis venereæ ſpecie triennio inveterata*, cum anaſarca, febre lenta, epulide, ulceribus in ore vigiliis, inappetentia, aliiſque graviſſimis ſymptomatis miſere excarnificabatur. Tot mala partim ex remediis peperam adhibitis, ut (*b*) *hydrargyrii ſuffumigiis*, potionibus, phlebotomiis, ligni guajaci decoctis; partim ex ipſius morbi ſævitia contraxerat. Cadaveris potius, quam hominis effigiem ferebat: & cum ipſe ejuſque conſanguinei de ipſius ſalute minus cogitarent, hunc in modum a tot ærumnis ſublevatus eſt. Adverſus hydropem, & febrem lentam, hydrargyrii pernicie concitatam, arcanum vitrioli, & (*c*) *aurum diaphoreticum* dabatur. In jure galli & vervecis coquebatur conſolida media, cujus mane lib. 1. ſumebat. (*d*) *Extractum tandem*

dem ex china falsa, sale guajacino, & similibus diaphoreticis, ad 12. dies; dissolutum cum tantillo vini porrigebatur: a qua felici curatione novennium jam elapsum est, quo continuo semper valetudine firma potitus, est & gaudet.

a Lue invcterata. Difficillime hæc curatur accuratissima licet instituta medela: infecti enim & deturbati a statu suo naturali penitus sunt omnes corporis fluores, & insignis visceribus corruptela illata. Memini aliquando me militis aperuisse cadaver hoc malo defuncti, ubi membrum verrucis obsessum cranium porosum & carie tactum erat, multæque polyposæ concrescentiæ in carotidibus & cordis ventriculo dextro reperiebantur, visceribus, hepate & liene corruptis, & ex facili friabilibus, ac prostatis & vesiculis seminalibus partim scirrhosis, partim sanie putrida diffluentibus.

b Hydrargyrii suffimigii. Mercurius appropriatum & potentissimum luis gallicæ alexipharmacum est, humores coagulatos promptissime fundit & colliquat, & obstructiones in angustissimis tubulis egregie resolvit. Operatur & partium subtilitate summa, & gravitate maxima: Est quippe fluidorum omnium gravissimus; quare etiam minutissimæ ejus partes respectu aliorum fluidorum & nostri sanguinis semper specie sunt graviores, unde magno impetu & vi sanguinis partes movet & ab ipsis motis velocioris motus gradum acquirit, ut adeo minutissimos poros subeundo firmissimas obstructiones reserare queat. Dum autem textura sua salina spicula faciles in amplexus arripiat, hinc salia acria corrosiva in lympha & sanguine lue venerea affectorum obvolitantia imbibit & arripit; unde spiculis sic armata, coralinis, glandulas, vasa & fibras vellicat; unde hæc mediante influxu spirituum copiosiore inflata et contracta premunt liquida in iis contenta, ut non tantum salivalis latex, sed et serum per sudorem, vomitum et alvum non rato excernatur: ubi autem vasa excretioni apta non existunt, ibi notabilis observatur turgescentia. Lympha itaque quo magis fœta est salibus corrosivis, acetosis, ut in cachecticis et scorbuticis, hoc facilius virulentam induit naturam, dum sic brevi stamina fibrosa partium corrodit, vel fortiori irritatione convulsiones, inflammationes, spasmos, hæmorrhagias excitat. Per suffimigia et unguenta mercurius semper citius et vehementius operatur, quam si intus adhibeatur, dum tali ratione immediate fluoribus corporis communicantur ejus moleculæ, quæ alias difficillime cum chylo miscentur et sanguini substantialiter propinantur.

c Aurum diaphoreticum. Aurum sibi relictum parum virtutis medicamentosæ recondit propter firmam, fixam et compactam ejus texturam, ægerrime a menstruo microcosmico dissolubilem. Quod si autem mercurio purissimo animatur et intime subigitur, transit in medicamentum efficacissimum et tutissimum, parva dosi magnum aperitivum, si rite processeris; aurum enim mansuefacit virulentam arsenici vim, et ipsa gravitate sua magnum impertiens motum, et a mercurio subtile ac tenue factum insignem acquirens efficaciam agendi.

d Extractum ex china etc. Extracta hæc decoctione cum aqua et inspissatione parata, temperata pollent resina, quæ constat ex particulis mucilaginosis sulphureis et salinis acribus, quæ sale fixo exaltata dissolventem et diaphoreticam, blandam tamen, possidet vim, et usu continuato laudabilem præbet effectum: Præstat enim semper mitius, insistendo tamen, aggredi morbum, quam vi et impetu ipsam naturam cogere medicamentis.

CAPUT VI.

De menſium ſuppreſſione a longo tempore.

NObilis & elegans virgo, Angela nomine, D. Annibalis de Geſſi filia, 16. annos nata, (a) *menſibus ſuppreſſis*, pallido colore, ventriculi frigida intemperie, capitis defluxione, inceſſus difficultate a triennio laborans, noſtro (b) *pulvere diaphoretico* ſublevata fuit. Apozema aperiens, incidens & attenuans ſub finem præſcripſimus: Quibus fluxere menſtruales purgationes, color nativus rediit, inappetentia & alia inde orta penitus evanuerunt. In hac curatione nullam præmiſimus univerſalem purgationem, nec per ſaphænam, aut aliam partem, miſimus ſanguinem. Etenim tota noſtra fuit hæc intentio, obſtructos meatus, coagulatum tartarum diſſolvendo, aperire, quo liberius ſpiritus ad propria munera obeunda per totum corpus vagarentur. Spiritus enim, veluti radius luminis, totum corpus permeans, ipſum regit, nec in ſua definit operatione, quoad interceptum quid illi obſiſtit; Illeidus his, qui Hermeticam ſcholam ſequuntur, dicitur, qui & ipſis microcoſmi acr habetur.

a *Menſibus ſuppreſſis*. Suppreſſio menſium mille malorum origo in fœminis eſt. Quod ſi ſuperfluus ſeroſus ſanguis, qui in gravidis in nutrimentum fœtus vergit, in aliis ſingulo menſium ſpatio evacuatur, retinetur, infarctus vaſorum plethorici fiunt; unde ſtaſis, corruptio, vapeſcentia & motus humorum lentior ac tardior fit, & recenſita a Domino A. ſymptomata oriuntur, quæ conjuncta affectum ſingularem conſtituunt, dictum chloroſin. Pertinacior autem talis retentio ex multiplici cauſarum fonte derivanda eſt. Primum enim accidit, ſi diſcraſia, ſanguinis & humorum viſcida nimium invaluerit, ita ut turgeſcentia & orgaſmus conſuetus & impetus ille ad expulſionem neceſſarius deficiat. (2) Si ſanguis ipſe deficit, vel ſerum copioſum abſumptum per morbos eſt, ipſæque vires langueſcunt, & impetum facientes ſpiritus impares ſunt motuumq; concitationibus languidiores. (3) Si polypoſis concretionibus vaſa uterina obturata vel illorum orificia excreſcentiis occluſa fuerint. (4) Si impetus ille ſanguinis tempore fluxus ad uteri vias tendens repente ſiſtitur, vel venæ ſectione facta in brachio, vel hæmorrhagiis narium, cujus exempla aliquot notata fuerunt; deſueſcens ſic natura & turbata in opere ſuo ægre interdum ad ordinem ſuum revocatur.

b *Pulvere diaphoretico*. Non conſultum eſt ante venæſectionem & debitam præmiſſam expurgationem ſudorifera calida camarinam vitioſorum humorum copioſam exagitantia propinare; nam obſervatione conſtat, vehementer ſic impurum ſanguinem commotum & ad alias partes translatum anxietates & anguſtias præcordiales, cordis palpitationes, hypochondriorum vel artuum ſpaſmos, cephalalgias, paralyſin, hæmorrhagias & febrem lentam produxiſſe. A balſami ſulphuris therebinthinati intempeſtivo uſu ante debitam ſanguinis & humorum evacuationem grave delirium obſervavi. Quam ipſam ob rem præſtat contra Authoris ſententiam ſubvenire plethoræ & cacochymiæ tam venæſectione, quam purgatione prius, quam præſcribamus diaphoretica calida. Martialia autem ſimplici ſaltim modo parata nullo ſale acido potenti inverſa & maritata cum regulo antimonii medicinali, item cum ſalibus aperitivis, uſum præbent egregium.

CA-

CAPUT. VII.

De ulcere maligno, & falso catarrho.

FRater Auguſtinus trigeſimum circiter annum agens, in Cœnobio Reverendorum Patrum Cœleſtinorum, cachecticus factus, forte ob culinæ officium, quo tunc defungebatur, depaſcentia duo ulcera dolorifica, calloſa, & virulenta, de his quæ φαγέδαινα dicuntur, contraxerat, alterum ſub articulo genu dextri, alterum in ſura tibiæ ejuſdem lateris. Patiebatur inſuper ſalſam defluxionem a capite, unde ulcera certo trahebant originem, non a lue venerea, ut is, qui guajaci decoctum ſtatim morbi initiis prębuerat, falſo arbitrabatur: quapropter jecoris intemperiem augens, malum primo deterius reddidit; mitto remedia, quibus anno toto uſus fuit. Itaque cum præſentis ulceris (*a*) *cachexiam* pro antecedenti cauſa haberem, huic incumbere, totiſque viribus eam evellere, partim (*b*) *corallorum tinctura*, partim decocto purgante & refrigerante, conati ſumus; quo ad vota ſuccedente, ad ulcera deſcendimus, quæ calloſa, dolorifica, profunda, & ſane aſpectu horrenda. Primum mitigandus fuit dolor, anagallidis, & roſarum decocto: (*c*) *calloſitates*, unguento ex vitellis ovorum cum calcinato majore, quo & mundificata fuerunt. Ablato calcinato, cum eodem unguento, thure aliquando adjecto, ulcera carne implevimus; & ultimo cicatricem croco martis obduximus.

a Cachexiam. Cachexia notat copiam ſeri impuri ſalibus excrementitiis ſtipati, & circulationem humorum per ſubſtantiam carnis poroſam & vaſa corporis minima lentiorem. Ulcera gignit quam facile in partibus extremis propter ſtaſin ſeri in partibus maxime tendinoſis & cardilagineis majorem ibi acrimoniam & corruptionem concipientis.

b Corallorum tinctura. Perſuaſum habuerunt veteres corallia ſulphure ſcatere ſolari naturæ grato a quo etiam mutuentur ſuum colorem. Uti autem color non eſt entitas quædam abſoluta ſubſtantialis rebus inhærens, ſed ſaltim modificatio lucis pro diverſa textura particularum, variam ideam in mente excitans: ſic quoq; color ille ſeparari & extrahi non poteſt. Sed omnes coralliorum tincturæ flavæ vel rubicundæ mutuantur ſuum colorem a menſtruis, quæ principio oleoſo acido ut plurimum abundant & ſub digeſtione rubedinem induunt, uti patet in ſpiritu tartari, ſpiritu panis, mellis, mannæ, lignorum, qui cum tempore amittunt ſuam pelluciditatem, & rubro colore tinguntur. Quocirca magis appellandæ ſunt coralliorum ſolutiones, quarum virtus maxima ex parte dependet a menſtruo. Non negandum equidem eſt, illam, quæ paratur cum ſpiritu tartari, vel lignorum, eſſe optimam ad diaphoreſin excitandam.

c Calloſitates. Calli ulcerum nihil aliud ſunt, quam ſcirrhoſitates a coarctatione & coalitione fibrillarum & vaſculorum mediante acido ſtiptico productæ; quam diu autem duræ hæ partes non removentur, nulla ulceris ſperanda eſt conſolidatio: tolluntur autem vel cauta ſeſectione, vel alumine uſto cum mercurio præcipitato probe præparato, quem calcinatum majus A. appellat.

CAPUT VIII.

De latente lue cum aliis graviſſimis.

ANtonius cognomine Navarra, Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Cardinalis Juſtiniani rhedarius, annos ſuæ ætatis 50. explens, vitæ voluptuariæ plus juſto indulgens, in graviſſimum morbis genus incurrerat, nec cognitu, nec curatu facile. Morbum hunc, etſi aliis ſtipatum affectibus, tamen ab uno eodemque fonte dimanare certum erat. Cognitionis difficultas ex eo pendebat, quod non unica pars, ſed totum corpus æqualiter affectum erat. Inprimis caput fluxione tentabatur: pectus, ventriculus, & aliæ ſubjectæ partes, & defluxione, & propria intemperie afficiebantur: lenta tandem febre continuo conficiebatur, anhelitus difficultate, tuſſi, anorexia, & inſolito marcore; unde ad tabem deduci omnes arbitrabantur.

(*a*) *Cognita vitæ conſuetudine*, (*b*) *in latentem luem veneream* eum incidiſſe, e qua tot mala oriebantur, facile judicavimus, quæ etſi certa de ſe indicia non daret, tamen propter infinita remedia, & ipſius naturæ conditionem, morbum hunc in hos affectus degeneraſſe, pro certo conjecimus. Quod novum aut inauditum doctis non eſt. In tot affectuum curatione, (*c*) *ab his quæ magis urgebant*, juxta communem doctrinam exorſi ſumus. Et primo febri ſummovendæ, e naturalium partium obſtructionibus ortæ, Electuarium aperiens, roborans, & refrigerans tribuimus. Decoctum deinde chinæ, ſalſæ cichorii, endiviæ, borraginis, hermodactylorum, aniſi, liquiritiæ, in jure caponis factum, ſervata doſi, ad 30. dies ſumebat. Interdum huic decocto fol. ſennæ, prout neceſſitas poſtulabat, adjiciebantur. Sub finem tandem extractum chinæ, ſalſæ, additis eorundem ſalibus, & aliis capiebat. Et ſic a tot affectibus, contrarias indicationes habentibus, intra 40. dies liber evaſit.

a Cognita vitæ conſuetudine. Medicus in morbi cognitionem inquiſiturus, ante omnia ex variis circumſtantiis & quæſtionibus habitum corporis, temperiem, craſin & motum humorum (quod temperamentum eſt) conjicere, deinde ex habitu corporis, vitæ conſuetudine, & victus ratione, nec non ex ipſis morbis conſuetis, aut excretionibus ordinariis hariolari jam ipſam morbi conditionem & ſtatum, naturæque motus debet; ſic prognoſin certam quam feliciſſime inferre poterit.

b In latentem luem. Particulas morboſas neſcio quas, peregrinas, naturæ evacuatoriis non correſpondentes, diu recondi ſub in volucris ſanguinis & citra omnem noxam latere poſſe, clarum faciunt inter alia variolæ, morbilli, arthritides, morbi hereditarii, & maxime lues gallica & morſus canis rabidi, quæ tandem in motum incitatæ vel ab animi affectibus, vel medicamentis calidis aut morbis acutis, vel certa aeris conſtitutione ſanguinis vincula laxante, tragedias ſuas ludunt. Recentiores materiam hanc morbificam fermenta vocant in valvulis partium ſolidarum hærentia; cum autem nullus conceptus fermenti cujuſdam eſſe poſſit taliſmodi morboſi, multo minus, qua ratione in valvulis ductuum citra communicationem cum ſanguine, lympha aut ſpiritibus latitare queant, hinc merito illam ſententiam in dubium vocamus, & ab hiſce vocabulis abſtinemus.

(*c*) *Ab his quæ magis urgebant*. Principale indicans in curatione eſt ſymptoma illud,

illud ; quod vires corporis conservatrices prosternit, & inventionem remedii urget, & a medicis respici debet, v. gr. dolor, vigiliæ, febr is, convulsio; malignitas, syncope, & quæ sunt generis ejusdem.

CAPUT IX.

De mensium suppressione, & aliis.

NObilis, & elegans juvenis, annos octodecim agens, Domini Balthasaris de Acurtiis filia, nomine Angelica, gravissimis morbis atque sævissimis symptomatis, biennio & ultra, misere conflictabatur ; ordinariis insuper remediis, quamquam a peritissimis Medicis ex arte adhibitis, nihilum proficientibus, imo indies magis exacerbantibus, atque gravioribus compertis. Feliciter vero methodo sequenti probe convaluit. Caput imprimis insigni torpedine tentabatur, atque sopore incredibili assidue afficiebatur, corpore æquali gravedine oppresso, a quibus maxima incedendi difficultas, actionum naturalium pravitas, unde longa symptomatum series, per intervalla (*a*) *manibus livore*, veluti sphacelo, correptus, non *sine frigore*, etsi vigeret æstas. Hæc omnia a suppressis mensibus, quorum (*b*) *causam bilis atræ* assignandam, nulli dubium, maxime cum esset temperamento melancholico, nec non ictericia nigra, simulque frequenti vertigine corriperetur. His occurrendo, (*c*) *pilulas*, quas ob earum efficaciam in 4. humoribus repurgandis, catholicas nominamus, accepit quoad totum corpus ejusdem atro humore inquinatum probe repurgaretur. Elect. postea ex conservis betonicæ, borraginis, & rosarum, (*d*) *oleo vitrioli martis*, & pulvere nostro diaphoretico confectum, ad mensem dabatur: quibus tandem libera evasit.

(*a*) *Manibus livore*. Livor manuum cum frigore, sphaceli licet levioris species videtur a sanguine corrupto ad partes has extremas mediante spirituum robore delato, ubi propter crassitiem capillaria vasa obstruit, stagnat, corrumpitur, livorem & frigus producit. Quo spectant etiam maculæ illæ lividæ vel nigræ scorbuticis familiares.

(*b*) *Causam bilis atræ*. Veteres dixerunt atram bilem, quando copiosa acida salia cum sanguinis oleosis sulphureis & terreis partibus mixta sunt, a quibus etiam temperamentum atrabilarium, seu melancholicum derivandum est. Bilis utpote cum acido mixta digestione transit primum in viriditatem, postmodum in atrum colorem, ex quo etiam ictericiæ nigræ ratio & genesis dicenda est.

(*c*) *Pilulas*. Pro varietate & natura ingredientium differt quoque pilularum effectus. Alterantia & incidentia cum purgantibus remixta illorum vim egregie exaltant, quem in finem laudem merentur Dn. Authoris pilulæ inferius describendę. Optime componi pilulæ polychrestæ per epicrisin purgantes possunt ex extracto Panchymagogo Crollii, quod instar omnium est maritato cum Gummi ammoniaco puro, non aceto infracto, addito sale quodam incidente v.g. succini & olei carminativi momento, aut extractum aloes cum sufficienti quantitate diagridii misceatur addito sale succini, martiali & oleo corticum aurantiorum, quæ pilulæ universales tutissimæ & antihypochondriacæ præstantissimæ sunt.

(*d*) *Oleo Vitrioli Martis*. Improprie hoc dicitur oleum, est potius spiritus Vitrioli martis, humidi debita evocatione

in

in spissiorem formam redactus. Quoniam autem acida propter figuram suam ad motum promptiorem ineptam particulas mobiles, tenues & sulphureas humorum in motu sistunt, securius est abstinere illis in morbis, qui a *coagulatione & spissitudine* proveniunt.

CAPUT X.

De teterrimo dolore oculorum, tertiana notha, & dolore Vagante.

NObilis Dominus, Horatius de Leonhoris, 40. annos agens, interjectis temporibus, triplici morborum genere toto cœlo diverso laborans, in manus meas curandum se tradidit. Primum salsa, acris, & pungens erat defluxio, quæ in alterum oculorum irruens, dolorem omnino intolerabilem suscitabat: cui opitulando, multa jam medicamenta, doctissimus quidam Medicus, frustra præscripserat: tanta erat hujus acris defluxionis vis atque pernicies, ut in fronte & superciliis (*a*) *herpetem exedentem* produxerit. Hujusmodi defluxionis radices (*b*) *saccharo metallino* penitus cito & tuto præcidimus.

Alter affectus, fuit tertiana notha, quæ in hemitritæum malignum conversa, perpurgato corpore cholagogo ex rheo, manna, & similibus benignis parato, brevi valedixit. Tertius, & omnium vehementissimus fuit dolor in altera tibiarum, ita atrox & vehemens, ut supra humanam naturam ipse cruciaretur. *Hujus doloris causa*, tenuis quidam vapor, aut (*c*) *subtilis quædam aura* venenata fuit, non continuo, sed brevissimis intervallis vento velocius per tibiam oberrans, & ita, ut digiti contactu ventus cum dolore simul & statim evanesceret; unde conjecimus hujus tenuis auræ sedem in venis existere, (*d*) *venis* maxime in superficie *tumentibus*. Quapropter varices satis apparentes, tundendas constituimus. Quod cum profecisset, cucurbitulas perexiguas, vulgo *corneti* dictas, per totam tibiam admovendas curavimus; quo acto dolor confestim evanuit.

a Herpetem exedentem. Scorbuticorum lympha lachrymalis, nec non salivalis sepius tanta salsedine acri imbuta est, ut non tantum partes vicinas solidas depascere incipiat, verum etiam metallorum substantiam aggrediendo solutione quandam minetur, quod patet, si vasi æneo immittatur, ubi protinus virorem extrahit. Generatio horum salium in scorbuticis intenso ac intestino partium fluidarum motu fit; quo enim attritio & allisio salium fortior, eo majorem subtilitatem, penetrantiam & acredinem acquirunt. Extravasatio seu stasis lymphæ circa oculi glandulas præcipue observatur in illis scorbuticis, ubi transpiratio salium horum morbosorum variis ex causis ad tempus impeditur. Causæ autem possunt esse modo inæqualis aut frigida aeris constitutio, modo acidorum & viscidorum abusus, aliaque exterius applicata oleosa unguenta, frigida, poros occludentia. Sic ab erysipelate capitis solito citius retropulso opthalmiam cum panno contumaciissimam annotavi.

b Saccharo metallino. Hoc nil, nisi sal, seu sic dictum saccharum saturni est, quod tam ratione acidi concreti, quam plumbi naturæ adstrictivæ humorum acres abullitiones mitigat, sicque salium ferociam temperat.

c Subtilis quædam aura. Occurrit hoc phænomenon in praxi frequentius, auram frigidam ex partibus extremis &

in-

inferioribus ascendere per dorsalem spinam ad partes superiores in morbis præcipue spasmodicis nervinis. Ad sensus fallaciam hoc pertinet; auram quippe seu vaporem ad corporis pars sensibilior perreptare rationi repugnat. Adscribendus potius hic effectus est constrictioni nervorum spasmodice in extremis partibus incipienti, & ad interiora vergenti.

(d) *Venis tumentibus*: Tumor venarum nostro in casu non causa morbi, sed potius productum ejus censendum; ob spasmum enim partium circulatio sanguinis ad tempus suspenditur, ne facile in partes, & in his arterias transfunditur: hinc in venis stagnans tumorem efficit.

CAPUT XI.

De arthritide cum febre & aliis gravissimis.

DOminus Antonius de Purgo, annos triginta natus, arthritide (a) *immobilis totus* fere reditus, (b) *cum ardenti febre, eaque continua* & vigiliis, immanissimis cruciatibus, & aliis gravissimis symptomatis in lecto jacebat. Quibus profligandis nihil intactum reliquerant celeberrimi Medici, cujus curæ primo attendentes. Sed quæ vulgaris medicina, tam rationibus, quam experientiis referta docet, in usum advocata, nihil hucusque profuerant. Circa primam horam noctis ipse accersitus, (c) *pulveris nostri diaphoretici grani quinque porrexi*. Intra horam, suavi somno captus æger: febris, dolores, & alia symptomata quieverunt.

Sequenti die, ter & quater idem remedium iteratur; in cujus usu ad 15. dies perseverat. Pedes interea tepenti aqua, in qua sulphur pernoctaverat, fovebantur. Sic intra viginti dies præter multorum opinionem pristinam recuperavit sanitatem. Veteres hujus affectus patronos Venerem & Bacchum esse ajebant: quod tamen nostra hæc ætas ratum constansque minime probat. Etenim homines castissimos, & abstemios, æque ac incontinentes & helluones (quod plerumque observavi) sæpius adoritur, uti etiam in sequentibus patebit. Otia, ira, & naturalis propensio, quæ hæreditaria dicitur, istis hominibus magis adversari videri potest; hinc rari, præter nobiles aut alios otiis plus justo indulgentes, gravi hoc malo corripiuntur. Intrinseca causa, quæ in remotam & proximam rejicitur, excrementio cuidam & superfluo humori certo tribuenda est, calidiori videlicet jecori, & refrigerato ventriculo, &, ut loquuntur Hermetici, Archeo plus appetenti quam Vulcanus coquenti. Archeus siquidem ac Vulcanum ubique vigent; dogmaticis animi dotes dicuntur. Conjunctam hinc causam elicere possumus, eundem excrementitium humorem. Quo vero modo dolores excitet, cujusque sit conditionis, biliosus, pituitosus, serosus, dicere hucusque profuit nihil. (d) *Pergemus* ejusmodi humores, quanto voluerimus, quid inde? ne minimum quidem levaminis afferemus. Scio quantum celebrentur Elect. diacaryocostinum, pilulæ arthriticæ & alia pleraque infinita, tum simplicia, tum composita. His itaque omissis, hujus humorum naturam pervestigantes, doloris modum aperiemus.

Dixi excrementitium, in quo omnes mecum concurrent ; & id tertiæ concoctionis. Tribus autem ſubſtantiis per reſolutionis artem idipſum conſtare docetur: ſale videlicet, ſulphure, & mercurio, analogice omnibus. Unaquæque ex his propriis rationibus ſeminariis ſtipatur, neque ullam in ſe efficaciam habet; unde per intervalla mirum non eſt, ſi diverſos in diverſis doloresexſuſcitet. (*e*) *Dolor potiſſimum* a ſale ſuſcitatur, qui cum cujuſpiam nobis ingeſti cibi ſapiat naturam, ejus ſeminalis vis tanquam mortua deliteſcens aſtrali lumine irradiatur: & quæ prius effœta, noſtroque calore diu ſubacta & depreſſa erat, inſolito motu continentem partem diverſe exercet. Humiditas nimia idem ſæpius præſtat, quæ ambiente ſicco, aut alia cauſa exiccata, vires ſuas tunc exerit. At qua dolor ad menſes, & annos remittitur, perſiſtente tamen materia; cuinam, niſi influxui cœleſti, rationique ſeminali tribuendum? hac videlicet deſtinato ſcopo avocata, illo compellente, & ad præſtitutum terminum promovente. Id cuncta terræ genita nobis ſatis teſtantur, dum propriis, e terræ gremio alia aliis temporibus foras erumpunt.

(*a*) *Immobilis totus*. Atrox arthritidis dolor ſæpe ita vires frangit, & nervos debilitat, ut ſine omni motu jaceant ægri, vel ſi ille tentatur, crudeliores exſurgunt dolores, hinc ob metum graviorum dolorum ſæpe vidi ægros coactos fuiſſe ipſo in lecto alvi deponere excrementa. Morbi autem vi paulum infracta, facile per inunctiones, fomentationes priſtinus vigor partibus reſtituitur.

(*b*) *Cum ardente febre*. Dolor articulorum quo gravior, eo febris ſolet eſſe acutior ſuccus nim. acris articulorum ſenſiles membranulas convellens in illis incolentes ſpiritus inordinate commovet, qui impulſi ſibi proximos, & hi iterum alios citatius movent, ſicque facile tonum nervorum fluidum in motu ſuo turbatur & impetuoſius movetur; ab hoc autem cordis pulſus, partium tonus et hinc motus ſanguinis maximam partem dependet; qua re fluidum intra nervos celerius agitatum ſanguinem ubique fortius impellit, ſicque illum in craſi et motu ſuo naturali & depuratorio turbat; unde febris.

(*c*) *Pulveris noſtri diaphoretici*. Mercurius cum auro fixatus in medicamentum tranſit magnarum virium. Experti ſumus mercurium probe depuratum & cum ſtanno rite junctum ac edulcoratum evadere diaphoreticum ac reſolvens præſtantiſſimum, quod ſi extracti cujuſdam anodyni exigua quantitate exaltetur, in fonticis affectibus præſidium magnificum eſt.

(*d*) *Purgemus*. Purgantia nihil valent ad præſervationem vel mitigationem arthritidis. Morbus hic ſalinus eſt, purgantia autem nullam vim habent in ſalia, nec quæ in lympha & maſſa ſanguinea exiſtunt, ſalia purgantia commode eliminantur, ſed magis lædere arthriticos ſolent, cum humores, ſub quorum favore ſalium ferocia liteſcebat, ſubducunt, et ſpiculis ſuis irritando dolores & ſpaſmos augent. Morbos ſalinos qui vult curare, ſpiracula ſine omni calore et intenſiori exagitatione aperiat neceſſe eſt. Subcutaneæ enim glandulæ congruum ſalium evacuatorium exiſtunt.

(*e*) *Dolor potiſſimum a ſale*. Catharum dolorum conſtituunt corpora anguloſa irregularis figuræ beneficio lymphæ membranis communicata. Quo magis ſalia illa ratione figuræ et ſubtilitatis differunt, & pituitæ magis vel minus immerſa ſunt, differt dolor arthriticus, et vel plus aut minus acutus, volatilis,

vel

vel fixus est. Et salia hæc, dum nimium vellicant vasa minima, glandulosos ductus et nerveas fibras, ipsas præter naturam constringunt, et sic instillationem succorum in partes procurant, qui, cum angustiores reddant vias, sanguinis circulationem per affectas partes liberam & æqualem impediunt, celerius per vias adhuc patulas trajectis partibus sanguinis subtilioribus: unde calor, dolor, tubor, & tumor originem suam petunt.

CAPUT XII.

De Paralysi.

JOannes Baptista Lepage, olei negotiationem exercens, ab incognita causa in (*a*) *altero brachiorum paralysi* correptus, ad senem Medicum recurrit, a quo cum nihil opis per annum sibi reportasset, me quoque consulendum statuit. Causa ad unguem examinata, aperiens ac purgans decoctum ad complurimos dies ipsi præscripsi. (*b*) *Cephalica* deinde ac roborantia sumpsit. Ex his gratissimis & minime nauseabundis pristinæ sanitati fuit restitutus.

(a) *In altero brachiorum paralysi*. Resolutio seu relaxatio nervorum, a veteribus dicitur paralysis. Quando nervi spirituum animalium elaterio sufficienti instructi sunt, partes legitimum suum habet tonum ac robur; si autem spiritus vel prorsus deficiunt, vel illorum elater imminutus ac insufficiens est, tonus ac robur illarum perit, debilitantur, et motu ac sensu, qui spirituum elaterio et partium robori debentur, defraudantur. Causa mali hujus quæri debet in capite et in nervorum principio, ubi ob cerebri dispositionem nimis laxam et humidam facile subsistere humor et spirituum influxum et vim impedire potest. Contingit hic affectus sæpe in plethoricis, vel in illis, qui copia seri impuri vasa turgida habent; talia corpora, si motus sanguini fortior introducitur, vel per affectus animi vel per medicamenta calida, sudorifera, purgantia fortiora, paralysi non raro occupantur. Vitare autem hic præcipue convenit frigus, paulatimque ad excretiones, quantum possibile, revertendum est. Si autem partium imbecillitas hoc prohibet, vel gestetur, vel motu lecti concutiatur æger, ut vi quadam ad consuetudinem suam redeat: juxta consilium *Celsi p.179.*

(b) *Cephalica*. Horum virtus in eo consistit, ut sale volatili suo sulphureo blando spirituascentiam sanguinis et humorum promoveant, et resina sua balsamica, qualis latitat in rosmarino, lavendula, succino, majorana, ligno aloes, ambra, nervos nimis laxos et pituita obsessos roborent.

CAPUT XIII.

De raro & inconsueto affectu.

LUcius de Symoninis, dum 25. annum perageret, novem annis posterioribus peregrino morbo fuit detentus; & quidem (*a*) *a sagis*, aniniculorumque deliramentis concitatus, omnibus ac ipsismet Medicis falso cesebatur. Augebatur fides eo magis, quod nihil opis attulissent Medici.

Conquerebatur autem ipse de (*b*) *sævissimis coli doloribus*, quibus a prandio concitatis, totum abdomen mirifice intumescebat, ita ut corpore aliquantulum curvato ad libitum perderet: unde ab his, quid supra communem morborum naturam inesse ratis, velut incurabilis, arte saltem medica, penitus relinquitur. At eo conspecto, vanam ejusmodi Medicorum opinionem statim conjeci: ictero enim, arquatove morbo cum laborare, tum ex faciei, tum urinarum colore, ac alvi excrementis, cognitu fuit facile.

(*a*) *A sagis*. Vulgus medicorum causam insoliti cujusdam morbi ignorans diabolo ac sagis illam statim tribuit, Deo, qui verus omnium motuum corporeorum hujus universi author existit, & a quo omne, quicquid est realitatis, dependet debitum honorem detrahens. Natura tota mechanica est, & miranda, omnemque expectationem superantia potentiis suis sæpius producit. Pulchre canit *Poeta*: *Novatrix rerum ex aliis alias reparat natura figuras*. Quicunque itaque Mechanica philosophandi ratione instructus est, & specialiores Mechanismi leges motuum microcosmo à DEO inditas accurrata observatione & experimento tenet, ille ex facili genuinas admiratorum affectuum & insolitorum morborum causas reddere fataget.

(*b*) *Sævissimis coli doloribus*. Ex obstructis biliariis viis immane observati fuerunt dolores, excitati intestino colo, quod tunica magis nervea præ aliis intestinis intrinsece vestitum est, & tendine exquisiti sensus gaudet. Quandoquidem chylus ex ventriculi sinu acidus proveniens, & balsamo bilioso minus correctus, tenuia, quæ tunica interiori gaudent magis villosa glanduloſa, citra magnum incommodum transit; provolutus autem ad crassa, ibi spasmodicas contractiones, torsiones dolorificas & inflationes causat. Imo quod notabile est, ab immani coli dolore spasmo sic propagato ad ductum cholidochum & ejus orificium fibris motricibus instructum interdum icterum producitur.

CAPUT XIV.

De Causa.

LAura, D. Hortensii famula, 35. annorum circiter, 8. annis fere elapsis & (*a*) *æstivis mensibus*, καύσῳ triduum correpta, intra horam levi (*b*) *oborto sudore* ab assumptis granis 4. auri nostri diaphoretici, mirabiliter convaluit. Sic in majori mundo sæpe observamus, aerem exæstuantem pluvia, quæ sudori comparatur, mitescere ac consopiri.

(*a*) *Æstivis mensibus*. Personæ rarioris texturæ & biliosæ vehementiore motu tum corporis tum animi, & mora in sole, facillime quidem incurrunt in febrem simplicem, brevem, placidam minimeque malignam, dictam ephemeram. Tale exemplum ex aliis observatoribus etiam annotavit *Horstius lib. 1. observ. 1.* dum Studiosus diebus canicularibus sub solis ardore iter faciens vesperi inde febricitavit.

(*b*) *Oborto sudore*. Febres uplurimum sponte sudore terminantur. Fluxus enim sudoris cum enphoria indicat, jam sanguini restitutum esse suum circulum, & æqualiter illum influere in partes. Quantum itaque fieri potest, Medicus semper justo tempore, moderate tamen & blande, sudorem movere studeat.

CAPUT

CAPUT XV.

De duplici tertiana cum tumoribus viscerum.

LUcas Albinus, annum 27. agens, nunc prope S. Dominici ædem commorans, sexennio peracto, a duobus mensibus cum dimidio contumaci tertiana duplici detentus: cum (*a*) *insigni tumore lienis*, sudoribus nocturnis, inappetentia, vigiliis, alvi siccitate, & similibus, brevi, Deo industria nostra utente liber evasit: (*b*) *Eiusmodi febris sedes* in præcordiis obstructis, reliquis itidem naturalibus in consensum abductis, unde incredibilis virium prostratio, & incredibilis marcor, Sudores quidem (*c*) *& urinæ cruditates*, a principio ad finem jugiter concomitantes, ægrum morbo succubiturum aperte docebant, maxime etiam altero Medico trimestri toto frustra experto. (*d*) *Cura fuit, concretos humores dissolvere*, attenuare, & expellere.

(*a*) *Insigni tumore lienis*. Viscera tumida, infarcta ac indurata judicant intermittentium contumaciam, et a sanguine crasso ac motu ejus leniori proveniunt. Non tamen semper lien vitii accusandus est sinistro latere distento vel affecto. Potius intestina plurima, quæ illud latus, propter hepatis in dextro præsentiam, occupant, flatibus distenta, a vulgo medicorum pro liene affecto habentur.

(*b*) *Febris sedes*. Rigor febrisque materia circa præcordia et primas vias subsistit; quamdiu autem vitiosus putris humor extra venas quavis in sede conditus subsistit, conquiescit et corpus raro exagitat; at vero, dum quasi efferatus illinc præter naturam impetu dimovetur, nervos concutit et partes affligit. Videtur autem verosimile in plicis, si mavis, valvulis intestini duodeni et jejuni, vitiosam hærere materiam, quæ transeuntem chylum simili charactere imbuit. *Sylvius* in pancreate sedem febrium intermittentium ponit.

(*c*) *Urinæ cruditates*. Quando urinæ sine sedimento manent, et sanorum similes apparent, vel lividæ, nec rubicundæ, contumaciam indicant.

(*d*) *Concretos humores dissolvere*. Quicunque obstructiones viscerum diuturniores removere, sanguinique subtilitatem et motum maxime ad habitum corporis æqualem conciliare medicamentis didicit, ille intermittentium pertinaciam haud difficulter vincere potera t.

CAPUT XVI.

De suffusione.

LUcia, Dominici Michelini Garzolarii filia, in via Fossariorum, novem annos nata, (*a*) *oculorum suffusione* fere luce orbata, ut superior, curatione ostensa cito convaluit. In eadem via superiori æstate filiam rhedarii Domini Hieronymi de Caprariis, affectu haud dissimili detentam, iisdem quoque remediis æquæ sanavimus. Plures etiam pueros a similibus affectibus incolumes servavimus.

(*a*) *Oculorum suffusione*. Accidit interdum post gravem ophtalmiam instillato colyrio frigido obfuscari ipsos oculos. In initio juvat hic sal volatile oleosum per nares attrahere, et emplastrum ex oleis et gummatibus cephalicis fronti applicare.

CAPUT XVII.

De peſſimo ulcere in facie, noli me tangere *dicto*.

DOminus Marcus Antonius de Acariſiis, in vita S.Donati, prope Eccleſiam Divæ Magdalenæ, 55. annorum, toto novimeſtri ſpatio (*a*) *fœdiſſimum in facie ulcus*, de his quæ Telephia vocant, pertulerat. Nares primum in vaſis ulcus, quas ſenſim corrodens & abſumens ad viciniores partes primum, poſtea ad oculos uſque irrepens, totam faciem pene pervaſit. Quanquam autem, vel quia levioribus principiis obſtandum judicavit, inſigniores Medicos conſuluiſſet, eorumque opera ad præfatum tempus uſus fuiſſet, naſi tamen dimidiam partem una, & extremitatem labii ſuperioris, eroſam & laceram ab his retulit.

Turpiſſimo huic occurrendo affectui oleum balſamicum ſubdulce primo ad affectam partem illinendam imperavimus: cujus ope humoris acrimonia ſublata, oleum ſulphuris balſamicum præſtitimus. Intus, ad (*b*) *humorum acrimoniam* pariter ſummovendam; corallinam eſſentiam præbuimus: quibus tribus facillimis & gratiſſimis pravum hoc mali genus e veſtigio extirpavimus. Hinc diſcant Juniores, non ubique purgandum, aut ſanguinem detrahendum; ſæpe etenim, quæ in morbis ferina & indomita cernuntur, blandis & difficillibus remediis ſuperantur.

(*a*) *Fœdiſſimum ulcus*, Eryſipelas, ſi in ſubjecto ſcorbutico aut in capite conſiſtit, quandoque magnum affert periculum; maxime, ſi imprudenter adſtringentibus & oleoſis tractatum fuit, fœdiſſimum ſic enaſci ſolet ulcus, quod inſtar cancri ſerpit, & partes faciei exedit.

(*b*) *Humorum acriminiam*. Oportet, ſi plethora id indicat, & vires patiuntur, primum mittere ſanguinem, deinde alvum ducere, & primam regionem probe expurgare, poſtmodum ſanguinis acrimoniam probe edulcorantia propinare, & ſemper bezoardicis & camphoratis malignitati reſiſtere.

CAPUT XVIII.

De melancholico affectu cum cordis palpitatione, vertigine, & aliis.

PErilluſtris Dominus Ludovicus de Poggiis, annis circiter ſeptem elapſis, dum 25. ſuæ ætatis annum tranſigeret, quamvis optimum firmumque temperamentum ab utriuſque parentibus nactus, ſtaturam ſatis decentem, membrorum concinnam aptamque proportionem atque ſymmetriam; tamen in hunc, qui ſequitur, affectum graviter incurrit. Primum quidem in (*a*) *diros quoſdam inſultus*, qui derepente, & motu fere momentaneo, horis certis ſtatiſque nullis, eum per intervalla adorientes (*b*) *in præcordiis* ſtatim murmura quædam ac rugitus concitabant; quibus cordis παλμὸς, capitis ſudor madidus & frigidus, membrorum omnium tremor ac con-

cuſſio

cussio accedebant. (c) *Paroxysmo* autem recedente, solutisque musculis, alvum deponebat; a quo postea liber, & omni alio affectu immunis, solitis & propriis obeundis muniis, ut prius, incumbebat. Cordis potius, quam cerebri affectum esse, palpipatio primo oborta indicium præbebat.

Hujus morbi causam catarrho atque capitis defluxioni communem conjectavimus cum Hippocr. *libr. de flatibus*, & auctore *libr. de morbo sacro*, quicunque tandem sit, quam & secundum ipsum *Cur. prima* explicavimus. Itaque ejusmodi causæ prospicientes, patentes vias, quibus flatus supervacui exire possent, reddidimus: viscera primum naturalia in suo robore continentes, vitalia & animalia postea accommodatis remediis firmantes atque stabilientes, pro voto ejusmodi terrificos insultus in universum debellavimus:

Principio ipsi concedendo (d) *decocti capitalis* melanagogi usum, dein cardiacas conservas cum granis aliquot auri nostri diaphoretici, & guttulis olei dulcis vitrioli.

(a) *In diros insultus*. Affectus, quo æger nocte conflictatur, est hypochondriacus, malum, quod literatos vitamque degentes sedentariam, maximeque illos, quorum nervosum genus imbecille est, horrendo modo exagitat, larvamque pene omnium morborum assumit. Affectus est spasmodicus, & radicem plerumque habet in primis viis, illarumque digestione vitiata: sub initio facilius tollitur, quodsi autem obstructiones glandularum confirmatæ conjunctæ sunt, inveterascit, & si non semper statis temporibus, tamen maxime autumnalibus recurrit. Omnia, quæ nervis adversantur, uti acidum & frigus, hic summopere vitanda.

(b) *In præcordiis statim murmura quædam*. Malum hoc vim suam exercet imprimis in ipso intestino duodeno & crasso illo magno, quod dicitur Colon. Confluunt in duodeno humores diversissimæ naturæ, nimirum bilis, acidus ex ventriculo egrediens ciborum succus, lympha pancreatica; hi si vitio laborant, sive bile nimis acri existente, seu succo intestinali nimis acido, aut ciborum succo nimis feroci, viscido acidoque exoriuntur motus & ebullitiones inordinatæ, summe infensæ nervis propter acria exurgentia effluvia, quæ orificia ventriculi nerveæ texturæ immane quantum lancinare ac spasmodice contrahere solent.

(c) *Paroxysmo recedente alvum deponebat*. Symptomata hypochondriaca pene omnia spasmodice nervorum contractioni ac crispationi debentur; hinc intestinalibus tunici eodem spasmo affectis, flatus non solum in copia generantur, sed & alvus dura ac tensa redditur; hinc in epilepsia, motibus hystericis, aliisque nervinis affectibus & gravioribus doloribus clausa semper alvus laxatur.

(d) *Decocti capitalis*. Tempore paroxysmi eo saltim respiciendum, ut nervinis & antispasmodicis anodyna vi gaudentibus tumultum spirituum & spasmos partium nervosarum sistamus, quem in finem laudare licet castorea, succinata, pulverem Marchionis, spiritum nitri dulcem, tincturam papaveris rhead. & aquam ex floribus ver. grat. tiliæ, liliorum convallium, sambuci, pœoniæ, papaveris rhead. primulæ veris, rosarum, quæ omnes anodyna & temperante virtute fulgent. Omnia, quæ massam humorum nimis exagitare & commovere possunt, vitanda tunc temporis sunt, qualia sunt salia volatilia oleosa, aquæ spirituosæ &c.

CAPUT XIX.

De mala ventriculi constitutione.

NObilis Domini Pii Conradini uxor, annorum triginta, a multis annis (*a*) *prava ventriculi constitutione* lacessita, (*b*) *stomachico nostro specifico*, bis in die ad 15. dies dato, sublevata fuit.

(*a*) *Prava ventriculi constitutione*. Duplici modo ventriculus suos patitur manes, vel in ipso latitante mali causa, vel extra ejus pomœria, in sanguinis, lymphæ vel fluidi nervei crasi & motu perexistente. Illud fit, quando saburra tenaci & viscida menstrui salivalis vis infringitur; hoc in omni morbo accidit; hinc nullus ferme existit morbus, ubi non ventriculi actio simul labefactata sit. Pertinet enim ad bonam ventriculi digestionem saliva, quæ verum ciborum menstruum constituit temperata, subtilis & sufficiens. Deinde influxus sanguinis temperati tam in ventriculi substantiam, quam viscera circumjacentia. Tertio instillati fluidi nervei sufficiens copia in tunicam sic dictam musculosam ventriculi. Saliva menstruum dissolvens, sanguis calorem, fluidum nerveum, tonum & robur ventriculo suppeditat. Unum ex his si læditur, ventriculi debilitas præsto est. Ex quo patet, medicamenta stomachica esse quasi universalia.

(*b*) *Stomachico nostro specifico*. Hoc nil nisi magisterium cerussæ antimonii esse, a B. Cramero Professore Erfurt. cujus copia ex Gallia ipsi missa fuit, accepi, nec abnuunt *acta Haffniensia*, in quibus talis descriptio continetur. Alii materiam perlatam nuncupant, & pro panacæa vendunt. Ut dicam, quod res est, plus præstat, quam simplex cerussa antimonii, vel antimonium diaphoreticum vulgari modo paratum. Fovet in porulis suis vitriolaceas quasdam particulas, quæ ex conjugio subtilis acidi & metalli proveniunt, magna vi & energia conspicuas. Simili modo aurum fulminans, calx lunæ plus efficiunt, quam simplex limatura auri vel lunæ in detergenda primarum viarum amurca. Parari hic potest medicamentum magnæ efficaciæ in fugandis morborum causis, si antimonii partes tres igne misceantur cum parte una auri, mixtura in aqua regis solvatur, & solutio debite præcipitetur. Emergit hic pulvis sub pauca dosi mirificas edens virtutes. Stomachicum hoc medicamentum a Dn. A. dictum est, non quod singulari et specifica vi ventriculo tantum ejusque morbis opituletur, sed quod universaliter obstructione removendo, et humorum crasin ac motum restituendo, in omnibus morbis actionem ventriculi sic reparet et firmet.

CAPUT XX.

De Telephiis ulceribus.

PAulus de Bobus, 35. annos natus, in via Sancti Esaiæ, a septem annis, Telephia in tibiis patiebatur, quibus ut mederetur, bis & ter decoctum guajacinum frustra biberat. Sed illis (*a*) *remedio indies exasperatis*, & de sanitate recipienda cum vix quicquam speraret, in manus meas curandum se obtulit, eique via ac methodo, qua defluxiones curare nobis mos est, sanitatem restituimus: Localibus etiam pari ratione, qua in superioribus, admotis. Hæc ve-

ra et

ra & nunquam satis laudanda catharrhorum excidendorum methodus. Medicus probe remediorum, & (*b*) *ægrorum naturam*, vires, ætatem & similia cognoscat, ne omnes eodem calopodio calcet,

(*a*) *Remediis indies exasperatis*. Lignum Guajacum ac ejus cortex copiosa acri pollet resina ejusque decoctum validissimum est, et instar piperis acerrimum, uti id observavit *Hoffmannus ib. 2. de medicamentis medicin. pag.* 228. quare ad marasmum, tabem corpora tenella & acribus succis referta intempestivum hujus decocti usum disposuisse, observationes loquuntur.

(*b*) *Ægrorum natura*. Medicus qui feliciter praxin exercere vult, in morborum curatione maxime respicere debet ad ægrotantium constitutionem, temperamentum, consuetudines, ætatem & præprimis corporis habitum. Habitus sane corporis cognitio ad medicinam multum facit, quia ex hoc prudens Medicus humorum constitutionem & temperiem hariolari & dignoscere potest, & ad quos morbos proclivis sit, conjicere. Convenit & hic scire, quibus excretionibus natura maxime consueverit, utrum alvus constricta, vel magis fluida & mollis, an nervi laxi & imbecilles, vel magis densi & robusti, & porro, an spiritus animales ad inordinatas & efferaces motiones faciles sint, item quibus medicamentis natura gaudeat, & a quibus lædatur, item qua ratione purgantia operentur? Ex his & similibus multa in utilitatem ægrotantium colligere poterit medicus.

CAPUT XXI.

De hectica febre.

PEtrus de Armosottis, faber lignarius prope forum boarium, 50. annos natus, quatuor annis elapsis, lenta febre de genere hecticarum, cum sicca tussi, & aliis (*a*) *gravioribus symptomatis*, a tribus mensibus decumbebat: ad quem vocatus & primum de incendio illo Saturnino solidis jam partibus inhærente consopiendo cogitans pensitatis, & exacte examinatis vulgarium medicamentorum formulis, in Spagyrorum vireta me contuli, ex quibus unicum & percellens remedium excerpere libuit. Id autem est (*b*) *saccharum magneticum*, cujus vires & facultates in omnibus ardoribus extinguendis satis extollere non valeo. Interim (*c*) *victum humidum*, & tantisper plenum minime neglexi. Ad hos effectus cathartica non admitto: nam quod servandum est imprimis, humidum absumunt, & vires prosternunt.

Saccharum magneticum vide in nostro *de secretioribus medicamentorum præparationibus, & usu*.

(*a*) *Gravioribus symptomatibus*. Sudor colliquativus, spirandi difficultas, intestinorum levitas, urina pauca, oleaginosa, cum rubro sedimento, virium totalis dejectio cum instanti syncope, pedum intumescentia hecticam lethiferam indicat, quia totalem sanguinis & humorum in crasi & motu suo destructionem notant.

(*b*) *Saccharum magneticum*. Sic dicitur sal seu vitriolum Saturni, ex cujus solutione in aqua, commiscendo liquorem martialem vel solutionem martis cum spiritu salis factam pulcherrima tinctura sanguinei coloris exurgit, quæ in humo-

morum agitatione intensiori, & ejus effreni profusione moderanda mirum concelebratur. Monendum tamen in genere circa omnia constringentia in morbo hectico existimamus, ut illis cum circumspectione utamur: facile enim expectorationem putridi humoris sistunt & ventilatione sanguinis extincta ægrum interimunt. Hinc bene *Hippocrates Lib. VI. aph. 16. a puris sputo phthisis & fluxus*: Cum vero sputū retinetur, moriuntur. Notabile duplex exemplum de croco martis hecticis adhibito, qui suppressa expectoratione mortem induxit, recenset *doctissimus Forestus de febribus Lib. IV. pag. 213.*

c Victum humidum. Humidant corpus frequens balneum, cibus plenior, multa potio, lactis usus, labor minor quam ex consuetudine, emulsiones ex quatuor seminibus frigis majoribus, amygdalis dulcibus, semine papaveris paratæ, aqua caponis, decoctum cornu cervi & ejus gelatina.

CAPUT XXII.

De hydrope in sene.

SOror Maria in Cœnobio corporis Dominici, quinquagenaria, hydrope ascite, a nonnullis mensibus detenta, eadem methodo, iisdemque fere remediis, ut in *curatione secunda* diximus, sanitati restituta est. (*a*) *Annis duobus postea* decursis in eundem affectum, sed ob pravam victus rationem, (*b*) *reincidit*, & iisdem remediis iterum sublevata fuit.

a Reincidit. Vidi asciticum martialibus & purgantibus feliciter sanatum, qui cum victum non rite observabat, patiebatur recidivam lethalem. Siquidem deficiente adhuc sanguinis spirituascentia & circulatione liberiori, quando crassiore victu utuntur, cruditates multæ proveniunt, quæ non satis a natura subigi, depurari, & in succum & sanguinem verti possunt; hinc de novo viscera sanguinis depurationi inservientia angustissimosque glandularum tubulos occludunt & infarciunt.

b Ob pravam victus rationem. Diæta hydropicum malum & præcavens & curans juxta *Celsum* talis esse potest: Potio non ultra danda est, quam ut vitam sustineant, optimaque est, quę urinam movet; Alvum cibo mollire melius est, quam medicamento. Vinum quoque utile est tenuissimum. Flatulenta, viscida, infumata & acida cane pejus & angue vitanda sunt.

CAPUT XXIII.

De hectica febre.

NObilis religiosa Soror Maria Cœlestina, 29. circiter annos nata, in Cœnobio D. Petri martyris, hectica febre, cum sicca tussi, & lassitudine totius corporis valde oppressa, aliorum Medicorum operam quinque menses penitus deluserat. Illi nos opitulantes, (*a*) *saccharum rosaceum*, antihectico nostro alteratum, bis in die dabamus. Victus fuit plenus & humidus, ut hecticis vulgo præscribi consuevit. Eaque grato hoc remedio ad mensem bis in die dato optime convaluit. Hic obiter adnotare subit, debilia corpora (*b*) *cathartcicis* minime obruenda.

Antihecticum observa in nostro *de secretioribus medicamentorum præparationibus. pag. 600.*

a Sac-

(a) *Saccharum rosaceum*. Convenientissima hecticis sunt, quæ blandis sulphureis particulis spiritus solantur, salinis aperiunt & leniter terreis constringendo ulteriorem sanguinis & humorum dissolutionem præpediunt: singulare quid ad hunc scopum possident rosæ, quæ blando ac grato gaudent sulphure simul attenuante; hinc succus rosarum recentium laxat, & pulvis rosarum rubrarum sternutamentum excitat, evidenti testimonio, attenuans principium ipsis inesse: præter id propter particulas terrestres solubiles texturam sanguinis firmant, leniterque constringunt, & tali modo a dissolutione elementorum sanguinem optime defendunt. Sic novi plures ex hectica phthisica laborantes aliquot per annos diu servatos solo saccharo rosaceo & decocto pulmonariæ muscosæ, hæderæ terrestris, tussilaginis, florum bellidis, quæ maxime propter vim suam leniter constringentem cum incisoria virtute temperatam in hoc morbo curando præstantissimum effectum exerunt.

(b) *Cathartici*. Hæc ingentem in modum debilitant & infringunt hecticorum vires, serum, quod servandum erat, evehendo, & mixturam ac motum sanguinis & humorum stimulante acri sale magis turbando.

CAPUT XXIV.

De dolore ventriculi paroxysmante.

ILlustris Dominus Matthæus de Fabrettis, annum 40. circiter agens, (a) *a multis annis ventriculi dolorem* intensissimum patiebatur. Residebat dolor quotannis, (b) *certis temporibus, atque diebus*, ut plurimi morbi, statis horis, solitisque diebus, suos in nobis exsuscitant paroxysmos.

Ad Hujusmodi dolorem sedandum, Medicum sibi familiarem accersebat, qui secundum ordinaria atque communiora artis præscripta eum purgabat, sanguinem detrahebat, fotum, litum, emplastra, & similia imperabat: His tamen invitis dolor ad destinatum finem usque spectabat. Et quamvis ineunte vere similem repeteret purgationem: nihilominus iisdem temporibus dolor acer, & mordax redibat. Quocirca meo usus consilio, pilulas, quas catholicas nominamus, per 3. dies accepit; quibus tartaream illam materiam tunicis ventriculi, ac vicinioribus jecoris, & lienis partibus inhærentem, omnem dejecit, nec ab eo tempore dolor unquam reversus est.

Ejusmodi pilularum descriptionem habebis in nostro *de secretioribus medicamentorum præparatione, & usu*.

(a) *A multis annis ventriculi dolorem*. Memini olim civem Mindensem correptum acerbissimo dolore, nec non tumore circa regionem ventriculi, appetitus erat dejectus & post cibum dolor ille increscebat: Vomitu utplurimum rejiciebat cibos, accedebat marcor omnium partium, dolor articulorum, virium prostratio cum frequenti lipothymia; alvi excrementa in nigrum colorem mutata erant. Per integrum ferme annum misere sic afflictus tandem placide fato concessit. Cadavere aperto totus ventriculus parvus crassissimus quasi carnosus & albicans inveniebatur: Intrinsece rubra punctula inveniebantur: levi incisione materia saniosa putrida exstillabat: In venis & corde parum vel nihil sanguinis existebat. Causa hujus mali antecedens fuit largissima spiritus vini matutino tempore potio.

(b) *Quotannis certis temporibus*. Ingentem admirationem & attentionem in praxi meretur, quod non modo febres, verum etiam dolores periodici paroxismantes

tes obſerventur, qui certo tempore anni, diei, imo horæ revertentes ſuos typos accuratiſſime ſervant. Uno verbo omnes ſpaſmodici affectus, ad quos non tantum convulſiones, ſed & febres & dolores ſpectant, certa ſua tempora & periodos amant. Mirandi hujus effectus cauſa non quærenda meo judicio eſt in occulto aſtrali principio aut in arbitrio quodam libero & conſilio ipſius animæ ſenſitivæ, ſed magis mechanice & ex neceſſitate quadam deducenda eſt, dum certa diſpoſitio materiæ vel quantitate vel qualitate determinata peccantis, & certo tempore ſe reſtituentis irritando & moleſte afficiendo nervos, motus tales producit. Et notabile eſt, ſpiritus nervorum, quos motus ſemel receperunt, eoſdem ex facili repetere, in quo conſiſtit conſuetudinis vis & natura.

CAPUT XXV.

De Cacarrho ſalſo, atque abuſu cauteriorum.

ADmodum Reverendus P. Marcus Antonius Cœnobii Divi Stephani Sub Prior, ſalſa & acri defluxione ad extremum deductus, poſt infinita prope medicamenta ab aliis Medicis præſcripta, quinque cauteria, (a) *ſive fonticulos*, ad multos menſes incaſum gerebat. Sic autem noſtra ope adapertis (b) *communibus naturæ emunctoriis*, brevi convaluit. Nec prætereundus quorundam Medicorum error, arbitrantium defluxionum curam in ejuſmodi tormentis reconditam eſſe: non quod omnem cauteriorum uſum improbem; ſed omnibus omnino morbis promiſcue non adhibendum, a pleriſque experientia comprobatum eſt. In hac curatione (c) *adſtrictam alvum*, bis & ter in die, melanagogis blande aperuimus, *conſtipatos cutis poros* diaphoreticis reſeravimus, & tandem defatigatis membris roborantia dedimus, quæ, ut in aliis curationibus ſatis explanata, præterimus.

Vide in noſtro ſupra citato *de ſecretioribus medic. prap.* decocta cephalica melanagoga diaphoretica.

a Fonticulos. Utut illi ſæpius citra omnem neceſſitatem ſuadeantur, uſum tamen nonnunquam certis in caſibus ſatis egregium præſtare, ipſa experientia prima veritatis parens teſtis eſt. Vero videtur ſimillimum, illos effectum habere tranſcolatorium, uti id *Dominus Myis in Chirurgia ſua rationali* bene & nervoſe explicat. Et uti nihil aliud ſunt, quam ulcera artificialia: ſic quoque eundem effectum præſtare ſolent, quem habent alia ulcera, dum ſordes ſanguinis recrementitias expurgando præſervant a variis morbis & incommodis: Et uti ulcera conſueta neglecta intemperie ſanguinis & humorum citius conſolidata cachexiam, febrem lentam & varia pathemata ſpaſpodica in corporibus cacochymicis excitare valent: ſic quoque fonticulorum fluxum ſuppreſſum ſimile quid efficere, praxis loquitur quotidiana. Equidem fateor, ad mitigationem, præſervationem mali & palliativam curam magis illos facere, quam ad perfectam & radicalem ſanationem.

b Communibus naturæ emunctoriis. Merito a *Galeno* cutis dicitur totius corporis emunctorium. Hujus glandulæ & tubuli ſi ſunt aperti, & ſanguinis ac humorum motus debite ad illos contingit, tranſpiratio fit, qua nocentiſſime ſordes corporis purgantur: Hac ſuppreſſa vel inæquali facta, tum per conſtrictionem & conſtipationem pororum cutis, tum per ſanguinis motum inordinatum vel tardiorem, maxima incommoda & damna oriri ſolent. Quicunque itaque Medicus tranſpirationem liberam, æqualem

&

& ſecundum naturam procurare novit, ille ſanguinem rite depurare et ſæviſſimos morbos ſanare recte ſcit.

(c) *Adſtrictam alvum*. In omni curatione alvus officium ſuum facere debet, alias illius durities & conſtrictio, uti morbos gignit, ſic quoque illorum curam impedit; ſique internum ſtimulantium uſum diſſuadet morbi & ægri conditio, innoxii tamen clyſteres mollientes applicandi ſunt. Alvus enim ſoluta circulationem humorum efficit liberiorem.

CAPUT XXVI.

De maligna Febre.

NIger de Nigris, annorum 60. ſenex, in via Fuſariorum (a) *maligna febre* laborans, cum puſtulis nigris, (b) *lingua atra & arida*, ſiti intenſa, & aliis, pilulis noſtris catholicis purgatus, (c) *ſale* prunellæ exhibito, tuto & cito convaluit, ſeptimo die videlicet acto, ſanguine multo per alvum dejecto.

(a) *Maligna febre*. Morborum malignitas & maxime febrium conſiſtit in putredinoſa elementorum ſanguinis diſſolutione & motus circulatorii, qui a putredine omni mixturam ſanguinis defendit, deſtructione. Cauſſa utplurimum eſt defectus ſpirituum ſeu partium ſanguinis tenuiorum & ſubtiliſſimarum impetum facientium & principii humidi fermentativi in humoribus exſuperantia, quæ ad putredinem & intimam mixturæ ſanguineæ corruptelam plurimum diſponere poteſt. Non negamus, iam ab extra etiam arceſcendam eſſe venenatorum morborum originem, dum corpuſcula ex virulentis corporibus exhalantia ſubtiliſſima immediate ſpiritus ſeu principes corporis noſtri partes in craſi & motu ſuo perturbando totum corpus omnesque ejus actiones mirum quantum lædunt. Talem effectum etiam exerunt vehementiores animi affectus, a quorum præpoſtero uſu mali moris morbos & febres paſſim annotarunt practici.

(b) *Lingua atra & arida*. Linguæ inſpectio ad dignoſcendum ſeri ſtatum multum valet, quod jam dudum annotavit *Hippocrates, cujus Aphoriſmus XIII. contentus in Lib. VI. de morbis vulgaribus ſect. 5. ſic ſonat: Lingua humorum ſerum quale ſit indicat; item in Aphoriſmo XV. Lingua humorum præſtantiam colore refert, ideoque per hanc ad humorum dignotionem pervenimus*. Atra & arida denotat ſanguinis & ſeri denſitatem ac immobilitatem factam a defectu humidi & calore intenſo.

(c) *Sale prunellæ*. Hoc Nitrum ſulphuris accenſi beneficio leviter alcaliſatum eſt, namque ad mixturam ſulphuris nitrum inflammatur, & ſic ſpiritu acido, in quem facillime abit, in auras avolante, alcalinam induit naturam, quam manifeſtat, dum affuſione ſpiritus acidi ebullit cum tetra odoris aquæ fortis exhalatione. Medicamentum hoc jamdudum ipſi *Hippocrati* notum fuit, qui in febrium æſtu compeſcendo magno cum emolumento illud uſurpavit. Mea ſententia nitroſo huic lapidi præfertur nitrum ſaltim ſimplex, probe tamen purificatum, quod cum abſorbentibus ad acidam humorum acrimoniam obtundendam, cum camphora autem, quæ alexipharmacorum princeps eſt, ad malignitatem humorum avertendam remixtum celebratiſſimum audit remedium. Notari meretur nitrum aqua ſolutum & ſanguini e vena emiſſo injectum illum floridum & fluidum diu ſervare, & ab omni putredine tueri, ut tali modo in thermometris loco liquoris inſervire queat.

CAPUT XXVII.

De febre continua, regio morbo, & aliis.

EJusdem Nigri filia 23. annos nata, nuper puerum enixa, febre continua, (a) *& regio morbo ante septimum superveniente*, correpta fuit: cui subveniendo, decoctum radicis rubiæ tinctorum, acetosæ, ceterach, in jusculo paratum, ad aliquot dies præstitimus: cholagogum postea extractum tribus diebus alternis sumpsit, quibus intra 12. dies sanitatem consequuta est.

(a) *Morbo regio*. Icterus vel criticus vel symptomaticus est. Hic sequitur scirrhum, inflammationem aut obstructionem hepatis. Alter motum & impetum morbi subsequitur bono cum eventu. Annotavi aliquoties in praxi mea febres in corporibus hypochondriacis iracundia exsuscitatas cum spasmis, vomitu bilioso intensoque æstu stipatas ictero feliciter terminatas: Urinæ & alvi excrementa fundum naturam se habebant. De hoc loquitur *Hippocrates in lib. IV. Aphorismo 64. Quibuscunque per febres die septimo aut nono aut undecimo aut decimo quarto icterus superveneris bonum & salutare, nisi dextrum hypochondrium obdurnerit*. Videtur mihi febris talismodi biliosæ causa biliosus humor acredine vitiosa laborans, qui iracundiæ motu effusus & cum sanguine mixtus ejus mixturam & motum turbat, donec noxia materia ex alto corpore in summum forasque propellatur & febri finis imponatur. Icterum a folliculi fellis obstructione ita vinces: accipe Tincturæ tartari seu arcani tartari liquidi unciam semis, extracti centaurei minoris, rhabarbari ana drachmam unam, croci grana octo, fiat mixtura, de qua æger quotidie sumat bis sexaginta guttas.

CAPUT XXVIII.

De horrendo & turpissimo ulcere.

HIppolytæ Fabri lignarii uxori, in Vico a via Divi Stephani ducente ad Cœnobium S. Petri martyris, tunc commorantis, fœdissimum atque turpissimum (a) *ulcus nares depascebatur*. Hujusmodi ulcerum genera ad Telephia & præcontumacia, in carcinomatum seriem, (nam & sæpe caustici actualis opem recusant) multi rejicienda censent. Huic subveniendo balsamum sulphuris, & (b) *aquam myrrhæ* dedimus. Indicatio erat, salsi humoris illuc appulsi vim retundere, quod fit, si coaguletur sal ipse: non tamen sal omnis eodem sulphure coagulatur; unusquisque enim proprio suo sulphure delectatur. Id si experientia non constet, rerum collatione invicem facta, aut, si mavis, naturæ lumine, satius eruenda atque cognoscenda remedia ducimus, quam futili, & sophistico qualitatum examine. His itaque duobus libera evasit, intrinseco remedio adhibito nullo; contra alterius Medici sententiam, qui eam potionibus, & sanguinis missionibus excruciare cœperat. Et ita sæpe multis infeliciter contigit, qui ob exiguum morbum in gravissima incurrunt mala; nam ægroti purgantibus, phlebotomiis, cauteriis, sanguisugis, vesicat oriis, & aliis crucibus impares, succumbere coguntur.

(a) *Ulcus*

(a) *Ulcus nares depascebatur*. Narium ulcera scorbuticis & lue infectis Gallica familiaria sunt: Molliores namque & spongiosæ glanduloseque narium & faucium partes facillime corrosiva lymphæ salia imbibunt, quæ cauterii instar molles illas partes absumunt & depascunt. Talismodi in ulceribus externe fidum observavi sequens: accipe aquę calcis vivę & spiritus vini camphorati ana unciam unam, sacchari saturni drachmam semis, mercurii præcipitati albi grana quindecim, fiat mixtura, qua partes læsæ frequentius illinantur.

(b) *Aquam myrrhæ*. Loco hujus substituti potest decoctum myrrhæ & mastiches cum vino factum addito alumine usto, unguento Ægyptiaco & spiritu vini camphorato, quod in putridis & corruptis scorbuticorum gingivis extrinsece præsentissimum affert auxilium.

CAPUT XXIX.

De molestissima capitis defluxione.

ILlustr. Dominus Bernardinus de Marescottis, vigesimum primum suæ ætatis annum vix explens, contumaci atque (a) *molestissima capitis defluxione* ad aliquot annos vexatus, Laryngis & utriusque amygdalæ glandulæ insignem laxitatem contraxerat; unde deglutiendi difficultas, & suffocationis metus. Circa glandulas creverat (b) *hypersarcosis*, ad nucis juglandis spissitudinem: & cachecticus tandem jam a longo tempore factus, curandi difficultatem non minimum augebat. Hujus porro defluxionis causa maxime (c) *ab obstructis naturalibus*, utpote liene, & circumjacentibus partibus pendebat. Cujus defluxionis radices præscindendo, (d) *arcanum vitrioli & tartari* ad 6. dies dedimus; saccharo metallino postea adjecto, 15. dierum spatio usus est: quo tantum capitis robur consequutus est, ut in posterum nullas tempestatum mutationes, quibus alias valde obnoxius erat, pertimuerit.

Saccharum metallinum vide in *libro nostro de secretioribus mineralium remediis*.

(a) *Molestissima capitis defluxione*. Non defluunt humores a cerebro in fauces & pulmones, ut veterum fuit sententia, sed si tunicæ nerveæ & glanduloſæ, quibus fauces cum arteria aspera vestitæ sunt, nimium irritantur, lympha uberius exprimitur, quæ subsistens, & acredine pariter & mole molestans, tussim, raucedinem aliaque pectoris mala concitat.

(b) *Hypersarcosis*. Ante aliquot annos viro obeso sexagenario Halberstadiensi fungosa quædam materiam in ipso œsophagi principio creverat ad nucis minoris magnitudinem, quæ cum luna increscebat & imminuebatur, mox tantam molem acquisivit, ut deglutionem pariter ac respirationem sufflaminaret, quare æger misere periit suffocatione.

(c) *Ab obstructis naturalibus*. Defluxiones catharrhales si longius durant; hypochondriorum, nec non alvi, habenda est ratio. Utplurimum radix mali residet in obstructione glandularum & viscerum lymphæ & sanguinis subtilisationi & depurationi inservientium. Optimum tunc est, præter succinata & alia lymphæ deviæ qualitates corrigentia martialia, aperientia & per epicrisin purgantia, obstructos tubulos recludere.

(d) *Arcanum vitrioli & tartari*. Nota est arcani tartari præparatio. Arcanum vitrioli est nil nisi essentia ex terra vitrioli dulci, mediante spiritu salis et vini extracta, quæ miscela arcani tartari virtutem aperientem majorem acquirit, non secundam tincturæ martis Zvvolfferianæ.

CA-

CAPUT XXX.

De Ictéritia alba.

ILluſtriſſimi Domini Joannis Boni, tunc apud Ducem Mutinenſem Magni Ducis Etruriæ Legati, filia, nomine Catharina, icteritia alba, Gallis *pales couleurs*, laborabat, nonnullis (*a*) *febris alba*, amatoria febris, & virgineus morbus indigitatur; febris alba autem quibuſdam dicitur, imitatione Hippocratis, qui alias rubras, alias præpallidas, & lividas febres appellavit. Paracelſo icterus cineritius appellatur *lib. de tartareis morbis*. Quidam febrem eſſe non autumant, ſed affectionem illam, febrientium in morem, pulſus duntaxat celeritatem, frequentiam, & debilitatem habere. Addunt, non ob caloris augmentum, ſed ob eventilationis defectum. Nos (*b*) *cauſam jecoris* promiſcue, ac lienis obſtructionibus merito tribuendam cenſemus, quod recte Fernelius vir doctiſſimus ictero cuivis tribuit. Ad hujusmodi obſtructiones tollendas unico contenti ſumus remedio, quod cum citra ægri moleſtiam ſemperexhibeatur, facile nobilibus & delicatioribus propinamus. Hujus remedii energia & proprietas eſt, tartarum ubique concretum diſſolvere, pravos humores in bonos commutare, idq; alterando tantum, non autem purgando. In fine vero, humoribus diſſolutis & præparatis, ejuſmodi decoctum mane capiebat:

Rec. Rad. fœnicul. petroſel. gran. an. unc. j. fol. cichor. pimpinel. betonic. arthemiſ. an. m. j. ſenæ ʒ. j. aniſi ʒ. ij. liquirit. tantundem. In juſculo omnia coquebantur, ut dixeram, quibus probe convaluit.

(*a*) *Febris alba*. Eſt ſpecies cachexiæ fœminis ex vitio menſium vel victus familiaris: Adeſt faciei pallor, hypochondriorum inflatio, cordis palpitatio & ſpirandi difficultas. Particulæ ſanguinis balſamicæ ſulphureæ ſub jugo ſeroſarum ſunt, & quoniam a craſſiuſculis ſanguinis particulis canaliculi ſub cortice cutis exiſtentes obſtructi ſunt, albidus color cutis enaſcitur, calor præter naturalis jungitur, propter viſcidi copiam, ætheris liberiorem tranſcurſum, & agitationem per ſanguinis poros impedientem.

(*b*) *Cauſam jecoris*. Primum vitium utplurimum eſt in ventriculo, & ſalivali menſtruo ventriculi nimis fixo, acido, a ſpirituaſcentia deflectente; hinc cruditates copioſæ, acidæ & viſcidæ generantur, quæ ſuccos corporis vitales inficiendo obſtructiones minimarum venarum ingenerant.

CAPUT XXXI.

De dyſenteria.

DOnna Camilla Julii Cæſaris de Pezi uxor, ſuæ ætatis annum 27. explens, prope templum, quod Crucifixi dicitur, (*a*) *dyſenteria* cum febre continua laborans, graviſſime cacochymica jamdudum erat, menſium premebatur ſuppreſſione, & (*b*) *ventriculi dolorem* patiebatur. Dyſenteria febri ſucceſſit, diacarthamo intempeſtive dato; ventris inſuper torminibus die noctuque, ingenti ſiti, vigiliis vexabatur. (*c*) *Curationis initium* ab anodynis duximus, dein confortativis & corroborantibus. (*d*) *Anodyna* fuerunt laudani confectio, theriaca, & ſimilia. Confortantia, & roborantia vero fuere coralli, uniones, terra ſigillata, cera, & ſimilia, quibus tuto & cito totam abſolvimus curam.

(*a*) *Dy-*

(a) *Dysenteria* : Alvi fluxus cruentus cum dolore & ventris torsione variis ex causis fit, & diversos habet gradus: vel enim saltim intestinorum muco abraso venæ apertæ cruorem egerunt, vel ipsæ interiores intestinorum tunicæ simul corraduntur & exesæ procidunt cum depascente ulcere, quæ ultima periculosissima est. Nonnunquam excedentia medicamenta & alimenta vitiosa acria altius se in intestinum figunt & dysenteriam cient, talem notavi a nimio & incauto spiritus nitri in febribus usu pro extinguendo calore. Utplurimum dysenteria est epidemica, & ex aeris intemperie & vitio profluit, si nimirum æstas est intensissima & fructuum horariorum maxima simul ingestio sub principium autumni, poris occlusis salia sanguinis acerrima alias foras propulsa, prolapsa ad intestinorum tunicas inflammationem & exulcerationem suscitant.

(b) *Ventriculi dolorem*. Ordinarie maximi cruciatus conjuncti sunt dysenteriæ: dantur tamen casus, ubi sanguinolenta & purulenta egerunt citra ullum dolorem, prægressis tamen atrocissimis torminibus: Sani tunc solent judicari ægri, mox autem viribus omnibus collapsis moriuntur; subita namque illa doloris mutatio sphacelum intestinorum denotat. Dolorificæ ejusmodi dysenteriæ exempla vide jam *apud Hyppocratem lib. 2. Epidemicorum Sectione 6. §.40.*

(c) *Curationis initium*. Ducendum hoc esse existimo a lenioribus emeticis alexipharmaco junctis, quæ in primordiis epidemicæ dysenteriæ, licet cruentæ quædam jam dum præcesserint dejectiones mali fomitem ex primis viis exstirpando divinam afferre opem solent, prudenter tamen exhibita. Sic quoque receptum est unanimi medicorum consensu in morbi exordio expurgare primam regionem medicamento rhabarbarino, ut sic bilis exundans, quæ salium causticorum vehiculum est, educta symptomata mitiora reddantur, purgatione neglecta si ab anodynis curam auspicamur, periculosus singultus aliaque dira symptomata succedere solent.

(d) *Anodyna*. Dolor si urget, lac a vacca calens detur ter de die, & clysma infundatur cum butyro recenti & vitello. Præter hæc magnæ virtutis sunt oleum amygdalarum dulcium, atque decoctum ex priapo cervi, radice tormentillæ, succino, mastiche, radice symphyti, & semine papaveris paratum. It. Diascordium Fracastorii cum hæmatite mixtum. Externe instar omnium est oleum hyosciami cum oleo menthæ destillato remixtum, & calide toti ventri applicatum.

CAPUT XXXII.

De hydrope, macie, lenta febre, & aliis.

DOnna Clara Parmi Bartholomæi uxor quadragenaria, prope Divi Petri ædem, gravissimo ventriculi dolore, qui καρδιαλγία Græcis est, a decem annis, (a) *ob antimonium perperam* a circumforaneo exhibitum, acerbe affligebatur, nec non universali macie, variis languoribus & ærumnis oppressa, in hydropem inciderat. In sui auxilium multos acciverat Medicos, qui frigidis perpetuo utentes, malum duplo deterius reddiderunt: aucta enim frigida ventriculi constitutione, cruditates quoque augebantur, a quibus hydrops præsentaneus.

Arsenicalis virtus antimonii, (b) *proprium ejus remedium*, illos plane latuerat. Huic porro fœliciter sanitatem restituimus communi metallorum theriaca, cujus vires & descriptionem in lucem alias proditurum distulimus.

Vide nostrum *de secretioribus medicamentorum præparationibus*.

(a) *Ob antimonium*. Antimonium ex ſulphure & regulina mercuriali ſubſtantia compoſitum eſt; nec eſt venenum, ſed ſecurum præbet remedium ad tabem & luem veneream ſanandam, item ad pinguefacienda bruta: ſimulac autem ignem experitur, vel potenti ſale ejus textura ac vinculum ſolvitur, virulenta protinus ſe exerit vis, dum fortiſſime ſedes & vomitiones excitat. Raro a medicis antimonium ſic verſum in crocum & vitrum in ſubſtantia adhibetur, dum lethalem hypercatharſin, pluribus obſervationibus id teſtantibus, non ſemel excitavit. *Vide de Rolfincii Chymiam, item Sennertum de conſenſu & diſſenſu Chymicorum, Hildanum Centur. 4. obſerv. 79. & Centur. 5. obſerv. 12.*

(b) *Proprium ejus remedium*. Enormes ventriculi vicinarumque partium ſpaſmodicas contractiones a purgantium vehementia ſuſcitatas optime componunt anodyna, theriacalia & ſpirituoſa confortantia. Externe aqua Anhaltina cum oleo nuciſtæ, menthæ, & balſamo peruviano mixtum, calideque regioni ſtomachali applicatum, præſentiſſimum affert ſolatium.

CAPUT XXXIII.

De maligna febre.

COnſtantinus Barbitonſor, annos 35. natus, prope templum Divi Salvatoris, (a) *maligna febre*, cum exanthematibus nigris, inexplebili ſiti, lingua nigra & aſpera, acerbiſſimo capitis dolore, inedia, vigiliis, & ſimilibus, quæ moribundos invadere ſolent, vexatus eſt. Vigebant tunc (b) *continui imbres*, idque (c) *in media hyeme*, quo tempore graviores ſunt putredines, Hippocrate ipſo teſtante 3. Aphoriſm. 16. & 17. Victus in principio tenuis & humidus fuit. (d) *Totus curationis ſcopus* ad putredinem arcendam citra virium jacturam dirigebatur. Nec illis aſſentiendum mihi videtur, qui ſtatim primis morbi inſultibus naturam varie conflictatam (e) *vehementibus remediis*, toto genere naturæ moleſtis, ut ne ſani quidem abſque præſenti damno perferre poſſint, onerant atque defatigant, adeoque natura duobus oneribus impar ſuccumbere cogitur. Itaque nos humorum mutationi, alterationi, & pec epicraſin purgationi incumbentes, alexipyreton ter & quater dedimus, cujus medio omnia evanuere ſymptomata, & cito priſtinas vires recuperavit. Alexipyreton habetur in noſtro *de ſecretioribus mineralium præparationibus*.

(a) *Maligna febre*. Malignitas morborum & febrium ſe manifeſtat per ſubitaneam virium proſtrationem, pulſum debilem, animi deliquium, mentis turbationem, externarum partium corporis refrigerationem: Quæ & ſimilia diſſolutionem vinculi ſeri & ſanguinis, & elementorum ſuccos vitales componentium deſtructionem, quam veteres putredinem indigitarunt, indicant. Cauſa malignitatis vel in ipſo ſubjecto latitat, vel foras & ab extra accedit. Illud fit, ſi vitio diætæ, aeris, affectuum intemperantia, maxima intemperie humoribus introducta fuerit; tali in ſubjecto quivis morbus genium malignum facile induit; hinc ſæpius variolæ, morbilli, arthritis, eryſipelas certis in perſonis malignitate ſtipantur & necant. Ab extra corporibus communicatur malignitas per virulenta effluvia, quæ ſubtiliſſimis corporis noſtri partibus mixta in illis turbationem quoad craſin & motum maximam inducunt.

(b) *Con-*

(*b*) *Continui imbres*. Putredinem seu dissolutionem elementorum sanguinis aer nebulosus, pluviosus, nimiis humiditatibus onustus, frequentissime, maxime in corporibus mollibus iisque humidis, suscitant. Notabile est, tali cœli temperie in barometris mercurium ad aliquot gradus descendere, manifesto indicio, celerrimum ætheris motum, qui indubie causa gravitatis est, humidi copia retundi & vim suam amittere: Cumque idem æther elementa sanguinis & uniat & conservet vivido suo motu, & spirituum materiam, qui motiones corporis nostri perficiunt, suppeditet, facile ex hoc intelligi potest, imbecilliore reddito ætheris motu tempestate existente humida, ad putredinem corporis nostri humores disponi. Conducunt & præservant tali in casu balsamica v. gr. Elixir proprietatis, essentia myrrhæ, scordii, spiritus volatiles oleosi, suffimigia, & quæ sunt ejus generis alia.

(*c*) *In media hyeme*. Morbi acuti æstivis mensibus invadentes utplurimum benigniorem sunt illis, qui hyeme fiunt, forsan quod transpiratio tunc impedita, vel tardior reddita, pravos humores in corpore accumulet. Experti id sumus, inquit *Ol. Borrichius in act. Haffn. pag.* 165. quod febres malignæ plerumque evadant pertinaciores, quo magis gelu urget, sed quamprimum circa veris initium remittit gelu, remittit etiam violentia febris.

(*d*) *Totus curationis scopus ad putredinem arcendam*. Prima & unica curandi intentio esse debet, sicuti bene A. monet, ut putredinem arceamus citra virium jacturam, id est, ut mixturam sanguinis firmemus, a dissolutione defendamus, & spiritui corporis nostri conservatrices corroboremus. Tale virtute gaudent jam unanimi ferme Medicorum consensu, longeque seculorum usu comprobata acidula, item terrea. Bolus armeniæ a *Galeno* pro optimo alexipharmaco habetur. Commendanda autem sunt mixtura simplex, spiritus salis dulcis, nitri dulcis, clyssus antimonii sulphurarus, tinctura quatuor florum cordialium, bezoardica, aceta theriacalia, nec non terrea v. gr. pulvis bezoardicus Sennerti, Anglicus, Pannonicus ruber, cornu cervi ustum, philosophice præparatum, terra sigillata, mater perlarum &c.

(*e*) *Vehementibus remediis*. Rectissime Dominus A. hic increpat illos, qui statim primis morbi insultibus naturam varie conflictatam vehementibus remediis toto genere naturæ molestis, ut ne sani quidem absque præsenti damno perferri possint, onerant atque defatigant: Vires enim, quantum possibile, omnimodo servandæ sunt: in illis enim robur naturæ consistit. Cavendum itaque in omnibus malignis, qui ex putredine humorum nascuntur, ab omnibus emeticis, purgantibus, venæsectione & sudoriferis fortioribus.

CAPUT XXXIV.

De Arthritide.

ILlustris Dominus Carolus Vertova Bergomensis annorum viginti in ædibus Domini Hieronymi Pii tunc commorans, articulari morbo, genibus, & pedibus correptus, die noctuque mire torquebatur. Neglectis topicis, (*a*) *Hellebori & hermodactylorum extracto*, ter & quater exhibito, dolor omnis remittitur. Ad juncturas vero principalioraque viscera roboranda, (*b*) *pulverem nostrum antipodagricum* ad complurimos dies bis in die propinavimus; & his facillimis hoc indomitum morbi genus penitus cessit.

Pulvis antipodagricus est aurum diaphoreticum.

(*a*) *Hellebori* &c. Arthritidis fomes & minera ſæpius latitat primis in viis, quare etiam ſub acceſſionem quandoque percipitur dolor, æſtus, inflatio regionis ſtomachalis, quo tempore infuſum laxativum educendo pravorum humorum ſaburram in momento ferociam dolorum in pedibus ſubortam mitigare ſolet. *Martianus* ſcribit vomitorio omni menſe exhibito a dolore arthritico feliciſſime præſervationem fieri.

(*b*) *Pulverem noſtrum antipodagri-cum*. Eſt aurum cum mercurio jùnctum & decenti ignis temperamento in pulverem magnæ efficaciæ converſum. Modum mercurium depurandi hunc in finem proponit *Philaleta in Tract. Introitus apertus* &c. Memini olim hic Halæ tali medicamento mercuriali a Chymico non vulgari exhibito inveteratam podagram tophoſam ſanata in ſexagenario Halenſi, ita ut per plures annos firma uſus fuerit valetudine.

CAPUT XXXV.

De Angina.

DOminicus Camuſo, Bajulus, annorum 35. prope delubrum vulgo *della Barontella*, (*a*) *angina* (κυνάγχη Græce dicitur) *graviter correptus*, (*b*) *cum acuta febre* luctabatur, interiores fauces, atque (*c*) *cervicem* phlegmone etiam occupabat. Hinc ſalutis ſpes exigua ſupererat: non ita tamen, ut ſcribitur ab Hipp. de ea, quæ citra apparentem tumorem ægrum primo die ſuſtulit (*d*) *Venis ſub lingua tuſis*, ſanguineque abundanter fuſo, cito convaluit. Ad fluxus fomitem penitus compeſcendum, ſequenti die (*e*) *pilulas de agarico*, & aggregat. ad drach. j. ß. dedimus.

(*a*) *Angina graviter correptus*. Angina inflammatio muſculorum laryngis eſt, cujus ſigna ſunt dolor, orthopnœa. Tumor ſi latet, & æger liberæ reſpirationis maxime eſt indigens, & ſi repente inſigniter febricitanti ſupervenerit, malum funeſtum eſſe conſuevit, ſi tumor adeſt in collo, ſemper bonum *juxta Hippocrat. aphoriſ. 37. Sect. 6.* Ex *Hippocratis* itaque conſilio omnia admovenda, ut foras prodeat in collum materia, tale eſt emplaſtrum, quod coquitur ex nido hirundinis, ex decocto malvarum, meliloti, ficuum, florum Sambuc. additur theriaca & crocus.

(*b*) *Cum acuta febre*. Nunquam ſine febre conſuevit eſſe angina, vel illi præcedit, vel ſupervenit. Cum horrore plerumque invadit, turbatæque maſſæ ſanguineæ manifeſta adſunt indicia, epidemia nonnunquam eſt & malignitatis notam edit.

(*c*) *Cervicem*. Cervix & fauces ab inflammatione graviori in conſenſum trahuntur, ut etiam externe rubor ac tumor ſit conſpicuus cum calore & dolore.

(*d*) *Venis ſub lingua tuſis*. In peſtifero anginæ malo trahenda non ſunt remedia, ſed ſtatim a Venæſectione inchoandum, ut ſanguis ſubſiſtens & ſtrangulans evocetur. Quo nomine ſub lingua venæ ſecentur, imo cucurbitulæ ſub mento & ad fauces admoveantur, ut irruentis materiæ impetus alio avocetur, quod conſuluit etiam *Hippocrates lib. 2. de morbis vulgaribus; item Celſus pag. 196.*

(*e*) *Pilulas*. Poſt venæſectionem ſecunda intentio ſit, ſi vires id patiantur, ducere alvum; laxantia namque inſigne levamen non raro attuliſſe, Practici teſtantur, vid. *Antonius de Heyden Cent. 1. obſerv. 1. & 2.*

CAPUT

CAPUT XXXVI.

De Angina.

NObilis Domina Virginia, D. Pii Conradini uxor, 35. annos nata, simili, sed (*a*) *graviori affectu* oppressa erat. In scapulis statim cucurbitulas admovendas curavimus, & cum morbi feritas nihilo remissior appareret, postmodum *cephalitam in dextro brachio aperiendam* jussimus; tunc enim e lingua, propter tumoris magnitudinem, fauces & os quasi occupantem, detrahi non poterat. (*b*) *Extra* interim affecta pars oxyrrhodino jungebatur, linteolis oxycrato madefactis superimpositis.

At inflammatio rebellis & pervicax perstabat, aliquantulum tamen imminuta: sublinguales igitur venas aperire potuimus. Et sic gargarismate repercutiente & detergente etiam adhibito, una cum remediis supra dictis, libera evasit.

(*a*) *Graviori affectu*. Omnium periculosissimam censuit *Hippocrates*, ubi neque in faucibus, neque in cervice quicquam apparet, hujus quippe inflammatio penitus abstruse graviora infligit symptomata non sine metu præsentis strangulatus. Hæc sæpe vidimus sublatum ægrotum horis octodecim, constante mente integrisque sensibus.

(*b*) *Extra*. Efficacissima hic sunt fomenta humida; nam sicca spiritum elidunt, ergo admovere spongiam oportet, quæ in decoctum calidum, quod constat ex floribus sambuci, herba malvæ, salvia, hyssopo, passulis, ficubus, rhob diamorum, radic. glyzerizæ, subinde dimittatur.

CAPUT XXXVII.

De tumore in facie sublato.

NObilis virgo annorum 24. ex prosapia de Angelellis, nomine Diana, apud moniales Divi Petri martyris religiose degens, a multis jam annis (*a*) *præduram tumorem* scirrhosum in genæ dextræ medio gerebat, cui ut occurreret, multa jam frustra tentaverat. Indolens erat hic tumor, nisi tactu pressus, venæ in ambitu rubentes, tumentes, & lividæ. Cæterum extrinseco quovis admoto remedio, & dolor, & inflatio, & inflammatio concitabantur. Cum ergo Cœnobii Medicus ejusmodi signis monitus, totum negotium naturæ committendum satius duxisset, quam ullo remedio curationem tentare, factum est, ut tumoris naturam attentius perquirens valido tactu materiam subtus latentem cognoverim. Quare tumorem valido (*b*) *causlico* aperiendum existimavit: adeoque causticum argentum usurpandum censui, cujus descriptionem & præparationem cum aliis, Deo dante, typis mandabimus. Aperto tumore, steatomatum instar materia manebat; hæc prorsus (*c*) *gangliorum* atque lupiarum in morem (*d*) *propria cysti* continebatur.

(*a*) *Præduram tumorem*. In qualibet corporis parte evenire possunt multa variaque tubercula, quæ tamen periculo non terrere debent. Quædam ex his dura ac renitentia, quædam mollia & cedentia sunt: quædam spatio nudantur, quædam tecta capillo suo permanent, fereq; sine dolore sunt. Quid intus habeant, uti conjectura præsagiri quidem potest, sic ex toto cognosci, nisi cum ejecta sint, non potest. Pro diversitate humorum, qui ipsis insunt, varia accipiunt nomina, cui tenuis pulticula subest, atheroma dicitur, cui liquidior humor melli similis, melliceris: Steatoma, id est, quando pingue quoddam latitat. Omnia illa ex parvulo incipiunt, & diu paulatimque increscunt, & tunica sua includuntur.

(*b*) *Caustico*. Tolluntur hæc vel cordata incisione facta per medium, ut effundatur quidquid intus coiit, vel si æger abhorrescat cauterio valido, quale est argentum, quod fit, si solutio Lunæ cum aqua forti parata inspissatur, & crassamentum igniatur.

(*c*) *Gangliorum*. Ganglioformes nervorum nodi, ut curiosior docet anatome, nihil aliud sunt, quam minima filamenta fibrillas nervosas annuli in modum vincientia, in quorum medio arteriæ luculentissime florido sanguine repletæ sunt, inde instar filiorum rubrorum propensæ conspiciuntur.

(*d*) *Propria cysti*. Steatome semper tunica quadam continetur, quæ secunda est, quæ non facile a cute & subjecta carne separatur, ubi vel tota tunica, vel aliquid ex ea relictum est, pus movendum, alias recrudescit malum: Ubi tota exemta est, committente ore desuper glutinans medicamentum est imponendum. Adhuc autem melius est steatoma radicitus exscindere; sic Chirurgus quidam Halberstadiensis peritissimus ante annos aliquod steatoma fronti assidens supra oculum pendens libram unam & ultra felicissime exscindebat, & hæmorrhagiam pulvere capitis mortui vitrioli sistebat absque ullo periculo.

CAPUT XXXVIII.

De Cacochymia, ventriculi intemperie, & aliis.

ADmodum Illustris Domina Dorothea, Dom. Augustino Bero uxor, (*a*) *post febrem continuam* in duplicem tertianam inciderat, quam κακοχύμια, ventriculi constitutio, viscerum lienis & jecoris durities, mesaraicarum obstructio, inappetentia, vigiliæ, & similes affectus cocomitabantur. Nobilis hæc Domina, ut natura satis delicata, & vulgatis remediis nauseabunda, ipsisque, & morbi diuturnitate defatigata, vitam in non exiguo discrimine trahebat, eo magis certe, quod (*b*) *ad hydropem* jamjam incipientem inclinaret. Hujus curationis difficultas & a parte subjecti, & a morbi natura pendebat.

Quocirca nobilissimæ ægræ nobilissimum hoc electuarium exhibuimus. Rec. (*c*) *Salis centaurii minoris* drach. j. conf. rosarum, & violarum, an. unc. j. olei vitrioli 10. guttas. Mixtis omnibus concinnabatur Electuarium, cujus drach. ij. bis in die dabantur; cujus beneficio brevi convaluit.

(*a*) *Post febrem continuam*. Unus morbus sæpe alterum graviorem gignit & excludit; quandocunque enim magnitudine vel diturnitate spiritus consumit, vires frangit & discrasia acido-viscidam humoribus inducit, haud difficulter obstructiones minimorum vasculorum, quæ fœcundæ chronicorum matres sunt, ingenerantur, nec minus spirituascentia chyli & sanguinis deprimitur,

(*b*) *Ad*

(*b*) *Ad hydropem*. Autumnales, maxime quartanas, diuturnas vel præpostero constringentium usu nimis cito curatas & suppressas, infarctus viscerum, obstructiones scirrhi presso pede subsequi consuescunt; unde lentæ febres & hydropes suam habent originem: Et nisi cito hic succurras martialibus balsamicis deobstruentibus, malum fit immedicabile.

(*c*) *Salis centaureis minoris*. Efficacissima sunt salia fixa ad tollendas obstructiones in febribus, dum partim acidos ponticos humores corrigunt, partim tenaces viscosas particulas in partibus solidis subsistentes fundunt & dissolvunt. Quapropter convenit illas exhibere & miscere laudabili cum successu cum præcipitantibus sic dictis, china chinæ, addito momento mercurii dulcis, qui potentissimum resolvens est.

CAPUT XXXIX.

De *acuta febre*.

NObilis Domina Dorothea, Domini Matthæi Fabritii uxor, annorum 45. prope Divi Francisci Fanum, superioribus annis acutissima febre correpta fuit, eaque non nisi (*a*) *a prava aeris constitutione*, prout multi similibus febribus detinebantur, Primum febris eam adorta est (*b*) *cum vomitu sinceræ bilis*: consequebantur capitis dolor, inexplebilis sitis, inquietudines, linguæ scabrities & similia. (*c*) *Victu tenui, humido, & frigido* instituto, corpus totum (*d*) *cholagogo potu* ex rhabarbaro, & manna, & catholicone purgavimus. Secunda die (*e*) *julepum attenuantem & refrigerantem*, utpote ex acidis paratum, bis exhibuimus. Tertia tandem die, astrorum benevolo aspectu servato, horaque qua ascendebant pisces, Jove in medio cœli culminante, venam dextri lateris tuendam curavimus. Unde detractis unc. vij. sanguinis; statim omnia quoque cessarunt symptomata, & sic incolumis liberaque evasit.

(*a*) *A prava aeris constitutione*. Mutationes insignes, quæ in ipsa tempora incidunt, & illorum a temperie sua deflexiones, graves pariunt morbos. Texturam corporum & humorum temperiem mirum in modum mutat aer; hinc æstate particulæ salino-acres sulphureæ, autumno ponticæ, crassæ & terrestres exundat, & corpora nostra fatigant.

(*b*) *Cum vomitu sinceræ bilis*. Bilis pro nostro aere & vivendi ratione haud facile prædominatur, seu copia peccat: sed qualitate potius deliquit viscida, acida. Secundum naturam constituta bilis principio suo alcalino oleoso balsamum chyli & sanguinis existit, & humor utilissimus, a quo valetudinis & incolumitatis nostræ maxima dependet ratio. Sulphur patet ex ipsa inflammabilitate alcali, quod sulphur immersum est; ex mixtura cum syrupo violarum, quem viridi colore tingit, patescit, nec non ex spiritu alcalino, quem suppeditat ipsa bilis mixta cum calce viva. Si elementa hæc bilis deficiant, vel vitiata sint, magna incommoda in œconomiam nostram animalem redundant: si iners est, & nimio acido fixo imbuta, febres intermittentes, affectio hysterica, colica, alvi constrictio, excretionum consuetarum suppressio viscerumque obstructio propullulant: E contra si Sal acre, subtile, calidum in excessu peccet: inflammationes, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, febres ardentes in procinctu sunt. Quocirca prudens Medicus in cujuscunque morbi curatione subinde ad bilis mixturam ejusque motum collineare & respicere debet. Quandocunque autem per vomitum exernitur bilis, non semper exinde inferendum est, bilem causam dedisse morbi vel symptomatis, sed sæpius pravi succi in primis viis delitescentes ventriculum irritando & convellendo bilioſum humorem simul evehunt.

(c) *Victu tenui*. Nihil magis in acutis commendari meretur, quam tenui uti diæta. Victus crassus pleniori manu datus plures ex acuta febre laborantes intercidit. *Hippocrates in suis curationibus* studiose id agit, ut diætam exquisite tenuem in acutis morbis semper commendet, laudet decoctum hordei, scorzoneræ, cornu cervi aliaque.

(d) *Cholagogo potu*. Ineunte morbo laxationes commode institui possunt in acutis, cui scopo inserviunt manna, rhabarbarum, thamarindi, follia sennæ &c. Tamarindi sale tartareo dulci blande-acido fœti sunt, quo bilis volatilitas & calor temperatur. Ob tartareum hoc sal orientales populi utuntur fructu hoc ad argenti dealbationem, non secus ac nostris in locis tartarus id præstat, qui venerem solvendo lunam purissimam in superficie relinquit.

(e) *Julepum attenuantem*. In acutis omnia calida volatilia oleosa motum sanguinis tam intestinum quam progressivum augentia sæviora reddunt symptomata, in incendium quasi conjiciunt sanguinem & deliria atque inflammationes accersunt. Ex omnibus autem calidissima sunt olea, quippe quæ rameso suo contextu diutius morantur & intricata manent sanguini. Notabile est unicam olei destillati guttulam plus ardoris corpori conciliare, quam salis volatilis drachmam semis. Omnis studio hinc evitanda in sanatione morborum acutorum, inflammotionum, variolarum remedia calida, acria, sudorifera: Melior em locum inveniunt acidula temperata, diluentia, julapia &c.

CAPUT XL.

De insigni marcore, hectica febre, & aliis.

NObilis virgo annorum 24. in Cœnobio Monialium Divæ Magdalenæ, nomine Blancha Maria de Duliolis, hectica febre secundi gradus, capitis defluxione, dolore, vigiliis, inappetentia, anhelitus difficultate, & aliis fere ad extremum deducebatur, etiamsi complurimis remediis toto semestri usa erat.

Hæc mala a suppressis mensibus, & obstructis venis mesaraicis, & scirrhoso liene oriebantur. Ejusmodi suppressioni valde obnoxia erat; unde singulis fere annis (a) *chalybem vulgato more præparatum* sumebat, a quo non parum levaminis.

Hoc vero anno nihil proficiens, verum contra febre, cæterisque symptomatis auctis, ipsa quotidie in deterius labebatur. In ejus porro auxilium advocatus, negotium etsi arduum, tamen remediorum præstantia suffultus, aggressus sum. Etenim febris speciei apprime prospiciendo, ut quæ sympathica, (b) *non refrigerantibus solum*, ut vulgi Medicorum sententia est, sed aperientibus & acidis subacta, facile evanuit; ac menses tamdiu suppressos *sequenti apozemate* provocavimus.

Rec. Rad. altheæ, valerianæ, an. unc. j. ℈. rad. fœniculi, asparagi, & apii, in vino albo per noctem maceratarum, an. drach. vj. fol. bethonicæ, pimpinellæ, ceterach, arthemisiæ, calendulæ, sabinæ, cicerbithæ, an. m. j. Bulliant omnia in decocto cicerum rub. Factæ colaturæ lib. ij. dissolve mellis albi, sacchari albi, an. unc. iij. aromatizetur drach. ij. cinnamomi, & croci scrup. j. albumine ovi clarificetur, & fiat apozema: Quo sumpto adeo perfecte sanata est, ut nusquam abhinc in eosdem affectus inciderit, licet a curatione annus octavus agatur.

(a) Cha-

(a) *Chalybem*. Ex martialibus primas tenet ipsa limatura martis pura nullo acido tacta, quæ longe promptius acidum corporis nostri imbibit, quam cœtera alia, quorumvis accessu acidi infracta est; hinc omnibus martis crocis & tincturis solam limaturam mea sententia præferendam esse, existimo; Sed hæc notanda veniunt circa ejus usum: nimirum primum acidi in primis viis sit præsentia. Secundo ventriculus debito calore & robore instructus sit. Tertio corpus non nimis exsuccum & aridum. Quarto motus & exercitatio corporis post ejus usum semper imperanda: Si alvus constricta manet, laxativum rhabarbarinum vel aliud molliens interpolandum est.

(b) *Non refrigerantibus*. Multum in hoc peccant Medici, qui contra hecticum calorem ex vitiosorum humorum saburra succrescentem pugnant cum refrigerantibus, saturninis, nitrosis, quibus augmentum sæpius causæ additur. Juvat tali in casu magis expurgare leniter primam regionem, & temperatis balsamicis instaurare ventriculi actionem.

(c) *Apozemate*. Apozema Domini A. laudem & commendationem meretur. Obstructis pertinaciter venis hypogastricis balnea & apozemata ex radicibus & corticibus sale volatili subtilissimo oleoso turgidis parata convenientissima sunt. Deprehenditur interdum tam crassus & limosus hoc in morbo sanguis, ut in vasis uterinis abeat in polyposam concretionem, qualem ego olim inveni in fœmina Mindensi per IV. annos ex mensium defectu laborante. Sic quoque *Welschius Augustanus* mortuam ex mensium suppressione aperuit, & venas circa uterum nigerrimo sanguine distentas invenit, ipsumque uterum quasi gangræna affectum, bile omni ex vesicula in intestina depulsa.

CAPUT XLI.

De quotidiana febre, mensium suppressione, & aliis.

DOminica Adm. Illust. D. Jo. de Angelellis, hujus Civitatis Senatoris, Ancilla, 27. annum peragens, quotidiana 5. mensibus valde vexabatur; (a) *menses suppressi*, inappetentia, lassitudo ingens, facies decolor, & similia sequebantur. Licet toto illo tempore (b) *multa impune consumpsisset remedia*; nostra tandem ope, Electuariique opiatici beneficio brevi convaluit. Menstruales vero purgationes adhuc suppressæ erant, nec pedes omnino detumuerant: quapropter Electuarium chalybeatum, cum vehiculis ad id destinatis, præscripsimus. Sub finem tandem apozema hystericum aperiens & discutiens ad nonnullos dies sumpsit, quibus paucis perfecte curam absolvimus.

(a) *Menses suppressi*. Familiare fœminis est, quod post longiores morbos, vires fractas, menstrua ipsas deficiat purgatio, dum morbi diuturnitate tam serum, quam ipsum sulphur sanguinis consumitur. Ad fluxum autem mensium & seri copia, & ejus turgescentia atque ad motum aptitudo requiritur.

(b) *Multa impune*. Pessime consulunt Medici sanitati illarum, quando deficiente sero & depauperatis spiritibus purgantibus & emmenagogis calidis fluxum procurare conantur: præcipitari sic plurimas in atrophiam, hecticam, phthisin, inflammationes, pestem, cito experientiam. Roborandus tali in casu magis est ventriculus, & serum instaurandum alimentis succi plenis, analeptis et blandam sanguini spirituascentiam fœnerantibus; quem in finem laudanda elixir balsamicum nostrum, vina generosa, malvaticum, Frontini, sal volatile oleosum Sylvii, ac Cinnamomi satum, tinctura martis pomata, decoctum succoladæ, et quæ sunt taliſmodi generis.

CAPUT XLII.

De fœdiſſimis & ferinis ulceribus.

NObilis Domina Flaminia de Zanettinis, vidua annorum 30. prope ædem Sanctæ Mariæ Majoris, a ſexennio clauda, nec niſi fulcris aut ſcipionibus ligneis, (vulgo appellant *potentias*) fulta per domum ſe propipere valebat: Cujus cauſæ ſuberant, fœdiſſima, calloſa, & ferina (*a*) *ulcera*, quæ tibiarum oſſa carne fere tota denudarant, pedes, ob inſignem duritiem, glandulis ſcrophularum inſtar diſtincti, e quibus ſingulis glandulis ulcera ſeorſim oriebantur, & paulo poſt conſeneſcebant, relicto tantum tumore; ita ut in eodem membro materia peccans contrarios produceret effectus: in tibiis ſcilicet carnem arrodens, & in pede carnem lividam, & calloſam producens. Brevitatis gratiam omittam, quæ in caſſum ab aliis Medicis experta erant; nec enim citra bilem recenſere fas eſt. Reliquum, & corpus totum cacochymicum, facies livida, narium extremitas, & labia plumbata, febris inſuper lenta aſſidue conficiebatur; quæ omnia ſolita nobis ratione perſanavimus.

(*a*) *Ulcera*. Ipſum ſal ſcorbuticorum acerrimum non ſolum carnoſos tubulos corrodit & depaſcit, ſed & ipſa oſſa aggreditur, ipſiſque cariem ac putrilaginem inducit. Conſtant oſſa ex tubulis tenerrimis poros habentibus innumeros, in quibus circulationem ſuſtinent, depoſitæ particulæ ſanguineæ & lymphaticæ: inoſculantur enim illis & venæ & arteriæ. Particulæ hæ depoſitę acuto corroſivo ſale imbutæ ex facili tenerrimos oſſis tubulos excedunt & ſauciant. Signa oſſis putridi & carioſi ſunt intollerabilis materiæ ulceroſæ fœtor, caro ulceris ſpongioſa nigricans, livida, curatio difficili. Quamdiu os carie laborat nulla ſpes cura eſt. Ad curationem ante omnia facit diſciſſio ſcirrhoſæ duræ carnis, ut os affectum conſpiciatur, a quo caries tollenda, medicamentis potenti ſale volatili acidum deſtruente imbutis, ex quibus eminent nominatim euphorbium, camphora, oleum cariophyllorum, cochleariæ, quod omnium acerrimum & penetrantiſſimum. In Euphorbio vis latet alcanina, quæ inter alia apparet exinde, quod ſternutamentum excitat. Chirurgorum quidam acidorum uſum ad putrilaginem oſſium avertendam frequentiſſimum habent; aſt malo eventu, utpote acida oſſium texturæ inimica illam diſſolvere ſolèt, quod vel exinde conſtat, quia duriſſima oſſa perapte menſtruis acidis reſolvuntur.

CAPUT XLIII.

De duplici tertiana cum horrendo ſymptomate.

NObilis Dominus Franciſcus de Salimbenis, 35. annos natus, prope Divum Dominicum, duplici tertiana continua cum inſigni capitis dolore, & aliis graviſſimis ſymptomatis acerbe divexabatur. Hujus febris procatarctica cauſa (*a*) *fulgur* fuit; derepente palatii ruri conſtituti portas & feneſtras concremans. Is, ut flammas ſparſim excitatas extingueret, tantum laboris ſuſtinuit, ut ſpiritus & humores accenſi, atque retro fulgoris odore per-

perfusi, dictam febrem pepererint. (b) *Tempore exacerbationis* circa ventriculum tantos tamque immanes & celeres dolores sentiebat, ut veluti fulguris ictu perculsus brevi spiritum efflaturus videretur.

Diro atque formidando huic symptomati interesse volui, ut quod opus consultius agerem. Cum ergo jamjam instaret dolor, aquam cinnamomi ad unc. j. dedi; qua statim dolor cessavit; a simili fulguris incendio edoctus, id non aqua, sed potius altero igne extingui. Sic ardente illa febre extincta, (c) *hemicrania* a fuliginosis vaporibus proveniens, contumax & rebellis persistens, sequenti decocto sublata fuit:

Rec. R asuræ ligni visci querc. rad. chinæ minutim concisæ, an. ʒ. j. salsæ parill. ʒ. j. ß. fol. betonic. cicerbit. cichor. borrag. acetosæ, an. m. j. sem. pæon. dauci, an. ʒ. j. Paretur decoctum in jusculo carnis vitulinæ.

(a) *Fulgor fuit*. Magis causa hujus affectus in terrorem ex fulgure, quam in materiam fulguris referenda videtur. Terror spiritus actionum vitalium præsides inordinate per genus nervosum & musculosum movet & agitat; unde contractiones & tensiones partium musculosarum oboriuntur. Pulsus cordis & arteriarum fit parvus, frequens & inæqualis, sanguis cum sero ad secessionem mutuam disponuntur, excretiones, quæ stato ordine alias fiunt, supprimuntur, multaque & propemodum infinita mala in œconomiam animalem corporis nostri redundant a vehementi terrore.

(b) *Tempore exacerbationis*: Invadente Paroxysmo febrili spasmi ubivis, præcipue autem in partibus nerveis comparent vehementissime; unde vomitus, dolor ventriculi, præcordiorum anxietas, pedum dolores contusivi circa rigorem frequentissimi sunt.

(c) *Hemicrania*. Optime hæc tollitur decoctis & pilulis cephalicis, nec non pulveris, qui constat ex succino, storace, benzoe, cubebis, semine papaveris, pœoniæ in caput insperſione.

CAPUT XLIV.

De clauda muliere a biennio.

FUlvia Andreæ Siloni uxor, in via Nozadellæ, 40. ætatis suæ annum circiter agens, ferina duo ulcera, cava, sordida, callosa, dolorifica, toto biennio misere patiebatur: unde clauda, (a) *cachectica*, *macie confecta*, & aliis prope infinitis ærumnis obruta, toto illo tempore aliorum opem frustra experta erat. Sub nostris tandem manibus brevi & paucis pristinam recuperavit sanitatem.

Primis diebus decoctum melanagogum ex senna, epithymo, polypodio, cuscuta, & similibus, ad aliquot dies accepit. Pro topicis unguento ex vitellis ovorum usa est tantum, (b) *traumatico pulvere* interdum adjecto.

(a) *Cachectica*. Diu geruntur ulcera, tandem cachectici fiunt, & marcore consumuntur, partim ob succi nutritii depauperationem, partim ob sanguinis intemperie & motu suo depravationem a particulis fermenti ulcerosi ipsi subinde suggestis.

(b) *Traumatico pulvere*. Externe ad consolidanda ulcera conveniunt, quæ nimias humiditates exiccant, fibras partium corroborant, & acidum ulcerosum destruunt, cujus generis sunt radix ari, pulvis succini, cornu cervi ustum, cinis tabaci. radix iridis florentinæ, mastiches, gummi elemi, tutia præparata &c.

CAPUT

CAPUT XLV.

De Paralyſi.

FRranciſcus Pinetus annos 35. natus, ſerici textor, in eadem via Nuzadellæ, paralyſi in brachio ſiniſtro a ſemeſtri detinebatur, (*a*) *fotu ex pede bovino*.

Rec. Fol. roriſmar. ſalviæ, menthæ, praſſii albi, calament. origan. m. j. baccarum lauri, juniperi, an. pug. j. Coquebantur in vino & aqua. Sumpto etiam potu (*b*) *ex dulci ſale vitrioli*, & (*c*) *tartari balſamo*. Ex his optime convaluit.

(*a*) *Fotu ex pede bovino*. In nervorum affectibus a nimia tenſione & contractione ortis externe cæteris omnibus anteponenda ſunt, quæ animalibus petita ſunt remedia. Vidimus ſola axungia humana, oleo caryophyllorum exaltata contractura a copioſo fumo lithargyrii hauſto in manibus obortam feliciſſime ſublatam, & hæc ratio eſt, quare qui taliſmodi in caſibus empiricorum opera utuntur, citius ſanitati reſtituuntur, quam ſi pretioſi chymiatrorum remediis indulgeant. Axungiæ utpote ſale volatili blando, demulcente, naturæ animalium amico, gaudent, cujus ratione nervos ſolantur, & ab acrimonia irritante egregie defendunt.

(*b*) *Et dulci ſale vitrioli*. Sal & oleum vitrioli dulce haud injuria in non-entium Chymicorum catalogum referre debemus, quippe quæ magis corroſiva, quam dulcia ſunt. Improprie autem dulcedo hic ſumitur ab ipſis chymicis, dum grata hæc reddere ſtudent per additionem ſpiritus vini, qui nimiam acciditatem infringere aptus eſt. Unde fit ſpiritus vitrioli ſic dictus dulcis, qui cum ſpiritu tartari volatili nuptus rubedine in momento tingitur, & loco mixturæ ſimplicis uſurpari poteſt.

(*c*) *Tartari balſamo*. Arcanum ſic dictum tartari neutrum & enixum cum aceto deſtillato vini ſaturato conſtat, quod veteribus balſamum tartari audit; in detergenda venarum amurca & liberandis obſtructionibus præſtantiſſimæ eſt virtutis. Chymicorum filii ex ſalis tartari volatiliſationem magnum ſibi promittunt arcanum ad debellandam morborum pertinaciam; verum fruſtranea ſe lactant ſpe, cum tale ſal præ aliis ſalibus volatilibus nec ullam prorſus videatur habere prærogativam.

CAPUT XLVI.

De Arthritide.

NObilis Dominus Simon de Bruſattis, annorum 27. articulari dolore in genibus & pedibus graviter affectus, (*a*) *extracto ellebori & hermodactylarum* artificioſe præparato, materia purgata, ſtatim melius ſe habuit: dato tandem pulvere noſtro antipodagrico, ad 5. vel 6. dies tantum; ut tartareus ille humor e ſede penitus extraheretur, & læſarum partium rubur reſtitueretur, cito & jucunde convaluit.

(*a*) *Extracto hellebori*. Helleborus cauſtico quodam ſale pollet, terreſtribus tamen particulis plurimis immerſo, cujus ratione tenaciſſimum primarum viarum mucum fundit, incidit & abſtergit, & ad chronicorum morborum mineram præſcindendam tam ab antiquioribus quam a recentioribus impenſe celebratur.

CA-

CAPUT XLVII.

De raro & portentoso morbi genere.

DOmini Guigni Procuratoris Bononiensis colonus nomine Barba Franceſco, ſexagenarius, (a) *morbo quodam atroci, novo, aut ſaltem paucis audito*, a 15. annis male detinebatur, cum ad manus meas curandus pervenit. Is affectus erat tumor perexiguus in genu dextro, lentis magnitudinem vix ſuperans, lividus & durus, ſine inflammatione, ullave alteratione. Locum affectum nec digito, nec alio inſtrumento tangi patiebatur æger: intus nihil humoris deprehendebatur; unde, inter quas tumorum ſpecies annumerandus eſſet, modica difficultas non erat; neque enim malignam atramque bilem tamdiu tamque exiguis limitibus contineri, tamque diros cruciatus concitare, me legere unquam memini. Redibant inſultus ter & quater in die; toties etiam, quoties aliquid caſu duriter in tumorem incideret.

Præclaros Medicos conſuluerat. Quidam carcinomatis rudimentum arbitrabantur; alii fortaſſe Paræi malignam arthritidem, maxime cum ligni Guajaci decoctum ad 40. dies præſcripſerint. Verum hallucinati ſunt omnes; tumore enim adaperto, neque humorem atrum, neque carcinomatis principium ſubeſſe deprehendimus. Cum ergo ad me primum venit, neque locum affectum me tangere, minus emplaſtrum, aut quodvis aliud remedii genus apponi ſuſtineret, rogatus tandem, ut pennulla aliquo oleo inuncta tangi pateretur, annuit. Pennula igitur mercurii oleo imbuta tumorem leviter tetigi, a quo dolor omnis ſublatus videbatur: hinc lætus unicuique genu tangendum permittit. Sequenti die, ut prævideram, rediit inſultus; qua re mali radices intus ſubeſſe ratus, potentiale cauſticum tumori admoveo. Eſcharam, ut moris eſt, baſilicone unguento, & butyro procuro: qua ſublata, vermes pertenues, veluti pili prodeunt, qui ſcalpro attriti, tantum doloris ſuſcitabant, ut non licuerit ipſos forcipibus evellere; æger enim ſtatim humi concidit, ut prius. Quocirca carne circum circa epuloticis abſumpta, ipſos volſellis fortiter extraxi, ſed unicum tantum vivum, apis inſtar aculeo nigro armatum, cæteros laceratos & mortuos, ob applicata remedia. Cum autem præfatum vermem vivum in manu poſuiſſem, ipſam illico momordit, mihique graviſſimum dolorem fecit, quod & viderunt plerique alii.

An ſit Aetii, Paulive Æginetæ dracunculus, cuilibet judicandum relinquo; præſertim cum in multis diſcrepet, & in multis conſentiat. Vulnere tandem perſanato, lætus ille ruſticus domum ſe contulit.

(a) *Morbo quodam*. Laborabat ſimili affectu ante aliquot annos in Weſtphalia artifex præſtantiſſimus, nimirum enaſcebatur tumor durus dolorificus circa ani venas, qui a non tempeſtiva chirurgi aperitione & tractatione in ulcus putridum fiſtuloſum abibat, quod omnem conſolidadationem ferme reſpuebat. Tandem æſtate generabantur in ipſo vermiculi nigri ſtipati aculeis, qui manui applicati moleſtũ excita-

excitabant pruritum. Chirurgus tentabat consolidationem omni modo, qua facta intolerabiles surgebant dolores, ita ut opus fuerit de novo apertionem instituere, quo facto, vermes in copia prodibant, quibus exemtis & ulcere servato aperto, dolores conquiescebant. Memini ante aliquot annos me Hornhusæ prope aquas salubres vidisse scabiosum cachecticum Quedlinburgensem, qui pedes ulceribus putridis obsessos aquis istis fovebat, post quarum usum vermes cinerei coloris ad minimum digitum longos ingenti cum admiratione quotidie ferme extrahebat insigni cum levamine. Circa hæc conferri potest *Welschius in tractatu de vena Medinensi*. Item *Borellus Cent. II. obs.* 48. qui identidem animalcula in ulceribus nata annotavit.

CAPUT XLVIII.

De Nephritide.

DOm. Franciscus de Nanis, 50. an. in via vulgo *del Pradello*, nephriticis doloribus graviter excruciatus, brevi sequentibus sublevatus est. (a) *Corpore universaliter prius purgato*.

Rec. Pulpæ cassiæ ℥ j. ß. rhabarbari subtilissime triti. ʒ. j.

Electuarium postea sequens bis in die sumpsit.

Rec. (b) *Lapid. lyncis*, judaici, spongitis, crystalli præp. an. ʒ. j. conf. rosar. ℥. iij. conserv. betonic. ℥. j. olei vitriol. gutt. xx. Hoc remedio calculos complurimos excrevit. Et quia in hunc morbum ipse natura valde propensus est, factum est, ut ineunte vere ad præcautionem sumat.

Rec. Terebinth. aqua malvæ lotæ, ℥. j. ß. pulv. betonic. ℥. j. ß. Corpore tamen antea purgato, vel cassiæ pulpa vel sequenti decocto.

Rec. Betonic. m. j. sennæ ℥. j. Coriand. & an. an. ʒ. j. liquiritiæ rasæ & contus. ʒß. Bulliant in decocto pectorali, pro tribus dosibus.

(a) *Prius purgato*. In renum doloribus præstat semper alvum habere mollem et laxam, illamque aut clystere aut laxativo quodam irritare. Ejus mollities multum quoque facit ad præservationem, quo fine commendandæ sunt sequentes pilulæ: ℞. Succini mastiches, extracti panchimagogi Crollii, diagrydii sulphurati ana scrupulum unum, salis succini, mercurii dulcis ana grana decem, olei baccarum juniperi, balsami sulphuris therebinthinati ana guttas sex, de quibus capiat æger omni septimana bis dosin sufficientem.

(b) *Lapides Lyncis* etc. Specifica lapides creduntur antinephritica; vim suam exerunt textura sua alcalina, qua acidum primarum viarum, quod fundamentum concretionis calculosæ est, absorbent & imbibunt, quod deinde mixtura tali degenerat in sal neutrum amaricans insigne absterſivum tubulos et poros renales. Celebris pulvis tam ad præservationem quam ad curationem mali nephritici est Norimbergensis, qui *B. Volckhamero* adscribitur; hujus præparatio ex lapidibus calcinatis, ut plures arbitrantur, petenda est. Corallia, item testæ cochlearum in calcem albissimam ustæ, excellens præbent antinephriticum, si non majorem, parem tamen cum Norimbergensi edens effectum.

CAPUT. XLIX.

De duplici tertiana.

GEneroſissimus, & Illustrissimus Comes, Dominus Stephanus Hungarus, Bononiæ in Collegio nationis Hungaricæ, duplici tertiana intermit-

mittente, cum insigni lienis tumore, a quadraginta diebus gravissim e detinebatur. Florentiæ primum Medicos ad mensem incassum consuluit. In nostris vero manibus (a) *antidoto alexipyreto* ad x. dies data fœliciſſime con valuit.

(a) *Alexipyreto*. Dominus A. in curationibus febrium mirum commendat hoc medicamentum. Ex antimonii prosapia illud derivandum, inter alia & Authoris descriptio, quæ in pharmacopœa extat, suadet. Antimonium nimirum gaudet sulphure & mercuriali substantia satis actuosa in motionibus inordinatis spirituum corporis nostri excitandis. Vis ejus, si paulisper mitigetur, exuta veneni indole, in medicamentum transit efficaciſſimum, ad obstructiones in anguſtiſſimis venis consistentes removendas. Antimonium cum sale gemmæ & tartari decenter igne mixtum privatur vi emetica, & abit in pulverem obscure rubicundum diaphoreticum excitantem simul l enes salivationes, in morbis, quorum obstructiones graviores authores sunt, de pulsandis præsentissimi effectus. Notum est, quam eximium usum in medendo exhibeat sulphur antimonii correctum secundum *Glauberi* descriptionem, qui passim illud pro panacæa venditat: Dosi succisa si cum aliis aperientibus misceatur, auget illorum vim, salivam movet. In malignarum exordio cum bezoardicis oblatum anxietates præcordiales egregie abstergit, in intermittentium contumacia, mixtum cum salibus aperitivis potenter obstruſtiones harum genitrices referando divinam affert opem.

CAPUT L.

De suppressis mensibus, & aliis.

ANgelica Jacobi Riarii Piscatoris filia, annos 18. nata, in via *del Pradello*, graviſſimis capitis & ventriculi doloribus, crebris *syncopis*, & vigiliis, (quibus accedebant (a) *subrubræ pustulæ in facie*, ob calidiſſimum vaporem assidue ab inferioribus elatum, obortæ) torquebatur. Omnia venerant suppressis mensibus. Quocirca (b) *corpore primum* Ellebori nigri extracto ter & quater perpurgato: & aperientibus venis menstrualibus adapertis, probe convaluit, utpote cum decocto hysterico aperiente, & excalefaciente.

(a) *Subrubræ pustulæ in facie*. Hæ minus recte vaporibus ex ventriculo ascendentibus adscribuntur, sunt potius fructus acidi volatilis subsistentis in poris & glandulis cutaneis.

(b) *Corpore primum purgato*. Præstat in mensibus obstructis purgantia præmittere venæsectioni quo pravorum humorum copia & colluvie ex regione inteſtinali & sanguine educta liberiorem motum reliqui humores & sanguis nanciscantur. Vena secetur in pede, quo natura consueſcat ad inferiores partes amandare ipsum cruorem. Notabile enim est, nimium mensium fluxum in momento sisti posse per venæsectionem in manu, revocato quasi impetu sanguinis ad partes superiores, & vice versa circa purgationis menstruæ tempus consuetum sectæ venæ in talo sanguinem ad uterum aliciunt. In omni mensium suppressione venæsectio convenit, quo plethoræ fiat solutio & dempta quadam portione sanguinis reliquus magis rarefieri & motu se evolvere possit, hinc observamus, statim post missionem sanguinis pulsum citatiorem, venas magis turgentes &c.

CA-

CAPUT LI.

De insigni abdominis tumore.

NObilis Monialis, Catharina Maria de Marescottis in Monasterio D. Mariæ Magdalenæ 30. annos nata, ingenti tumore in abdomine, hydrope, capitis dolore, crebris ad caput evaporationibus, cum lenta febre, a 7. annis oppressa erat; quo toto spatio, multa multorum Medicorum, sine fructu tentaverat remedia. Ei subveniendo, Electuarium unicum dissolvens & diureticum exhibuimus, nimirum ex specifico stomachico, (a) *croco Martis, & oleo acido sulphuris*, cum conserva rosarum, dosi singulorum servata.

(a) *Croco martis & oleo acido sulphuris.* Hæc ambo simul juncta abeunt in vitriolum, quod viscidam pituitam potenter fundere & ex sede sua movere solet. Unicum granum vitrioli albi in nares susceptum mucum ibi hærentem fortiter colliquat & educit, quinimo vitriolacea quandoque vomitiones & sedes movent, id quod vellicando & constringendo tunicas nerveas & glanduloſas peragunt. Errant hinc, qui putant tincturas martiales, quæ omnes vitriolaceæ sunt, operari absorbendo & edulcorando acidum succos corporis contaminans; quando enim acido jam dum saturatæ sunt, nequeunt illud amplius recipere. Potius itaque effectus suos præstant stimulando, & incidendo. Quo autem subtilius est ipsum vitriolum, eo excellentior quoque prodit effectus.

CAPUT LII.

De multiplici morborum genere, eoque deplorato.

NObilis Dominus Galeatius Pius, 35. annum natus, sesqui anno toto, (a) *a mille malis* undique impetitus decumbebat. Caput imprimis doloribus, surditate, visus depravata facultate, vigiliis & aliis detinebatur: pectus, abdomen, & quæ in his continentur; crura insuper, brachia, manus & pedes, eodem fere modo simul afficiebantur: non hominis, sed cadaveris effigiem gerens, singulis momentis animam efflare videbatur. Morbi natura ad unguem examinata, atque remediis, quibus prius utebatur cognitis, alia jucundiora, certioraque propinavimus. Curam hanc itaque (b) *per selectissima alexipharmaca* aggredior; febre neglecta, tanquam symptomatica; acceptisque alexipharmacis ad 5. dies, febris evanescit, mitescunt dolores, & naturæ robur sensim adipiscitur. Verum ut morbi radices altius inossibus defixas funditus evellerem, solidiora humectare, ut facilius intro subire possent alexipharmaca, decocto humectante & refrigerante, solicitus fui. Hujusmodi decocta parantur ex cichoraceis, intubis, lactucis, capillaribus, & similibus, juxta ægri, & partis magis læsæ conditionem, quibus ex animi sententia peracta est cura.

Quod hic vocamus alexipharmacum, fuit nostrum antivenereum, quod require in nostro *de secretioribus medic. præpar. & usu.*

(a) A

(a) *A mille malis*. Omnia hæc ſymptomata debentur ſcorbuto, qui totius corporis ſuccos & maxime lympham ac fluidum nerveum ad coagulationem diſponere, in motu ſuo turbare & partes membranaceas ac nerveas præter naturam vellicare ſolet propter abundantiam ſalium excrementitiorum. Scorbutus quippe ſalium feraciſſimus eſt, & morbus ſaltim ſalinus; & prout illa ſalia differunt & magis vel minus volatilia vel fixa, acria, acida, differunt quoque ſymptomata & vehementia morbi ac ſtatus. Origo ſcorbuti deducenda videtur ex obſtructis glandulis & poris ſecretoriis viſcerum, quæ lymphæ depurationi & ſalium microſcomicorum excretioni inſerviunt. Sal autem in humoribus latitans facillime alios dulces humores ſuam in naturam tranſmutare poteſt, ſicque tota natura ſcorbuticorum ſalifica eſt.

(b) *Seleciſſima alexipharmaca*. Inſufficientia ad tollenda ſcorbuticorum ſymptomata ſunt edulcorantia ſeu ſalia diluentia: Appropriata magis cauſæ ſcorbuti opponi debent præſidia, talia ſunt, quæ evacuatoriorum poros recludunt & diſcraſiam acido-viſcidam expugnant, quorum ex cenſu nominatim ſunt varii generis ligna & parata ex ipſis decocta, eſſentiæ, deinde balſamica, gummea, uti reſina pini vel ejus oleum deſtillatum, gummi ammoniacum, myrrha electa, ſagapenum, hederæ, ſuccinum, oleum ligni ſaſſafras, juniperi, & tandem volatilia, ut ſunt ſpiritus Cochleariæ, naſturtii, trifolii fibrini, ſpiritus ſalis ammoniaci, tartari, fuliginis, volatiles.

CAPUT LIII.

De contumaciſſimo ictero flavo.

ILluſtris D. Gozadinus de Gozadinis 30. annorum peragens, in icterum morbum incidit, evidente cauſa prævia nulla, niſi (a) *ob calidius jecur*, bilem ſupra modum ingenerans, quæ a cholidocho reſiliens, & quoquoverſum in corpus ſparſa, cutem omnem defœdarat, atque in ipſo hepate, partibuſque vicinioribus ingentes obſtructiones produxerat: unde illius hypochondrii gravitas, & tumor conſpicuus, a quo ſcirrhum cito enaſci, hydropemque certum erat, eoque magis, quod a novimeſtri, morbum ipſum utcunque ab aliis exhibitis exaſperatum pertuliſſet. Nec mirum, cum ipſi (b) *chalybem* vulgato Pharmacopolarum more præparatum, ad complurimos dies exhibuerint. At chalybs quam recte exhibitus fuerit, facile eſt cognitu, ſi morbi indicationes, & medicamenti vires aliquantulum examinentur. Ad graviſſimum iſtud mali genus penitus removendum, Rubiæ tinctorum eſſentiam ejuſdemque herbæ ſalem cum conſervis roſarum, & ol. vitrioli dedimus, quibus intra viginti dies liber evaſit.

Pulvis auri diaphoretici horum omnium vices explet: ſolus febrem quoque, ſi quæ adſit, tollit. Specificum item ſtomachicum idem præſtat; imo & omnium fœliciſſime.

(a) *Ob calidius jecur*. Veterum fuit hypotheſis, in ictero calidum peccare jecur, quod bilem copioſiorem gignens, illam, dum a ciſtide expurgare totam nequeat, effundere in ſanguinem. At vero potius intemperies ſanguinis viſcoſa & acida hoc in morbo peccat, qua ductus minimi glanduloſi hepatis & biliarii obſtructi bilii ſecretionem ſupprimunt. Succum autem melancholicum in ſanguine exundare, colligi poteſt ex ſymptomatibus; corpora namque ictericorum vix ſudant,

prurigine plerumque tentantur, & quasi ſuſcepto onere ingraveſcentia torpeſcunt, mens ſenſuſque hebeſcunt, & variis laceſſuntur imaginibus. Urinæ craſſeſcunt atque rubent, adeo ut & probe nigreſcant. Dextro hypochondrio gravitatis quidam ſenſus ineſt, & nonnunquam obſtructiones jecoris, ſcirrhum renitentem ac præ durum ingenerant, qui non modo contumaciam morbi, verum etiam quandoque hydropem parit.

(*b*) *Chalybem*. Martialia prudenter exhibita ictericos perfecte ſanare apta ſunt; ſi nimirum 1. in forma liquida offeruntur, 2. cum amaris vel volatilibus miſceri debent, & 3. motus quantum poſſibile poſt illorum uſum imperandus eſt: Exitioſa autem ſunt & damnum inferunt ſicca & acido tacta, ſæpius conſtringentem magis quam aperientem vim edentia ſine ſtimulo ſalino, vel aromatico oleo corporibus oleoſis adminiſtrata. Hoc pacto enim dolores & anxietates præcordiorum augere & graviores obſtructiones efficere ſolent.

CAPUT LIV.

De prava tentigine inveterata.

NObilis Dominus Guido Amorinus, triginta annos natus, ψώρα, Latinis prava tentigine, ita acerbe (*a*) *per ſexennium* divexabatur, ut, quamvis complures Medicos quotannis conſuluiſſet, atque medicamenta varia expertus eſſet, ut minimum quidem levaminis perſenſerit. Quidam ex his morbum a latente lue ortum ducere rati, decoctum guajaci, & ſalſæ male ipſi præſcripſerant, alii in ſolius jecoris calidam intemperiem malum rejicientes, ſuccos cichoraceos, ſerum lactis, & ſimilia imperabant. Sed in caſſum omnia, etſi ad unguem præſcripta ſervaret. (*b*) *Auri tandem diaphoretici uſu* cito convaluit.

(*a*) *Per ſexennium*. Impetigo ſpecies malignæ ſcabiei eſt, qui cutis craſſior, ſiccior, durior & ſerpentibus puſtulis aſperior evadit: his vehementer roditur, exeditur, paſſimque finditur, ut furfures & ſquamulæ, modo pallidæ, modo ſubnigræ ibi generentur, decidantque. Huic malo originem dat lymphæ inſignis corruptela & vappeſcentia ex glandularum vitio & obſtructione maximam partem dependens: ægre hic morbus ſaneſcit, & nullis ferme cedit remediis, quia tota lymphæ maſſa inquinata eſt; & ingens evacuatoriorum corporis deſtructio, nec non glandularum oppilatio, ad quas vix pertingere poſſunt medicaminum virtutes.

(*b*) *Auri tandem diaphoretici uſu*. Medicamenta ex vegetabilibus & animalibus ad morbi hujus radicem non facile penetrant, dum in variis digeſtionibus, quas ſubeunt, diverſas alterationes ſuſcipiunt; quocirca requiruntur ſubtiliora, et quæ ſalva manente textura ſua corporis penetralia tranſire poſſunt, qualia ſunt mercurialia auri connubio nobilitata. Mercurius autem quo magis eſt metallicus, ſeu impuritatibus magis defecatus & ſpirituoſior, hoc eminentioris virtutis exurgit medicina, quę citra magnum incommodum et notabiliorem excretionem placide reſolvendo ſola tranſpiratione ſub parva doſi operatur et hinc optime arcani titulum meretur.

CAPUT LV.

De Nephritide, & aliis.

NObilis Domini Horatii de Leonoris uxor, nomine Helena, in via Sancti Donati, trienii ſpatio duplex morbi genus paſſa eſt, primum nephri-

phriticum dolorem, cujus immanitate triduo divexata, cum me accerseret, (a) *hoc remedio brevi sustulimus*.

Rec. Lapidum lyncis, spongitis, judaici, & astacorum, an. part. æq. fiat pulvis juxta artem. Cujus bis drach. j. exhibita, perexiguos calculos excrevit. Alterum erat spasmus ῥυσώδης, quo mirum in modum noctu crura atque tibiæ obsidebantur; insultus ad horam fere persistebat. Hujus affectus causa non immerito (b) *prætenui vento*, in nervorum ductibus contento, adscribitur, qui exsuscitatus celeriter crus, atque tibiam pervadens, animali spiritui viam intercludit: Unde ad originem spiritus animalis conversus secum rapit partes nervosas. Ad hujusmodi statum discutiendum specificum sudorificum exhibuimus, cujus beneficio discutiuntur flatus, & aperiuntur obserati pori.

(a) *Hoc remedio brevi sustulimus*. Lithontripticorum efficacia potissimum consistit in hoc, ut serum salsum per renales tubulos ac glandulas transcolent. Quodcunque atque serum viscidum fundit, & sal acidum, ceu primum coagulationis fundamentum destruit, poros renum obstructos referat, illud diuretici titulum meretur. Inter hæc familiam ducunt salia fixa & volatilia omnis generis, nitrosa & quæ subtilissimo balsamico oleo gaudent. Omnibus autem præferenda censeo terrea, alcalina usta, quæ acidum coagulativum istud principium non solum potenter destruunt, & partibus æthereis in poris ipsorum undulantibus humorum ac sanguinis fluxum promovent sudoremque movent. Magnam hinc laudem merentur corallia præparata, sive usta, conchæ ustæ, item lap. caneri, tinctura tartari, tinctura calcis vivæ. Pertinent huc quoque liquores ita dicti antinephritici, e. g. ex testis ovorum lap. lync. spongiæ & spir. salis parati. Acidum enim ad mixtionem horum corporum alcalinorum alcalinum mixtum evadit; unde liquores sic similem effectum edunt cum omnibus salibus fixis. Et hæc quoque ratio est, cur animalia illa, quæ sal causticum volatile in se condunt, uti sunt millepedes, vermes majales, cantharides, tanta vi polleant stimulandi renum glandulas & ductus urinarios.

(b) *Præ tenui vento*. Fallacia sensus est, potius debetur hoc phænomenon contractioni nervorum spasmodicæ in partibus extremis suscitatæ, & inde natæ interceptioni spirituum animalium. Convulsionibus & morbis aliis spasmodicis simile quid in principio complicatur, dum tenuem ventum frigidum ab extremis per dorsum transire percipiunt

CAPUT LVI.

De Chironio ulcere.

Hieronymus de Clericis Barbitonsor, 30. annos natus, non procul ab Ecclesia fratrum Servitarum: in via Majori, ulcere Chironio, amplo, profundo, calloso, (a) *circa poplitem* genu dextri a multo tempore detinebatur: cui decoctum melanagogum & cholagogum ad 15. dies præscripsimus; additis melissa, chamæpit. ceterach, cicerbita, & cichoraceis. Extra ad callos summovendos (b) *unguento ex vitellis ovorum*, adjecto Saturni balsamo, cujus descriptionem & præparationem, una cum aliis in lucem proferendis, in aliud tempus distulimus. Vide nostrum *de secret. mineral. remed.*

(*a*) *Circa poplitem*. Ulcera quo magis occupant parte, quæ ex anguſtiſſimis tubulis conſtant, uti ſunt oſſa, cartilagines, tendines, membranæ, eo difficilius ſaneſcunt, utpote virtus medicamentorum balſamica ægrius ad has partes ſufficienti ſanguinis affluxu deſtitutas accedit. Deinde fermentum peregrinum arctiſſimis in tubulis ſtagnans aciditatem & acredinem hoſtilem promtius indu it.

(*b*) *Unguento ex vitellis ovorum*. Omnia oleoſa pinguia cautiſſime applicanda ſunt læſis partibus tendinoſis membranaceis; ſiquidem hæc ramoſa ſua textura poros anguſtos tubuliſque minimos, ex quibus hæ partes conſtructæ, obſtruunt & obviſcant, quo tranſpiratio & via humorum libera præcluditur. Gaudent hæ partes magis balſamicis temperatis, inter quæ excellit unguentum ex Gummi elemi, oleo hyperici, maſtiche, terebintina & balſamo peruviano confectum, quod etiam egregie reſiſtit Synoviæ vulgo Clied Maſſer, læſioni harum partium frequentius ſupervenienti.

CAPUT LVII.

De duplici tertiana.

DOminus Horatius Morellus, annos 27. natus, duplici tertiana decumbens, ſtatim in ſui opem me accerſivit; atque pulvere noſtro antipyretico bis exhibito febris evanuit. Et ſic, quæ ſecus in lungum protrahitur febris, accommodato remedio (*a*) *breve profligatur*. Nec mirandum, quia in aliis intra horam ad ſummum febrem ſuſtulit, ubi videlicet pertinaces non ſunt defluxiones, & ſtatim oborto malo proprium medicamentum adhibetur.

(*a*) *Brevi profligatur*. Niſi intermittenti ſimul juncta ſit intemperies quædam ſanguinis, ſique pabulum & fomes morboſus in inteſtinorum canali delitescit, unico remedio aliquot vicibus exhibito tolli poteſt paroxyſmus. Tale remedium eſt China Chinæ cum ſale abſynthii mixta addita pauca quantitate mercurii dulcis. Communis Medicorum error eſt, febres intermittentes non protinus appropriatis tolli debere, niſi prægreſſi fuerint aliquot paroxyſmi. Salva res eſt, ſi neglectis obſtructionibus in principio ſtatim conſtringentibus motum humorum, ſicque ipſius morbi aggredimur, tunc tutius eſt ſtatim ipſum morbum proſcindere, in quem finem ſæpius tunica doſis emetici vel ſpecifici cujuſdam nullo in ſanguine conſiſtente vitio non raro ſufficit.

CAPUT LVIII.

De malignis & Chironiis ulceribus.

PAulus de Bobus quadragenarius, monialium Divi Joan. Baptiſtæ tunc factor, (ut vulgo loquuntur) a ſexennio maligna, & vere Chironia ulcera in tibiis acerbe patiebatur, iiſdem claudus, & guajaci, ſalſæ, & ſimilium decocti pertæ ſus, corallorum, & (*a*) *aliorum ſanguinem ſpecifice repurgantium remediis* eſſentifica tis, ulceribus extra minime neglectis, intra 15. dies optime valuit.

(*a*) *Sanguinem ſpecifice repurgantium remediis*. Vis depuratoria ſanguinis multis adſcribitur remediis, conſiſtit illorum virtus maxime in hoc, ut acria ſanguinis & lymphæ ſalia extricata, textura ſpecifica invertant, corrigant & ad evacuationem aptareddant, ſimulq; ipſa evacuatoria publica blande ſtimulent. Inter hæc locum inveniunt præter pulveres abſorbentes correctorio præprimis decocta variis ex plan-

tis

tis parata v. gr. Veronica, scabiosa, hedera terrestri, agrimoniam, tussilagine, scordio, centaureo minori. Talismodi vulgari remedio plus sæpe in desperato scorbuto & mali moris ulceribus efficiunt Galenici & plebeculæ, quam magni Chymiatrii panaceis suis, essentiis ac elixiriis suis calidis chymicis, &c. Ut inde pateat, tam Galenicorum, quam chymicorum medicamentorum in arte nostra insignem esse necessitatem & usum.

CAPUT LIX,

De *continua febre cum calculo*.

NObilis Domina Smeralda de Salimbenis, sexagenaria, (*a*) *ardenti febre, eaque continua*, ad 7. dies gravissime conflictata, circa nonum di em urinam multam crassam & subnigram, cum calculo terere & (*b*) *oblongo*, ex crevit; a qua febri & excretione, sequenti remedio sollicitata, libera evasit.

Rec. (*c*) *Confect. alchermes* 3. ß. unionum præparatorum, & lapidum astacorum secundum artem præparat. an. gr. 10. parabatur bolus, qui bis in die reiterabatur.

(*a*) *Ardenti febre eaque continua*. Plethorici a sævissimis lumborum doloribus non raro ita exagitantur, & incalescunt cum pulsu celeri, ut medentes minus circumspecti post febre ardente hæc habeant symptomata. Tali in casu damnum ingens afferunt omnia spirituosa calida calculum pellentia, nec non ipsa balnea, quæ, ubi sanguine copioso subtili venæ confertæ sunt, minus conveniunt; Solatium magis hic invenimus in anodynis, nitrosis, venæsectione, clysteribus.

(*b*) *Oblongo*. Calculi prægrandis magnitudinis & nuclei insigni quantitatem æquantes quandoque per angustos transeunt ureteres: unde etiam tam crudelis enascitur dolor a dilatione harum viarum maxima. Et mirandum est has vias adeo sæpius dilatari, ut major digitus immitti possit. Videatur *Riolanus in Enchyrid. anatom. Lib. 2. c. 29. Tulpius Lib. 3. cap. 6. Fernel. Lib. 6. de partium morbis seu symptom. c. 12.*

(*c*) *Confectio alkermis*. In calculo quandoque frenum injiciendum impetuoso spirituum motui, quandoque si languescunt spiritus, addendus est, prout nimirum rei ratio id exigit.

CAPUT LX.

De caruncul is.

DOminus Horatius de Persidoniis, annos 40. natus, in via Sancti Isaiæ, (*a*) *carunculam in penis* ductu jamdudum patiebatur: ea autem temporis progressu admodum aucta, urinarium meatum penitus occluserat. Ideoque triduo ischuria oppressus ad me confugit. Alvo statim enemate soluta, locum affectum tepenti lacte fovendum, idemque cum seminibus melonum sorbendum jussimus: quibus inflammatio ab ipso ægro concitata (dum (*b*) *candelis cereis*, virgultis ligneis, atq; filo fereo carunculam atterere conaretur) sedata fuit. Terebinth. ad ʒ. ß. cum pulv. betonicæ 3. j. postridie accepit, & candelis cereis unguento peculiari illitis carunculam sensim sustulimus. Qui ad nos, si quinquen-

nio post, eodem affectu correptus, aliorum in manibus curandus öccubuerit?

(a) *Carunculum.* Familiares hæ sunt lue Gallica vel gonorrhœa virulenta infectis. Oriuntur hæ ex pororum figuratione præternaturali a fermento luis maligno acri ibi stagnante, quam sequitur depravata nutritio.

(b) *Candelis cereis*. Cavendum est ab usu acrium, quæ constrictionem spasmodicam inducendo, & dolores augendo ischuriam facilius producunt. Felicissime exstirpantur candelis cereis, unguento saturnino inunctis, cui adjuncta est particula mercurii præcipitati bene edulcorati, si inflammatio metuenda, fotus cum lacte & camphora prodest.

CAPUT LXI.

De insigni tabe, & ventriculi frigiditate.

PErillustris, & Excellentiss. & Reverendiss. Dominus Bartholomæus de Floravantis, utriusque signaturæ Referendarius, annum 25. agens, ultra quinquennium (a) *gravissimis malis exercitus*, communem medendi viam Patavii, atque hac in urbe Bononiensi sub doctissimis Medicis inutiliter comprobaverat, Patiebatur autem insignem marcorem cum febre lenta, (b) *ventriculi frigiditatem* incredibilem, & tantam, ut ibi concalefactum, & fere ignitum silicem appositum continuo gestaret. Hinc cerebri dolores, & assiduis rugitus in hypochondriis, mira inappetentia, & concoctricis facultatis imbecillitas. Propterea ipse triduum jejunus utplurimum agebat, nam magis a sumptis cibis circa ventriculum doloribus vexabatur, & ad tertium usque diem (c) *ciborum* pondus & *molem* persentiebat. Mitto capitis dolorem, cui valde obnoxius erat, alvi siccitatem, & alia complura. Is tandem a tot ærumnis, & infirmitatum incursionibus, contra omnium spem, pauciss imis remediis, facillimis, & delicatissimis pristinam. & forte quam antea firmiorem, in nostris manibus recuperavit sanitatem. Non remediorum quantitate, sed eorum vi & efficacia, ægri sanantur. Scopus fuit, concretionem lapillosam frigidam, & marmoream dissolvere; natura dein, regimine victus præscriptio, reliquas intentiones absolvit. Victus fuit omnifarius, & a consuetudine minime alienus, Fructus, olera, & quæ magis gustui arriderent, modice concessimus: (d) *morosos illos minime sequuti*, qui nihil porrigere student, quod sapiat palato. Quod ad remedia: primis diebus aurum nostrum diaphoreticum ad aliquot hebdomadas bis in die instar alimenti dedimus, ut densatam materiam facilius dissolveret, eandemque foras propulsaret. Specifico postea stomachico nostro ad duos fere annos usus est. Vivit nunc ipse optima sanitate gaudens. Hic invidorum ilia crepent, qui contra proximi charitatem similia damnant.

(a) *Gravissimis malis*. Affectus, quo æger conflictatur, est hypochondriacus, qui infinita propemodum mala secum trahit, notat digestionem primarum viarum penitus destructam. Plurimi morbi fundamentum suum primis in viis habent. Est enim

enim ibi quasi via regia & confluxus peregrinorum vitiosorum humorum. Concurrunt ibi bilis, liquor salivalis pancreaticus, pituita intestinalia, variaque ingesta, quæ si vitio vel eminente quadam qualitate laborant, protinus digestio turbatur & chylus peregrino charactere imbuitur, qui sanguini allatus ejus motus turbat, obstructiones efficit, quæ semper magnas impuritates in humoribus caussantur: Presso enim pede obstructiones evacuatoriorum subsequuntur impuritates, impuritates, autem dolores, spasmi, febriculosæ motiones &c.

(*b*) *Ventriculi frigiditatem incredibilem.* In hypochondriacis tam a muco tunicis intestinorum inhærenti, quam a flatibus coarctantibus impeditur liberior ad has partes sanguinis, a quo omnis calor, influxus; unde imbecillitas ventriculi non tantum a vitio salivæ et menstrui gastrici, verum etiam a debito sanguinis influxu suppresso originem suam ducit.

(*c*) *Ciborum molem sentiebat.* Alimenta, si non sufficiens & temperata quantitas liquoris gastrici adest, et calore fraudatæ primæ viæ sunt, non rite resolvuntur, sed in massam inertem μόλυσιν & liquamen onerosum concedunt, quod gravativum dolorem inducit.

(*d*) *Morosos illos minime secuti.* Uti in republica nec nimis laxa, nec nimis stricta convenit disciplina, cum alias et summum jus summa sit injuria: itaque quo in medicina et regimine dietæ vivendi leges non gaudeant nimia laxitate, nec nimio rigore. Spectat huc *aphorismus* 38. *sect.* 2. *Hippocr.* Cibus et potus paulo deterior, suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus, est anteponendus. In victu multum dandum est consuetudini; natura enim assuetis gaudet, nec temere aliquid circa consueta, quæ magnam vim obtinent in corpus nostrum immutandum.

CAPUT LXII.

De ictero, arquatove morbo.

QUidam Latomus annorum 30. prope Divi Pauli Ecclesiam, ictero arquatove morbo a multis mensibus graviter detentus, in hydropem ascitem incurrerat; febre lenta etiam, & continua, ventriculi prava constitutione, anhelitus difficultate, & aliis mortiferis symptomatis conficiebatur. Is autem pilulis nostris helleborinis (*a*) *ter purgatus*, sulphur hidroticum ad 10. dies sumpsit, cujus ope hydrops, febri, icterus, cæteraque symptomata fœlicissime evanuerunt, Sulphur hydroticum medicamentum est metallicum, inter cætera a nobis descripta.

(*a*) *Ter purgatus.* In hydrope ascite caute purgationes offerendæ sunt. Locum hic habet *aphor.* 10. *l.* 2. *Hipp.* Si quispiam corpora purgare voluerit, meabilia ut reddat, necesse. Redditur autem corpus meabile sive ἰσχῶν excitata naturæ vi, præparata et correcta materia, liberatis obstructis, et postremo comparata corporis virium humoris educendi et medicamenti proportione: Ubicunque enim hæc fuerint, ibi feliciter suscipitur purgatio, maxime in ipso hydrope, ubi alioquin omnia vehementiora purgantia nocent, nisi prius meatus obstructi laxiores et aperti redditi fuerint. Quando autem indicationes purgandi adsunt in hydrope, fortiter agendum, et aliquoties insistendum, recte id annotante *Domino Sydenhamio in tractatu de hydrope.*

CAPUT LXIII.

De maligna febre cum sævissimis symptomatis.

DOmina Virginia, Domini Horatii de Persidonis uxor, 40. annos nata, in via Sancti Isaiæ, maligna febre, animi deliquiis, (*a*) *nausea,*

(*a*) *ventriculi dolore*, & aliis sævissimis symptomatis impetita, alexipyreti nostri ope, bis in die exhibiti, probe convaluit. Alexipyretum medicamentum inter medicamenta metallica a nobis reponitur.

(*a*) *Ventriculi dolore*. Morbi maligni iique contagiosi circa præcordia & primas vias fomitem utplurimum suum habent. Nam salivæ vehiculo virulenta miasmata ad ventriculum descendunt, ubi anxietates, nauseam, cardialgias syncoptieas & inflammationem sphacelosam, docente id sectione haud, raro pariunt. Quocirca prudens nonnullorum medicorum consilium est, in suspectis vel contagiosis locis nunquam deglutire salivam, sed continuo illam excernere, quo infectio avertatur. Ex quo patet, leniora emetica, alexipharmaco juncta, vel si hæc contraindicantur, salivam moventia, inter initia morbi laudatissimam locare operam. Novi Archiatrum felicissimus, qui in omnium malignorum principio sulphur antimonii mitigatum, quod per panacea a *Glaubero* venditatur, refracta dosi cum pulvere bezoardico exhibet, cujus post usum saliva bene fluit, subsequitur sudor, & infensæ illæ præcordiorum anxietates præcaventur.

CAPUT LXIV.

De hemitritæo cum lienis tumore.

ADmodum nobilis Domini Alexandri de Griffonis filius, annos duodeviginti natus, exactis tribus annis, in terrificam hemitritæum incurrit. Manarat hæc febris ab (*a*) *immaturi fructus*, principio ætatis, immodico usu, atque a prava victus ratione: ut juvenibus plerumque accidit. Aderat & antea lienis tumor satis insignis, ob eandem victus intemperiem contractus. (*b*) *Purgatum primum corpore*, agarico, manna, & syrupo rosaceo, obstructos meatus diaphoretico nostro pulvere aperire deinde aggressus sum; quibus incunctanter adapertis, febris confestim evanuit. (*c*) *Subacta* autem *febre*, lienis tumorem croco martis, & aliis dissolventibus brevi dissipavimus.

(*a*) *Immaturi fructus*. Copia fructuum horreorum multos impuros vitiosos facile putrescibiles generat succos, qui prima in regione flatus, tormina, ructus, alvi fluxum, deinde ulterius obstructiones, tumores, febrem, scabiem, ulcera gignunt & producunt.

(*b*) *Purgato primum corpore*. China Chinæ decantatum & revera divinum contra intermittentes præsidium est, præpostera autem applicatione modo intermittentes in continuas, vel lentas vertit, modo firmando obstructiones recidivas plenas periculi, cachexiam, icterum, hydropem gignit, quotidiana id testante praxi. Quod si autem exhibeatur, quando prima regio, quę impuritate facile sordescit, & mali fomitem, prius probe expurgata fuerit, & vis morbi paululum infracta, incredibilem in fuganda febre ostendit efficaciam.

(*c*) *Subacta febre*. Rectissime notavit *divus senex in Aphor.* 32. *l.* 4. quibus a morbo restitutis quippiam est infirmum, ibi ἀνεσάσεις seu stagnationes fiunt. Quod si enim a magno morbo evadentes liberalius se potu & cibo invitent, quam exhausti corporis ratio & vires perferre possint, graviores morbi sæpe propullulant, quia tam partes fluidæ, quam solidæ labefactatæ sunt: hinc si non accurata diæta accesserit, hæpatis & lienis scirrhi, vel cephaleæ, vel foras in artubus imbecillitas, dolores & tumores fiunt. Quare ne quid coacervetur, pilulæ olecphanginæ, Ruffi, variaque elixiria stomachalia & balsamica danda & ordinanda sunt.

CAPUT

CAPUT LXV.

De ſuffuſione oculorum.

JOannes, Jacobi Durelli thecarum Fabri in platea commorantis, nepos, annorum duodecim, catarractam, quam Latini ſuffuſionem nominant, quinquennium in utroque oculo tulerat. Nec capitis, nec brachii fonticuli, nec purgantia quæque, ab alio Medico per integrum ſemeſtre exhibita, quicquam profuerunt. Quinimo, cum ad me deductus eſſet, alterantibus cephalicis, & iis, quæ ſenſim per inaſpectabiles ductus ſanguinem fuliginoſis vaporibus, & aliis impedimentis liberant, utendum potius judicavi, quam crucibus & tormentis, quæ multi ſæpius pro veris medicamentis infeliciter experiri coguntur. Miſſis quippe cucurbitulis, plebotomiis, ſanguiſugis, veſicatoriis, ſinapiſmis, & ſimilibus ipſo morbo gravioribus; conſervas capitales cum (*a*) *argenti arcano* ad nonnullos dies exhibuimus: extrinſecus (*b*) *vitrioli aquam* admovendo, quibus paucis omnino liber & ſanus evaſit. Quid ſit argenti arcanum, vide in noſtro *de ſecret. med. præpar.*

(*a*) *Argenti arcano*. Eſt vitriolum lunare ſubtiliſſimum, & ſecundum *Monſchnyderi* proceſſum optimum, quod in morbis nervorum a tenaci vitrea pituita ortis non infimam laudem meretur, dum & incidit & educit quam promptiſſime coagulatos craſſos humores. Si ſolvitur in ſpiritu liliorum convallium, tranſit in liquorem limpidum lunarem nullo colore imbutum. In affectibus melancholicis maniacis non contemnendi uſus.

(*b*) *Vitrioli aquam*. Vitriolum album vel melius cyprium ad plurima oculorum vitia tollenda extrinſece mirum commendari ſolet. Operatur hoc modo, dum fibrillas oculorum tunicas conſtituentes nimis laxas roborat & conſtringit, quo minus ſtaſis humorum circa illas fieri queat.

CAPUT LXVI.

De Iſchuria.

DOminus Julius Cæſar Mainettus quinquagenarius in via Sancti Donaci, (*a*) *Iſchuria ab ureteribus utriſque obſtructis* graviter detinebatur, cujus in cauſa materia potius viſcida & craſſa deprehenſa eſt, quam calculus. In caſſum jam ad multas hebdomadas alterius Medici opem imploraverat. Ille autem ter & quater accepto a nobis medicamine ex tribus animalibus probe convaluit. Hujus remedii deſcriptionem aliis etiam alibi annectemus. Quare in noſtro *ſupra citato* iſtud remedii genus, cum aliis præſtantiſſimis.

(*a*) *Iſchuria ab ureteribus utriſque obſtructis*. Non ſemper in urinæ ſuppreſſione uterq; renum vel ureterum obſtructione laborat; ſed ſaltim unicus ſufficit, qui ſi obſtructus eſt, ſpaſmo & alterum afficiens urinæ fluxum cohibere poteſt. *Riolanus Rib. II. anthropogr. cap.* 26. ſcribit, non ſemel ſe obſervaſſe, uno rene obſtructo, alterum

terum inutilem reddi, propriaque actione destitutum urinæ fluxum intercipere. Sic quoque *dominus Marchette in Anatomia cap.* 5. affirmat: læso uno rene, ut alter officium præstet, vix contingere potest, propter mutuum inter se consensum, affectus enim unius alter facile communicatur. Contingit hoc indubie a spasmodica crispatura fibrarum musculosarum, quibus ureteres constant. Prosunt tali in casu antispasmodica, succinata, castorina & oleosa demulcentia. Si in rene obstructio hæret circa ureterum capita a calculis grandiusculis, sal succini admirabile diureticum cum tartari arcano egregio resolvente mixtum omne absolvit punctū.

CAPUT LXVII.

De duplici tertiana, & immodico sanguinis fluxu.

PErillustris Domina Isabella Vizana, prope Divi Sebastiani Ecclesiam, duplici tertiana laborans, brevi auro nostro essensificato libera, & immunis extitit. Eidem Dominæ, (*a*) *immodico sanguinis fluxu* e naribus affectæ, & quasi confectæ, post varia usualia remedia apposita, tandem (*b*) *frontali* ex croco martis, bolo armeno, opio, & rosaceo oleo, temporibus admoto, deferbuit sanguis, & feliciter convaluit.

(*a*) *Immodico sanguinis fluxu*. Nimiæ hæmorrhagiæ utplurimum contumaciores solent reddere morbos. Oriuntur ab incalescentia nimia motuque intestino sanguinis adaucto, ejusque impedita propter spasmum per substantiam partium porosam et venas circulatione. Omnia hinc, quę compescunt sanguinis æstum, et volatilitatem bilis infringunt, interne et externe proficua sunt.

(*b*) *Frontali*. Quæcunque capitis ex febre dolorem sedant, qualia sunt ex rosis parata, acetum rosaceum, camphora, nitrum, opium, illa etiam in nimiis hæmorragiis proficiunt: non fronti modo et temporibus, sed collo quoq; tuto applicantur.

CAPUT LXVIII.

De inveterata lue venerea.

DNminus Vincentius Nelli, Magnus Ducis Etruriæ gemmarius, annorum quinquaginta, in domo Domini Petronii de Nigris hospitio exceptus, a duobus annis præduros tophos cum sævissimis capitis & articulorum doloribus acerbe patiebatur. Patavii primum tanti affectus curationum non sine fructu, sed imperfecte, sub doctissimis Medicis tentavit. Extremam vero sanitatis perfectionem adepturus, Florentiæ agyrtam quendam consuluit, qui eum (*a*) *cinnabari suffimigiis* ad aliquot dies exercens, loco promissæ sanitatis, malum duplo deterius reddidit, eumque eo adduxit, ut continua febre, membrorum tremore, & anhelitus difficultate, ac fœtore concitatis, extremum halitum emissurus videretur.

Tot malis superandis decoctum humetans, alimentosum simul, & alexiterium primis diebus sumpsit. Febre aliquantulum propulsata, & viribus paulo vegetioribus antidotum antivenereum nostrum exhibuimus. Quibus

rebus

rebus intra 40. dies priſtinam, perfectiſſimamque recuperavit ſanitatem. Antidotum antivenereum noſtrum habetur pariter ubi ſupra notavimus.

(d) *Cinnabari ſuffumigiis*. Equidem verum luis alexipharmacum conſtituunt mercurialia caute adhibita, magnam autem perniciem parant ejus effluvia ſeu ſuffitus illis, qui imbecillos nervos habent. Compertum eſt, quam gravia incommoda fabri aurarii a ſolius hydrargyri vapore ſentiant: frequentes ipſis ſunt ſudores frigidi, lypothymiæ, laſſitudines, tremores, de quibus vid. *Ephemerides Germanorum Dec. I. anno I. obſ.* 81. *VVelſchius in curationibus pag.* 140. *Schenckius in obſ. pag.* 188. *Act. Anglic ana* 1665. *Menſe April. pag.* 18. *Fernelius de luis vener. curatione*. Mercurius enim tam gravitate, quam tenuitate partium ſua anguſtiſſimos nervorum fibrillarum tubulos nimis aperit, laxat, ut ſic pituitoſi humores ibi facile decumbant, obſtructiones, rheumatiſmos, lymphæ effuſiones, paralyſes, tremores, debilitates efficiant.

CAPUT LXIX.

De acerbiſſimo dolore.

DOminus Ludovicus N. ad Portam viæ Majoris, vectigalium exactor, annorum 45. in altera tibiarum acerbiſſimum, ac vehementiſſimum dolorem quinque dies tulit. Cum autem ejuſmodi dolorem in tenui aura conſiſtere deprehendiſſemus, cucurbitulas exiguas (a) *per totam tibiam* admovendas cenſuimus: exiguis ſcarificationibus vix factis dolor penitus evanuit.

(a) *Per totam tibiam*. Debetur hic dolor lymphæ ſtagnanti ſcorbuticæ corroſivæ perioſtium occupanti, quod cum eximii ſenſus ſit, facile criſpatur, & intercepto ſic ſpirituum affluxu auræ frigidæ perceptionem efficit. Emplaſtrum mercuriale aſſociatum camphoræ & aliis volatilibus, evaporationem horum ſalium promovendo, omnes curationis punctum abſolvit.

CAPUT LXX.

De pleuritide.

IDem alias pleuritide (a) *cum ardenti febre* detentus, ſequentibus remediis probe convaluit. Primo die alvo enemate emollita, (b) *ſanguinem e latere affecto* detrahendum curavimus. (c) *Fotu*, interim ex baccis juniperi, malva, parietaria, praſſio albo, chamomilla, meliloto, & cymino affecta pars demulcebatur.

(a) *Cum ardenti febre*. Febris acuta utplurimum jungitur pleuritidi, partim ob dolorem, partim ob inflammationem & circulationem tenuioris ſanguinis per partis affectæ poros anguſtiores celeriorem. Et quo acerbior dolor & gravior inflammatio, eo acutior quoque ſolet eſſe febris.

(b) *Sanguinem e latere affecto*. Veneſectio revulſionis cauſſa, quę elabentis ſanguinis in contrarium motum eſt inſtituta, evidens ſubſidium celeriter affert pleuriticis, maxime plethoricis, & ſi ampla vena finitimo loco ſecetur, ut quæ plus celerius atq; potentius ab affecta ſede vacuat, & ſtaſin ac inflammationem graviorem avertit.

(a) *Fotu*.

(c) *Fotu*. Fotus ex herbis emollientibus, carminativis, anodynis plus auxilii afferunt, quam unguenta pinguia poros inviscantia & transpirationem liberam cohibentia. Adhuc autem magis commendandus est, dum dolor ille ortus est à frigore, aut a caussis flatulentis, quod patet, si vagus est, nec diu eadem sede persistit: calore & fomentis tunc mitescit, atque etiam sæpius discutitur.

CAPUT LXXI.

De pleuritide.

NObilis adolescens Gasparus Mozarellus, annos 16. natus, in via *di Val di Laoza*, pleuritide cum ardentissima febre vehementer cruciatus sequentibus tuto & cito convaluit.

Rec. Fol. malvæ, parietar. violar. marrub. albi, an. m. j. florum chamæmel. melilor. an. pug. j. sem. cumin. fœnicul. lini, an. pug. ij. Coquebantur in vino & aqua pro fotu ex vesica suilla adhibendo. Secunda die detractus fuit sanguis e basilica ejusdem lateris, ad ʒ. vij. Tertia die potu sequenti (a) *purgatus*.

Rec. Decoct. flor. & fruct. cord. cum senna q. s. mannæ Calabrini, syrup. ros. sol. utriusque ʒ. j. ʃʒ. misc.

Expectoratio facilis reddebatur syrup. de jujubis, & liquir. penidiis, & sacch. cand. Sequentibus vero diebus sequentem julepum capiebat.

Rec. Aquæ card. bened. ʒ. vj. syrup. violacei ʒ. j. misce.

(a) *Purgatus*. Omnibus in morbis pectoris, maximeque in illis, ubi febris assidua, respiratio difficilis, frequens atque parva, inflammatio adest, purgantia vel etiam laxantia interne data nocent, juxta *Hippocratem lib. de purgantibus* §. 4. ubi dicit: quicunque a febribus fortibus corripiuntur, iis medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris. Locum magis inveniunt Clysteres.

CAPUT LXXII.

De duplici tertiana.

IDem superiori æstate duplici tertiana intermittente varie vexabatur. (a) *Corpore primis diebus cholagogis* perpurgato, alexipyreton nostrum ter sumpsit, quo confestim convaluit.

(a) *Corpore primis diebus cholagogis*. Non omnia pargantia æque feliciter scopum suum attingunt. Et sane multum interest, quo purgante certo in morbo ûsus fueris. Non enim omne purgans æque omnibus morbis utile: Ita folia sennæ copiose assumta utut magnam quantitatem humorum educant, tamen non tántum præstant in febribus, quantum salia absterstva exaltata stimulo purgantis tortioris. In frequentissimo habeo usu sal sequens laxativum: accipe arcani duplicati, salis absynthii ana grana sex, diagrydii sulphurati, resinæ Galapp., Mercurii dulcis ana grana duo, olei macis guttam unam. Illud autem meretur notari circa ejus mixturam, ut mercurius dulcis non fortiter cum salibus teratur, sed saltim leviter cum cultello misceatur, quippe qui a salium arctiori connubio corrosivum induit genium, largioris salivationis & alvi fluxû caussam.

CA-

CAPUT LXXIII.

De paralyſi a 15. annis inveterata.

DOminus Jacobus de Bartholis, aromatarius Poretanus, annos 40. natus, a multis annis (*a*) *cruribus*, tibiis, & pedibus paralyticus, & immobilis, infinita prope remedia in vanum expertus fuerat. Imo reſiccato radicali humido, decoctus exſiccantibus, & diætis attenuantibus, crura, & tibiæ, veluti trunci lignei, rigida obduraverant. Cum jam 15. annis in hoc ſtatu reperiretur, & de ſalute ne quidem cogitaret, dato ad 15. dies hellebori, & colocyntidis extracto, ſenſus & calor in cruribus & tibiis exſuſcitatur: eidem extracto auri diaphoretici grana aliquot admiſcebantur, ut eodem tempore natura morbi diuturnitate oppreſſa benigne purgaretur, & facile ſuſtentaretur. Sub finem tandem vitrioli balſamum ad aliquot dies accepit. Et his gratiſſimis, deperditum ſenſum, & ambulandi uſum mirabiliter recuperavit. (*b*) *Magneſia ſaturnina*, & Luna terreſtris ſi ſudorifica reddantur, conſimiles curationes facillime abſolvunt.

(*a*) *Cruribus* &c. Laborante ante annos aliquot juvenis octodecim annorum ex panico quodam terrore paralyſi inferioris corporis ab umbilico uſque ad pedes: ſupra umbilicum partes ſanæ, vegetæ erant, appetitus vigebat, & ſomnus placidus: Quæ conſiſtebant infra umbilicum, ſenſu ac motu omnimode defraudatæ erant, calore nativo tamen adhuc ſuperſtite, & conſtante nutritione. Mali ſedes in ſpinali medulla merito quærebatur. Feces & urina ſine omni ſenſu decedebant. Purgantia fortiſſima exhibita nulla tormina vel moleſtiam ullam creabant. Notabile tamen erat, cum aliquando pedes lapidibus, qui igniti erant, ex negligentia famuli valde combureret, quod nullum ſenſum doloris, vehementem autem anxietatem pateretur. Adhibebantur generoſiſſima, ſed ſine omni effectu, ita ut poſt dimidium anni animam expiraret.

(*b*) *Magneſia ſaturnina*. Hæc nihil aliud eſt, quam regulus antimonii mixtus cum argento. Duo hæc decenti ignis regimine figi poſſunt in pulverem diaphoreticum aperientem magnæ efficaciæ ſub parva doſi, dum ejus vires concidunt cum mercurio præcipitato fixo.

CAPUT LXXIV.

De icteritia flava cum multis aliis.

ALtera filia dictæ Dominæ Luciæ, annorum 18. aſſidue icteritia flava detinebatur, idque (*a*) *ſuppreſſione menſibus*: ventriculi & capitis dolore inde ſubſequuto.

Cum autem triplici huic malo tertiana duplex intermittens ſuperveniſſet, pilulis noſtris catharticis univerſum corpus apprime repurgandum cogitavimus; Quapropter ſubinde ſubſequens electuarium.

Rec. Conſerv. roſar. ℥ij. Conſ. anthos, & betonic. an. ℥j. Croci Martis ℈ß. Ol. vitriol. dulcificati ℈j. Ol. cryſtalli ß. Miſcebantur, & capiebat ℈iij. ſingulis matutinis, quibus intra 20. dies & firmiorem & uberiorem quam antea ſanitatem recuperavit: fluxere menſes, rediit nativus color, & dolores

omnes

omnes evanuere. Non raro ſpecificum ſtomachicum his omnibus præponendum, maxime ubi ventriculus eſt valde debilis.

(a) *A ſuppreſſis menſibus*. Cachexia, menſes ſuppreſſi, icterus, tertiana duplex ſororiantur inter ſe, eandem habent cauſſam, eundemque modum cūrandi requirunt. Optimus modus eſt primum ventriculum ſaturatum vitioſorum humorum colluvie deplere, poſtea jungere martialia, balſamica, eaq; quę blandam ſpirituaſcentiam ſanguini & humoribus inferunt, ac intemperiem acido viſcidam corrigunt.

CAPUT LXXV.

De lupia in capite.

FRater Vincentius Dominicanus Mutinenſis, 40. annos natus, in ſincipite ſub ſutura Iambdoide tumorem inſignem de genere (a) *lupiarum*, ponderis ℔. ß. a nonnullis annis infeſtanter gerebat. In eo materia cyſtidibus complurimis, cepæ ad inſtar, ſpiſſa, alba, & ſebacea latens, foras prodiit (tumore videlicet cauſtico adaperto.) Avulſis tandem 5. cyſtidibus, & radicibus una cum cute exteriori epuloticis abſumptis, intra 15. dies liber evaſit. Annum nunc decimum agit a cura exacta, contra vulgi Bononienſium ſententiam, qua putant, neminem a ſimili cura ultra annum vivere poſſe.

CAPUT LXXVI.

De lupia in vertice capitis.

QUidam textor Lucenſis, quinquagenarius, in via *del Foſſato* ſeptem annis elapſis, in vertice, ex pari tumore (excepto quod unica cyſti materia coerceretur) iiſdemque mediis liberatus eſt. A præſenti cura undecimus annus agitur, & feliciter vivit.

(a) *Lupiarum*. Repeti huc poſſunt ſuperiora.

CAPUT LXXVII.

De aſthmate contumaci, & horrendo.

MArcus Antonius Graſſo in via *del Chiavadore* phrygio, annos 30. natus, 4. annis a catarrho, in pectore exundante, (a) *pra aſthmate* vitam ſingulis momentis commutaturus videbatur. Eſulæ extractum ter exhibitum lentam craſſamque e pulmonibus materiam deturbavit, a quo ſequentes pilulas exhibuimus.

Rec. Aloes ſuccotrin. ʒß. myrrhæ, ammoniaci, an. ʒß. Croci Orient. ℈j. Florum ſulphuris ter cum ſuo colchotar ſublim. ʒijß. cum ſyrup. e lucco marrubii albi fiat maſſa, cujus ʒj. ad aliquot dies ſumpta fœliciter convaluit.

Saturnina magneſia etiam vulgariter præparata hos affectus mirifice ſublevat: & licet vomitum concitet, ea tamen non eſt formidanda.

(a) *Pra*

(a) *Præ asthmate*. Veriſſime dicit *Seneca*: Omnia corporis incommoda per ſe tranſeunt aut franguntur, nullum autem moleſtius, quam aſthma. Oritur hoc malum a circulatione ſanguinis per ſubſtantiam pulmonalem liberiori impedita, dum veſiculæ pulmonum membranaceæ tenaci tartarea materia obſeſſæ ſunt. Opportuni huic morbo eſſe ſolent, qui vitio lymphæ laborant, qui deſtillatione atque tuſſi frequenter tentantur, maxime vero ſenes & qui anguſtis ſunt pulmonibus. Malo ingraveſcente humor concreſcit tandem in veros calculos, quibus interdum diſſectos pulmones confertos deprehendimus, alioſque in his præduros ac ſolidos, alios veteris caſei conſtantia incipientes, alios gypſeæ pituitæ duritie: Omnes quidem propria ciſte obductos. Sed etiam non ita pridem vir occurrit, qui, quoties exercitatione incaleſcit; concitata tuſſi calculos e pulmonibus edit præduros, eoſque excreat modo hordei, modo piſi magnitudine. Bona tamen is valetudine fruitur, præter quam quod paulo difficilius reſpirat & in medio thorace gravitatis cujuſdam pondus percipit. Videatur *Fernelius Lib. V. cap. 19.*

CAPUT LXXVIII.

De epilepſia.

IDem Marcus Antonius, in quoſdam terrificos inſultus, (a) *epilepſiæ ſpeciem* referentes, incurrerat: Cum primum morbus eum adoriretur, inſignes cordis palpitationes præſentiebat, dein oppreſſionem validam, & miram virium dejectionem; motibus quibuſdam convulſivis eadem æque ſequentibus: tunc cogebatur propinquas ſedes accedere, aut humi ſedere. Ipſe autem ſuperne purgatus aſſumptione pilularum catholicarum cum conſervis capitalibus, vitrioli balſamo adjecto, ſanitati reſtitutus eſt. Fuit & illi adhibitum ſpecificum ſtomachicum, quo potiſſimum ſublevatus.

(a) *Epilepſiæ ſpeciem*. Epilepſia obſervatur duplex: una gravior, ubi mali ſedes eſt in ipſo cerebro, & ſeſe diffundit per totum genus nervoſum & muſculoſum, & totius corporis abſoluta convulſio eſt, ubi ſpuma ſtridore quodam eliditur ab ore; altera, quæ ab extremis & inferioribus ſuſcitatur corporis partibus, ubi multo ante paroxyſmum tempore caput artuſque ingraveſcunt, & ægrotantes inſtantem paroxyſmum præſentiunt, poſſuntque impendentis repentini caſus pericula vitare, quæq; levior eſt, tranſitoria magis, & ſymptoma utplurimum affectionis hyſtericę. Similem paroxyſmum ſemel notavi in juvene quindecim annorum, qui jam veneri, quę juxta *Hippocratem* parva Epilepſia nuncupatur, nimium indulſit, ſępius de die paroxyſmos patiebatur, quos antevertebat præcordiorum moleſta coarctatio, abdominis cruciatus immanes, mox derepente quaſi attonitus corruebat, brachium ſiniſtrum contrahebatur, & facies a ſanguine ſubſiſtente tota nigricans apparebat. Curatio abſolvebatur decocto conſtante ex antiſpaſmodicis, nominatim ex viſco quercino, radice pęoniæ, herbę betonicę, floribus ſambuci, papaveris rheados, raſura cornu cervi, unguia alcis & oleo amygdalarum dulcium. Purgantia autem nec non ipſa cinnabarina affectus ferre non poterat, ſed ſymptomatum fere exacerbatio ſequebatur.

CAPUT LXXIX.

De brachio contracto.

PEr illuſtris D. Marcus Antonius de Mareſcottis, annum 54. circiter agens, 8. annis proxime elapſis brachio contractus, extractum granorum acanthali-

thalidis, pulpæque (a) *cucurbitæ sylvestris* ad 15. dies accepit; cujus beneficio illic concreti humores dissoluti, & expulsi fuere. Pars interea extrinsecus simili decocto fovebatur. Rec. Malvæ, violarum, calamenti, menthæ, camomillæ, meliloti, an. m. j. coquebatur cum pede bovino in vino & aqua, pro fotu.

[a) *Cucurbitæ sylvestris*. Contractura brachiorum non raro est symptomatica, & fit ex spasmodica contractione intestinorum. Sic non ita pridem annotavi in fœmina, si quæ ulla, obesa & cacochymica, dum sumebat pulverem ex resina Gialappæ & Tartaro vitriolato confectum, non modo vehementissima tormina, (dum resina coagulata adhæsit intestinorum tunicis) verum etiam unius lateris paralysin cum aphonia brachiique contractura molestissima: Curata fuit antispasmodicis nervinis & oleosis demulcentibus.

CAPUT LXXX.

De maligno, & inveterato ulcere.

DIamanta D. Hieronymi N. uxor, 35. annos nata, in via Nozadellæ, ulcere depascenti, dolorifico, & horrendo, semestri toto in tibia dextra acerbe divexabatur. Aliis jam Medicorum auxiliis exercita, & frustra defatigata, sic a nobis sanitatem consequuta est. Ad 15. dies, quoad salsi humoris fluxus omnino excideretur, corallorum essentiam, quam tincturam vocant, usurpavimus. Affectæ parti (a) *unguentum ex vitellis ovorum* tantum admovebatur: quibus paucis, & facillimis cito indomitum ulcus superavimus. Primis diebus purgata fuit (b) *decocto catholico* melanagogo, ex quo potissimum emanavit sanitas

(a) *Unguentum ex vitellis ovorum*. Huic junctum balsamum nostrum antimonii cum balsamo peruviano constituunt excellentissimum unguentum vulnerarium balsamicum mundificans & repente consolidans, non tantum in ulceribus sordidis, sed & in nervosarum & tendinosarum partium læsionibus laudatissimum.

(b) *Decocto catholico*. Quoniam ulcera impuris scorbuticorum corporibus familiarissima sunt, hinc rarius sine internis curatio feliciter suscipitur: ex his autem omnibus palmam præripiunt decocta mundificantia & depurantia, quippe quæ copiosius sanguini ingesta ejus intemperiem vitiosam quàm commode corrigere valent: Parari possunt ex radice altheæ, enulæ, leviстici, glyzerizæ, herbæ hepaticæ nobilis, agrimoniæ, veronicæ, scordii, malvæ, floribus sambuci, papaveris rhœados, rasura ligni sassafras, sassaparillæ, rhabarbaro Alexandrino, polypodio, ficubus &c.

CAPUT LXXXI.

De ardenti febre.

ILlustris admodum D. Sfortia de Marescottis, 30. circiter annos natus, maligna febre, causo dicta, cum exanthematibus nigris, linguæ nigre-

gredine ; acerbissimis tum capitis, tum universi corporis doloribus, & aliis lethalibus symptomatis detinebatur. Tertio tandem die accersitus, atque de extinguendo ejusmodi incendio statim sollicitus, relicta communi & trita via ad artis abditiora me contuli : adeoque victus ratione præscripta, alexipyreton nostrum quater in die dabatur, cujus ope, malignitate ad cutem prolecta, cessarunt symptomata, & septima die febres evanuit. Et quoniam statim primis diebus vomitu & nausea premebatur, atque lienis duritiei obnoxius erat, (a) *vinum exhibere* minime recusavi, maxime aquosum. Siquidem multæ sunt febres, quibus vinum minime obest ; his præsertim, quæ in ventriculo sedem obtinent; & eo magis, si tale sit vinum, quod caput minime tentet.

(a) *Vinum exhibere*. Vinum, si ullum, cordiale est, spiritus restaurat, & motum sanguinis & humorum vividum inducit, & nullis in morbis, si tenue est, & moderate sumatur, nec inflationes ejus usum dehortentur, noxium. Prisci medicinæ authores rarissime ægris vini potum prohibebant, ut bene notat *Mercurialis annotat. in V. Epidemiorum pag. 165. Ipse Hippocrates* vinum aquosum album ex uvis passis ad refrigerandum in febre ardenti commendat *Lib. 3. de morbis pag. 161.* Refert *Zacutus Lusitanus Lib. 1. prax. admirand. observ. 93.* Se in febre maligna, præsente siti immensa cum linguæ siccitate & nigredine, ægro jam desperato, vinum exhibuisse feliciter, ut hoc solo remedio restitutus fuerit. Plura de hac re vide *in Bartholino Centuria 6. histor. 7. item Miscellan. natur. Curios. Decad. 12.*

CAPUT LXXXII.

De dolore colico.

MErulinus Aurifaber, annorum 27. in via *della Mascarella*, a 20. mensibus (a) *incredibili dolore* colico vexabatur. Et quidem (b) *circa umbilicum tumore* satis amplo deprehenso, in cœco intestino materiam solidam, & in lapidem concretam judicavimus; quapropter eandem emolliendam & deturbandam sequenti fotu imperavimus.

Rec. Baccar. lauri, juniper. sem. fœnugr. lini, an. pug. ij. herb. malvæ, prassii albi, parietar. calament. origan. puleg. menthæ, an. m. j. florum chamæm. melilot. stœchad. sem. anisi, fœnic. cumin. an. pugil. j. Parabatur decoctum in s. q. aquæ, & vini. Sequenti mane ol. amygdalar. amar. ad ℥. vj. exhibuimus, quo materiam quandam lapillosam excrevit. Secunda die idem oleum reiteratur, a quo & similis dejicitur, & dolor omnis cessavit. Paucis post diebus, hujusmodi calculosæ concretionis seminariis adhuc vigentibus, rediit dolor pariter atrox & mordax. Quocirca corpus pilulis nostris catholicis ter purgavimus, & electuarium cum acetoso esurino ad 15. dires exhibuimus. Et ad firmiorem sanitatem conciliandam specifico stomachico nostro usus est ad aliquot dies.

(a) *Indredibili dolore*. Dolor hic natus fuit crudelissimus ex calculo, qui acido exundanti & gypseæ pituitæ, quæ duæ facile crescunt in lapidem, debetur, qui adhærens cellulis, quæ copiose ibi conspiciuntur, coli intolerabiles dolores efficit,

ficit, quasi palus infixus sit, cum alvi & urinæ cohibitionem propter majorem spasmum. *Fernelius de partium morbis & symptomat. L. 6. cap. 9.* scribit: Crassior pituita in cœci aut coli intestini cellulis diutius coercita, nonnunquam concrescit in calculos, quales sæpe vidimus instar nucis juglandis, & in quodam magnitudine castaneæ quarto aut sexto quoque die dolore nullo exturbari.

(*b*) *Circa umbilicum tumore satis amplo*. Desinit aliquando colica in herniam umbilicalem, quia flatuum multitudo coacervata intus est, quæ tendit, uti etiam prægnantibus aliquando evenit.

CAPUT LXXXIII.

De insigni dolore costarum.

NObilis Dominus Hieronymus de Sensifabris, annorum 30. in via Sancti Donati, sub mendosis costis (*a*) *acerbissimum dolorem* bimestri pertulerat. Contigit hic dolor ab aliquo humore illuc appulso. Frustra autem ab alio Medico tentatis remediis, sequenti potu concretos humores dissolvimus, eumque sanitati brevi restituimus.

Rec. Rad. vincetoxici, ℥. j. ʃʃ. fol. myrrhi m. j. sem. hyperic. rhabarb. electi, an. ℥. j ʃʃ. parabatur decoctum in ſ. q. aquæ communis, in cujus colaturæ ℥. vj. dissolvebatur in syrup. capill. ven. ℥. j. ʃʃ.

(*a*) *Acerbissimum dolorem*. Pleuritis hæc est mendosa, quando musculos exteriores dolor occupat a sero acri stagnante obstructione hinc spasmus & flatus tendentes. Distinguitur hæc a pleuritide vera magnitudine febris, nam non est acuta, et natura sputi, quod est pituitosum, et difficultate anhelitus, quæ longe remissior est, et ipsa cura, quæ fit diaphoreticis poros aperientibus, nec non extrinsecis emollientibus, carminativis, et evaporationem seri stagnantis promoventibus.

CAPUT LXXXIV.

De dolore capitis, brachii paralysi, & aliis affectibus.

ILlustris admodum Dominus Gasparus de Pacis, annum 49. agens, multa, & gravissima mala a nonnullis mensibus patiebatur, jam elapsi sunt 9. anni; imprimis acutissimum capitis dolorem, dextri brachii paralysim, cum febre lenta, ventriculi imbecillitate, & capitis defluxione. Quocirca conservis primum roborantibus, & alterantibus, corpus licuit roborare; a quibus meliuscule habenti decoctum exsiccans simul & purgans viscidos & pituitosos humores, ad nonnullos dies dedimus, quibus pristinam recuperavit sanitatem. Quid si novennio a cura elapso, (*a*) *ob summam veneris incontinentiam*, (*b*) *diabete* occubuit?

(*a*) *Summam veneris incontinentiam*. De veneris incommodis optime scribit *Hippocrates Lib. 2. prædictorum pag. 67.* Uxore semel usus et acrior fierit et magis expeditus. At si sæpius venerem exercuerit, durior evadet cum quodam squalore, corpusque decoloratius erit & majore lassitudine tentatum. *Celsus* quoque

que *Rib. 1. cap. 1.* hanc ſententiam tulit: Concubitus neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Ratus corpus excitat, frequens ſolvit. Moderata igitur venus corpus agilius et ſe ipſo levius reddit, ut immoderata depravat, pigrum, languidum et effœtum efficit, vires roburque exſolvit, uno verbo, in omnibus nervorum morbis immodica venus evitanda eſt, utpote ceu parva epilepſia non tantum debilitat, ſed et ſpiritus ad inordinatos ſubſultus ac ſpaſmodicas contractiones adſueſcit.

(*b*) *Diabete*. Diabetes notat deſtructionem vinculi, quod intercedit ſero cum ſanguine, conſervatur hoc motu conquaſſatorio, qui fit in corde arteriis et ipſa viſcerum & muſculorum poroſa ſubſtantia. Hic motus ſi ob ſpirituum inopiam langueſcit, uti fit in febribus malignis, ſerum ſeparatur a ſanguine, et per renes maxima in quantitate ſecernitur.

CAPUT LXXXV.

De duplici tertiana.

EJuſdem Illuſtriſs. D. de Pacis uxor, nomine Junipera, annos triginta nata, ſub fine menſis Julii, quo tempore æſtuant omnia, duplici tertiana continua graviter correpta fuit. Hujuſmodi febris ab accenſa, & retorrida bile oriebatur, unde graviſſima, (*a*) *maligna ſymptomata*, & maxime ſuffocationis metus, pulmonibus catarrho exundante oppreſſis. (*b*) *Detracto ſanguine* e malleolo, ad ſanguinis fervorem compeſcendum, difflationis beneficio, ſub hora aſtrologice explorata melius habere cœpit. Poſtridie cholagogum, melanagogum ex manna, rhabarbaro, ſenna, & ſyrup. roſacco ad convenientem doſim ipſi præſcripſimus, quibus febris ad 8. dies latuit. Cum autem iterum in eandem incidiſſet, diaphoreticum pulverem noſtrum porreximus, cujus beneficio tuto & jucunde convaluit. Cum enim (*c*) *febres ſunt contumaces*, & vulgatibus remediis rebelles, alia prorſus inquirenda & ex alio penu, quam e vulgari pharmacopolio, depromenda ſunt. Qui vero in rebus naturalibus tanquam noctuæ in meridiana luce cæcutiunt, hæc remedia, quia ignota, minime probant, & tanquam iniqui judices de re non comperta & perfecta ſententiam ferunt. Cacodæmon bono oppoſitus, humanæque ſalutis invidus, hæc nobis conatur abſcondere.

(*a*) *Maligna ſymptomata*. Intermittentibus complicantur nonnunquam ſymptomata mali moris, quæ periculum videntur minari, nimirum animi defectus, pulſus intermittens, virium proſtratio, quæ tamen, modo rite curam inſtituas, extra periculum verſantur. Convenit tamen antifebrilibus immiſcere alexipharmaca, e quibus eminent duo excellentiſſima, ſcordium nimirum et camphora malignitati mirifice reſiſtentia.

(*b*) *Detracto ſanguine*. Largior ſanguinis miſſio contumaciam alioquin ingenerat intermittentibus, ut quæ utilem ac neceſſarium humorem detrahit relicto noxio atque impuro. Sub his enim febribus attenuata corpora utplurimum eſſe ſolent paucique ſanguinis bona. At nihilominus ſi quando febris in corpus inciderit bene carnoſum, bonique habitus cur amplæ venæ copia diſtentæ ſint et plethoræ ſpeciem exhibeant, et bilis acrius ferociat æſtate intenſiſſima ob hanc febris ſymptomata graviora exiſtunt, ut capitis dolor, temporum pulſatio cum metu levis delirii, ſpiritus difficilis, ſummaque corporis jactitatio; ſanguis utique ob plethoram venæſectione metuendus eſt.

(*c*) *Febres ſunt contumaces*. Quod ſi intermittentibus fomitem præbent obſtructiones et diſcraſiæ ſanguinis et humorum, diuturniores eſſe ſolent, nec facile

vulgaribus cedunt remediis. Juvant hic remedia e regno minerali petita, quæ potentius oppilationes partium reserant, & emunctoria publica aperiunt, ut sunt ter salia mercurius dulcis, mercurius diaphoreticus jovialis, regulus antimonii sic dictus medicinalis, sulphura antimonii correcta & mitigata &c.

CAPUT LXXXVI.

De intolerabilibus ventriculi doloribus.

DOminus Valerius de Simoninis, 35. annos natus, in via Nozadellæ, gravissimis malis decennio toto divexabatur. Imprimis singulis diebus (*a*) *mane vomitu*, in quo pituitosa multa excernebat, angebatur. Statim a sumpto cibo acerbos ventriculi dolores patiebatur, & sæpius ipsum cibum præ dolore vomere cogebatur: noctes fere omnes insomnes transigebat, & multoties a somno expergefactus pavore, & tremore concutiebatur: unde insignem marcorem, terrestrem & cadaverosum colorem contraxerat, aliis insuper morborum, & symptomatum procellis jactatus. Cum in manus meas curandus venit, in hunc modum sanitatem consequutus est. Primis diebus cacochymiæ prospicientes, extractum melanagogum ad 15. dies adhibuimus. Corpore repurgato, specifica, cephalica, betonicæ, visci quercini, & balsami dulcis vitrioli, ad totidem dies præstitimus; quibus gravissimis consimiles affectus edomare semper experti sumus. Ab hac cura quatuordecim annos vixit incolumis.

(*a*) *Mane vomitu*. Hypochondriacis, & quorum prima regio exundat vitiosa impurorum humorum collectione ex prava ventriculi digestione, familiare hoc symptomata est, viam sternens ad marcorem & dispositionem hecticam, nisi maturius succurras medicamentis balsamicis stomachicis, robur ac tonum ventriculo roborantibus. Acidi spiritus hic non accommodati sunt, nisi dulcificati & spiritus mastiches, menthæ, quæ specifica in vomitu sunt, remixti. Causa mali est maxime acidum fixum fibras ventriculi vellicans, dum evaporata chyli dulciore ac blandiore parte particulæ fixiores viscidiores acidæ in plicis ventriculi remanent. Insuetos & alias sana ac integra fruentes valetudine si subinde hæc ventriculi mala exercent, quæ ab Auctore recensita sunt, calculus utplurimum subest in renali regione consistens & viam per angustos ureteres moliens. Incassum tunc dantur omnia stomachica. Conducunt magis balnea emollientia & nervina.

CAPUT LXXXVII.

De hydrope ascite.

IDem Dominus Valerius de Simoninis, 5. annis ab hac cura elapsis, in hydropem ascitem cum lenta febre gravissime inciderat. Succedebat autem hic affectus ardenti malignæque febri; cui ut occurreret, alter Medicus (*a*) *Lactis serum*, & succum cichoraceum ad aliquot dies exhibebat. At quia hypochondria murmurabant, & lenta febris aderat, contra Hippocr. Aphor. aperte agebatur, prout eventus facile comprobavit.

Quare

Quare accersitus, non frigida, cruda, & humida, sed calida, coctu facilia, & actu sicca exhibuimus, quibus etiam perbelle se habuit, & valetudinem pristinam recepit. Quinquennio ab hac cura in terrificam epilepsiam incurrit, qua e vivis sublatus fuit. Hoc dictum sit propter quosdam perfidos calumniatores, qui sua viperina lingua Dei operam incessanter conspurcant.

(*a*) *Lactis serum*. In omne febris ardore congrua potulenta concessa non nocent, sed magis sunt necessaria, æstum nimium exstinguunt, & ad sudorem disponunt, viresque collapsas restituunt. Ipse *Hippocrates de morbis vulgar. L. 1.* Item *in lib. de ratione victus in morb. acutis*: in febribus ardentibus ægro quantum volet aquæ concedit, eamque exhiberi in morbis acutis testatur. *Lib. quoq; 4. Epidemiorum* febribus acutis fulgidam consuluit, & timidam medicorum cautionem aquæ potu ægris interdicentium his verbis arguit; Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσι διψώδεες ὑπὸ ἰητρῶν πεπωκόμενοι τὸ ποτὸν, ἢν καὶ ὑπὸ σφῶν αὐτῶν, δοκέοισι πολὺ ἂν ἐνεγκεῖν. ὕδωρ ψυχρὸν δοσὲν ἵνα ἀπεμέσῃ ὀφελεῖ. χολώδεα γὰρ πάρεσται. Quæ omnia intelligenda sunt de usu humidorum congruo & moderato, alias nimium perfrigerantia magna incommoda creare possunt. Extat hanc in rem elegans locus apud *Alpinum in Lib. de Medicina Ægypt. pag. 3.* Contra medicinæ dogmata fieri existimo in febribus, absque ullo delectu valde frigidis medicamentis semper uti, maximeque in iis, quæ ex humorum putredine oriuntur: nihil enim frigidorum remediorum usus, quantum ad febrium causas, quæ sunt obstructiones meatuum, venarum vel aliarum partium, spectat aliquid prodesse, & multum obesse potest. Cum a frigiditate humorum cruditas, atque obstructio augeantur, maxime vero quando pituitosi succi sunt obstructionis auctores. Tales enim humores ab usu frigidorum incrudescunt, & crassi fiunt magis, & ipsorum copia, ventriculo frigidiore atque ad concoquendum ineptiore ab eisdem effecto, peraugetur. Potus in febribus optimus est decoctum scorzoneræ, vel cornu cervi mixtum cum parte vini diluti et momento nitri.

CAPUT LXXXVIII.

De contractura brachii cum ulceribus.

DOminus Horatius de Lojanis, laneæ mercaturæ incumbens, 35. annos natus, altero brachiorum contractus erat, (*a*) *propter malignum herpetem* excedentem, & dolorificum, poplitem circumcirca obsidentem, cum ulceribus callosis, rotundis, & pro ratione partis alte defixis, cui opitulando (*b*) *totum annum in remediis ordinariis* impenderat: Cæterum ipse toto reliquo corpore satis recte valebit, nec adversa valetudine antea affectus fuerat. Quapropter ejusmodi ulcerum causam in salsum humorem, illic vel congestum, vel illa ipsum rejici, utroque modo non erat inconveniens. Ipse autem cum sit & in (*c*) *victu intemperans*, & natura sanguineus, (quæ proprietates ad humorum congestionem, & defluxionem aptæ) eodem tempore intra, & extra pharmaca exhibuimus: intra, decoctum melanagogum, & phlegmagogum atque exsiccans, & ex epithymo, cuscuta, hermodactylis, aro, agarico, carthamo, cichoraceis, intubis, salsa, & aliis: extra, ut facilius calli summo verentur, citra recidivæ metum, utque mundificari, ac ad cicatricem perduci posset, unguentum detersivum, & incarnativum admovimus; quibus paucis, & facillimis ægrum canonice persanavimus.

(*a*) *Propter malignum herpetem*. Herpes est ardor cutem serpentibus minimis pustulis exasperans ac rodens. Ea quidem duplex; una simplex, quæ herpes est miliaris; alia fera, quæ herpes exedens nuncupatur, quæ ruptis pustulis cutem exulcerat, depascit, serpit in latum atque in altum, ex eaque ulcuscula manent arida. Herpetis materia continensque caussa est sal acre corrosivum ardentissimum, quod tenuitate sua carnosas partes transgreditur, & in cute densiore subsistit, ubi inflammationem pustulasque movet. Idem sal nervorum ingrediens poros spasmum & interceptionem spirituum animalium caussatur.

(*b*) *Totum annum in remediis ordinariis*. Ulcera in partibus nerveis membranaceis & cardilagineis oborta difficillime sanescunt: nam quoniam partes hæ angustis tubulis constant, per quas liquor alibilis temperatus nullo sale volatili vel oleo imbutus transit; hinc facilem stasin & acorem concipit; secus fit in partibus carneis & sanguineis, quibus ob præsentiam salis volatilis oleosi, quod corruptionis custos est, difficillime inducitur acor, quare ulcera hisce in locis consistentia facilius sanationem suscipimus.

(*c*) *Victu intemperans*. Quotiescunque in diæta peccatur, statim pœnam luunt ipsæ partes ulcerosæ, nihil autem magis infensum est, quam acidum, quod liberalius assumptum protinus percipitur in ulceribus molesta sensatione. Idem contingit in illis, qui fonticulos gestant.

CAPUT LXXXIX.

De quartana febre.

ILlustris Domini Gaspari de Pacis filius, nomine Albertus, annorum 18. (*a*) *semestre quartana* cruciatus, sequenti decocto, atque pilulis nostris helleborinis brevi convaluit.

Rec. Cortic. cappar. radic. polypod. liquirit. an. ʒß· fol. ceterach. scolopend. cardui benedict: an. m. j. foliorum sennæ ʒvj. Epithym. ʒß. anis. ʒij. prunorum Damascen. No. xx. In jusculo carnis parabatur decoctum, in cujus colaturæ ʒvj. dissolvebatur Syrup. rosar. solut. ʒij. pro duabus dosibus matutinis.

Sæpius pilulæ nostræ catholicæ consimiles morbos sanant: imo plerumque ipsis tantum semel assumptis convalescit æger. Hoc tantum observare monemus, ne (*b*) *peccantes humores* omnino crudi sint: hinc in his, quæ aliquod coctionis rudimentum susceperint, certius adhiberi possunt.

(*a*) *Semestre quartana*. Quartana maxime autumnalis longissimus est morbus testante ipso *Hippocrate Aphoris.* 25. *Lib.* 2. Nascitur utplurimum & ab infarctu viscerum & intemperie humorum acida & viscida. Notabile est *Schenkium* in venis quartana mortuorum frustra alba pituitosa reperisse vid. *Lib.* 6. *observ.* 57. In sanguine febricitantium minus salis volatilis, quam in sano sanguine notavit *Clar. Borrichius in act. Hafnienf. observ.* 67. Totius itaque curationis cardo in eo consistit, ut subtilisatio, & spirituascentia humorum & totius corporis perspiratio promoveatur, & meatus ab obstructione liberentur. Præter medicamenta multum hic confert cœli clementia, seu aer calidus, serenus, qui æthere vividiore & potentia elastica instructus celeriorem injungit humoribus motum, & perspirationem corporis, quæ impedita febrium caussa, annotante id jamdudum *Mercuriales in annotat. ad Hippocrat. Lib. de arte pag.* 17. existit procurat, ut meatus ab obstructionibus liberi evadant: ex quo jam facile

cile constare existimo, cur autumnus, in quo propter humidam aeris conditionem & ætheris motum languidiorem humorum motus & transpiratio tardior est, minus faveat quartanis, & uno verbo omnibus longissimis morbis? Nonnullis semestri tempore ad novam æstatem, quibusdam nono mense ut junio, quo, inquit doctissimus *Holerius*, cerasa sunt matura; unde inquit vulgo persuasum est, ea sanare quartanas, quod tamen anni calor facit, demum solutiones fiunt.

(*b*) *Peccantes humores crudi sint*. Quando crudæ aquosæ tenues secedunt urinæ, & sudor difficillime fluit cute existente arida, contumaces solent esse febres, nec facile solvuntur: Et tali in casu nocent omnia evacuantia, & valet hic aphorismus 22. *Hippocratis l.* 1. concocta medicamenta purgare ac movere oportet, non cruda: Magis prosunt: si jam humores cocti hoc est subtilisati, motu sanguinis mitificati & ad temperiei mediocritatem, reducti fuerint. Sique uno in morbo placide procedendum, sane in hoc est. Recte dicebat *Seneca*: In morbis nihil est magis periculosum, quam immatura medicina. Et *Livius*: Medici plus interdum quiete, quam movendo & agendo proficiunt.

CAPUT XC.

De atrocissimo capitis dolore.

GEntilis Antonii de Santis, Fabri lignarii uxor, in via *Mira Solgrande* annos 35. nata, a sexennio acerbissimos, & funestissimos (*a*) *capitis dolores* patiebatur. Ejusmodi autem dolores ab utero trahebant originem, & præsertim cum ipsi menstruales purgationes nonnisi inordinatæ, & decoloratæ fluerent. Dato autem specifico cathartico uterino ex granis actes, radice bryoniæ, & aliis, meliuscule habuit. Roborantibus postea uterinis ad aliquot dies exhibitis omnino convaluit.

(*a*) *Capitis dolores*. Dolor capitis a circulatione sanguinis per angustas capitis venas impedita utplurimum fit; hinc distendens sanguis arterias comprimit pericranium, membranam eximii sensus; unde dolor & a distensione etiam pulsatio. Extat de hac re notabilis *in Hippocrate lib. de flat.* dum dicit: Capitis dolores una cum febre hanc ob causam oriuntur; sanguinis in capite viis angustia contingit, cum aere replentur, æque repletæ ac distentæ capiti dolorem afferunt: Sanguis enim vi pulsus, cum calidus existat, per angustam viam transire celeriter nequit, quod eum multa remorentur, quæ impediunt & obstruunt: eamque ob causam pulsationes circa tempora contingunt. Optimum ad capitis dolorem remedium est, si a plethora & impetu sanguinis vena secetur & alvus clystere aperiatur, extrinsece sacculus ex rosis, serpillo, anetho, nucleis persicorum, semine papaveris & aceto madefactus fronti temporibusque imponatur. Si ille dolor est ab alio morbo, nimirum ex mensibus suppressis, hi in ordinem redigendi sunt.

CAPUT XCI.

De tribus gravissimis morbis, duplici tertiana, arthritide, & strumis.

ADmodum Reverendus P. D. Placidius Padiglius Neapolitanus, in Ecclesia Divi Stephani concionator egregius, annor 27. natus, triplici morborum genere detinebatur. Imprimis duplici tertiana intermittente,

articulorum genuum dolore, cum tumore, & ambulandi impotentia, ac (a) *tumoribus frigidis in collo* obortis. Graviſſima hæc mala ſemeſtri toto, aliis etiam Medicis invitis acerbe protulerat; non enim per id temporis ex eorum (b) *remediis, ad nauſeam uſque adhibitis*, quicquam opis reportare licuit. Tria iſthæc mala, toto cœlo diverſa, triplici itidem medio brevi funditus extirpavimus. Febris primum alexipyreto noſtro facile evanuit. Genuum tumor, dolor, & imbecillitas decocto chinæ, viſci quercini, ivæ artheticæ granorum acanthalidis, liquiritiæ & coriandrorum ad 15. dies ſumpto, fœliciſſime obliterata fuerunt. Frigidi tumores ſupererant, quos ad ſuppurationem primum, communi poſtea ulcerum methodo, ad perfectam curationem cito reduximus. Aguntur nunc 9. anni a cura, & optima firmaque ſanitate gaudet.

(a) *Tumoribus frigidis in collo.* Strumæ glandularum tumores ſunt frigidi, propriis membranis, ut glandulæ omnes, obvoluti: Oriuntur in cervice, in qua plerumque longa ſerie diſpoſitæ glandularum more cernuntur. Si illarum humor non admodum craſſus eſt, ſenſim digeri diſſiparique, vel etiam in abſceſſum mutari poteſt; Si autem nimis duræ ſunt, & materia acrior tandem evadens, circumſitam carnem cutemque exedit, ulcuſque efficit malignum ſerpens & exedens.

(b) *Remediis ad nauſeam uſque adhibitis.* Peccant mirum in praxi Medici, quod copia ac varietate medicamentorum miſeros ægrotantes ſubinde torqueant ac vexent, ſique unum auxilium non prodeſt, ſtatim ac aliud & fortius accedunt, ignari quantum turbetur ventriculi actio & vires corporis convellantur. Scite ſcribit *Verulam.* Varietas medicamentorum eſt ignorantiæ filia. Non raro etiam contingit ipſos ægrotos pharmacomania quaſi laborare, dum vivere ſe non poſſe imaginantur, niſi continuo hauriant medicamina. Medicus tunc omnem lapidem movere debet, ut a nimio medicamentorum uſu illos avocet, ſi feliciter ſuccedere debet curatio.

CAPUT XCII.

De herpete maligno, atque contractura.

DOminus Hippolytus de Gratiolis, ſericeus mercator, annorum 35. in via vulgo *del Chiavadore*, decennio elapſo, ſæviſſimis doloribus fere occumbebat, ob ferinum ulcus in altera tibiarum a duobus anteactis annis obortum, cum brachii ejuſdem lateris contractione, febre lenta, univerſali macie, cachexia, vigiliis, & aliis pravis ſymptomatis. Hujus ulceris atque brachii contracturæ cauſa, ſalſa, & aeris defluxio fuit, (a) *a qua poſtea febris*, & alia ſymptomata dimanabant. Huic (b) *primum occurrendo*, cholagogum cephalicum præbuimus: Dein extracta ſalſæ, chinæ, & (c) *hujuſmodi diaphoreticorum* bis in die ſumebat. Tandem ad capitis, & ventriculi robur, ſaccharum metallinum per intervalla dabatur: quibus paucis omnes indicationes & ſcopos, tuto, cito, & jucunde conſequuti ſumus. Extrinſecus ſolo unguento ex vitelli ovorum contenti. Primis diebus, ad doloris vehementiam ſummovendam, oleum ſaturni, ſub finem, tantillum croci martis uſurpavimus. Sic qui biennio, & ultra plurium Medicorum opem fruſtra comprobarat, intra paucos dies priſtinæ ſanitati reſtituitur.

(a) A

(a) *A qua postea febris.* Spicula lymphæ rigidiora & acutiora magno impetu in membranarum sensoriique fibrillas insultant, & spiritus incolentes concitatius movent, ex quorum motu vehementiori increscit motus partium fluidarum intestinus, & turbatio massæ sanguinis tam in mixtura sua, quam in motu circulari, unde febres, vigiliæ, marcor corporis &c.

(a) *Primum occurrendo.* Quando atrox dolor omnia conturbat, & vires ac corpus frangit, ejus mitigationi quantum possibile incumbat medicus, antequam radicem mali aggrediatur: Cui scopo jam accommodatissima sunt opiata rite correcta, quæ medicorum sæpius sacra sunt anchora. Optimus modus opium corrigendi est per volatilia, sudorifera, nec non per ipsa purgantia, sic opium in spiritu cornu cervi vinoso, qui sale volatili probe essentificatus est, solutum, vel in ipsa tinctura antimonii tartarisata [quæ *Tackenii* fuit medicina) constituit medicamentum, quod divinam medentibus certis in morbis porrigit manum. Solida in forma omnibus præferendæ pilulæ sic dictæ *Wildeganſii*, vel theriaca cœlestis. Dolore sopito in momento quasi conquiescere solent cuncta horrenda symptomata.

(c) *Hujusmodi diaphoreticorum.* Salium morbosorum congruum evacuatorium præbet cutis, quæ instructa glandulis copiosissimis & vasculis filtrat & separat ab ipso sanguine per arteriolas adducto serositates salinas, quæ vel sub forma vaporum, vel humoris ab intrinseco calore & motu foras propelluntur. Quocirca salinos morbos optime sanat, qui non tantum salia illa peregrina diluendo & invisçando mansuetacit & corrigit, verum etiam qui sanguinem ad peripheriam movendo obstructos meatus aperit & per illos evacuat. Laudem hic merentur decocta & infusi herbarum emollientium & abstergentium, decoctum radicis chinæ, sassafras, infusum veronicæ, hederæ terrestris, Thee &c.

CAPUT XCIII.

De tabe insigni, cum febre.

PErillustris Dominus Joannes Baptista de Scala, Sancti Stephani eques, 10. tunc suæ ætatis annum agens, annis jam 7. elapsis in hecticam secundariam, secundi gradus, (a) *post ardentem febrem*, per 15. dies continuam, inciderat, eamque hecticam semestre pertulerat. Quam primis diebus tertianam duplicem fuisse, & per habitudinem in hecticam degenerasse comperimus. Toto semestri illo jecur & lien immense creverant, unde morbi fomes: eoque magis, quod accessionibus incalescerent. Is sceletos, ac universali macie supra modum absumptus, ad me tanquam ad triarios salutis extremum reposcens adducitur. Primo die cum ventriculum nauseabundum, tum remediorum copia, tum morbi diuturnitate, adeo male affectum deprehendissemus, (b) *satius arcanis*, quam cæteris remediorum formulis uti existimavimus, diætam apprime immutando; (c) *nonnulla gustui grata*, atque consopitum calorem irritantia præscripsimus, Galeni in morem, qui garum, piper, & similia suis infirmis aliquando concedebat. Remedium autem fuit ad fabæ magnitudinem, ex granis 4. auri essensificati, cum conf. violarum 3. j.

(a) *Post ardentem febrem.* Familiare est post febrem non modo intermittentem, verum & ardentem, si æger regimen diaphoreticum neglexerit, & exhausto corpore ac viribus fractis victus rationem non habuerit, contingere lentas, quæ nascuntur ex saburra vitiosorum humorum collecta in primis viis, & sensim cum chylo in sanguine irrumpente, ejusque mixturam ac motum turbante. In principio hic mor-

morbus facilioris est curationis, in progressu neutiquam: Non autem pugnandum acidis refrigerantibus saturninis, uti vulgaris practicorum mos est, sed potius lenioribus emeticis in forma liquida subministratis tanquam vecte expellenda est viscida virore utplurimum tincta colluvies, non obstante aphorismo *Hippocratis* 8. *Lib.* 4. Tabidi vitent purgationes sursum. Subjungenda his sunt Elixiria stomachica balsamica, nec non salia abstersiva: Hac via si non inter initia statim processeris, calamitosum & funestum erit malum.

(*b*) *Satius arcanis*. Dominus A. videtur nimis fidere suis arcanis, dum passim etiam subjectis tenerrimis & summæ debilitatis illa offert ex regno metallico desumpta, quæ tamen magis validiora & robustiora subjecta bonamque ventriculi constitutionem desiderant. Hoc tempore, qui panaceas & medicinas universales multum crepant, plerumque indocti & deceptores sunt. Nam rectam medicamentorum applicationem vera medicorum arcana statuenda esse existimo.

(*c*) *Nonnulla gustui grata*. In libro περὶ διαίτης præcipit *Hippocrates* cibos & potus optatos ægris concedi, modo ex his detrimentum non accedat corpori. Sic *Galenus* & vinum & fructus ægris gustandos se permisisse testatur, etiamsi naturæ morborum eam indulgentiam vetarent.

CAPUT XCIV.

De prava ventriculi constitutione.

ADmodum nobilis Domina Semidea Poggi de Zeris, prope Divum Dominicum, a multis annis pravam ventriculi constitutionem, frigidam & humidam, patiebatur, (*a*) *propter quam* in gravissimos morbos sæpe incurrebat: quæ pulvere nostro stomachico ad complures dies exhibito, melius habuit, & acuti morbi, quibus quotannis invadebatur, unaque dolores abdominis familiares prorsus evanuere.

(*a*) *Propter quam*. Morborum myridies ex ventriculi & primæ digestionis vitio propullulant. Verus canon medicus est: Vitium primæ digestionis non bene corrigitur in secunda, qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis & lympha, qualis lympha sanguis, tales sunt spiritus, & quales spiritus, talis vita & sanitas. Et per circulum iterum argumentari sic licet: quales spiritus, lympha & sanguis, talis digestio & actio ventriculi & per consequens chylus. Scite huc applicari potest, quod scribit *Hipporat. in principio Libri de locis in homine*: Nullum corporis est principium, sed omnes partes ex æquo & principium & finis esse videntur. Descripto namque circulo, principium non invenitur. Eademque ratio membrorum in toto corpore. Unaquæque corporis pars altera alteri, cum hinc vel illinc perruperit, statim morbum facit, venter capiti, et caput carnibus ac ventri, et reliquæ omnes eadem ratione, quemadmodum venter capiti et caput carnibus ac ventri. Multum hinc interest, ut in omnibus morbis ventriculi rationem habeat medicus adjuvando ejus digestionem et chyli spirituascentiam, sic magnis etiam alias insanabilibus languoribus succurrere et obviam ire licet, chylus enim correctus successive corrigit intemperiem sanguinis, hæc autem vitia viscerum: hunc in finem impense mihi laudandum venit Elixir quod voco balsamicum, nec non spiritus oleosus volatilis aromaticus.

CAPUT XCV.

De continua ardentique febre.

DOmina Julia Jacobi Riarii piscatoris uxor, in via *del Peadello*, quadragenaria tunc, (*a*) *prapinguis & obesa* supra modum, superioribus annis

in

in ardentissimam febrem eamque continuam, de his, quas bilioſas appellant, cum anhelitus difficultate, capitis dolore, ſiti, anorexia, inedia, linguæ & faucium aſperitate, atque ſimilibus, immaniter incurrit. Orta eſt hæc febris vigente canicula, quibus temporibus, teſtante Hippocrate, ſimiles morbi oriri ſolent, dum ait: ἐν τοῖσιν ἀνχμοῖσι πύρετοὶς ὀξέες γίνονται. Ipſa, (b) *primis diebus*, aptis remediis perpurgata, ἀλεξιπύρετόν noſtrum ter accepit, quo libera evaſit.

(a) *Prepinguis & obeſa*. Veriſſimum eſt elogium *Hippocratis*: Craſſi admodum ſecundum naturam magis cito moriuntur, quam graciles, vid. *aphoriſm.* 44. *l.* 2. Habitus enim corporis magnas habent opportunitates vel difficultates curandi. Qui obeſi ſunt, venas utplurimum habent anguſtas, humores autem copioſos, qui tardius propter tonum partium laxiorem et ſpirituum debilitatem circulatione et motu evolvuntur, uno verbo: corpora habent imperſpirabilia, quæ impuritatibus aquoſo-oleoſo-ſalinis copioſius repleta ſunt. Quare obſevamus in praxi, obeſos acutis morbis citius affici et difficilius curati ipſis gracilibus. *Celſus Lib. II. cap.* 1. hæc prodidit: Obeſi plerumque acutis morbis et difficultate ſpirandi ſtrangulantur, quod in corpore tenuiore vix evenit. Graciles enim corpus habent ἐυφυῆ ac perſpirabile.

(b) *Primis diebus*. Inter initia acutarum febrium primam regionem expurgantia blandiora citra magnum tumultum et violentiam egregiam locant opem. Dum dempta humorum impurorum copia reliqui facilius circulantur et medicamentorum etiam vis magis ſalva non labefactata ad ſanguinem pertingere poteſt.

CAPUT XCVI.

De catarrho, auditu deperdito, & aliis graviſſimis.

ADmodum Rever. P. F. Petrus Martyr. Lucatellus, vir præſtantiſſimus, & literis nemini ſecundus, Sacræ Theologiæ magiſter, & Dominicanæ familiæ Bononienſi in Academia Regens, triplici graviſſimorum affectuum genere divexatus, quinque Medicorum hujus civitatis curam quadrimeſtri fruſtra tentaverat. Horum affectuum primarius fuit crebra capitis defluxio, quæ in fauces & (a) *pulmones irruens*, tuſſim continuam, ſpirandi difficultatem, & amygdaloidibus, larynge, & œſophago tumefactis, loquendi impotentiam concitabat. Secundus erat aurium tinnitus, & auditus fere amiſſus. Tertius, febris lenta & continua, cum inſigni virium dejectione. Primis diebus, ut defluxioni occurrerent celeberrimi illi Medici, corpus totum potionibus, & cataporiis non ſemel repurgarunt, ac ſanguinem e brachio ad libram detraxerunt, hyeme licet ſæviente: quæ cum nihil opis attuliſſent, nova purgatione reiterata, venas ſublinguales tundendas imperant, e quibus item altera lib. ſanguinis fluxit; cucurbitulæ etiam in nucha & ſcapulis cum ſcarificationibus affixæ; item e ſalvatella non parum ſanguinis detractum fuit, & hæc omnia incaſſum. Morbo nihilominus pertinaci, ac viribus ſummopere fractis, in manus meas curandum ſe recepit. Ad tot mala debellanda tres indicationes nobis propoſuimus. Primam, ut efferatos humores ſurſum ſublatos (b) *ad inferiores partes* deturbaremus, quod præſtitit blanda, mitis, & continua purgatio. Secundam, ut vires diu morbo

bo & remediis attenuatas ſublevaremus, in quo diaphoretico auro noſtro fœliciter ad ſolitum uſi ſumus. Tertiam, ut febris, aliaque inde orta ſymptomata cito opugnarentur, & natura in ſuum ſtatum reſtitueretur, alexipyreto noſtro, corall. eſſentia, aliiſque propriis remediis aggreſſi, ſicque menſis ſpatio unius hominem integræ reſtituimus ſanitati.

(a) *In pulmones irruens*. Subjectis tenerioribus hypochondriacis, quorum vaſa turgent et impuris humoribus tranſpirationis viæ præcluſæ ſunt, contingunt non raro copioſæ ſtagnationes ſeri et effuſiones quaſi in fauces, aſperam arteriam, et quidem certo ac ſtato tempore, dum lymphæ forſan ob ſpaſmodicam quandam contractionem per has partes liberum iter ac circulus impeditur.

(b) *Ad inferiores partes*. Optimum conſilium practicum eſt, quando natura conſueſcit certo ac ſtato quaſi tempore excernere per partes ſuperiores humorum copiam, ut naturam a motu et impetu conſueto quaſi avocemus, invitando illum humorum impetum ad alias et quidem inferiores partes, quod A. optime præſtitit blanda, miti et continua apertione. Nos tali in caſu, ubi ἀτρόφος ruit quaſi lympha ad fauces, pediluvia fida et experta deprehendimus.

CAPUT XCVII.

De paralyſi, hydrope, & aliis.

SUperat omnem fidem cura, quam paucis menſibus exactis in Domino Julio Spinula, in via lata D. Dominici, moliti ſumus. Is enim a quindecim menſibus in lecto immobilis, & plane veluti truncus ligneus jacebat, dextroque brachio (a) *paralyticus*: inde ſequebatur mentis torpor, & depravata ratiocinatio. Cœterum hydropicus conſummatus, & omni ſpe deſtitutus: abdomine videlicet (b) *leucophlegmatia* diſtento, veluti ſcroto; cruribus & tibiis pari materia turgidis. Curationis difficultas ab ætate pendebat, quia tres annos ſupra ſexaginta habebat; imo & impoſſibilis credebatur duobus præſertim Medicis fruſtra jam ad id adhibitis. Hi graviſſimi affectus a leviſſimis quidem initiis exordia traxerunt; cœpit enim dolor ſatis obſcurus genua & pedes obſidere, qui tractu temporis exaſperatus, & remediis, ut purgationibus, decoctis, & juſculis alterantibus, & ſanguinis miſſionibus inaniter factis, febrem, paralyſim, & ſenſim hydropem ſecum accerſivit. Tot vero morbis contrarias indicationes habentibus auxilium laturi, ab hydrope, cæteris non neglectis, per præfatum ſulphur noſtrum hydroticum curationem exorſi ſumus, cujus beneficio abdomen, & crura detumuerunt, febris evanuit, & paralyſis partis ſublata eſt. Ejus enim ea vis eſt & energia, ut fluxiones omnes ſiſtat; univerſalia, & particularia corporis emunctoria in ſuum officium deducat, inſuper viſcera principaliora roboret, cor exhilaret, & jecur, ac lienem mundet. Corpus tamen aliquando purgavimus pilulis catholicis, & in potu uſus eſt ligno ſaſſafras, & ſic intra menſem fœliciſſime convaluit.

(a) *Paralyticus*. Cachectici, quorum venę humoribus impuris pituitoſis redundant, facile paralytici fieri poſſunt, introducto nimirum motu violento per fe-

brem, calida acria, purgantia, exercitationem corporis fortiorem, affectus animi, in humores, & repreſſis quaſi ipſis ſuccis impuris a partibus exterioribus motu compreſſis in vaſa interiora, pori arteriolarum capitis nimis aperiuntur, & ad ſpinalem medullam et nervorum origines facile demittuntur, ubi reſtitantes ſpiritus expanſiva ſua vi, robur partibus afferentibus, intercipiunt, et manuum ad motum actiones debilitant. Optime de hac re philoſophatur ſapientiſſimus medicinæ parens *de morbo ſacro pag. m.* 89. Aer, inquit, qui ad venas pervenit, cerebrum ſubigens ad ventriculum accedit, ſicque intelligentiam et motionem membris præbet. Quare, ubi pituita e venis aerem excluſerit, eumque minime admiſerit, vocis defectum et minime intelligentem hominem efficiunt. Manus autem ad motionem impotentes reddunturet contrahuntur, ſanguine conquieſcente, neque, ut conſuevit, diffuſo.

(*b*) *Leucophlegmatia*. Paralyticæ partes facile in tumorem attolluntur, dum ſanguis per has tardius evolvitur & circulatur, ubi bene in ſuperiori loco citato monet *Hippocrates*. Spiritus namque animales, qui nervos ac fibras muſculoſas vigorant ac animant, non ſolum ad motiones arbitrarias et voluntarias, verum etiam ad automaticas naturales et ſanguinis ac humorum circulum contribuunt, dum partes denſæ vi elaſtica ſpirituum inſtructæ renitentia ſua ad retrogreſſum ſanguinis concurrunt; Videmus hinc ſæpius partes paralyticas, tumidas, calore deſtitutas, vel etiam marcore confectas, propter deficientem ſanguinis motum ad vaſcula extrema capillaria.

CAPUT XCVIII.

De morbo venero.

MOrbi venerei quem Neapolitanum Galli vocant, Itali Gallicum, curationum myriades deſcribere poſſemus, ob ingentem afflictorum concurſum, a decennio aſſidue habitum. Ægrorum tamen nominibus parcentes, & brevitati ſtudentes, pauca memoratu digniora paucis contrahenda duximus. Cum autem hic affectus plerumque ſe prodat ulceribus in obſcenis partibus, ano, & pene, cum fœda ſcabie, & prurigine, ſuſpicari quis poſſet, num ſit illa antiqua plaga legis, innobedientibus comminata: *Jatheca adonai biſcheiin mitzeraim vuahepolim vuagarau vuetharem aſcer lo thocal leherape*, &c. Percutiat te Deus ulcere Ægypti, & partem illam, per quam egeruntur ſtercora, ſcabie quoque, & prurigine, &c. & paulo poſt ſubdens: *Vacalim raiim*, & infirmitates peſſimas, & perpetuas addat. Nec inconſonum: Nam dira hæc lues in ſcortorum flagellum a Deo immiſſa, ut plane certum eſt, in quibus perpetuari aliquando cernimus, cum doloribus, & ulceribus peſſimis. Quicquid ſit, merceſne ex India, an aliud mali genus; novum an recens, parum refert, dum ejus curationem aſſequamur; Eam vero aſſequimur remediis opportune adhibitis; hæc autem opportunitas, methodo exacta, (*a*) *a ſubjectorum ægrotantium* cognitione elicita, comparatur: quæ quidem cognitio, temperamenti calidi, vel frigidi collatione ſolum minime perficiat; verum & quibus morbis ſit æger obnoxius, & ſi alio quopiam detineatur affectu, maximi faciendum eſt: ut interim taceam Aſtrologicam cognitionem in chronicis morbis Medico cuivis ſumme neceſſariam. Etenim alio & alio modo curatur Jovialiſta, & Martialiſta. Hinc audiendi non ſunt temerarii illi, qui tunicam medendi formulam nacti, (*b*) *omnes eodem modo curare* aggrediun-

diuntur. Sic quosdam levi diæta cito & tuto sanari vidimus; alios ne diætis quidem longissimis, minus unctionibus suffumigiis, aliisque crucibus in hoc malum excogitatis: Multis guajaci decoctum profuit, fuitque sufficiens alexipharmacum; aliis ne minimum auxilii attulit: sassæ, chinæ, sassafras decocta idem præstiterunt: Ab unctionibus, suffumigiis, emplastris, & aliis hydrargyratis, multi loco sanitatis mortem reportarunt: cognovimus & multos iisdem remediis utcunque restitutos. Venere & ad nostras manus nonnulli ex his, qui hisce plane tabefacti, & semimortui, quibus plus laboris fuit in summovendis morbis ab his veneficis genitis, quam in ipso morbo superando. Nuperrime quidam lue venerea infectus, ex consilio alicujus Medici, ligni decoctum assumpsit; at is, quia jam dudum (c) *scirrhum in hepate* contraxerat, facile in hydropem incidit. Hic quidem erat quinquagenarius, temperamento frigido & sicco, Saturnicus, dixisses remedium apposite datum. Contraria contrariorum sunt remedia; veruntamen remediorum qualitates non sunt semper solæ assumendæ, sed cum his actiones apprime considerandæ. Hic insuper catarrhum in pectus exundantem patiebatur, cum frigida ventriculi constitutione. Eum vero hac methodo sanitati restituimus. Victum imprimis calidum & siccum imperavimus. Ad hydropem arcendum sulphur nostrum, ad aliquot dies, cum tantillo antivenerei nostri, bis in die dedimus, cujus beneficio pedes, crura, & venter brevi detumuerunt, & scirrhosa durities discussa est. Pulmones autem assidua fluxione vexatos, decocto alexiterio & exsiccante, cum lacte sulphuris in pristinum reduximus: sic paucis & citra molestiam probe convaluit. Annis tribus elapsis, cuidam mulieri gonorrhœa laboranti ligni guajaci decoctum pariter male exhibitum fuit: ob id 40. diebus, quibus assumpsit dictum decoctum, vix expletis, ecce derepente necrosis genitalia & anum invadens, cum ardenti febre. Misella de novo morbo Medicum objurgat, sanitatemque sibi restitui eundem vehementer obtestatur: At ille errorem non in medicamentum parum caute exhibitum, sed in victum ab ea commissum rejiciens, astantibus eam brevi fato cessuram significat. Advocati, licet morbum veterum sanctionibus deploratum inveniamus, ubi præsertim ignis, & ferrum suas vires exercere nequeunt, remediis tamen veteribus incognitis instructi, majora ipsis præstare valemus. Necrosim itaque aceto minerali, incendium videlicet extinguente, & mortuum a vivo separante, sustulimus. Ulcus profundum & sordidum remanens, unguento ex vitellis ovorum cum calcinato majore mundificavimus, idemque ulcus more aliorum ulcerum ad sanitatem perduximus. Intus ad ardorem febrilem cempescendum, antipyreton ad tres dies dedimus. Antivenereo demum in sanitatis summum restituta fuit. De argento vivo nobis recens est exemplum. Quidam mercator nomine Claudius *le Pescheur*, quinquies per quinque annos hydrargyrii unctiones in Regno Neapolitano sine auxilio, & toties cum magno vitæ suæ discrimine, frustra expertus erat. Tentavit autem istud remedii genus, eo quod ter ligni guajaci decoctum, cum diætis 45. dierum, incassum assumpserat. Cum venit ad nostras manus, nonnisi sceletos apparebat, assiduis doloribus vexatus, præ quorum

im-

immanitate noctes insomnes perpetuo transigebat: mitto febrem lentam, quæ continue conficiebatur, tophos cum gummis in capite; fronte, & tibiis, anhelitus difficultatem, & alia. Eum porro sanavimus decocto humectante & refrigerante, cum aliquot guttulis ol. sulphuris, & auri diapho retici granis nonnullis. (d) *Prægnantes* non paucas antivenereo nostro persanatas sine fœtus incommodo, itidem receaserem, ni famæ jactura, & brevitas, cui potissimum studemus, nos remorarentur. Pueros lactentes una & nutrices pariter ab hac lue incolumes servavimus. Familias quoque integras cum pueris lactentibus, & paulo grandioribus; Patres, Matres, famulas etiam, citra viciniæ notitiam, & negotiorum incommodum, eodem servatas continuo habemus, cujus rei laus sit Omnipotenti Deo.

(a) *A subjectorum ægrotantium cognitione*. Qui mederi apte vult languoribus corporis, non tantum in genere cognitionem corporis humani secundum naturam morborumque indolem, genium, mores, causasque ex principiis anatomico-mechanico-medicis, verum in specie naturam individui morbo laborantis cognitam ac perspectam habere debet ex ætate, humorum temperie, habitu corporis, victu, excretis, consuetudine, morbis familiaribus, ratione victus & motibus naturæ consuetis; sic feliciter prognosin instituere, & curam ac consilia cum emolumento dirigere, & medicamenta ad ægri salutem propinare poterit. Sapienter scribit *Foesius in comment. ad Hippocrat. Libr. de morb. vulg.* Caussæ morbi investigatio ejusque primordia & occasio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt amplissimam. Et hanc ob rationem Historiarum medicarum scriptores ante omnia id sibi faciendum observare debent, ut ægri naturam ac conditionem, corporis habitum, consuetudines, alimentorum transpirationis & aliorum excretoriorum actiones, temporis circumscriptionem & cœli temperiem, quæ definiunt certum morborum fomitem, prætexant, in quo attenti & sedulí fuerunt omnes veteres.

(b) *Omnes eodem modo curare*. Medicamenta non operantur secundum modum activitatis sed receptivitatis suæ: hinc plane diversus ejusdem medicamenti pro differentia personarum resultat effectus. Etenim activum quoddam principium ipsis remediis inest, ast illud ratione operationis suæ impediri, suspendi & immutari pro diversitate subjectorum posse, testem cito quotidianam experientiam. Temerarii itaque sunt illi, qui secretum infallibile contra certum morbum jactitant, & unica methodo omnes eodem morbo laborantes curate aggrediuntur. Verissime scribit *Sidenhamius in tract. de febribus*: Methodus curandi febres, quæ hoc tempore juvat, alio lethalis est.

(c) *Scirrhum in hepate*. In sectis hydropicorum cadaveribus deprehenduntur utplurimum scirrhosa viscera depurationi sanguinis & lymphæ motui & secretioni inservientia. Vitium autem utplurimum est in hepate et glandulis meseraicis, utpote quæ lympham in vasis suis ibi copiosissime existentem motu tensivo omnibus visceribus communi, dispensant et circulum ejus promovent. Quod si autem hæ partes quoad minimos tubulos primum infarctæ, deinde spasmodica contractione affectæ porisque ac tubulis magis constrictis duræ evadunt, omnem lymphæ transitum, secretionem et motum impediunt; unde hydrops oritur. Omnia calida acria, dum serum magis absumunt, obstructiones adaugent, et majorem constrictionem ac duritiem visceribus conciliant, hinc in hydrope et ejus principio vitanda sunt, maxime in personis sicciobus. Quæ alias Dominus A. circa abusum ligni quajaci proposuit, notatu digna videntur.

(d) *Prægnantes*. Ipse aliquando prægnan-

gnantem luis Gallicæ ſymptomatibus et maxime ulceribus in faucibus malignis correptam feliciſſime reſtitui, quamvis ipſa impregnatio me latuerit; præmiſſa nimirum purgatione ex rhabarbaro et mercurio dulci, nec non venæſectione, mercurium noſtrum ſolarem cum pauca quantitate theriacę et roſarum conſerva ad aliquot ſeptimanas propinavi, conceſſo ſimul decocto tenuiori lignorum et dięta accuratiori præſcripta, ſic ſecundante gratia divina citra ullum notabilem ſalivæ fluxum aliaque incommoda, ulcera illa ſanata fuerunt, dolores ācerbiſſimi pedum et capitis nocte ingraveſcentes extincti ſunt, et feliciſſime ægra reſtituta. Mercurius hic ſolaris tali modo exhibitus tutiſſimum eſt remedium, ſæpius citra ſalivationem operatur et ipſis infantibus tenerrimis lue hac infectis citra omne periculum et modeſtiorem ſalivæ fluxionem exhibui, illoſque intra menſis ſpatium feliciter ſanavi. In impuris autem et ſcorbuticis ſubjectis itentidem et alvi fluxum ſatis largum quandoque proritat.

CAPUT XCIX.

De deplorato eryſipelatis genere, in facie a medelis male adhibitis contracto.

DOmina Julia Piſana, nobilis Veneta, Florentia Bononiam venit, ut rubori cuidam permoleſto in vultu jamdudum oborto mederetur. Medicum ſenem primæ notæ in civitate accerſit, qui mali in ſimplicem (*a*) *jecoris intemperiem* rejiciens, frigida & humida, tum in victu, tum in remediis imperat, ſanguinem ex utroque brachio detrahit, extrinſecus unguenta repercutientia affectæ parti admovet. Nec propterea quicquam opis inde reportat; imo malo in deterius vergente, alterum Medicum inibi conſulit, cujus ope ad 15. dies itidem fruſtra utitur. Ejuſcemodi Mediei vana cogitata ad hunc affectum compeſcendum non recenſeo, ne lectori ſtomachum afferam; hoc ſaltem connotare placet, quod, cum is eſſet aura populari impenſe turgidus, exiſtimabat ſe omnes ſuæ tempeſtatis Medicos longe lateque ſuperare: ad quod fortaſſe plaudentibus manibus pervenire, haud erat ipſi difficile, ſi verbis opera fuiſſent æqualia, atque in ea Civitate artifices eo meliores comperti non fuiſſent. Taceo inſuper ejuſcemodi Medici medicamentorum multiplicitatem, quibus ipſe uſus erat, in quæ ſumptus & impenſas incredibiles molita erat dicta Domina. Ea etſi prædives, opulenta, & inclyta admodum, conquerebatur tamen, ſe pluſquam centum & quinquaginta coronatos impune contriviſſe intra 15. dies, ejuſcemodi Medici opere, & induſtria: Nec credidiſſem in deſtillata olea, & unguenta mirabilia, ſumptibus maximis parata, & compoſita. Ecquid vigeſies, & trigeſies in die unguenta mutabat? Accerſitus tandem mulierem invenio facie aſpectu horridam, cruſtis & inflammatione turgidam. Priores Medicos tanquam carnifices incuſat, ſemiviva, dolore & mœrore confecta, in hanc vocem prorumpit. Ego (inquit ipſa) nominis tui fama commota, ad hanc civitatem perducta fui, ut a levi & imperceptili malo ſublevarer: at ubi huc appuli, invidi quidam forinſecus conſilio alium te ſeniorem, & in civitate magis venerabilem conſuluerim. Ah! præter extrinſecum apparatum,

non

non medicum ſed teterrimum hoſtem comperi; tot & tot remedia ſemper in deterius in me præſtitit! Secundum ad me accerſiri feci, quem ipſo longe pejorem comperi: nam & in me alia primo longe ſæviora paravit. Eheu me miſeram! medica arte invita morior. Non pecuniis, non laboribus, non Medicorum mandatis pepercit,& ecce tandem ſpiritu & vita plena animo deficio. Ejuſcemodi delicatulæ mulieris querelis commotus, & in Medicos conviciis, juſte ab ea mihi enarratis, ea qua in proximum uti ſoleo charitate, compulſus, ſic effatus ipſi dixi: Cedo tibi, o Domina, juſtiſſimas tuas querelas in Medicos, at animadverte Omnipotenti Deo ſic placuiſſe: quos amat, hos caſtigat, ſunt occulta, quæ, ni ſuperiori providentia coerceantur, longe lateque ſe propagant. Is eſt qui ducit, & reducit; eo redeunt, unde fluxerunt vitæ. Non caſu, aut fortuna regitur orbis: rerum etiam minimarum ipſi cura eſt, nec putes ejus ſummam juſtitiam effugere. Nunc apte ejus clementia, & miſericordia per me tibi conceditur. Etenim ab Altiſſimo jamjam mihi tuæ ſanitatis lumen affulgere ſentio: ſiquidem tui mali cognitione mihi notiſſima, tibi ſanitatem brevi polliceri audeo. Cæterum nullam facies pecuniæ jacturam, non in me Medicum non in Pharmacopolam, non in aliud quodvis remedium: Butyrum recens accipies, quod pluries lotum aqua communi pro unguento habebis, pulvere balſamico ſaturni adjecto, & hoc facto unguento ter & quater faciem illinies; ſic extrinſecus inflammatione ſublata, cujus cauſæ antecedenti per ſpecificum ſtomachicum, & aurum diaphoreticum noſtrum proſpicere poſſe, haud diffido. Quod quidem facillime præſtiti intra 7. dies ab his devoratis. Interea primis diebus ſimul cum unguento admovebantur petiæ lineæ (*b*) *collyrio* ſequenti imbutæ.

Rec. Tutiæ vulgato modo præparat. ʒ. j. Collyrii albi Rhaſis, ʒ. ß Camphoræ ℈. j. Aquæ plantag.& roſar. an. ℥. iij. Miſcebantur ſimul pro collyrio, quo frigide die noctuque uſa eſt per tres dies: Reliquis diebus prædicto unguento. Quibus intra ſeptem dies, ut pollicitus eram, priſtinæ ſanitati reſtituta fuit:

(*a*) *Fecoris intemperiem*. Nil frequentius eſt, quam quod Medici cauſſam morborum non penetrantes intemperiem viſcerum accuſent, cum tamen intemperies non cadat in partes ſolidas. Viſcerum autem debilitas conſiſtit in pororum ac tubulorum obſtructione, & illorum roboris, quod a ſufficiente & æquali ſpirituum animalium elatere dependet ſecundum naturam, deſtructione. A bile quod oriatur eryſipelas, falſiſſimum eſt. Et obſervamus illos, qui defectu bilis laborant, uti ſunt cachectici, hypochondriaci, ſcorbutici, hoc morbo lubentius infeſtari.

(*b*) *Collyrio*. In rubore faciei pruriginoſo, ardenti, dolorifico, maxime æſtate, ubi ſerum impurum acre ſanguinis magis ſpumeſcit, electuarium purgans ex caſſia, recenter extracto ſucco roſarum ſolutivo, pulvere gialappæ et mercurio dulci paratum, ſumme erit proficuum, quo præmiſſo ſequens extrinſecus frequenter facies applicetur: ℞. Aquæ florum ſambuci, fabarum, ſpermatis ranarum ana unciam unam, Magiſterii Wilmuthi, ſaturni ana drachmam unam, ſacchari ſaturni, camphor. an. gr. decem, mercurii præcipitati albi gr. octo, olei tartari per deliquium guttas decem, quod remedium ſemper fidum ac expertiſſimum inveni.

CAPUT C.

De vulnere sclopo illiso, penitus deplorato.

NUperrime, dum hæc scriptis mandare meditaremur, M. D. Joannes Baptista Bocchinus prope ædes Illustriss. D. de Bentivolis, ob vulnus in inguen sinistrum sclopo illisum, 60. diebus sævissimos dolores die noctuque immaniter pertulerat; quo tempore (*a*) *continua febris* oborta, totius corporis radicale humidum depopulata est: unde vulnerati femoris, & crurum mirum in modum emaciatorum carnes, in pede caloris inopia, in frigidum & œdematosum tumorem versæ sunt. Incredibile dictu, quæ incassum tres alii Medici moliti fuerint remedia. Bone Deus quot fotus, litus, emplastra, embrocationes in oleo plenæ, ovorum placentæ! Et intus quot potiones laxativæ, & alterantes, catapotia, narcotica, theriaca, sanguinis missiones, & alia nimis onerosa, morbi radicem minime attingentia! In tanta rerum anxietate, juvenem 30. annos agentem genua de superiori solario suspensa habentem invenio. Ligaturam solvi jubens; ulcus frigidum, & (*b*) *sphacelo quam proximum*, lividum, fœtidum, & indolens detego, cum pauca sanie, eaque incocta. Quibus mihi conjicere licuit, tanti doloris causam alios Medicos prorsus latuisse; nec mirum, laxantibus videl. & suppurantibus, putredinis fomitem eo in loco præbentibus, ab ipsis curationis initio usurpatis. Nos autem contra detergentibus eum sanitati cito restituimus,

Rec. Astacorum fluviar. nu. 11. rad. aristol. rot. vincetoxici, an. p. 1. fol. vinc. perv. plantag. saniculæ, alchimill. an. m. 1. camomillæ cum floribus, m. ij. coquebantur in vino, & aqua. In colatura dissolvebatur per vices ung. Ægypt. Hoc itaque decocto, putredine edomita, dolor confestim evanuit. Ad calorem tandem consopitum & semimortuum revocandum sequenti fotu usi sumus.

Rec. Verbasci masc. hypericonis cum floribus salviæ, rorismarini, lauri, absinthii, verbenæ, an. m. 1. bacc. juniperi, lauri an. p. ij. parabatur decoct. in s. q. aquæ, & vini. Et ut ulcerata pars intrinsecum robur nancisceretur, juscula carnis hoc modo parata sumebat.

Rec. Rad. vincetocici, salsæ parill. an. ℥. j. pimpinellæ, bugulæ, faniculæ, an. m. 1. coquebantur in jusculo carnis ad medietatem. Sic subacto dolore cæterisque symptomatibus sublatus, vulnus sponte coaluit, extrinseco levi adhibito.

(*a*) *Continua febris*. Vulneratis febres facillime accidunt, et illæ dependent vel a dolore acutissimo, spasmodico et inflammatorio, vel a stasi sanguinis, propter hæmorrhagiam violenter repressam seu cohibitam, vel si magna iracundia alioque affectu animi vehementiori, ebrietate inflictum vulnus fuerit, vel denique, si magna contusio aut inflammatio partem, et quidem nobiliorem, sensibiliorem læserit, neglecto semper sex rerum non naturalium usu. Tali in febre blandiora diaphoretica simulque anodyna, uti sunt diascord. fracast. lapides cancrorum, antim. diaphoret. nitrum præparatum, & ex sambuco parata, præstantissimam opem ferunt.

(*b*) Sph-

(*b*) *Sphacelo jam proximum*. In ulceribus fœtidis in indolentibus, sphacelo jam proximis fotus et cataplasmata ex balsamicis putredini resistenibus poros obstructos reserantia omnium optima sunt; talia sunt ex myrrha, aloe, floribus salviæ, rosmarini, sambuci, radice aristolochiæ rotundæ, herba scordii, centaurei minoris, baccis juniperi, camphora, vino, sale ammoniaco, vitriolo, et sale tartari confecta. Intrinsece omnia bezoardica diaphoretica et sic dicta alexipharmaca approbatissima sunt, v.gr. Tinctura bezoardica camphorata, spiritus cornu cervi succinatus, spiritus eboris balsamicus, essentia scordii theriacalis &c.

PETRI POTERII

INSIGNIUM CURATIONUM, ET SINGULARIUM OBSERVATIONUM.

CENTURIA SECUNDA.

CAPUT I.

De deplorato, admirabili, & non prius audito morbi genere, deque marcore insigni, herpete maligno, ulceribus Chironiis, &c.

RECtè nauclerus quivis, etiam navigandi artis haud satis peritus, in tranquillo ponto, ventis silentibus, maria tranare, & ad tutissimum portum naves feliciter deducère novit. At æstuante Oceano, ventis undique perflantibus, aere, turbinibus, & procellarum furiis exagitato, idem, nisi peritissimus, & numeris omnibus absolutus, nunquam tutus ab eo emergit: imo navis male hinc inde distracta ad scopulos alliditur, vel iratis undis demergitur. Sic in levi, & per se sanabili morbo, Medicus quivis ægros ad optatum, & placidum sanitatis portum reducere poterit; & contra in gravissimis morbis, ubi susque deque omnia feruntur, & in quibus symptomatum, & signorum agmen magno impetu in nos ruit, nonnisi cordatus, & navigationis ejusmodi expertus, mortales ab hac tempestate reducet incolumes.

Ecquid in hoc casu similitudinem proponere velim? velim (inquam) peritissimo nauclero me æquiparare: minime gentium, non enim ejuscemodi gloriolæ sum valde cupidus, neque hanc popularem auram affectare mihi est animus, nec item hoc præstare aggredior, ut in æmulos maledicentiæ spicula retorqueam. Sed ut veritas magis atque magis eluceſcat, (Ἐλευτερῶ γὰρ ἀνδρὶ τ' ἀληθῆ λέγειν) & similitudo posteris proficiat, & tandem ut tam præclari facinoris jucunda felixque memoria in ævum permaneat.

Itaque superiori anno 1619. mense Novembri, Roma Bononiam venit

Perilluſt. D. Henricus de Sancto Petro. Romæ duos annos ſub cura doctiſſimorum virorum dictus Dominus varia medicamenta expertus eſt; bis ligni guajaci & ſalſæ decoctum, cum ſtupha, atque eo in loco ubi ſudores quotidie excitantur, cum exacto regimine, victu attenuante & exſiccante, purgationibus ſolitis, cum ſyrupis, & julepis præparantibus, & ſanguinis miſſionibus item poſtpoſitis. Nec his contentus, ad octo menſes decoctum cujuſdam aniculæ ebibit. Parabatur dictum decoctum cum (a) *antimonio crudo*, ſalſa, ſantalis, &c. Eodem decocto utebatur intrinſecus, hoc eſt, in potu, & in fotu. Verum ut morbi hiſtoria clarius innoteſcat, intelligendum eſt, prædictum Dominum a ſeptem annis in teterrima, dolorifica, & (b) *horrenda ulcera* incurriſſe; mirum dictu, quomodo juvenis annorum 27. in flore ætatis, dum ſanitatis vires maxime vigent, quando natura eſt magis vegeta, cum flos pulchritudinis, ob ea in ætate magis attenuatum, & defæcatum ſanguinem, conſpicitur, tam fœdo, turpi & fœtido affectu corriperetur. Præceſſerat ejuſcemodi affectum febris continua per 14. dies vehemens, quæ non levem mortis timorem Medicis intulerat. Tunc Parmæ erat e patria exul. Ante dictum tempus circiter 8. vel 10. menſes fœda ſcabies cum vehementer invaſerat, propter quod purgationes reduplicatas ex caſſia, diacatholic. tryphera, & aliis, tum ſyrupis de roſis, violis, bizantin de epithymo, polypodio, tum ſuccis, & decoctis refrigerantibus, ex cichorio, endiv. lactuc. & aliis phlebotomiis minime omiſſis, ligni guajaci decoctum præſcribunt, in quo ſcabies magis efferata redditur, contumacior, & magis pervicax. Stupet Medicus, & exactis 40. diebus, de refrigerando hepate cum ſuccis cichoraceis, ſero lactis, & ſimilibus cogitat. Executioni mandat præcepta Medici cuncta; ſed incaſſum, & morbus in dies vehementior redditur. Aer incuſatur, victus regimen ſuſpectum cenſetur, & mille aliis cogitationibus exagitatur mens Medici. In noſtris tandem manibus paucis & gratiſſimis brevi ſanatur, & cura exacta, ipſoque bene valente. Parmam adiit. Menſibus duobus vix elapſis, ibi graviſſima febre cum maximo vitæ diſcrimine acerbiſſime conflictatus, ad 15. dies convaluit. Recuperatæ valetudini, menſe fere exacto, ſuccedunt ulcera maligna in tibiis, & coxis, quæ mox totum corpus occuparunt, citra febrem, aut aliud pravum ſymptoma. Medici inibi malum ad calidam jecoris intemperiem rejicientes contraria ipſi præſcribunt; quæ remedia, ut communia & omnibus nota, lubens prætereo: ſuas quoque potiones purgantes phlebotomias, lotiones, balnea, unguenta, frictiones, & ſimilia. Seſquianno toto interea fruſtra elapſo, Bononiam ad proprios lares rediit, atque tunc quatuor Medicorum conſilio, ſi non feliciter, ſaltem creduliter, ejus ſanitas concreditur: Interdum varias ineunt conſultationes, tribus aut quatuor aliis Medicis his ſuperadditis. Malo tamen ejuſcemodi Medicorum ſcientiam aſpernante, novi iterum Medici in conſilium advocantur, & ut bis conſuetudo inolevit, verba pro optimis remediis in controverſiam adducuntur; quæſtiones fiunt de lana caprina, & morbus in dies efferatior redditur. Decoctum chinæ, ſalſæ, & multorum aliorum, cum diæta exſiccante & attenuante præſcribitur, non minus ſevere, quam inſigni gravitate, & ingenti ſtrepitu. Singula ad unguem ſervat. Præmittuntur

ſoli-

ſolitæ purgationer, eædem & poſt diætam reiterantur. His nihilum proficientibus, nova initur conſultatio, num ad thermas Villenſes mittendus ſit: Affirmativam ſequitur, balnea adit, & (c) *thermales aquas* infeliciter bibit. En pro ſalute promiſſa, marcor inſignis, vigiliæ pertinaces, dolores in ulceribus longe acerbiores, inappetentia, & tandem cum novis malis nova emergunt ulcera! quid? demum mortuis invidet, & cui ſe devoveat, plane ignorat. Muſſitant Medici, lugent amici, incuſantur ſagæ, & malefici; morbum ſupernaturalem clamitant, ſolius Omnipotentis manum depoſcere dicunt, ferunt tandem ſe omnes Medicinæ theſauros in uſum protuliſſe, nihil quod ad artem pertineat reliquiſſe, omnes pharmacopolarum ciſtas excuſſiſſe, nulla non antiquorum dogmata protuliſſe. At æger infelix, ut dolor paululum mitior reddatur, ab his ſaltem expoſcit; at ipſi iterum ſuam hac in re produnt ignorantiam, dicunt ſe omnem moviſſe lapidem, unguenta ſuorum nuper mortuorum præceptorum haud intacta reliquiſſe, nullam anodynorum & narcoticorum claſſem omiſiſſe. Qua denique morbi ſævitia & pervicacia, & æger, & Medici devicti, atque laboris tædio plane fracti, nec non ægri miſeriæ compatientes, nullam ſalutis ſpe ipſis illuceſcente, ad alterum, inquiunt, Medicum tibi, o patiens, liceat devenire, nos ipſi libenter palmam dabimus, ſi quid ſolatii tibi afferre valeat. Infeliciſſimæ affinis conditiones fratres miſerti, ſilent, & quem accerſere velit, ipſi liberum relinquunt: Tunc ab amico ipſi familiari neceſſitudine devincto adducor, atque ad eum circa tertiam horam noctis perductus, patientem doloris immanitate victum, remediorum vehementia & pluralitate confectum, vigiliis inſuper moleſtiſſimis ob doloris vehementiam emaciatum, & plus mortuis quam vivis ſimilem reperio. Tanti affectus vim & pertinaciam non tam extimeo, quam medicamentorum male peractorum virulentiam. Re tamen in animo probe expenſa, & tam horrendi, & crudelis mali natura cognita, egregium Patientem hilari fronte curandum ſuſcipio, ipſique intra horam dolorem, quo tempore cruciaretur, ſedaturum polliceor, atque ipſum tota nocte dormiturum. Expleo omnia, pollicitationibus ſto: intra horam quievit, & dolor penitus receſſit. Mane ad eum revertor, dormientem invenio. Stupent omnes de recuperata ſanitate. Interea licet tantum præſtitiſſem, antiquus tamen ille impoſtor Cacodæmon ſeſe opponere non negligit, & ad novas impoſturas adverſarios impellit dicentes me narcoticis venenatis dolorem ſedaſſe; ipſumque brevi rediturum, ac curam mineralibus infeliciter & empirice ſuſcipere. Sic novum in me concitant odium, & inſidiæ undique parantur. Nihil eſt tam bonum, quod non in contrarium vertat culpa:

Sudat frigidus intuens quod odit:
Effundit mala lingua virus atrum

His interim livore contabeſcentibus, patiens noſter intra 15. dies ad omnia quæque eunda munia aptus redditur. Reaffulſit in eo deperdita ſalus circa Baccanalia. Hinc mœrore depoſito, & dolorum querelis oblivioni datis gaudio incredibili ab omnibus exceptis, ad nobilium conventus, ad convivia, tripudia, & alia tempeſtati accommodata lætitiæ genera ſe contulit; quo fit ut non perfecte conſeneſcat: verum etſi aliquot exigua ulcuſcula remaneant in tibiis, nihili facit, ſunt ſine dolore, feliciter, & hilariter vivit. Sic bien-

nium peragit vitam, tribus ulceribus perexiguis, & indolentibus in tibiis relictis. Tunc Romam cogitans, primo Lauretum petiit, & inter Romam, & Lauretum penes Illuſtriſs. Cardinalem Valentem in loco, qui vulgo *Trievi* dicitur, per aliquot menſes commoratur, ubi varia ad hæc tria ulcuſcula fruſtra comprobat remedia, & præcipue mercuriale unguentum, cujus cauſa funeſto, & (*d*) *gravi ſanguinis fluxu* corripitur. Ab eo ſanatus Romam adiit, ubi Medicos accerſit, ut de totali ejuſcemodi ulcerum curatione curam habeant: at contrarium experitur, infauſta ſunt omnia, quamvis ſingula ad Polycleti normam ſervaret. Hic biennio mille cruces, & tormenta medica ſuſcipit, circumforaneos conſulit, deliras anus advocat, barbitonſores ſeſe offerunt, & horum omnium propoſita remedia utcunque approbat, ſed cuncta irrita & incaſſum: imo malum duplo deterius factum, in eum, quem ſupra diximus, infeliciſſimum ſtatum recurrit. Quare Bononiam ad aerem nativum redire cogitat. Lectica delatus, poſt longos itineris labores domum repetiit, ac demum ſub cura mea ſanitatem intra paucos dies optimam, & firmiſſimam recuperat. Methodus, qua his in affectibus propulſandis uſus ſum, ab Hippocr. & Galeno non eſt diſſentanea, quanquam quidam medicaſtri, toto genere a vera medendi methodo alieni, contrarium clamitent: rationalis eſt, & firmiſſimis artis dogmatibus innititur. Ipſorum contraria, irrationalis, & vana, & mendax: e fructibus eorum cognoſcetis eos.

Itaque his in affectibus talis eſt noſtra methodus: Dolori, tanquam magis urgenti, balſamo mumiæ mineralis proſpeximus. Scio hoc medicamenti genus pſeudomedicis non eſſe notum; ideo ab his, tanquam ab iniquis judicibus, damnari haud poſſum. Si ſecus: quid mehercle injuſtus? rem ignotam dijudicare velle! Secundo, ut marcor, ventriculi imbecillitas, inappetentia, & cruditates ventris ſummoverentur, ſpecificum ſtomachicum ad aliquot dies dedimus. Tertio decoctum ſeu juſculum melanagogum, aperitivum, & refrigerans ad 11. dies accepit: quibus melius indies ſe habuit, & tandem e lecto erectus, ad ſolita mumia, ut ſupra diximus, rediit. Hæc fuit prima cura, antequam Romam proficiſceretur. Secunda vero & ultima Roma reverſi Bononiam ſic habet: Primis diebus, ut ulcerum dolor demulceretur, dicta ulcera prænominato balſamo replevimus: in nonnullis: ubi caro luxurians, & dura nimis creverat, æs uſtum præparatum admovimus. Intus accepit per 15. dies (*e*) *tincturam metallicam*, primum ens metall. dictam a Th. P. cum extracto bezoardico, cujus operatio fuit inſenſibilis, atque per inſenſibilem tranſpirationem corporis noxia foras propellens. Hic notent ſedulo, quam a rei veritate abſint illi, qui putant nullam fieri poſſe curationem, citra alvi ſubductionem, citra phlebotomiam, & citra aliquam manifeſtam operationem. Hos ſane ſtercorarios, non Medicos nuncupandos eſſe arbitror. Quod ſi cum his mihi liceret per otium de ipſorum communi methodo medendi diſceptare, vellem hos Empiricis longe pejores commonſtrare, a circumforaneis, agyrtis, mimis & hyſtrionibus nihil differre. Egregia ejuſcemodi medicamenta non ubique proſtant, *in Archid.* habentur, atque in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica*.

(*a*) *An-*

(*a*) *Antimonio crudo*. *Zvvolfferus* antimonium crudum nec non mercurium cum lignis aliisque ingredientibus decoquit in aqua pro curanda lue venerea. Quamvis autem aqua destituta sit sufficienti clave reserandi mineralium texturam, comperimur tamen experientia, illam ipsam fortiori decoctione tenuissimas mineralium partes in se recipere ac combibere: Manifestum hoc fit aqua, in qua ferrum candefactum extinctum fuit, quæ vim deobstruendi & alvum subducendi notabilem possidet. Item aqua, in qua mercurius coctus fuit, quæ teste ipso *Helmontio*, & nostro Domino Authore, vermes necandi vi pollet. Aqua quæ coquitur cum antimonio, sulphureum quendam saporem & odorem præsefert, hinc nullum dubium est, illam quoque virtute imprægnari sulphurea.

(*b*) *Horrenda ulcera*. Notatu digna est, quam recenset Dom. A. historia: Est juvenis 27. annorum nec scorbuticus, nec lue venerea affectus, qui tamen deterrimis correptus fuit ulceribus. Indubie hæc ipsa ortum suum duxerunt ex discrasia sanguinis & humorum maxima sub gravioribus febrilibus paroxysmis contracta. Laborabat ante aliquot annos juvenis viginti annorum pleuritide cum febre gravissima, post cujus curationem totius corporis ferme partes occuparunt primum tumores satis notabiles dolorifici conjuncti cum inflammatione, quorum aliquot in pedibus abibant in ulcera pessimi moris, quæ tamen felicissime tandem sanata fuerunt præmisso laxantium & edulcorantium usu, pulvere viperino mixto cum cinnabari nativa, qui pulvis ad corrigendam sanguinis & humorum pravitatem salino-acrem mirificam opem affert tempestive & rite exhibitus.

(*c*) *Thermales aquas*. Usus thermarum in inveteratis ulceribus non semper tutum existit præsidium, sed quandoque salia acriora reddendo & impuros hosticos humores agitando dolores & febrem magis accendit: docente ad ipsum *Hildano centuria 5. observ. 80.*

(*d*) *Gravi sanguinis fluxu*. Globuli mercuriales spiculis rigidis salinis associari corrodentem vim acquirunt: & cum sanguine ad vasa delati ex facili teneram illorum substantiam dilacerant & aperiunt. Sic post usum turpethi mineralis fluxum hepaticum observavit quoq; idem *Hildanus centur. 4. observ. 39.*

(*e*) *Tinctura metallica*. Primum ens metallorum *Paracelsicum* ex Regulo antimonii variis metallis associato conficitur, si cum nitro & tartaro debite miscetur & calcinatur, spiritui vini concedit tincturam tartarisatam sulphure metallico paululum imprægnatam, quæ non tantum insignem vim aperitivam obtinet, sed & præstantissimum menstruum existit ad solvenda intime olea destillata, item ad extrahendas ex corporibus resinosis, corticibus balsamicis laudatissimas essentias.

CAPUT II.

De rara, contumacissima, & ab omnibus Medicis immedicabili habita defluxionis specie, & aliis gravissimis morbis.

SI qua in re, Medici probitas & solertia eluceſcit, non quidem in (*a*) *inani verborum strepitu*, aut affectata quadam dicendi cupedine, minus in comptu & decentia corporis, verum in (*b*) *recta medicamentorum applicatione*, qua ægrorum querelæ cito sedantur. Sæpe divina ars male (*c*) *apud plerosque traducitur*, quasi falsa præstigiatrix ad crumenas emungendas parata, quod mendax, labilis, & inconstans, quod veris careat fundamentis, quod in ea omnia casu & fortuna contingant. Hujus rei testis mihi hodie in mentem venit Perillustr. D. D. Joannes Torfaninus, qui triennium gravissima defluxione salsa & acri correptus, omnes Medicorum artes eluserat, nam hinc

inde quotquot reperirentur Medici melioris famæ, in ſui curam aſciverat. Unuſquiſque ſanitatem ipſi pollicetur; illorum præſcripta ad unguem ſervat, nec propterea quicquam auxilii ab his reportat, imo malum in dies invaleſcit. Novos atque novos prioribus addit: crebræ fiunt conſultationes, expenduntur ſingula tanto affectui neceſſaria, foris etiam ab exteris Medicis conſilium repoſcunt. Nihil prorſus intactum relinquunt, omnem ſe moviſſe lapidem putant. Bone Deus! quot potiones laxativæ! quot ſyrupi & julepi! quot pilulæ! quot phlebotomiæ! quot cucurbitulæ! quot enemata, balnea, lotiones, unctiones, frictiones, cauteria in nucha & brachiis, veſicatoria, & ſi quæ alia tormenta excogitare potuit Medicorum turba! Decoctis ſalſæ, chinæ, ligni Indici, viſci quercini, lentiſci, &c. quibus aſſiduo fere utebatur, ſuperſedeo; nam longius foret, quam inſtituti ratio fert, ſingula deſcribere. Sat ſi dixero, Perilluſt. Patientem eſſe ditiſſimum, & ſumme inclytum, Medicis obſequentem, & 26. annos natum, atque ſub eorum cura per tres annos ſtetiſſe.

Cum omni ſpe ſalutis eſſet deſtitutus, & omnem artis Medicæ opem vanam & irritam exiſtimaret, pro ultimo refugio multorum precibus ad me confugit, licet ejus voluntas alio ferretur. Etenim cenvitia, quibus palam me inſequuntur æmuli, plurimum authoritatis & ponderis apud illum obtinebant, atque arbitrabatur, me cum cæteris loquacem, infidum, & falſum aſſentatorem: &, quia in deplorato caſu melius aliquando anceps, quam nullum experiri remedium; eo magis, quod Medicus ejus domeſticus (quem tunc tanquam alterum Apollinem venerabatur) ipſi indixerat, ſe nihil artis intactum reliquiſſe, nunc nullum eſſe locum remediis, obſtare hyemem, aſſiduis imbribus, & nivis ac glaciei rigoribus ſqualidam; ſic cunctandum, quoad ipſa pertranſierit, quo tempore ſtillicidium (*duciam* vocant) adhuc inexpertum in eo probatum iri; quod remedii genus palam fatebatur, ſolum ſupereſſe opportunum, & in quo unice ſanitatis ſpem repoſitam animadverteret; at quid? Dum adhuc procul abeſſet ver, ſole tunc ſolſtitium brumale percurrente, morbum ultro ſævire, ac faucium ulcus palatum, & nares ipſas vaſtare, & depaſci neceſſe erat, & ante dictum tempus, egregium Patientem ſatis cedere. Nec vana cogitatio, nam eo res adducta erat, ut deglutire vix poſſet, & tantummodo potulentis nutriretur, & id magno cum labore, naribus ad hoc valide obſtructis.

Itaque ad me, tanquam ad extremum aſylum adductus, morbi hiſtoria nobis enarrata, viſiſque morbis & ſymptomatibus, & ipſius ægri natura probe explorata, ipſi polliceor fluxionem illam ſalſam & acrem intra quatuor dies ſiſtere, faucium dolorem temperare, ulceris malam qualitatem retundere, & cætera ſymptomata ſemſim compeſcere. Acie ergo inſtructo adverſus tam immane monſtrum, vis quarta dies illuceſcit, & ecce truculentum hoſtem e Palladis arce dejectum. Stupet & miratur Patiens, ſe tam brevi, & tam paucis, facillimis, & vix perceptibilibus remediis ſanitatem recuperaſſe; eoque magis quod antea tam multis, tam laborioſis, tamque magnis ſumptibus partis remediis, ne minimum quidem levaminis reportaverat. (*d*) *Non amplius artem*, ſed artifices, falſitatis & ignorantiæ magiſtros inculat: & quam hucuſque

in

in pectore recluſam de Medicis, & eorum arte opinionem conceperat, deponit, detegit, & abjicit. Et quia primo die, antequam curam ſuſciperem, me enixe rogarat: ut ſecum blande agerem, ſe debilem, morbi ſævitia & diuturnitate confectum, remediorum qualitate & multitudine excarnificatum, inſuper ſe ab aliis Medicis intellexiſſe, me ſolum mineralibus, & his venenatis uti, quæ etſi principio aliquod levamen ægris afferre videantur, morte poſtmodum ipſis brevi conciliarent. Ut hujuſmodi mendacia, turpiter & malitioſe adverſus nos conficta, a nobis eluerem, juſculo carnis in propria domo parato me ejus ſanitatem in priſtinum reſtituere aſſero, & omnia, quæcunque in ejus uſum advocarem, coquo ſuo ordinario paranda committo.

Cuncta ad unguem ſervo. Paratur (e) *juſculum caponis* a coquo, idque ſorbat ad 15. dies, in quo tutam & firmiſſimam ſanitatem manifeſte recuperat. Fit & domi extractum liquidum in forma ſyrupi bibendum, quo utitur ad 20. dies. In hac curatione nobis propoſuimus: primum viſcera naturalia, & prava morbi qualitate labefactata, & medicamentorum multitudine & contrarietate male exhibitorum fracta & dejecta reſarcire, & in integrum reſtituere. Jecur, & lien mirifice indurueranr, ventriculus aſſidua fluxione vexatus, perperam cibos coquebat, inferiores partes naturales itidem ab officio aberrare neceſſe erat. Secundus ſcopus fuit caput exſiccare, roborare, & ad priſtinam temperiem reducere. Hos ſcopos unico illo juſculo explevi, quos firmavit ſubſequens extracti uſus. Factum fuit juſculum ex radicibus aperientibus, cortice tamariſci, chinæ pauco, ceterach, ſcolopend. piloſella, betonica, &c. Per aliquot dies adjecta fuerunt ſena, epithym. & cuſcuta. Extractum fuit fere ex iiſdem paratum, cum vino albo, pauco ſacchari ſub finem adjecto. Hæc invidi & protervi æmuli rimentur, & contemplentur, num (ut perperam plebeiis obtrudunt) iſtæc venenata ſint, aut quoquo pacto ſanitati infenſa. At

Præteritæ veniam dabit ignorantia culpæ.

(a) *Inani verborum ſtrepitu*. Medici ſpeculativi nimis theoreticis & cogitationibus ac medicationibus ſuis indulgenter citra reſpectum ad experimenta, raro ſunt boni Practici. Non enim ingenio, vel facundia, ſed remediis volunt curari morbi, qui uti eleganter ſcribit *Celſus pag.* 11. ſi quis e linguis uſu diſcreta bene norit, hunc aliquanto majorem Medicum futurum, quam ſi ſine uſu linguam excoluerit. In omnibus enim ejuſmodi cogitationibus ferme in utramque partem differi poteſt.

(b) *Recta medicamentorum applicatione*. Hæc præcipuum & verum Medici arcanum eſſe debet. Maximum medendi methodi momentum in hoc poſitum eſt, ut Medicus certo tempore, certa doſi accommodatum cauſſę morbificę morbo ſciat opponere remedium. Verſatur autem in horum applicatione maxime judicium Medici, quod eſt vera methodus medendi, quæ ex libris non addiſcitur, ſed ex univerſalis multiplici experimento ac uſu ſtabilitis & habitu prudenter ratiocinandi acquiritur.

(d) *Apud pleroſque adjicitur*. Multi ſunt qui artem medicam criminantur, quaſi morbis detenti, quæ ex illis evaſerunt, fortunæ non artis beneficio evadant, imo ſæpius ſine ullius medici ope. Verum hiſce acutiſſime reſpondit divinus noſter Senex in *Lib.* 4. *de arte noſtra*, dum ita inquit: Qui etiam non adhibitis medicis ex morbis convaluerunt, ut intelligant, omnino neceſſe eſt, ſe, quod aliquid vel fecerint, vel non fecerint, idcirco ſanitatem eſſe conſecutos. Aut enim Mediam, aut copioſiorem ci-

bum

bum & potum, aut sitim, aut balnea, aut eorum abstinentiam, aut labores, aut quietem, aut somnum, aut vigiliam, aut eorum omnium promiscuum usum adhibentes sanitatem consecuti sunt. Quos ex eo ipso quod utilitatem senserunt, quodnam sit, quod juvet, agnoscere omnino necesse est, & si qua in re læsi sunt, tum eos læsos esse, tum quidnam sit, quod læsit. Jam vero qui inter medicos maxime celebrantur, & victus ratione & aliis etiam modis curationes faciunt, quæ non medicus modo, sed ne plebejus quidem omnino rudis ex arte profecta esse negare audeat.

(d) *Non amplius artem*. Verissime dicit *Hippocrates* alios medicos esse nomine, alios re, & uti in reliquis omnibus artibus opifices longe inter se tum manu, tum mente præstant, sic etiam in arte medica. *Videatur Lib. de Prisca Medicina*.

(e) *Jusculum caponis*. Præstat semper mitissime agere & blande procedere in morbis inveteratis, & ubi a statu & crasi sua dejecta est tota humorum massa, vires collapsæ, & ventriculus imbecillis. Medicamenta temperata, balsamica, blande digestionem juvantia & chylum condientia hic omnibus præferenda sunt. Ex ventriculo etenim tanquam ex fonte omne, quicquid puri, sani ac medicamentosi ad sanguinem derivatur. Ante omnia itaque in morbis chronicis primarum viarum rationem habeat medicus necesse est. Optime hinc processit *Dominus A.* quod jusculum roborans alimentosum vi herbarum, aperientium medicamentosa imbutum porrigere voluerit misero ægrotanti, juscula v. g. ex chærefolio, acetosa, spinachia, pilosella, hedera terrestri, radic. asparagi, seleri & brassica rubra cum decocto carnis bubulæ parata, etiam incurabiles inveteratos & præpostero medicamentorum usu exacerbatos mirum quantum sæpius mitigant, si non penitus vincant.

CAPUT III.

De lenta febre, insigni angore ventriculi, prava tentigine, continuis vigiliis, siti inexhausta, inappetentia, &c. a 2. annis, complurimis Medicis pro incurabilibus habitis.

OMnem fidem excedit affectuum omnium vis & impetus, quibus biennio toto conflictatus fuit Illustris Vir, Dominus Hercules Amorinus, etiam in ipso flore ætatis, dum vix trigesimum annum attingeret. Inprimis insigni ventriculi angore, quem contraxit a (a) *multiplicitate remediorum* perperam ipsi exhibitorum: Etenim ipse biennio superiori prava quadam tentigine vexatus, Medicos non paucos consuluit, qui de more curationem per valida cathartica aggredientes, malum duplo deterius reddiderunt, ventriculo dictum angorem concitantes, cum aliis morbis, & symptomatibus. Cum autem nihil levaminis ab his reportaret, imo natura jam remediis assueta, & reiteratis purgationibus, phlebotomiis, & aliis impune factis fractus, quatuor alios Medicos accersivit, qui consilio inito unanimiter ad guajaci decoctum, tanquam ad sacram anchoram, eum relegarunt, sicque consuetis præparationibus, purgationibus, & phlebotomiis præmissis dictum decoctum ad quadraginta dies illi propinatur. At ecce quam infeliciter, & quam parum apposite! Recrudescunt omnia, novus fit malorum proventus, & novos cogitur experiri morbos. Supervenit (b) *febris lenta*, & continua, cum vespertinis exacerbationibus; sitis item horrenda & inexplebilis, qua die noc-

cteque

ctéque vſhum prope lectum detinere cogebatur: vigiliæ contumaciores fiunt; inappetentia augetur, & tentigo prava & maligna exoritur. Unde per contraria procedendo, frigida & humida porrigere ſtudent, ventriculum magis lædunt, & eum ad extremum fere præcipitant. Quo in ſtatu, ad quem confugiat, penitus ignorat; multis tamen de noſtra medendi methodo auditis, in noſtras manus ſe curandum tradidit. Primariis ergo affectibus initio neglectis, ſtatim in ipſo curationis limine, ab his, quæ magis urgerent, exordimur. Ventriculo quippe cum primum proſpicientes, ſpecificum noſtrum ſtomachicum bis in die dedimus, quo confeſtim melius ſe habuit, tum a ventriculi dolore, tum ab aliis ſymptomatibus. Accipiebat dictum ſtomachicum cum conſerva roſarum. His ſæpe admiſcebatur portiuncula auri diaphoretici, qua via omnes ſanguinis ſordes repurgavimus. In cibis capiebat (c) *pulverem viperarum*, & maxime in ferculis ʒ. j. pro qualibet doſi. Sub fine, viribus reparatis, vigiliis, ſiti, & aliis in totum ſublatis, juſculum purgans ad octo dies ipſi conceſſimus, cujus hæc erat deſcriptio.

Rec. Rad. lapath. acuti, gramin. an. ʒ. j. ℈. fol. cichor. taraxac. fumar. lupuli an. m. j. Epithym. ſenæ, an. ʒ. j. liquirit. raſ. & cont. ʒ. j. ℈. aniſi ʒ. j. In ſ. q. juſculi carnis parabatur decoctum.

(a) *Varietate medicamentorum*. Quantum varietas medicamentorum imperitis & temerariis medicis frequens noceat ægrotis, dici vix poteſt; aliquot exemplis edoctus ſum, ægri reconvaleſcentiæ unicum momentum poſitum fuiſſe in hoc, ut neglecto medicamentorum crebro ac vario uſu ventriculum ſaltim congrui alimentis juvando & unico temperato elixirio ſtomachico cum graviſſimo morbo in gratiam redierit. Et huc trahendum eſſe *Livii* dictum: *Optima ſæpius medicina medicamento non uti*.

(b) *Febris lenta reliquaque ſymptomata*. Utplurimum febris lenta pronaſcitur ex colluvie vitioſorum acido-viſcidorum humorum in primis viis ſcatente, quare blandis evacuantibus, vel etiam emeticis ventriculum inteſtinorumque canalem liberare a ſordibus illis juvat; quo facto ſæpius ſimul & ſemel protinus omnia ſymptomata exſpirant. Et laudandus in hoc Dominus A. eſt, quod ventriculum ſtomachico ſuo ſublevare anniſus fuerit.

(c) *Pulverem viperarum*. Hunc ad unciam unam pro doſi commendat Dominus A. Vis depuratoria ſanguinis in viperis inter veteres celebrata fuit. Hinc ad corrigendas impuritates ſanguinis in lepra ſananda unanimi ferme conſenſu dilaudata fuit. Vid. *Avicenna T. II. p. 72. & 73.* Nec eſt de nihilo ejus efficacia, modo ſufficienti in copia offeratur. Egregie enim mucilagine ſua ſale volatili oleoſo ſubtili imbuta temperat ac obtundit acrimoniam, nec non ſanguinis aciditatem, & leniorem ſpirituaſcentiam ſanguini fœnerando graviſſimis morbis medetur. Novi practicum famigeratiſſimum, qui viperarum pulvere in deſperatiſſimis morbis feliciſſimo cum ſucceſſu utitur. Nos illum miſcedo cum cinnabari nativa adhibuimus in rebelli ſcabie, proxime ad elephantiaſis naturam accedente, magno cum emolumento.

CAPUT IV.

De hydrope aſcite cum acuta febre, ſiti, vigiliis, & marcore inſigni.

DOminus D. Anchiſes, Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Cardinalis Savelli .... annos 30. natus, a multis annis (a) *ſcirrhum* in utroque viſcere, liene

&

& jecore, contraxerat; a quibus immedicabilis hydrops. Frequenter & sanguinem expuebat cum tussi, ex quo pulmones insigniter laborare certum erat. Febre continua correptus, in manus meas curandum se tradidit. Tot morbis contrarias indicationes habentibus per communem medendi methodum occurrere non erat facile. Si enim ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, (b) *contraria contrariorum sunt remedia*: febris adest continua, quæ poscit frigida, hydrops vero contraria: cor in illo; jecur vero & lien in hoc afficitur. Turgens materia in utroque morbo medicamentum purgans respicit, at πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινεῖν, μὴ ὠμὰ: In hydrope, & in tam refrigerato jecore, cruda sunt omnia. Præterea in illo cholagoga, in hoc hydragoga. Ventriculum debilem, & tamdiu mali vicinia fractum & oppressum, medicamentorum purgantium vim & impetum sustinere haud posse, evidentissimum erat. Syruporum, apozematum, & decoctionum aperientium, refrigerantium, & similium quis usus? His augetur materia, & vis ac facultas viscerum frangitur, & ab officio distrahitur. Tanti affectus curam in unico (c) *metallorum croco* agnoscentes, eo ad curationis finem usus est: primis diebus bis, & polychresti nostri ℈. ij. dedimus. Hæc roborando & aperiendo aquas insensibiliter foras protrundunt.

(a) *Scirrhum*. Nullus ferme hydropicorum secatur ubi non vel mesenterium, lien, omentum, hepar indurata, exsucca, vel glutinosa materia vvie ein Daris repleta vel etiam putrefacta visuntur. Consule *de hac Ephemerides Germanorum Ann. 9. obs. 3. Boneti sepulchretum Anatomicum, Acta Haffn. ann. 73. obs. 84. Bartholin. Cent. 1. p. 7. Cent. 2. p. 234. Tulp. l. 2. obs. 35.*

(b) *Contraria contrariorum sunt remedia*. Communissima inter Medicos propositio hæc est, contraria contrariis curari, quæ sano sensu non videtur carere ratione, si nimirum contraria, quæ causis sunt, intelliguntur, non autem hic respiciendum ad qualitates illas v. g. frigus, calorem, humiditatem, siccitatem, quippe quæ non entitates quædam absolutæ sunt, sed saltim sensuum modi mere relativi, sic qui intermittentes curare vellet humidis & perfrigerantibus, ille forsan febris caussam & vim morbi magis augebit, quam tollet. Ast illa, quæ non tam morbo, quam caussæ sunt contraria, id est, quæ obstructa liberandi vim habent juxta *Galenum Libr. 9. Methodi medend.* calorem febrilem felicissime extinguere possunt: Hincque etiam *Galenus* eodem in libro prudentissime docuit, si multa simul curationem indicent, et medicos attendere oportere, quod magis urget, aliis tamen non neglectis.

(c) *Crocum metallorum*. Hic sine omni dubio non vulgaris ille emeticus est, sed correctus & diaphoreticus, cujus indolis est regulus sic dictus antimonii medicinalis, pharmacopœis & chymicis parum notus. Curiosum est, sal commune, vel etiam gemmæ fusum cum antimonio, ipsi communicare vim sudoriferam, illudque exuere omni drastica, emetica virtute. Quod si autem idem medicamentum cum sufficiente quantitate salis tartari denuo tractas, & illud in igne fundis resurgit pristina vis emetica, ut adeo pateat, operationem & vim medicamentorum a mechanismo vel materiæ varia figuratione & constructione dependere. Regulus hic medicinalis cum croco martis mixtus sale adjecto absynthii medicamentum præbet in affectu hydropico excellentissimum.

CAPUT V.

De febre acuta, ictteritia flava, & catarrhali fluxione moleſtiſſima.

ILluſtriſſ. D.D. Fabricius della Bourdeſiere, Summus Pont. Cubicularius, & Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Card. Savelli . . . tunc Bononiæ Legati, continua febre de genere bilioſarum ad ſeptem dies correptus fuit, cum inſigni fluxione capitis, dolore, vigiliis, ſiti, & inappetentia. Primis diebus leniter purgatus fuit cum pulpa caſſiæ recenter extractæ, ad 3.x. Sequentibus diebus detractus fuit ſanguis, & interim bis in die refrigerantes julepos accepit, ex aquis cichorii, endiviæ, & ſyrupo de ſucco limonum. Septimo die febris evanuit, & 4. vel 5. diebus elapſis ſubſequuta eſt (*a*) *ictteritia flava*, intenſiſſima, adeo ut undique foras erumperet flavus humor, (*b*) *vomitu* etiam aderat frequentiſſimus, cum magna copia pituitæ & bilis, ſitis ingens, & inappetentia intolerabilis. Ventriculo ſuppetias primum ferre arbitratus, ſpecificum noſtrum ad aliquot dies dedimus, quo melius valente, electuarium ſequens ſubſcripſimus.

Rec. Conf. roſarum ʒ.iv. croci martis ʒ. ıv. ol.vitriol. gr. xxx. miſceantur, & doſis erat ʒ ij. mane 4. horis ante cibum. Interdum etiam ſumebat de pulvere ſtomachico ſtatim poſt cibum, ad 6. vel 7. grana ſingula vice: Et his gratiſſimis, ac facillimis priſtinam recuperavit ſanitatem.

(*a*) *Ictteritia flava*. Tertiana exquiſita teneriora ſubjecta invadens pro cauſſa agnoſcit materiam viſcidam, bilioſam, acrem, obſtructiones & irritationes efficientem in partibus membranaceis, maxime autem in membranis muſculorum & cutis poris, quare qui multum bilioſi iſtius excrementi recondunt in ſanguine, facile fiunt tertianarii. Deſinit hæc febris facile in icterum, dum nimirum refrigerantium ab uſu vel morbi diuturnitate tenacitas major ad obſtruendas hepaticas glandulas apta in humoribus progignitur, unde icterus ſuum habet ortū. Icterici tales queruntur maxime de vehementi alvi adſtrictione, nec non compreſſione circa præcordia. Optima antiicterica & antifebrilia ſunt amara, martialia & leniora evacuantia.

(*b*) *Vomitus*. Quod ſi poro cholodochio obſtructo bilis acceſſus ad inteſtinum negatur, veſiculas fellis bilioſo humore turgida eſt, cujus pars ſubtilior & acrior per membranas tranſudat & confines partes non tantum colore flavo tingit, ſed & ob acrimoniam moleſtam irritationem fibris nerveis inducit. Novi aliquando generoſum juvenem variolis laborantem, qui per novem dies alvi conſtrictione fortiſſima corripiebatur, ductus cholodochus durus & conſtrictiſſimus erat, bilis in ciſtide apparebat nigra, craſſa inſtar roob ſambuci, extrinſece tam in hepate, quam in inteſtino colo guttulæ flavę ſumme amaræ comparebant, ventriculi pylorus inflammatus & ſanguineis punctulis ſtipatus erat, unde intenſa cardialgia ægri profluxit.

CAPUT VI.

De hectica febre, & marcore inſigni ab aliis Medicis derelicto, & incurabili habito.

ADmod. Reverend. P. D. Angelus de Cambiis, Monachus in Cœnobio D. Michaelis in Boſco, annorum 37. a duobus menſibus in incredibilem ma-

marasmum inciderat, ob hecticam febrem duplici tertianæ succedentem; qua laboranti Medicus senex multa impune attulerat remedia: victum quoque tenuem admodum, citra omnem rationem, præscribens. Ad extremum adductus me accersiri curavit. Eo invaluerat morbus, ut præ faucium, & œsophagi siccitate, nihil quicquam deglutire posset, ventriculo etiam mirum in modum cibos aversante. His in angustiis constitutus, per aliquot dies specificum nostrum stomachicum utcunque accepit, cui paucis post diebus lac caprinum subjunximus: quibus duobus marcor, febris, & quævis inde suborta symptomata penitus evanuerunt. Hi mihi annotare subit Medicorum aliquot imperitiam, qui in longis febribus tenuiori victu utuntur, contra Hippocratis leges, naturæ virium immemores, quæ morborum vi & perniciei plerumque succumbit, ob impotentiam, & cibi penuriam. Si ex eodem authore inconsueta assuetis longe graviora sunt, cur in suis ptisanis, aliisque inconsuetis cibis porrigendis tamdiu insistunt? Hos in Galenum (quem suum falso clamitant) non minus turpiter peccare, alibi commonstravimus. Hæc a nobis obiter dicta sint, ne his moniti imposterum similem in errorem relabantur, atque hanc gratiam nobis referant. Vinum quod bimestri spatio denegatum fuerat, statim ipsi concessimus; edulia quoque consueta, inassuetis penitus abrogatis (*a*) *Lac* cum pauco sacchari pulverizati capiebat, 5. horis ante cibum primo ab ℥.ij.iij. ad iv. & tandem ad v. quo consilio marcorem penitus delevimus, atque ægrum pristinæ sanitati restituimus.

(*a*) *Lac* &c. *Martianus L.I. de morbis mulierum* scribit: Lac fuisse antiquitus velut sacram anchoram & omnium remediorum caput, ita ut vix ullus esset morbus, in quo lac non administraretur. In phthisi, marcore insigni & hectica ejus usus interdum miracula præstat: sed hæc circa ejus usum attendi merentur, ut 1. primæ viæ a sordibus acido viscido purgatæ sint. 2. Ut hectica & phthisis magis ex discrasia humorum salina acri, quam ex abscessu, & scirrhosis partibus orta sit. 3. Ut febris intensa putrida cum capitis dolore desit. 4. Ut vires adhuc constent, & corpus non penitus debilitatum sit. 5. Ut lac calidum, et cum saccharo rosaceo aliquot horis ante cibum ad aliquot uncias post ascendendo ad mensuram assumatur, et ab omnibus acidis etiam pane fermentato æger abstineat. Signa, an æger lactis usum tolerare possit, sunt, si probe concoquat et ni molestiarum ex eo sentiat, nec gravitatem l in ventriculis post lac assumptum, aut singultum, vomitum, nauseam, nec calor in corpore aut pulsus intendatur, vid. plura circa hanc rem. *in praxi Joelis*.

CAPUT VII.

De dolore uterino jamdudum inveterato, &c.

PErillustris Domina Helena de Fasaninis, annos quinquaginta nata, uterinis doloribus, nonnullis mensibus assidue conflictabatur, cum inappetentia, cordis palmo, syncope, & aliis. Hujus doloris causa proxima erat (*a*) *fluor albus* uterinus, acrimonia membranas, nervos uteri, & circumjacentes partes vellicans. Fluxionis originem a toto corpore & jecore, & cerebro potissimum emanare, multis signis deprehendere haud erat difficile. Fluxionis materia subcitrina, & maleolens, & purulenta erat. Hinc ulcus, vel in corpore uteri, vel in

ejus

ejus cervice. Scopi curatorii erant, fluxionem sistere, dolorem sedare, ulcera mundificare & exsiccare ad quæ peragenda, totum corpus prius repurgare decrevimus; quo facto, pars læsas roborare, & reliqua explere. Ad corpus repurgandum sequenti potione usi sumus.

Rec. Agaric. trochisc. ℈. iij. ß infund. in aquæ arthemis. s.q. In colat. dissolve Elect. diaphœn. ʒ. v. Data fuit mane, ut moris est, ex qua multoties purgata fuit. Sequentibus diebus, pro syrupis præcipitantibus, capiebat bis in die decoctum arthemisiæ, matricariæ, melissæ, absinthii pont. calendulæ, betonicæ, & pimpinellæ, ad ʒ. vj. pro dosi. Iterum purgata fuit sequenti potu.

Rec. Rad. bryoniæ siccæ ℈ ij ß. infund. in s.q. decoct. præscripti, in colat. dissol. elect. de succo ros. sol. elect. diaphœnici, an ʒ ij. ß. Data fuit hæc potio mane, ex qua similiter probe purgata fuit. Postmodum ut penitus fluxio summoveretur, capiebat sequentes pilulas mane.

Rec. Gummi ammoniaci, opopanacis, myrrhæ, mastiches, an ʒ. j. agarici trochisc. ℈. i v. Scammoneæ spagyrico more præparato ℈. ij. croci martis reverberati ʒ. iij. macis, succini essentiæ, an ℈ ß. lapidis hematitis ℈. j. ß cum syrupo de arthemis. fiat massa. Capiebat ℈. ij. in tres pilulas singulis diebus, 3. horis ante prandium. Atque his dolores illi atroces & contumaces, una cum fluore illo pravo, in totum sublati fuerunt, & ab hinc quinquennio sanitate fœliciſſima potitur.

(*a*) *Fluor albus*. Affectus, quo ægra laborat, est fluor albus, malum miſellas fœminas vehementer non raro excrucians, præprimis vetulas: Etiam ipsas gravidas, menstruosas & puerperas affligere solet. Fit a glandulis uterinis obstructis & vasis lymphaticis apertis & erosis. *Dominus Dolæus in Encyclop. sua medica p* 893. scribit, se Limburgi ad Lanum fœminam 40. annorum hoc morbo extinctam & sterilem aperuisse, in cujus cadavere uteri glandulas tumefactas & magnitudine pisi induratas invenit. Meatus urinæ in mulieribus circumdatus est substantia membranacea glandulosa analoga prostatis glandulosis virorum, ex his liquor lampidus effluit tam in, quam extra coitum, vid. *Graffius in Anatom. partium genital. muliebr. c.6.* Causa obstructionis est acidum & viscidum, hinc pleræque hoc morbo laborantes sunt cachecticæ. Si sales acriores in lympha contenti sunt, inflammatio, dolor insignis, ulcus putridum et hectica producitur. Pingues et macilentas hoc malum infestant. In illis hydropem, in his phtisin et hecticam post se trahere solet; plerumque est causa sterilitatis. Adest spinæ dorsi debilitas ab arteriis oppositis vertebralibus suo spirituoso nectare defraudatis. In Belgio hic affectus frequentior est, quia mulieres abutuntur acetariis.

CAPUT VIII.

De insigni, & vehementissima ophthalmia, cum febre, & aliis gravissimis symptomatibus, a tribus mensibus inveterata, a Medicis deplorata, cum ungula, epiphora, &c.

JOannes Paulus Faber in Via Sancti Vitalis commorans annos 45. natus, ob acerrimam (*a*) *defluxionem in oculos*, trimestri toto maximis cruciatibus excarnificatus erat. Duobus ad id accersitis Medicis, ac his nihilum juvantibus,

imo

imo malo in dies efferatiore reddito, quamvis horum præscripta ad unguem servaret, ego quoque accersor. Hominem invenio non tam morbi feritate fractum, quam pravis, & male adhibitis remediis confectum, & mortuis simillimum. (*b*) *Victum* servabat continuo refrigerantem & *humectantem absque vino*, cum hordeatis, lacte seminis melonum, & similibus. Pro remediis quot pilulas aureas, coccias, lucis maj. de agarico, potiones purgantes, &c. toto illo tempore accepit? quot item julepos, & syrupos alterantes, & roborantes, conservas item capitales: & quot a chirurgis reiteratas phlebotomias, cucurbitulas, sanguisugas in ano, & pone aures frictiones, aurium perforationes, lotiones &c. pertulit? Quid plura? intra breve tempus in hæc tormenta totum fere peculium impenderat, nec prorsus quicquam opis: Morbus in dies efferatior redditur, inflammatio geminatur, & miser tandem doloris immanitate dilaniatur. Apposita diceres omnia. Purgant, refrigerant, revellunt, derivant, & similia præstant, quæ a scholasticis hodie tradita sunt: at *Pectoribus duris dura est doctrina salutis*. Isti Galeni immemores, causa relicta ad effectus respiciunt, & cæcis oculis Andabatarum in morem pugnant. Nos illam fluxionem salsam, & acrem, (*c*) *catholicis*, *& laudanis pilulis* sustulimus brevi; & ventriculo, remediis perperam adhibitis, prostrato, specificum stomachicum dedimus. Extra ad inflationem, inflammationem, dolorem coercenda, collyrium sequens admovebatur.

Rec. (*d*) *Vitrioli Cypri* ʒ. j. tuthiæ præpar. sacch. candi, collyrii albi Rasis, an. ℈. iv. camphoræ gran. vj. aqu. verbenæ, fœniculi, euphrasiæ, rosarum, an. ʒ. iv. miscebantur pro collyrio. Sedatis doloribus, inflatione, & inflammatione, ungula apparuit, quæ cito pulvere sequenti sublata fuit:

Rec. Ossis sæpiæ ℈ j. sacch. candi ʒ. j. vitrioli ℈. ß. tuthiæ præpar. ʒ. ß. Misce, fiat pulvis subtilissi.

(*a*) *Oculorum defluxiones*. Inter omnes inflammationes nulla magis conspicua est, quam ophthalmia c In hac tenues oculorum venæ turgent, & quæ in oculorum albo obscuræ fuerant, conspicuæ fiunt: plerumque quicquid album fuerat rubescit. Summus ardor atque dolor affligit, quia acrium sæpe lacrymarum fluxionem accersit. Aliquando capitis dolori seu hemicraniæ complicatur, vel illam subsequitur. Inflammationis causa est circulatio per tenues oculorum membranas sanguinis impedita, prognata utplurimum a sale lymphæ scindente tenuissimas fibrillas ob copiosiorem spirituum animalium affluxum illas ipsas coarctante. Et quibus frequenti inflammatione pori ac viæ disponuntur, hi quavis ex causa rursum hoc malo tentantur: plethoricis, bibonibus, scorbuticis, hypochondriacis & quibus circa collum glandulæ obturatæ & obstructæ sunt, valde familiaris est. Ingravescente malo palpebra utraque intus forisque pupillaque obfuscata, adeo ut licet splendorem videre, tamen res discernere nequeant.

(*b*) *Victum humectantem absque vino*. Hic colluviem seri copiosi salsi obstructiones glandularum, firmando, & spirituascentiam deprimendo magis auget, cum e contrario vinum tenue ac validum crassos corporis succos magis resolvat ac disentiat. Meretur hic trucinari aphorismus 31. *Sect. VI. Hippocrat.* qui talis est: Dolores oculorum vini potus vel balneum, aut fotus, vel phlebotomia, vel pharma-

cia

cia solvit. Vini etiam potus sanguini motum vividiorem introducens obstructiones dissipat, & humorum crassitiem corrigit. Balneum & fotus emolliens acredinem lymphæ oculos incurrentis, si reliquum corpus purum fuerit, egregie temperat. Si ex sanguinis exundantia hoc malum oritur, phlebotomia & revellit & evacuat. Si a succo pravo fuerit, pharmaca eodem fine revellendi et evacuandi conveniunt. Hinc alio loco idem scribit, oculorum inflammationem diarrhœam solvere. *vid. aphor. 17. Lib. 6.*

(c) *Catholicis & laudanis pilulis*. Opium cum purgantibus commode quandoque miscetur, ut mirum præter finem evacuandi & acrimoniæ succorum indeque enascentis doloris sic habeatur ratio. Obtinet illud ipsum quoq; in colicis & arthriticis doloribus in singulare ægrotantium emolumentum. Hanc ob rem tam celebres laude et virtute in medendo sunt pilulæ *Wildeganſii*, item Anglicæ *D. Starkeis*, utpote quæ ex purgante et anodyno concinnatæ sunt, ut sic quasi una fidelia duos dealbemus parietes.

(d) *Vitriolum Cypreum*. Nimis hoc acre est; hinc in defluxione oculi nimis acri lædit potius, quam juvat per erodentem suam vim. Optima hic sunt discutientia et una dolorem mulcentia. Laudatur hinc aqua florum sambuci, rosarum, camphora in spiritu rosarum soluta, crocus, sief album cum opio cum pauca quantitate sacchari saturni. Interne edulcorantia, uti sunt decoctum radicis chinæ, cornu cervi, infusum berbæ Thee, addito fœnicullo stellato, eximiam opem ferunt. In dieta autem pariter et in cura abstinendum ab omnibus salinis, aromaticis, acribus, imo volatilibus, spiritus salis ammoniaci, quem oculis valde nocere olim deprehendit *D. Etmullerus*, *vid. Disputat. de usu & abusu præcipitantium*. Quosdam usu calidiorum, diureticorum et purgantium in ophthalmiam incidisse, *Auctor est Horstius l. 2. observ 30.*

CAPUT IX.

De febre nocturna cum sudore, & tremore cordis.

NObilis Domina Lucretia, quondam Domini Maximiliani de Bolognînis vidua, annos 45. circiter nata, a semestri, (a) *febre molestissima singulis noctibus* vexabatur. Invadebat cum rigore, & horrore, & desinebat cum sudore, cordis palmo his superveniente, unde in marcorem & cachexiam inciderat: Ad hæc accedebant capitis gravedo, inappetentia, siccitas, & insignis virium languor. Toto eo tempore seniorem Medicum frustra in sui opem accersierat: nam etsi varia illi de more præscripsisset remedia, tum purgantia, tum alterantia, intrinseca & extrinseca, vani tamen & irriti fuerunt ejus conatus. Hujus pertinacissimi affectus causam in succo arido, quem melancholicum dicunt, deprehensam, melanagogo extracto summovendam opportunum judicavimus: Et quia ejusmodi humore universus corporis habitus erat infectus, validum itidem remedium esse adhibendum statuimus. At his accedebat ventriculi languor & imbecillitas, ideo specificum stomachicum ei immiscuimus. Cumque morbus alte suas radices in natura defixisset, atque in visceribus crassi, & densati humores stabularentur, electuarium sequens ad quindecim dies accepit.

Rec. Croci martis ʒ.iij. spodii ʒ:j. conf. rosarum ʒ. iv. Spiritus vitrioli gr. lv. misce. Hujus dabantur ʒ.ij. pro dosi mane jejuno stomacho. Pertinax est hic affectus, & nullis unquam vulgarium medicamentorum cedit. Multos eo correptos in marasmum incidisse vidimus. Ab illa die decennio exacto semper sana vixit, & adhuc vivit.

(a) *Febre molestissima singulis noctibus*. Est e genere lentarum, quarum focus plerumque latet in primis viis & viscerum infarctu, quare lenia evacuantia & martialia, aliaque obstruentia temperata, ut terra foliata tartari, solutio oculorum cancri, tinctura martis *Zvvolfferi*, arcanum duplicatum præsentis effectus esse solent. Cum sudore utplurimum hæ febres sunt, quo etiam illæ terminantur, id quod cutis & glandularum subcutanearum nimiæ laxitati, ac pororum debilitati adscribendum est, quod etiam accidit in sudoribus colliquativis, qui circulationem sanguinis leniorem in partibus cutaneis indicant: Tono etenim suo hæ orbatæ caussant subsistentiam sanguinis, & sic seri ab ipso faciliorem efficiunt separationem.

CAPUT X.

De Ischiade pertinaci, atrocissima, funestissima & deplorata, unde claudus, & impotens crurum & pedum, cum continuo dolore.

JOannes del Borgo Lapicida, annos 40. natus, in foro Boario commorans, quadrimestre (a) *ischiadico dolore acerrimo* excruciabatur; a quo claudus, & impotens factus, multa impune ex Medicorum consilio expertus erat remedia. Misera hominum conditio in hoc paupere maxime enituit; satis enim non fuit, tot malis sufferendis imparem esse, verum & totum peculium, ex tenui fortuna partum, in Medicos, & Pharmacopolas amisisse. Deus omnipotens suæ creaturæ non immemor, firmissimam sanitatem per nostras manus sic ipse restituit. Primis diebus (b) *pilulas catholicas* per tres dies accepit, quibus multum bilis, & pituitæ evomuit, atque dejecit. (c) *Semicupium* postea imperavimus hoc modo.

Rec. Radicum bryoniæ lib. ij. rad. ebuli fasc. iv. baccarum juniperi lib. j. fol. primulæ veris, ivæ arthriticæ, menthæ, majoranæ, salviæ, rorismarini, chamomillæ, meliloti, an. m. iv. Parabatur in s. q. aqu. commiss. A semicupio partem detergendam tantum judicavimus, unctionem ut moris est, consulto omittentes. Sexies impositus est in semicupio, mane 4. horis ante prandium. Sex diebus elapsis sequens admovebatur emplastrum.

Rec. Picis navalis ℥. iv. Sulphur communis subtiliss. triti ʒ. iij. Mastiches ʒ. ij. Terebinthinæ communis ℥. ß. Miscebantur, & super alutam extensum Empl. coccygi locoque dolenti admovebatur.

(a) *Ischiadico dolore acerrimo*. Uti omnis arthritis, sive etiam ischias species spasmi sive morbus spasmodicus est, quare etiam contracturam facile post se relinquit. Quoniam profundius mali caussa residet, difficulter sanabilis hic morbus est; dum vastis musculis, quibus femoris articulatio tegitur, remediorum accessus impeditur.

(b) *Pilulas catholicas*. In affectu ischiadico prima regio & acido viscida pituita & flatulentiis utplurimum oneratur: alvus constricta ac tensa est, quæ etiam purgantium fortiorum vim (non præmissis debitis digestivis & acidi correctivis) eludere solent. Commendationem autem merentur ex gummatibus, mercurio dulci, addita pauca quantitate mercurii vitæ concinnata, quippe quæ potentissime obstructiones resolvunt, & tenaces humores fundunt. Plethoricis, sanguineis, qui quamplurimum hoc affectu corripiuntur, venæ aperitio vel hæmorrhoidum fluxus præsentissimum levamen afferre solet. Et intercepta harum evacuatio vel intermissio in illis, quibus olim fluere assuetæ erant, parit hunc affectum: si fluxus

hic

hic in ordinem iterum redigitur, protinus & cessat malum.

(c) *Semicupium*. Balnea ex nervinis & antispasmodicis poros aperiunt, nervos solantur, & subsistentes humores discutiunt: Illis præmissis, felicius operationes suas exerunt emplastra, linimenta penetrantia & demulcentia. Ante ingressum autem balnei sudoriferum v. g. spiritus cornu cervi succinatus, spiritus tartari volatilis cum spiritu sulphuris vel vitrioli purus in usum vocari debent, quo copiosissime sudent.

CAPUT XI.

De loquela amissa, casus notatu dignus.

DOminus Alexandri Donini filius, in communi Zollæ Prædosiæ villicus, annos 18. natus, ex procera quercu humi lapsus, (a) *omnem loquendi potentiam* amiserat. Id contigisse ex cerebri concussione, nemo est qui ignoret, facultate motrici nervos tertiæ conjugationis, & musculos linguam moventes relinquente, & ad suum principium recurrente, vel eadem oppressa sanguinis multitudine eo confluxa. Utcunque sit, nullus tumor intus, nec extra apparebat, nullus dolor, nec inflammatio: tamen intra fauces, membranas & musculos, pituitæ, humorisque crassi & viscidi multum confluxisse suspicatus, medicamentum purgans dictum humorem ipsi dedimus; ad quod cum nullum præstantius, ac hujus conditioni magis opportunum, magnesia saturnina judicarem, de ea iv. grana cum jusculo carnis dedimus, a qua multum crassi & viscidi humoris per os & nares emisit, sensimque vocem recuperavit. Interim julepos attenuantes, & dissolventes præscripsimus, ut iidem humores ad expulsionem magis idonei facti, citius facilius expurgarentur.

Fuerunt autem ex rad. fœniculi, ℥j ß. fol. verbenæ, absinthii, agrimoniæ, pimpinell. capill. vener. an. m. j. In colat. ℥. vj. dissolvebatur ℥. j. syrup. limonum.

(a) *Omnem loquendi potentiam*. Non solum perit loquela ex apoplexia, sed quando recurrentes nervi copiosis humiditatibus etiam obsessi sunt. Exempla habent *Schenckius & Bartolinus*, quod a tumore in ista regione, ubi insertio est nervorum quinti paris aphonia facta fuerit. Juvant tunc emplastra balsamica nervina collo applicata. A nimia humiditate laryngis musculos resolvi, exemplum habet *Tulpius*.

CAPUT XII.

De hydrope, jecoris, & lienis tumore, febre lenta, mensium suppressione, & aliis sympt.

DOminica Pelegrini de Fusariis uxor, in via *de Mirasol*, annos 30. nata, a tribus mensibus (a) *præduros tumores in utroque viscere* patiebatur, quibus hydrops ascites infeliciter successit, cum febre lenta, anorexia, vigiliis, inexplebili siti, mensibus ipsi jamdudum suppressis. Traxerant originem ejusmodi tumores a remediis perperam exhibitis in ciendis mensibus, & a pravo victus regimine sic a Medicis instituta, ob febriculam a mensium retentione obortam, cui sua humectantia & refrigerantia exhibentes, ut

hordeacea emulsiones, & aquam coctam, pervicaciores, & altiores obstructiones pepererunt, quibus postmodum hydrops successit. (*b*) *Cathartica* etiam sæpe *reiterata*, ut & phlebotomiæ, calorem imminuunt, radicale humidum absumunt, & animal tandem ad interitum deducunt. Primis diebus sulphur metallorum bis in die dabatur, cum pauxillo olei balsamici vitrioli, quo ventriculus meliuscule se habuit. Noctu in ingressu lecti parum theriacæ cum tantillo conf roſar. abdomine paulo subsidente, & febre propulsata: nec non ventriculi robore restituto, croc. m martis cum conserva rosarum ad pluſculos dies dedimus. Quibus pristinæ sanitati restituta fuit, vivitque ab hac cura decennio elapso, quotannis natos utero feliciter gerens, citra minimum sanitatis incommodum.

(*a*) *Præduros tumores in utroque viscere*. Hepar, quoniam sanguinem dispensat et ex vena portæ in venam cavam mediante tono suo infundit et impellit, si deficit in robore suo sanguis crassus ibi subsistens lentiori sua circulatione deponit in ejus glandulis viscidas sordes, sicque illud viscus infarcit, indurat, scirrhumque parit; unde non tantum bilis, quæ humorum vitalium, sanguinisque balsamum est, secretio impeditur, verum etiam sanguinis circulatio per interiores abdominis partes, quas vena portæ attingit, retardatur; unde et lien a sanguine infarcto tumidus apparet. Uno verbo ad affectum hypochondriacum flatulentum, intestinorum tensionem, urinæ suppressionem et hydropem ascitem via panditur. Anatomen hydropici, ubi hepar scirrhosum et induratum, exsuccum, venæ mesaraicæ autem quasi glutinosa materia vvie ein Dart repletæ inventæ fuerunt *ephemer. Germ. Dec. 2. ann. 9. obs. 2.*

(*b*) *Cathartica reiterata*. Purgantia fortiora spasmodice agunt in intestina; omnis autem spasmus constrictione quadam fit, hinc fibræ intestinales magis coarctantur, pori clauduntur; qui alias liberum transitum vaporibus in intestinis suscitatis concedunt, quare præposterus purgantium usus tumorem abdominis auget, et flatulentiam majorem ingignit, tympanitidem accersit.

CAPUT XIII.

De *pervicaci*, & *atrocissimo ischiadico dolore*.

PErillust. Dominus Gaspatus de Herculanis, annos 37. natus, ischiadicis doloribus acerbe conflictatus, qui ullis remediis consanescere potuerat, etsi apposite datis. Primis dolorum insultibus decocto cholagogo, & melanagogo purgatus fuit ad 15. dies, nec tamen multum opis inde retulit. Dolor ad breve tempus recurrit, quapropter radices altius in natura defixas habere morbum, a resistentia deprehendi. Hinc pilulis nostris catholicis eas evellere, & penitus averruncare statuimus. His ergo reiteratis, & dolore adhuc non in totum sublato, (*a*) *semicupium* sic ipsi imperavimus.

Rec. Radicum ebuli, bryoniæ, an. lib. j ß. baccarum juniperi, lauri, an. lib. j. fol. ivæ artheticæ, rorismarini, salviæ, menthæ, majoranæ, primulæ veris, an. fasc. iij. flor. stœchados, anthos, camomillæ, an. p. iij. Coquebantur in aq. communis s. q. pro semicupio. Et ut pars affecta pristinum robur adipisceretur, & humor illic firmiter hærens penitus excideretur, sequens emplastrum ad aliquot dies parti dolenti admovimus.

Rec.

Rec. Picis navalis ʒ.iv. terebinth. ʒ.ß. maſtiches Chiæ, ſuccin. an. ʒ.ij. ſulphuris communis ſubt. triti ʒ.ß. miſce, fiat cerotum.

(a) *Semicupium*. Hæc, nec non balnea, in ſtatu plethorico et in iſchiatide calida ante uſum evacuantium et venæſectionis magis nocuiſſe, quam juvamen attuliſſe obſervata fuerunt, quandoquidem ſanguinem rarefaciendo et dilatando calorem et dolorem adaugent. Idem tenendum circa calida acria et ſudorifera volatilia, quæ ſtatim in morbi principio adhibita in majorem ebullitionem ſanguinem conjiciunt.

CAPUT XIV.

De catarrho falſo pertinaci, maligno, & Medicis pro incurabili habito.

DOminus Gaſparus Cantinella, annos 40. natus, tunc in via *Di Galiera*, à 9. menſibus moribundus, & omni Medicorum ope deſtitutus, cum enim illi per tantum tempus fruſtra adhibita fuiſſent varia remedia, tanquam faſcinatus ad unicum Exorciſtarum auxilium relegatur: a quibus nec pariter quicquam levaminis reportat: Tandem noſtrum quoque implorans conſilium, ipſi longe ſalubriora, quam quæ hucuſque adhibita fuiſſent, certe polliciti ſumus. Etenim quum primum catarrhi falſi & pravi, fontem & originem, (a) *jecore, & liene induratis* deduci judicarem, & hæc (b) *a pravo victus regimine*, eaque aucta remediis perperam adhibitis: curationis exordium duxi a ſpecifico ſtomachico, quo viſcerum obſtructionibus reſeratis, decoctum melanagogum, & cholagogum, ad 20 dies præſcripſimus, intra quod tempus priſtinam recuperavit ſanitatem.

Ejuſcemodi decoctionum formulæ habentur *initio lib. noſtri de ſecretioribus med. præparat.* Memores interim eſtote, plures morbos lamiis tribui immerito, quos qui curare ignorant, ſuper phyſicas habere cauſas mendaciter aſſerunt.

(a) *A jecore & liene induratis*. Catarrhi falſi per longum tempus affligentes originem ſuam ac fontem utplurimum habent in primis viis, hinc hypochondriaci pene omnes ſunt catarrhoſi: Viſceribus induratis ſordes ſalinæ excrementitiæ ſanguinis non rite repurgantur et ſanguis craſſior ac limoſior gignitur. Optimum hinc conſilium tali in ſtatu obſtructiones primis in viis tollere et medicamentis balſamicis, ex quibus primas tenet noſtrum Elixir ſic dictum balſamicum digeſtioni ſuccurrere.

(b) *Pravo victus regimine*. Quævis acria nec non ſalita infumata, et difficilioris concoctionis, nec non cereviſiæ craſſæ, potus ſpirituoſi, ebrietas, vita otioſa & ſedentaria, aeriſque ſubita mutatio, alvus adſtricta ad catarrhales morbos valde diſponunt.

CAPUT XV.

De raro uteri affectu ſuffocatorio, cum atrociſſimis, & horrendis doloribus per plures dies ſæviente.

DOmina Catharina Domini . . . . . de Ruſticellis uxor, annos triginta nata, in via vulgo *della Maſcarella*, annos 7. elapſis in graviſſimos

uteri affectus incurrit: & primo in strangulatum, nonnullis (a) *caducum uteri* dictum, & vere quidem, quod in his affectibus veluti epilepsiæ quadam specie mulieres detineri videntur. Per intervalla redibat ejusmodi affectus, & pluries in die. Hunc præcesserat immanis, & acerbissimus dolor in infimo ventris, (b) *sub pectine, & inguinibus*. Interdum fundebat per alvum materiam pellucidam, vitro fuso persimilem. Nausea, inappetentia, & vigiliæ perquam molestæ concomitabantur isthæc: febris item lenta, alvi siccitas, & alia. Primis diebus corpus totum purgavimus potione sequenti.

Rec. Agarici trochiscati ℈.iv. infund. in aquæ arthemisiæ ʒ.iv. facta colatura dissolv.elect.diaphœnic. 3.v. mixtis, fiat potio. Sequentibus diebus, ad uterum expurgandum, excalfaciendum, & roborandum, dabatur ipsi jusculum arthemisiæ, matricariæ, absinthii, tanaceti, & prassii albi. Interea (c) *instante hora paroxismi*, capiebat 3.ij. aquæ theriacalis cum camphora. Aliquando guttulas duas ol. succini. Suffitus etiam parabatur cum assa fœtida, & galbano, eumque per os & nares excipiebat. Diebus duodecim elapsis, morbo adhuc sæviente, (d) *sequentes pilulas* præscripsimus.

Rec. Aloes Suecotrin. ʒ ß Myrrhæ Troglod. oppoponacis, ammoniaci, an. ℈ ij. ß. Mastiches, 3 j. Croci Orientalis, ℈.j. Croci martis reverberati, 3. iij. ß. Cum syrupo de arthemisia, fiat massa, cum 3.j. Sumebat quotidie mane in tres pilulas: & eo tempore quieverunt omnia, atque sensum recuperavit sanitatem, nec ab illo tempore incommodum sentit.

(a) *Caducum uteri*. In graviori affectu hysterico epileptica quædam visuntur symptomata, nimirum pollicum contractio, stridor dentium, oculorum rotatio & omnium sensuum abalienatio, quæ cuncta proveniunt a spasmo vehementiori interiorum partium nervosarum abdominis, hisce firmiter constrictis sanguinis circuitus per has partes impeditur, hinc majori impetus in partes superiores ruit, in pulmonibus & corde summas anxietates suffocatorias, in cerebro sensuum abalienationem & parvam epilepsiam producit.

(b) *Sub pectine & inguinibus*. Affectio hysterica est morbus spasmodicus, cujus causa latitat vel in hypochondriis, vel in ipsis partibus genitalibus. Primas vias & hypochondria affecta esse, testantur ejus cardialgiæ, flatus & borborygmi ventris, vomitiones acidissimæ viridis bilis, tensiones circa hypochondria, alvi adstrictio, dejectiones viscidæ mucosæ materiæ per alvum. Simile annotavit quoque Dominus A. in ægra, quæ fundebat materiam per alvum pellucidam, vitro fuso per similem. Sic extat quoque *Observat. 69. centur. 1. apud Riverium*, ubi hysterica per alvum excrevit materiam quandam pituitosam compactam & latam fasciæ instar palmi magnitudine, postea vero per aliquot sedes materiam mucosam.

(c) *Instante a paroxysmi*. Antispasmodica, carminativa & deobstruentia optima sunt antihysterica. Et quicunque novit sanare spasmum & hypochondriacum affectum, ille & perfecte sanabit hysterica pathemata. In paroxysmo instar omnium est spiritus salis ammoniaci castorinus cum camphora, vel etiam pro re nata cum essentia anodyna nuptus & datus intrinsece cum aqua florum aurantiorum, quæ egregia carminativa & refocillans est. Hoc remedio in momento levari solent ægrotantes, si præter id etiam alvi habeatur ratio, ut illa libera fiat beneficio clysteris carminativi.

(d) *Sequentes pilulas*. Radices hujus affectus sedato paroxysmo præscindunt omnium optime gummata & maxime fœtida mixta cum martialibus, sale cornu cervi, succini, & oleo carminativo, & possunt componi sequentes pilulæ antihysterica

ſtericæ. Accipe Gummi ſagapeni, ammoniaci, myrrhæ electæ, aſæ fœtidæ ana drachmam ſemis, extracti caſtorei, trochiſc. alhandal ana grana 12. ſalis volatilis cornu cervi, ſalis ſuccini, mercurii dulcis ana grana 8. camphoræ grana 6. limaturæ martis drach. 1. Miſce, fiant cum eſſentia ſuccini pilulæ ex ſcrupulo 1. numero xx. de quibus capiat ægra ſingulo die 14.

CAPUT XVI.

De aſthmate vehementiſſimo, & deplorato, cum inſigni cordis palpitatione, menſium ſuppreſſione, &c.

DOmina Camilla de Acariſiis, prope Collegium de Montalto in via, quæ vulgo *San Mammolo* dicitur, annos 35. nata, (*a*) *in vehementiſſimum aſthma*, cum inſigni cordis palpitatione a ſex menſibus incurrerat. Tanta erat hujus horrendi affectus vis & impetus, ut crebro vitam cum morte maturata videretur. In eo debellando alterius Medici conſilio per multum temporis fruſtra uſa erat, nec pepercit ullis remediis, tam chirurgicis, quam pharmaceuticis. Advocatus morbum in bronchiis pulmonum ſtationem, firmamque ſedem habere quam primum agnovit: quapropter curam eo eſſe dirigendam ſtatui, ut crudos, atque viſcidos humores inde educerem, quod facillime præſtitit vomitus. Hic bis in hebdomade concitatus per pilulas catholicas, cito, & tuto morbi radices evulſit. Etenim ſequenti nocte, poſt primam aſſumptionem dictarum pilularum, quieſcere cœpit, & quæ prius tota nocte errabunda vigil per cubiculum deambulaverat, in lecto blande dormivit. Et quia (*b*) *cauſa fovens erat menſium ſuppreſſio*, apozema aperiens ad aliquot dies, tabellula ſequenti prius devorata accepit.

Rec. Galangæ, macis, cinnamomi, an. ʒ. ß. ſem. aniſi, fœniculi, an. ℈. j. croci martis reverberati ʒ.ij. ſacchari albi aqua arthemiſiæ ſoluti, & cocti, ʒ. iij. miſce, fiant rotulæ, quarum accipiebat ʒ. j. ſingulis diebus mane: deſuper bibens ʒ.vj. apozematis, cujus hæc eſt deſcriptio.

Rec. (*c*) *Rad. valerianæ*, altheæ, aſparagi, an. ℥j. ß. fol. arthemiſiæ, calendulæ, pulegii, abrotani, pimpinellæ, an. m.j. Bulliant in ſ.q. aquæ cicerum rub. In colat. lib.iij. diſſolve ſacchari albi ʒ.viij. aromatizetur ʒ. ß. cinnamomi, & ʒ. ß. croci Orientalis.

His redierunt menſes, & tam firmam adepta eſt ſanitatem, ut ne a decennio quicquam moleſtiæ perſenſerit.

(*a*) *In vehementiſſimum aſthma*. Aſtma fit, quando ſanguis non libere per cor & arterias circulatur, ſed ibi ſubſiſtit, angorem, ſuffocationis metum, cordis palpitationem & ſyncopem non raro excitat. Eſtque aſthma vel humidum vel ſiccum, ſiccum ſpaſmodicum eſt, & quaſi pulmonum apoplexia; Humidum autem vel ſanguineum vel pituitoſum: hoc diuturnum eſſe ſolet, & fit a muco tartareo cellulis pulmonalibus impacto. Illud autem fit a ſanguinis impetu ad pulmones vergente, et tale obſervatur maxime a ſubito ſuppreſſis et repreſſis hæmorrhagiis, et a ſpaſmo partium ſanguinearum abdominis.

(*b*) *Cauſſa fovens erat menſium ſuppreſſio*. Hac colluvies et collectio fit ſanguinis ſeroſi impuri in corpore; pulmones autem cum corpus ſint laxum, ſpongioſum,

sum, porosum, in eorum cavernulis facile ibi pituitosæ, viscidæ, mucosæ sordes subsistunt, & asthma pariunt.

(c) *Radix valerianæ*. Specifica emmenagoga, quæ sanguinem rarefaciunt & venas uteri aperiunt, sunt potissima hæcce, nimirum sabina, crocus, myrrha, succinum, cinamomum, radix valerianæ, artemisia, pulegium, baccæ lauri, omniaque salia volatilia oleosa: Quæ tamen nunquam adhibenda sunt, nisi prius copia sanguinis dempta per venæsectionem fuerit, & impuræ serosæ sordes debitæ expurgatæ. Alias vitiosam humorum colluviem agitando & ad uterum illum movendo obstructiones in ejus venis firmiores ingignunt & alia graviora symptomata accersunt.

CAPUT XVII.

De tertiana febre, cum gravissimo dolore ventriculi.

DOmina Laura Sciatica, puella annorum 14. superioribus annis duplici tertiana spuria graviter cum (a) *acerbissimis ventriculi doloribus* vexabatur. Ei occurrendo, viam communem insequuti sumus, dando ei minorativum, ut dicunt, ex mannæ Calabrinæ ʒ.j.ß.& syrup.ros.sol. ʒ.ij. cum decocto fl.& fruct. cum sena. Pro syrupis, seu julepis decoctum cichorii, endiviæ, fumariæ, cicerbitæ, lactucæ, acetosæ & pimpinellæ. His nihilum proficientibus, imo ventriculi dolore efferatione reddito, specificum stomachicum nostrum cum aliquot granis antipyreti ad tres dies dedimus, quibus dolor, & febris penitus recesserunt. Qui his sunt destitutis remediis, ægros sæpe interficiunt, aut morbos in longum protrahunt.

(a) *Acerbissimis ventriculi doloribus.* Si per aliquot menses circa ventriculum & lieni regionem dolores vehementissimi & indesinentes urgent, ita ut præ dolore & vigiliis macies corpori inducatur, frustra datis evacuantibus, anodynis, sæpissime obstructio scirrhosa subest vel ipsius pancreatis, vel etiam ipsius pilori & duodeni, quale exemplum refert *Riverius in observat. 90. centur. 1.* alias omnia antispasmodica, anodyna carminativa omne absolvunt tali in casu punctum.

CAPUT XVIII.

De angina cum febre, &c.

DOmina Lucretia de Nasis vidua, *nelli Vinazzi* commorans, annos 30. nata, (a) *angina acerbe conflictabatur*, cum febre ardenti, gravi spiritu, & aliis gravissimis symptomatibus. Cum primum accersiti, venas sub lingua tundendas curavimus. Inflammatione & dolore mitioribus factis, (b) *potionem ex agarico*, sena, syrupo rosato sol. cum elect. de succo rosarum ad ʒ. ij. exhibuimus. Syrupis postmodum ad aliquot dies haustis, facillime curationem absolvimus. Communibus utimur remediis, quando morbi non sunt pertinaces, & præ manibus morbo accommodata remedia habemus. Ea tamen si chymice parentur, tutius, jucundius, & facilius succederet uniuscujusque remedii operatio, & æger jam morbo oppressus medicaminis ingrato sapore, & odore non terreretur.

(a) *An-*

(*a Angina acerbe conflictabatur*. Est hæc non tantum pediſſequa febrium ardentium, verum etiam ſoboles ſcorbuti & ſanguinis æſtuantis copioſi ſalini, maxime ſi tranſpiratio in taliſmodi corporibus a frigore extrinſeco impeditur. Similem effectum obſervavi ex nimia ira. Sanguinis miſſio tum e brachio, tum e venis raninis neceſſario tunc eſt, poſtea alvus enematibus aperienda, & nitrum cum camphora ad inflammationem avertenda propinanda eſt. In quacunque angina ſpuma oris obſervatur, ſummum periculum præſens eſt, ſit hæc dum arteriæ tum fibræ pulmonales & arteriæ aſperæ per conſenſum ſpaſmodice contrahuntur. *Fernelius Lib. 5. Pathologiæ c. 9.* teſtatur ſe octodecim horarum ſpatio angina correptum e medio ſublatum ſæpe vidiſſe conſtante mente integriſque ſenſibus.

(*b*) *Potionum ex agarico*. Inflammatione & dolore mitioribus factis pilulæ purgantes vel potio laxans exhibenda eſt: Purgantia enim in omni difficultate reſpirandi, item angina ſuſcitata a rapido motu ſanguinis calidi ad fauces, præſentaneum levamen afferunt, quippe purgando vaſa primarum viarum deplentur, unde humoribus circa fauces ſtagnantibus via panditur ad depleta vaſa ſubeunda. Notabiles hiſtorias de uſu purgantium eximio in angina & faucium moleſtia notavit *Antonius de Heyde obſerv. 1. & 2.*

CAPUT XIX.

De ſuppreſſione urinæ.

ADmodum R.P.D. Antonius Bononienſis, Monachus Cæleſtinus in Cœnobio D. Stephani, annos 40. natus, a tribus diebus (*a*) *urinæ ſuppreſſionem* patiebatur, cum graviſſimis doloribus in pectine, & inguinibus, febre, convulſionibus, & aliis graviſſimis ſymptomatibus. Tot mala fuerunt ſuſcitata (*a*) *candelis quibuſdam cereis* unguento pro carunculis atterendis illitis, quas ſingulis diebus intromittebat in virgam, ex conſilio cujuſdam agyrtæ. Quum primum advocatus eſſem, ſequens enema ipſi præſcripſi.

Rec. Decoct. communis clyſt. carminat. ℔ j. elect. de baccis lauri, benedict. laxat. an. ʒ. vj. terebint. communis, ʒ. j. ol. anethini ʒ. iv. miſce, fiat clyſter. Reddito clyſtere, fotum pectini admovendum juſſimus.

Rec. Baccarum lauri, bacc. juniperi, ſem. cymini, fœniculi: an. ʒ. iv. fol. rutæ, abſinthii, majoranæ, praſſii albi, origani, calament. pulegii, an. m. ij. Bulliant in ſ. q. vini, & aqu. Poſt fotum inungebatur pars affecta ol. ſcorpionum. Intro dedimus guttas 4. olei vitrioli cum juſculo pulli. Et his brevi, & intra tres horas convaluit.

(*a*) *Urinæ ſuppreſſionem cum graviſſimis doloribus*. Variæ ſunt cauſæ ſuppreſſæ urinæ, vel calculis in viis urinariis hærens, vel etiam ſpaſmus illarum viarum, quo ipſæ anguſtantur & conſtringuntur; unde patet, cur colicæ ſpaſmodicæ doloribus ureterum a calculo graviſſimis complicetur his affectus. Omnes etenim dolores aliquid ſpaſmodici fovent. Confirmat illud ipſum aſſertum hiſtoria ſingulari *Binnettus in ſepulchreto Lib. 1. obſervat. 13.* Nimirum refert, puerum a caſu in occipitium poſt alia ſymptomata demum cum ventris intumeſcentia per aliquot dies ad interitum uſque in iſchuriam minus ſolubilem fuiſſe conjectum, ipſo autem defuncto urinam per horæ quadrantem continuo profluxiſſe, ſpaſmis ſcilicet veſicæ ceſſantibus.

bus. Præter ſpaſmum etiam ſanguinis copia circa renes et vaſa nimium repleta et diſtenta affectum hunc producere poſſunt, uti illud ſæpius fit in nephritide, ubi phlebotomia largior in manu celebrata affectum ſuppreſſorium illum ſanat, poſſunt de hac re notabiles hiſtoriæ legi apud *Riverium, vide centur. 1. obſervat. 1. & obſerv. 89.*

(*b*) *A candelis cereis*. Dolores ab applicatione candelarum acri medicamento pro caruncululis abſumendis imbutarum enati fuerunt, ſimiles obſervationes tradit *Hildanus in centur. 5. obſerv. 54. & obſerv. 59.* Conveniunt tunc anodyna et antiſpaſmodica remedia, quæ ſpaſmum ſiſtendo vias laxant.

CAPUT XX.

De lue venerea, cum hydrope, cura rara, & admodum difficilis.

POmpejus de Blanchis *nella Maſcarella*, annorum 18. ab aliquot menſibus luem veneream cum puſtulis, pilorum defluvio, ſcapularum, & brachiorum nocturnis doloribus, & aliis ſymptomatibus contraxerat. Is eo in ſtatu intemperanter vivens, hydropem (*a*) *anaſarcam dictæ lui ſuperaddidit*, in quo affectu totum corpus mirifice intumuerat, capite, brachiis, abdomine, & cruribus eodem tumore æqualiter diſtentis. Urina alba erat, craſſa, jumentorum urinis valde diſſimilis, & in magna quantitate, contra hydropicorum conſuetudinem. Sitis in eo ingens erat, cum perpetuis vigiliis, febre lenta, & aliis. Hydropem a vigiliis illis continuis, ob nocturnos dolores a lue venerea concitatos, traxiſſe originem minime diffido. Fit & propter vigilias maximus crudorum proventus, nulla fit, aut exigua inſenſibilis tranſpiratio, ſitis excitatus, hinc largior potus, unde hypochondriorum refrigeratio, a quibus flatus, & aqua. Ad tot mala propulſanda, methodo quam facili uſi ſumus. Primis diebus, ut lues, primarius affectus, ſummoveretur, medicamentum ſiccum nobis in inveteratis morbis Gallicis uſitatiſſimum uſurpavimus, (*b*) *extractum videlicet antivenereum*, de quo in noſtra *Pharmacop. Spagyrica*. Et ut ſimul hydrops expugnaretur, ipſi extracto immiſcuimus ſulphur metallorum: quibus brevi priſtinæ ſaluti reſtitutus fuit. Evacuatio in hoc affectu fere nulla fuit. Virus Gallicum, ut admittitur, ita ejicitur. Hydrops leucophlegmatia, per concoctionem, & non per evacuationem ſubigitur. His evictis, cuncta evanuerunt ſymptomata. Vos interim in conſilium advoco rerum Chymicarum oſores: quæ indicationes? quæ remedia? præmittere cathartica, & phlebotomias omnino mortiferum; decoctionum, & actu humidorum uſus ſuſpectus eſt. Sunt pulveres, electuaria, tabellulæ, pilulæ, & ſimilia, ſed invalida cuncta. Docti me intelligunt, ignaros, & loquaces pſittacos non compello.

(*a*) *Anaſarcam dictæ lui ſuperaddidit*. Gallica lues & anaſarca facile ſororiari et complicari poſſunt: in utroque enim ſanguis limoſus & tenax eſt, qui in habitu corporis hærens intumeſcentiam gignit; Lue hac infectorum e vena emiſſus glutinoſus utplurimum conſpicitur. Notabile eſt, quod ſcribit *Nicolaus Maſſa in Tomo I. Epiſtola 30.* ſe nimirum cadavera innumera morbo Gallico defunctorum ſecaſſe, quorum ductus ac venæ pituita alba viſcida plenarie obſeſſæ fuerunt,

pau-

paûco in illis exiſtente ſanguine.

(*b*) *Extractum antivenereum*. Poteſt tale parari ex reſina ligni guajaci, aloes, laudani, mixta cum mercurio dulci ſeu mercurio albo præcipitato, addito oleo ligni ſaſſafras; hoc in pilulas redactum per menſem ad minimum integrum exhibendum eſt. De quibus æger capere debet quatuor horis maturinis & totidem pomeridianis, non omiſſo uſu pilularum purgantium; ſic perfecte gallice luis ſymptomata, ſi non adeo inveterata ſunt, citra ullam moleſtiam expugnari poſſunt.

CAPUT XXI.

De repentina corporis inflatione, cum puſtulis exiguis, pungenti dolore febre lenta, marcore inſigni.

PAris de Schiettis, ex his quos *torlidores* appellant, annum 25. agens, in via, quæ vulgo *di San Mammolo*, commorans, a multis annis inauditæ, & planæ portentoſæ totius corporis intumeſcentiæ, cum puſtulis exiguis, & permoleſto dolore obnoxius erat. Suſcitabatur ejuſmodi inflatio cum febre, nauſea, ſiti, & vigiliis ad menſem ſæpe permanentibus. Alios Medicos etſi conſuluiſſet, nihil opis ab his tamen retulit, illos quandoquidem morbi cauſa lateret, & ex eo quod continuo refrigerantia, phlebotomias, & purgantia in ejus curam advocarent, a quibus pravam corporis habitudinem nactus, in maraſmum incidebat. Ego mali cauſam in (*a*) *pororum cutis aſtrictione* conſiſtere certo ſciens, ad eorum laxitatem promovendam omnem medendi methodum direxi. (*b*) *Balnea* ad hoc perneceſſaria in principio præſcribere non erat locus, quod adeſſet ſumma virium proſtratio, & marcor inſignis, ventriculi nauſea cum apepſia. Quare quam primum ipſi dedimus ſtomachici noſtri ſ.q. cum tantillo auri diaphoretici, quibus febris evanuit, appetentia rediit, & vigiliæ ceſſarunt. Balneum poſtmodum imperavimus ex aqua dulci. Victus fuit humectans, & mediocris. Jam 13. anni elapſi ſunt ab hac cura, a qua ſemper feliciſſime vixit, nullis morbis obnoxius. Quid ergo cornicamini viperinæ linguæ? intra annum (dicitis) intereunt, qui Chymicis remediis utuntur. Aſini ſpernunt, quæ ſuis non arrident palatis.

(*a*) *In pororum cutis adſtrictione*. Intumeſcentiæ inſolitæ abdominis et corporis cauſſa in morbis adſcribi merito debet ſpaſmo vehementiori partium muſculoſarum carnearum. Et ſolennis talis intumeſcentia corporis poſt venena aſſumpta cauſtica, quæ ſpaſmodica conſtrictione et corroſione tragœdias ſuas ludunt: Conſtrictis autem poris humores ſubjecti in fermentationem adacti vapores emittunt, quibus cum liber tranſitus denegetur, mirum attollunt & extendunt circumjacentes partes.

(*b*) *Balnea*. Præprimis ex antiſpaſmodicis nervinis et emollientibus herbis parata egregiam omnibus pathematibus, affectibus etiam dolorificis opem ferunt, poros aperiendo, illoſque laxando, et acrimoniam humorum mulcendo.

CAPUT

CAPUT XXII.

De cæcitate, & graviſſimo oculorum dolore a multis menſibus deplorato & Medicis incurabili habito.

DOmina Urſina Franciſci Camerini ſartoris uxor, in via *del Chiavadore* commorans, annum 30. ſuæ ætatis agens, a tribus menſibus oculorum ſuffuſionem contraxerat, cum acerrimo, & (a) *acutiſſimo dolore*: cui ut ſubveniret alter Medicus, multa toto illo tempore incaſſum remedia dederat. Imprimis purgationes reiteratas, julepos, & ſyrupos capitales, & alterantes, pilulas etiam plures reiteretas, coccias, de agarico, lucis, & ſimiles; phlebotomiis, ſanguiſugis, cucurbitulis, frictionibus, & aliis medicis tormentis minime omiſſis, imo pluries repetitis: evacuationibus ſemper præmiſſis; cauteriis in utroque brachio concitatis, atque in nuca ſetone. Quid? miſellam tot crucibus dilaniatam, mortem potius quam vitam oppetere vidiſſes. Medicos, Pharmacopœos, & Chirurgos perhorreſcit ipſa, & eorum quæque non remedia, ſed venena appellitat: nec ſine cauſa; nam his invitis, morbus ſemper invaluit, & ad morbi ſævitiam, loco remedii, cruces & flagella addita fuerunt.

Quis non mecum malam mortalium ſortem ingemiſcat? Videte proximum languoribus, & doloribus dilaniatum, & auxilii loco graviores morbos, flagella, & cruces ipſi imponi! O cæcas mentes! Quid vobis confert titulorum honos, & gloria? Petenti panem dabimuſne ſcorpiones? Abſit, nobis præfixa charitas in omnibus noſtris prævalcat ſemper. Itaque diris his malis afflictam ſequenti methodo brevi ſublevavimus.

Nauſeabundo ventriculo, tot remediis perperam adhibitis fracto & dejecto, tanquam patti publicæ, ſine qua nulla corpori actio perfecta eſſe poteſt, ſtomachicum pulverem noſtrum ad aliquot dies dedimus: eo ſenſim prava ſymptomata a remediis malorum Medicorum ſuſcitata evanuerunt. Roborato ventriculo, decoctum cholagogum, & cephalicum ad 20. dies accepit, a quo cæcitas, & dolor penitus receſſerunt, atque priſtinæ ſanitati reſtituta fuit, nec a decennio poſt curam ullum vitæ incommodum perſenſit,

(a) *Acerbiſſimo dolore*. Dolor oculorum inflammatorius ſcorbuticis admodum familiaris eſt; hinc arthriticis etiam communis. Videtur ille dolor nihil aliud quam ſpaſmus tunicarum oculi ſubtiliſſimarum cum circulatione lymphæ ac ſanguinis per has partes impeditiori. Cauſſam hic ſuggerit ſal acre ex maſſa humorum præcipitatum & circa tenſiles membranarum oculi fibrillas hærens. Obſervavi hunc affectum ex retropulſis in facie puſtulis per medicamentum externum adſtringens. A tinea capitis repercuſſa externo remedio olim in milite conſpexi intenſiſſimam oculi inflammationem cum ſuppuratione & ſubſequente cæcitate. Sanguinis miſſione, purgantia, cucurbitulæ, veſicatoria revellendi fine equidem utilia; aſt non omne punctum abſolvunt, ſi fomes morboſus eſt in maſſa ſanguinea, Antiſpaſmodica, diſſipantia, camphorata et anodyna tam interne quam externe deſideratiſſima ſunt. Si autem in abdominis partibus obſtructis radicatur malum, acidulæ, martialia, nitroſa et leniora evacuantia in uſum trahenda ſunt.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De duplici tertiana cum atrociſſimo capitis dolore, & aliis.

IN cummunibus morbis, quibus radices aut alte defixæ ſunt, a communi medendi methodo minime recedimus: Cum itaque duplici tertiana laboraret Thomas Spadarius, annos 40. natus, in via *della Braina*, & ſtatim primis diebus advocatus fuiſſem, ipſi præſcripſimus ſequentem potum.

Rec. (*a*) *Mannæ Calabrinæ* ℥. ij. ß. diſſolve in decoct. pectoral. ſ.q. in quo bullierit thamarind. ℥. ß. Repurgato corpore, ſequentibus diebus dabatur juſculum, in quo incocta fuerant fol. hederæ terreſtris, pimpinell. & acetoſæ, Et quia nauſea, & ventriculi dolore haud leviter vexabatur, ſanguis e brachio non fuit detractus; febre tamen reluctante, ex hæmorrhoidalibus venis ad 3. vel 4. uncias eductus fuit, cui remedio non cedente febre, (*b*) *antipyreton* tandem noſtrum ad 3. dies dedimus, quo perfecte febris propulſata fuit.

(*a*) *Mannæ calabrinæ*. In omni febre intermittente prima regio probe expurganda eſt a ſordibus ſalino-viſcidis, in quibus utplurimum minera morbi deliteſcit, non autem hunc in finem omne purgans promiſcue eſt adhibendum, ſed potius tale, quod præter vim purgantem & facultatem habet reſolvendi, abſtergendi & incidendi, hinc ſalia v. g. arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, terra foliata tartari, ſal ſuccini, ſal ex capite mortuo ſpiritus ſalis ammoniaci extractum huic ſcopo maximopere idonea ſunt, modo acuantur cum aliquot granis vel reſinæ galappæ, vel reſinæ ſcamonii, vel etiam, ſi febris contumacior, mercurio dulci. Manna, folia ſennæ aliaque lubricantia & laxantia huc non ſpectant, quoniam magis ventriculi digeſtionem turbant.

(*b*) *Antipyreton*. De hoc jam diximus ſuperiori in loco: Nos non ſemel feliciſſimo ſucceſſu in depulſandis intermittentibus etiam contumaciſſimis uſi ſuimus liquore martiali e capite mortuo florum ſalis ammoniaci martialium parato, qui præmiſſis præmittentis doſi juſta oblatus febrim in momento tollit, appetitum acuit, urinam, quæ antea turbida erat, claram efficit, ſomnum inducit: Nunnunquam etiam ſalivam, nauſeam imo & ſudorem excitat. Similiter effectus a tinctura martis ſolari collegit *Clariſſimus D. Wolffius in miſcellaneis Natur. Curioſ. Decur. 2. ann. 8. obſerv. 190.*

CAPUT XXIV.

De duplici tertiana cum inſigni lienis tumore.

PEr Illuſt. Dominus D. de Cheſſi, Illuſtriſſ. Domini de Fourſi filius, tunc Roma Bononiam tranſiens, poſt diuturnas febres duplicem tertianam in itinere contraxit, cum inſigni virium dejectione, & (*a*) *lienis tumore*. Contumaciſſimæ ejuſmodi febris indicationes erant, craſſam materiam in hypochondriis conſiſtentem attenuare, attenuatam diſſipare, & foras protrudere: at viſcera febrium diuturnitate fracta, nec non imbecilla reddita, contrarium indicare videbantur, videlicet ſui ipſius roborationem. Inſuper diſcutientia calida ſunt omnia, & febri minime apta, ex Medicorum cenſura. Hæc duo contra indi-

indicantia salutem Perilluſt. Patientis procul abeſſe quoquo pacto indicabant. At nos alia methodo, & aliis præſidiis inſtructi, quam hodie Medicorum vulgus, has indicationes haud comperimus contrarias: nec Panicus ille terror nobis obſtitit, quin brevi unico remedio febrem expulerimus, & lienis tumorem diſſolverimus, noſtro videlicet antipyreto, quod accepit ad 12. vel 15. dies, bis in die. Et quia lienis tumor non in totum ſublatus erat, & ipſe Dominus repetere patriam enixe volebat, electuarium, quo quotidie uteretur, hoc præſcripſimus.

Rec. conſerv. betonic. roſar. ceterach. an. ℥. ij. Croci martis ℥ ß. ſalis betonic. ʒ ß. miſcebantur pro electuario, cujus uſus ſunt in itinere, quoad Pariſios natale ſolum perveniret.

(a) *Lienis tumore*. Omnis tumor notat obſtructionem, qua non ſublata febris difficulter ſanatur, martialia autem amara & ſalina in eo omnibus palmam præripiunt. Martialia partim abſorbendo acidum operantur, partim leniori adſtrictione fibris nimis laxis robur & tonum reſtituunt, ne humores ibi tam facile hæreant.

CAPUT XXIV.

De duplici tertiana, & lienis tumore.

DOminus Albertus Polſonus, in via Sancti Stephani, annos 30. natus, duplici tertiana cum pravis ſymptomatibus graviſſime detinebatur, a qua cito antipyreti noſtri beneficio liber evaſit. Lienis tumor, cui jamdudum obnoxius erat, aliquantulum creverat: hac de re febre fugata, electuarium ſequens ad aliquot dies ipſi conceſſimus.

Rec. Conſerv. ceterach. betonic. & roſar. an. ℥. ij. Specifici ſtomachici, ʒ. j. (a) *Croci martis* ℥. ij. Olei ſulph. ℈. j. Miſce. Doſis erat ʒ. iij. ſingulo die, mane. Ab illa die ſanus vixit ſemper, decennio a cura jam exacto.

(a) *Croci martis*. Martialia, ubi viſcera vel ſanguine limoſo vel amurca mucoſa tumida ac infarcta ſunt, mirifice proſunt, non tam reſolvendo & incidendo, uti quorundam eſt ſententia, ſed magis fibras motrices nimis laxas roborando & adſtringendo. Hac adſtrictione procuratur motus & impulſus humorum, dum fibræ motrices & vaſa excretoria elaſticitatem & reniſum majorem acquirunt: quare obſervamus poſt data martialia pulſum fit atim fieri celeriorem: In quibuſdam etiam ſubjectis alvum ſollicitant, ac ſi purgans eſſet propinatum, in aliis ſudorem vel urinæ fluxum provocant, in quibuſdam etiam alvum conſtrictiorem reddunt. Bene monet *Takenius in clave Hippocrat. pag* 181. quod illis, qui calidioris & ſiccioris naturæ ſunt, & ad ſcirrheſcentiam diſpoſita viſcera habent, infenſa ſunt: E contra, quorum viſcera ſaburra pituitoſa obſeſſa ſunt, iis magnam opem præbent, *vid. Borrich. Hermet. ſapient. p.* 303.

CAPUT XXVI.

De *paralyſi graviſſimis ſymptomatibus*.

CYrus Barbetta ex officio figulus, annos 35. natus, in via *del Pradello*, a tribus menſibus paralyſim, dextrum latus obſidentem, contraxerat, cum

cum (a) *acerrimis occipitis doloribus*, vertebris ſuperioribus diſtortis; ob id (b) *collum adeo vehementer obrigueraṭ*, ut ligneum plane appareret, quæ concomitabantur vigiliæ infeſtiſſime, & crebri motus convulſivi in ſcapulis, & dorſo, mœſtitia item, & apepſia. Traxerat originem iſte affectus a levi capitis dolore, cui ut ſuccurreret alter Medicus, ipſi multa incaſſum præſcripſerat remedia. Morbo ſic indies invaleſcente, in paralyſim, & prænominata ſymptomata incurrit: quibus idem Medicus ut mederetur, denuo multa plane irrita admovet; purgantes potiones, capitales, & phlegmagogas minime omittit; phlebotomias in brachiis bis repetit, nucha ſetone vexatur, podex ſanguiſugis afficitur, ſcapulæ cucurbitulis dilaniantur, brachia tandem cauſticis inuruntur, & in vanum omnia. Miſer ſuam ſalutem conclamatam exiſtimans, ad me tanquam ad extremum aſylum refugit. Primis diebus pilulas catholicas ter ipſi dedimus. Sequentibus diebus decoctum ſequens.

Rec. Ligni ſaſſafras ʒ.j. baccharum lauri, ℈.ß. Infundebantur in ℔.vj. vini albi per 12. horas: demum coquebantur ad medietatem. De colatura dabantur bis in die, ſero & mane, ʒ.5. pro doſi.

Intra octo dies capitis dolor evanuit, & paralyſis cum omnibus ſymptomatibus obliterata fuit. Agit nunc octavum annum a cura ſanus, & impoſterum ipſum melius valere exoptamus.

(a) *Acerrimis occipitis doloribus.* Acutiſſimum capitis dolorem in parte poſtica non ſemel in femina hyſterica obſervavi cum ſiti & vigiliis, caput interim non incaluit, mox ſyncope & paralyſis lateris dextri ſuperveniebat cum nuchæ ſtupore ac ingenti rigiditate, aſthmate convulſivo ſuffocativo. Poſt clyſteres præmiſſos & venæſectionem adminiſtratam extrinſece linimentum antiſpaſmodicum larga manu nuchæ & occipitis parti applicatum levamen attulit eximium. Conſtat hoc ex aqua Anhaltina, ſpiritu lumbricorum, camphora, caſtoreo, oleo nuciſtæ expreſſo, ac balſamo peruviano.

(b) *Collum obrigueraṭ.* Terribilem colli ſpaſmum ante aliquod annos vidi in viro 40. annorum, qui in autumno aere exiſtente frigidiore per aliquot dies iter faciebat, mox ſentiebat crudeliſſimum dolorem pone aurem ſiniſtram, & caput hinc inde cępit trahi retrorſum verſus ab uno latere ad alterum, poſt propinata ſudorifera volatilia nec non purgantia varia & remedia cephalica exaſperari potius malum cœpit, & caput ad dextrum latus convulſum uſque ad ſcapulam erat, ut non niſi vi ad naturalem ſitum reponi potuerit, muſculis nuchæ, qui caput retrorſum a tergo movent, omnibus graviter affectis, & qui in colli ſiniſtra parte ſunt, valde relaxatis. Multa fruſtraneo conatu exhibita fuerunt, veſicatoria ſcapulis adhibita, venæſectio celebrata, ſanguine roſei coloris exiſtente. Æger valde inquietus erat, modo acceſſere lypothymiæ, modo convulſivi motus in toto corpore. Unguenta, & emplaſtra emollientia ac anodyna bene profuerunt, calidiora et exiccantia obeſſe viſa ſunt; Unguentum autem adhibitum fuit tale: Recipe pinguedinis humanæ, anguillæ, taxi, olei lumbricorum coctorum ana drach. 2. pinguedinis caſtorei drachm. 1. olei nuciſt. expreſſ. drachm. tres, camphoræ, balſam. peruvian. ana drachm. ſemis, ſpiritus ſalis ammoniac. gutt. 15. Hoc linimentum antiſpaſmodicum in omni convulſione, epilepſia & ſpaſmo convenientiſſimum eſt, ſi collum cum nucha, totaque ſpinali medulla ipſo inungatur. Tandem autem æger hic circa æquinoctium vernum convaluit, convulſiones colli paulatim remiſerunt, et caput ad naturalem motum & ſitum rediit.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De continuo, & permoleſto aurium tinnitu, cum pruritu, & gravi auditu.

DOmina Valeria Domini Alexandri de Monte, prope Divi Pauli Fanum commorans, annos 33. nata, a multis annis, gravem & moleſtiſſimum aurium tinnitum, & pruritum patiebatur, non citra auditus læſionem. Oriebatur ejuſmodi affectus a quodam humore craſſo & ſalſo, e cerebro illuc affluxo; is in intimo aurium ductu conſiſtens (a) *nonnulla ulcuſcula* pepererat. Eo tempore Medicos nonnullos fruſtra conſuluit: & quotannis vere & autumno, ipſi non pauca in eo tentarunt remedia, nec ſine ſanitatis jactura: ea ſiquidem naturæ ordinem demoliuntur, & nos ſæpe in graviſſima mala impellunt, unde morbi plerumque incurabiles, maxime ſi frequenter reiterantur. Ejuſcemodi ſalſi, & craſſi humoris origo non aliunde, quam a recrementis cerebri, & hæc a ſuppreſſis menſibus, quibus jamdudum detinebatur. Indicationes in hoc affectu curando fuerunt, ulcus mundificare & exſiccare, menſes movere & caput roborare. Ad menſes, corpore pluries decocto melanagogo & cholagogo repurgato, apozema hyſtericum incidens & aperiens dedimus. Ad aurium ulcus, unguentum roſaceum cum tantillo mellis roſati, mercur. Balſamo per intervalla adjecto, quibus brevi feliciſſime convaluit.

(a) *Nonulla ulcuſcula*. Novi juvenem 20. annorum, qui ex variolarum morbo ante quinquennium ulcus contraxit in auribus: tempeſtate auſtrina ſanies fœtida etiam adſtantibus moleſta exſtillat, ſi ſiccus aer eſt, cruſta ſaltim in auditus camera naſcitur. Et notabile eſt, quod clauſis naribus ac ore, buccis inflatis ex aure aeris ſibilum exeuntem percipiat. Id quod indicat oſſa carie affecta eſſe, quo caſu de conſolidatione deſperandum. Præterea capitis gravativum experitur dolorem, ad ſomnolentiam continuo diſpoſitus eſt. Multa adhibita conſilia fuerunt ſuper hunc caſum, ſed fruſtra, poſt potum coffee & eſſentiam ſuccini ambratam volatilem & fumum tabaci optime ſe habet, nec tantus, quando his utitur, eſt ſibilus auris, tanta auditus difficultas & capitis gravitas.

CAPUT XXVIII.

De ſtrumis in collo, marcore inſigni, & lenta febre, a multis annis inveteratis.

(a) STruma affectus & varius & pertinaciſſimus, Hiſpanis communiſſimus, in nonnullis etiam (b) *Italiæ partibus frequens.* Curationem ægre ſuſcipiunt, & quicquid dicant Medici de earum ortu, & curatione, parum mihi probatur; eo magis, quod via ab his tradita earum curatio infeliciter ſuſcipiatur. Scrophulæ ea forte ratione dicuntur, quod ſcrophis, ſeu porcis in ea parte frequenter enaſcantur. Quidam ſtrumas a ſcrophulis diſtinguunt, de quo parum laboramus. Utinam earum eſſentiam, & curationem felicius aperuiſſent. Nonnullæ equidem ſine dolore induratæ manent, per collum, (c) *vel alias partes*

glan-

glandulosas, fixæ, vel mobiles: aliæ, brevi dolentes suppurantur, & in ulcera maligna vertuntur. A pituita diversimode mixta eas oriri dicere, hucusque profuit nihil; etenim purgent quantum velint, quid præstant? magis, atque magis excarnificantur ægri, & inde in marcorem incidunt. Connaturale esse vitium sæpe observamus, & id quidem radices in natura alte defixas habere. Ab utroque parente sano & vegeto sæpe infecti pueruli prodeunt: & quod mirum est, etsi multi infantes ab eodem parente orti, eodem alimento enutriti, in eodem loco nati, & educati, ex his tamen aliqui hac labe infecti, alii non, sed perpetuo bene valentes vitam degunt. Sic puellulæ nobili cuidam Bononiensi contigit, quæ etsi ab utroque parente sano & vegeto nata, & fratres, & sorores optima & firma valetudine constitutos habeat; tamen fere a cunabulis scrophulis, & fœdis illis tumoribus in collo obnoxia fuit; cumque jam 12. annum suæ ætatis perageret, & multa a multis Medicis incassum experta fuisset remedia; unde pro sanitate marcorem totius corporis, & lentam febrem reportavit, ad me curanda deducitur. Marcori, & febri lentæ apprime ut prospicerem, (*d*) *pulverem nostram diaphoreticam* cum conserva rosarum, ad 15. dies, bis in die dedimus, tinctura saturni philosophici his aliquando mixta. Purgatio fuit roborando imperceptibilis, per cæcos corporis meatus. Causas, & rationes alio reservamus; sat si notavero, eo remedii genere marcorem, ac febrem, intra dictum tempus expulsos fuisse, & sequenti unguento mundificatos, carne repletos, ac cicatrice obductos.

Rec. Fol. nicotianæ recentis, m.vj. butyri insulsi lib. ij. terebinthinæ Venetæ, ʒ. iv. misceantur simul, & insolentur per octiduum, colentur, & torculari fortiter exprimantur: expressis adde ceræ citrinæ parum, gummi ammoniaci, galbani, an. ʒ.ij. facto unguento, & fere refrigerato adde pul. antimonii crudi subtiliss. triti, cinnabaris, an. ʒ. iv. myrrhæ, thuris, an. ʒ. ij. misce, & fiat unguentum.

(*a*) *Strumæ*. Hæ sunt tumores glandularum colli a concretione lymphæ orti. Vitiatis quippe poris & meatibus glandularum, vitiantur quoque humores: in illis enim particulæ vitiosæ lymphaticæ collectæ pressione cavitatem sibi formant, & tenuioribus abeuntibus per poros, crassiores concrescunt in tales tumores.

(*b*) *Italiæ partibus frequens*. Solennes etiam sunt frigidiorum locorum incolis, item montanis in regionibus degentibus, ut in alpibus, montibus Hercinis, imprimis auff dem vvilden Mann, nec non in Helvetia, Styria, Carinthia. Certis quoque locis Germaniæ prope Francohusam, item prope Trefort in districtu Hassiac. Endemiæ sunt, forsan ob usum aquarum, sale stiptico constringente turgidarum.

(*c*) *Vel alias partes. Plater. lib. 3. observationum p. 650.* historiam recensет nobilis adolescentis Austriaci, cui cœperunt scrophulæ in ambitu colli enasci, nec solum illic, sed & sub axillis glandulæ intumescere atque indurari, uti & exiguæ in pectore, dorso sub cute patefacere. Inunctio mercurialis adhibita fuit, unde exspuitio frequens & copiosa subsecuta, cœperuntque grandiores scrophulæ nonnihil detumescere, sed mox iterum cessante spuitione augeri. Deinceps & thermæ fuerunt adhibitæ, aliaque externa resolventia & emollientia, ast sine effectu. Tandem cœperunt pedes tumere, illeque difficultate spirandi & deglutiendi maxime angi, donec suffocatus & extinctus fuit. Sectione facta per longitudinem colii tribus in locis trium digitorum profunditate, antequam musculi conspicerentur la-

tera vulnerum, ſicuti porcis in dorſo apertis lardum ſpiſſum album, ſic & hic alba ſpiſſa craſſa apparuerunt: in quibus undique toto ductu glandulæ, nunc parvæ, piſi, nunc majores, fabæ inſtar ſed mutuo coherentes, & totam illam albam mucoſam ſedem undique opplentes deprehenſæ fuerunt. In taliſmodi ſubjectis videtur nimirum lympha tota ad coagulum admodum prona eſſe, quapropter obſervatum ab Authoribus, quod ſcrophuloſi in interioribus partibus maxime in meſenterio induratas glandulas & ſtrumas facta anatome plerumque habuerint. De qua re legi poſſunt *Rolan. in anthropographia p. 15. Sculter. obſerv. 31. item Barbette in praxi l. 1 c. 2. Et Elſner. in miſcellan. curioſ. anno 7.* Tandem ſcrophularum anatomen deſcribunt quoq; *acta Haffnienſ. ann. 1673. obſ. 16.*

(*d*) *Pulverem diaphoreticum*. Omnis ſpes curationis, ſi ulla adhuc eſt, expectanda a mercurialibus & alcalinis terreis uſtis & mutatione aeris aquarum & victus.

CAPUT XXIX.

De hydrope, leucophlegmatia, & aſcite, a validis catharticis male adhibitis.

DOminicum Palmarium ex officio *Tiraloro*, annos 27. natum, ad me curandum perduxit Dominus Hieronymus de Senſifabris. Dictus Palmarius, ob officium rotulam ferream vertendi continuo, dolore graviſſimum in altero brachiorum contraxerat: cui ut occurreret, Medicum adiit. Is falſo dolorem referens lui venereæ, purgationibus ſuis conſuetis præmiſſis cum phlebotomiis, pulverem ex ſalſa parilla, cortice ligni, ſena, turbith, ſcammonea, & aliis per aliquod tempus præſtitit. At quam infeliciter, experiebatur miſer ille æger: Loco ſanitatis, febris, & hydrops dolori ſuperadduntur; ſitis, & vigilia cum alvi ſuppreſſione, inappetentia fiunt morborum comites. Ad me tandem venit. Hydropi, & febri (*a*) *per ſulphur & crocum metallorum* proſpicio. Ad vota ſuccedunt omnia: multum urinæ, & ſputi fundit quotidie: jecori vis, & robur ſenſim reſtituitur. Dolor interim, dum hæc perageret, & in requie perſtaret, omnino evanuit. Quæ labore fiunt, requie tolluntur: cui experientiæ ſuffragatur Hippocratis ſententia, & omnium Medicorum aſſenſus. Non verbis, ſed remediis appoſite datis ægri convaleſcunt.

(*a*) *Per ſulphur & crocum metallorum*. Dominus A. ſulphure & croco metallorum debellavit graviſſimum hunc affectum ſubſecuto effectu ſalivante & diuretico. Sique conjectare fas eſt, crediderim & ejus ſpecificum antihydropicum, quod tantopere paſſim celebrat, ex eodem fonte derivari, ſive antimonii, ſulphuris & martis ſimul ſobolem eſſe. Crocus metallorum vomitorius, ſi cum portione ſulphuris communis decenti ignis temperamento miſcetur, laceſſit in medicamentum manſuetum diaphoreticæ & ſalivantis virtutis. Et in hoc conſiſtit omnium panacæarum & remediorum heroicorum ex minerali regno depromptorum vis atque efficacia; quod nimirum cuncta hæc agant deobſtruendo, quod fit, dum particulis ſuis ſubtiliſſimis, ſolidis tamen vividum fibris vaſorum motricibus & excretoriis partibus rurſus injungunt motum impulſumque, unde hæ antea langueſcentes et ad obſtructiones diſponentes officii ſui memores non tantum inhærentes particulas fortius impellunt, ſed & alias prætervehentes in motum celeriorem adigunt. In motum autem validiorem redactis corpori noſtri humoribus, obſtructiones graviſſimorum affectuum genitrices ſponte tolluntur.

CA-

CAPUT XXX.

De vulneribus junctvrarum, cum ossium fractura, facilis, & inassueta methodus.

MEdicam artem ratione, & experientia, tanquam duobus cruribus incedere, jamdudum prodidit Galen. posteriorum Medicorum discrepante nemine. Et revera, ut temerarium & inconsultum, experientiæ contradicere; ita sapiens & justum, rationi obtemperare. Mihi ergo, cui firmiter residet in pectore, hos in arte tanquam præcipuos præceptores, & duces habere, quid in omnibus morbis medendis statuerint antiqui, in vulneribus præsertim, minime sequor, experientia, & ratione maxime contrarium docente. Et, ut res exemplis illustrior reddatur, qua arte opem tulerim (*a*) *vulneratis aliquot*, extra communem medendi methodum paucis aperiam. Inprimis hic Bononiæ, cum degeret nobilis Dominus Carolus *de Novelet* Gallus, is in prima dearticulatione phalangis, noctu, clama sicario vulnus ingens accepit, quo vulnere præcisi fuerunt 4. digiti ad exceptionem cutis, solius indicis osse non in totum fracto; cæteri tres pauxillum cuti hærebant, pendentes ea portiuncula, quasi ex industria cæsi. Horrendo, & dolorifico ejusmodi vulneri, & nocte media accepto, extempore balsamum vulnerarium tepide appositimus, cum plagulis, & linteis in eo madefactis. Ossa ossibus disposita fuerunt primo, & cutis cuti adjecta, quantum potuimus, ac demum manu super tabellula extensa, & digitis eidem aptatis, æger lecto traditus alteram noctis partem feliciter transegit, sine ullo symptomate, & qui jam venerat dolor, recessit: febris itidem, quæ ejusmodi vulneribus infensissima esse solet, abfuit per totum curationis tempus. Secundo apparatu manum tabellulæ affixam suis plagulis, & fasciis liberavimus; & perspecto vulnere omni symptomate carente, annulari osse paulum a proprio loco emoto, quod quindecim iterum in suo loco restitutum fuit, vulnus sequenti fotu detergendum curavimus, atque hoc bis in die, antequam novum balsamum admoveretur.

Rec. Aristolochiæ rotundæ, ℥.j. myrrhæ electæ ʒ.ij. bacc. juniperi, p.j. fol. prunellæ, alchimillæ, vincetoxici, an. m.j. Parabatur decoctum in s.q. aquæ & vini, cum modico sale communi.

Die tertio (*b*) *alvum subduximus* cum sequenti medicam.

Rec. Pulpæ cass. retent. extract. ℥.j. rhabarb. elect. subtiliss. triti, ʒ. j. misce, fiat bolus.

Sequentibus diebus (*c*) *potionem vulnerariam* bis in die accepit, quæ sic parabatur.

Rec. Radicum vincetoxici, ℥.j. fol. acetosæ, prunellæ, pilosellæ, pimpinellæ, saniculæ, betonicæ, an. m.j. fol. violarum, p.j. liquirit. rasæ, ℥ ß. Parabatur decoctum in s. q. aquæ hordei. De colatura dabatur quantitas ℥. vj. pro singula dosi, cum ℥.j. syrupi limonum. Ejusmodi decocti intentio fuit, naturalia viscera in suo robore & officio continere, sanguinem vulneri carne implendo idoneum reddere, & sitim compescere. Victus fuit mediocris: Ova

sorbilia, p anis coctus in jusculis carnium, primis diebus pro ferculis dabantur. A vini usu non abstinuit, verum oligophorum, & parum aqua dilutum dabatur. E xacto 5. die carnibus usus est, & meraciori vino: quo victu alvus laxabatur q uotidie, quod raro contingit in vulneratis, ob victum nimis tenuem, & ob hæmorrhagias, quæ in vulneribus junctura rum contingere solent. Et hac methodo, intra 25. dies, ossibus optime ferruminatis, vulnus omnino coaluit.

(*a*) *Vulneratis aliquot*. In vulneribus nervorum, ossium ac tendinosarum partium valde cavendum est a saturninis, mercurialibus, acribus, oleosis, pinguibus: Excipit talem tractatiouem molestum illud symptoma, quod dicitur das Glied. Masser. Conferunt vulneratis dictis partibus balsamica, temperata tamen, quale est, oleum hypericonis cum oleo terebinthinæ remixtum. Item emplastrum nostrum polychrestum additione balsami peruviani pro re nat a exaltatum.

(*b*) *Alvum subduximus*. Multum moratur consolidationem vulnerum alvi segnities, quare tunc temporis alvum semper habere mollem, vel natura vel arte, bonum est.

(*c*) *Potionem vulnerariam*. Vulnerariæ sic dictæ herbæ virtute pollent discrasiam sanguinis et lymphæ acidam maxime et viscidam corrigendi; pollent namque sale quodam nitroso terreo alcalinæ indolis, ob id succus harum mercurii sublimitati solutionem turbat & præcipitat. Acidum autem mirifice sanationi vulnerum resistit; quod extinguendum est. Quem in finem alcalina valde conducunt. *Helmontius cap. 3. de lithiasi* §. 26. meminit rustici, qui vulnera ingentia solo potu lixivii e tilia confecti curavit, quorum tamen lotium nil prorsus lixiviale ostendebat.

CAPUT XXXI.

De simili vulnere junctura rum cum ossium fractura.

CAsus superiori haud dissimilis contigit fere eodem tempore cuidam fabro nomine Paulo, qui noctu a sicario circumventus, quatuor digitos in eodem articulo phalangis magno vulnere pene abscissos reportavit, ossibus fractis, & disruptis, sola cute volæ manus excepta. Ossa ossibus annectens, & vulneris labra ad invicem deducens, ac demum balsamo vulnerario cum plagulis, & fasciis vulneri impositio, curam feliciter absolvimus, sine ullo symptomate. Potiones vulnerarias, ut supra diximus, bis in die dabamus, atque iisdem sale communi adjecto detergebatur vulnus. Mirum videre est, quam tuto (*a*) *hæmorrhagiæ* firmentur ab admoto balsamo, & dolores, & spasmi recedant. Cæterum ubi nulla, aut exigua adest contusio, nulla aut perexigua fit suppuratio: at vero quando adest contusio, vel primis diebus opus est valida & longa fomentatione, vel suppurantia sunt usurpanda.

(*a*) *Hæmorrhagiæ firmentur*. Ramus insignis venæ medianæ ad pollicem et indicem excurrit; hinc isto abscisso, magna sequitur hæmorrhagia, quæ pulvere colophoniæ subtilissimo, qui balsamica vi instructus est, haud difficulter sisti potest. Singularem observationem, ubi pollex cum magno tendine per morsum equi a manu separatus fuerit, sanato vulnere tradit *Marchette in observationibus suis*.

CA-

CAPUT XXXII.

De simplici vulnere in facie.

DOm. . . . de Serpa, annos 50. natus, in via *di Cenco trecenti*, vulnus ingens in facie, quod vulgus *sfriso* nominat, a proditore noctu accepit. Ut amplum, & profundum, atque a tempore ad mentum diductum, aspectu horrendum videbatur; cumque vulneris labra inter se multum distarent, primo aspectu futuram omnino necessariam judicabat barbitonsor, qui eum ad me vulneratum adduxit. At ego, qui ejusmodi carnificinam respuere soleo, & cui cordi est tantum dolentem, & afflictum sublevare, ea arte, quam supra dixi, sine futura vulnus brevi ad optatum scopum deduxi, labra vulneris fasciis, & plagulis simul ad invicem deducendo, atque (*a*) *oleum vulnerarium parti* vulneratæ admovendo. Nec interest si primo apparatu vulneris labia ad invicem jungi haud possunt, etenim secundo aut tertio facillime conjungentur; nam ubi nulla superveniens inflammatio, nullus humorum confluxus, cunctæ particulæ ad naturalem locum redire conantur.

(*a*) *Oleum vulnerarium*. Olivarum oleum ab aciditate sua probe orbatum, si balsamica flor. hyperici & millefolii virtute imprægnatur, addito gummi elemi & myrrha, nec non terebinthina præstantissimum vulnerarium evadit. Ad ulcera autem mali moris mundificanda oleum tartari fœtidum cum balsamo per uviano mixtum commendari meretur. Balsamum *Locatelli*, cujus descriptionem vide in inferioribus; in omni continui solutione tam intrinsece quam extrinsece effectum præstat optatissimum.

CAPUT XXXIII.

De raro, & inaudito ulcere capitis, in quo cranium ad palmæ latitudinem sponte emarcuit, in muliere octuagenaria, quæ sanitati restituta cæca evasit.

VEtula quædam mulier annos 84. nata, ex familia de Bourdinis, in via *di Strà Castione* commorans, supra verticem capitis lævam versus, tumorem contraxit malignum ad palmæ latitudinem, cum dolore vehementi, & inflammatione insigni, cum plumbeo colore. Ad dolorem, & inflammationem compescendam, embrocham ex oleo rosato, & oxyrrhodino imperavimus. Intus manna ad ʒ.j. cum jusculo carnis dabatur, ut prima regio corporis expurgaretur. Interdum victus humectans, & refrigerans erat ex usu.

Hæc inter cum minus de suppuratione cogitaretur, ecce (*a*) *nigredinem malignam*, & formidolosam pestilentiali carboni valde similem: ea suppurantibus procurata, puris multum fœtidi, & subviridis fudit. Cum vero Barbitonsor ulcus gossypio detergeret, sub prima cranii tabula ipsum pus emergere deprehendit, ac paucis post diebus prima illa cranii tabula, tanquam a candenti ferro usta a vivo sensim se separavit. Ulcus tandem more ulcerum cum sequenti unguent. detersum, mirifice cito coaluit.

Rec. Resinæ pini, picis navalis, an. ℥.ij. terebinth. claræ ℥.j. Vitellos ovorum, No. ij. aristoloch. rotundæ, thuris, an. ʒ.j. Croci, ℈. j. Olei rosat. parum. Misce, fiat Unguentum.

(a) *Nigredinem malignam*. Similem casum olim Mindæ Westphalorum in honoratiori viro sexagenario notavi: unica in nocte in vertice capitis oriebatur tumor cum magno ardore, dolore & febricula stipatus, exacto triduo conspiciebantur vesiculæ, quibus dissectis lympha acris emanabat & nigredo cutis substractæ apparebat, quæ sine omni sensu erat, separata parte corrupta beneficio forcipis, mox cataplasma balsamicum putredini adversum camphora probe imbutum applicabatur. Paulo post ulcera, quæ etiam ipsum cranii os depascebant, præsto erant, stipata virium imbecillitate, calore præternaturali. Intrinsece alexipharmacis contra malignitatem pugnabatur, ex quorum classe non possum non laudare sequens euporiston probatissimum, quod constat ex vino, theriaca, lapidibus cancrorum & succo cancrorum fluviatilium, hoc debite mixtum & sufficienti in copia calide haustum, expectando post ejus usum sudorem gangrænam in instanti sistit, & ne sphacelus ulterius serpat, impedit. Externe instar omnium esse potest spiritus vini camphoratus cum essentia scordii & tinctura tartari mixtus, additis floribus salis ammoniaci martialibus.

CAPUT XXXIV.

De catarrho à duobus annis inveterato, cum maxima nervorum imbecillitate.

ILlustrissimus Dominus Joannes Malvezzius, annos tunc 24. natus, ante sexennium in infensissimam capitis defluxionem incurrerat; unde in sinistrum latum irruens e brachii, coccygis, tibiæ, & pedis (a) *illius lateris insignem impotentiam pepererat*. Tanto affectui, ut occurreret, plurium Medicorum ope, toto biennio frustrà usus erat; nec interea pepercerunt rarioribus, & præstantioribus remediis: solitas purgationes, & phlebotomias semper præmittentes, suis postmodum decocti guajaci, salsæ, & similium, in usum advocatis; cauteriis, cucurbitulis, frictionibus, unctionibus, embrochiis, suffumigiis, minime omissis. Cum vero vana, & irrita hæc essent omnia, ad eum advocatus, ei quamprimum medicamentum cerebrum, & nervos roborans adhibui, idque cum conserva rosarum. Decoctum postea cephalicum ad 30. dies accepit, oleo vitrioli balsamico per intervalla adjecto: & his paucis, & gratissimis, intra sesquimensem, pristinam recuperavit sanitatem, quam ad hunc usque diem firmissimam servavit, exceptis duobus mensibus peractis, quibus fere in eundem affectum incurrebat, ni nostra ope confestim sublevatus fuisset. Eadem præsidia eidem affectui debellando semper conveniunt. Inter roborantia primas tenet aurum nostrum diaphoreticum: pulvis stomachicus est etiam roborans quoddam universale.

(a) *Illius lateris insignem impotentiam*. Paralysis sæpe enascitur ex spasmo in principio spinalis medullæ in membranas nimium constrictas exorto. Caussam hic præbet serum nimis acre in cerebro separatum & ad medullam spinalem ceu locum infe-

inferiorem transmissum. Hypochondriacis & catarrhosis hic affectus valde familiaris est, nec non illis, qui genus nervosum debile habent, & ad spasmodicas constrictiones facile proclive. Hinc per consensum etiam paralysis fit ex colica spasmodica. Non ita pridem femina summe obesa, quæ resinæ gialappæ 12. grana ad purgandum assumsit, paulo post paralysi totius dextri lateris corripiebatur cum aphonia, stupore mentis, & maximis intestinorum torminibus, forsan quod colluvies seri impuri copiosi vehementiori motu exagitata ad cerebrum translata ibi partim obstructiones, partim spasmum pepererit.

CAPUT XXXV.

De tertiana notha.

PErillustris Domini Bartholomei de Bancis uxor, Domina Antonia, annos tunc 20. nata, superioribus annis, (*a*) *tertiana notha* graviter vexata, hunc in modum sanitatem a nobis reportavit. Primis diebus corpus blande purgavimus mannæ Calabrinæ ℥.ij. in aqua cichorii dissolutis; victu humectante, & refrigerante imperato. Decocto postea refrigerans & humectans, cum syrupo acetositatis citri, bis in die sumebat. Hora paroxysmi antipyreton dabatur, quo confestim febris feliciter oppugnata fuit. Ventriculo, ob febris æstum, & biliosorum humorum motum fracto & languido, specificum stomachicum nostrum ad aliquot dies dedimus, cum conservis violarum, & rosarum: quibus non solum ventriculi imbecillitas recessit, verum & menstruales purgationes statis diebus flexere, & alia quæque cessarunt symptomata. Videant quam tuto, cito, & jucunde (*b*) *spagyricis remediis* oppugnentur morbi, & in quas Syrtes ægros præcipitent, qui hisce destituuntur.

(*a*) *Tertiana notha*. Appellatur sic, quando calor non tam acris est, nec pulsus tam celer, sed remissior, nec urina flammea, uti in exquisita esse solet. Bilis hic magis delinquit mucosa, quare hæc febris resolventia & leniora emetica magis requirit, & observatum est per vomitionem tunc temporis bilem instar vitelli ovorum coloratam ejici nonnunquam etiam viridissimam: Et facile tales febres degenerant in lentas.

(*b*) *Spagyricis remediis*. Est laus sua medicamentis Galenicis, nec non chymicis. Miser Medicus, qui chymiam ignorat, quæ tam ad theoriam, quam praxin rationalem summe necessaria est. Chymica maxime ex regno minerali petita concentratioris virtutis sub minima dosi magnas possident vires, in vitrea pituita plurimorum affectuum caussa liquefacienda & viscoribus a viscosissimorum humorum sarcina, liberandis, id quod neutiquam languidiora aperientium decocta (ut ut omnes hic accersamus) efficiunt. Pervadunt hæc universi corporis sphœram, & ad remotissimas quoque partes virtute sua pertingunt, quod maxime apparet in antimonio, marte, mercurio, herculeis illis remediis.

CAPUT XXXVI.

De Ischiade.

DOmina Constantia N. cujusdam berretarii (*a*) *uxor*, annos 40. nata, retro dolore ischiadico supra vires excruciabatur a nonnullis diebus: cui obviam eundo duplicem indicationem nobis proposuimus: unam a morbi essen-

tia, alteram a natura ipsius patientis. (*b*) *Magno morbo*, atroci, & vehementi, magnum, efficacissimum, & velocissimum remedium conveniens erat: (*c*) *Delicatulæ mulieri*, debili, consimile remedii genus minime aptum videbatur. Quocirca fotus calidos, & aperientes affecto loco admovendo jussimus, ut

Rec. Baccarum juniperi, lauri, fœnugræci, lini, cymini, an. p. lj. herbæ menthæ, salviæ, rorismarini, ivæ arthriticæ, arthemisiæ, an. m. j. coquebantur in s. q. aquæ & vini pro fotu. Quo peracto, affecta pars sequenti unguento calide ungebatur.

Rec. Ung. martiati, ℥. iij. ol. laurini, ℥. ij. ol. petrolei, ℥. ß. misce.

Intus pilul. catholic. ad gr. viij. dabantur bis in hebdomade. Cruribus postea, (*d*) *cauterium inuri jussimus*, quibus evanuit dolor, nec ultra reversus qu in quennio jam elapso.

(*a*) *Uxor*. Virilis sexus præ sequiori alias obnoxius est hujusmodi affectibus, forsan quod non tam ordinate statoque tempore superfluum, pravumque sanguinem excernat. His itaque deficientibus vel diætæ vitio graviori accedente & ipsę non immunes sunt ab his morbis. *Cous aphorismo 29. sect. 6.* inquit: Mulier podagra non laborat, nisi menses ipsi defecerint.

(*b*) *Magno morbo magnum remedium*. Proportio semper debet esse inter caussam morbi & ipsum remedium. Aureum dictum est *Mesuæ*: Est prudentiæ granum ad medicinas fortes non devenire, si debiles suffecerint; & ex adverso timiditatis nota est, in magnis morbis immorari pigmæis remediis, qui non nisi giganteis cedunt. Dum securitati nimis consulimus, in generositate deficimus.

(*c*) *Delicatulæ mulieri & debili*. Soleter antequam Medicus ad validiora accedat, constitutio corporis ejusque habitus, sanguinis temperamentum, naturæ robur & vires investigandæ sunt; sicuti enim in robustioribus tuta satis, sic in delicatulis ac teneris subjectis noxia & insidiosa sunt. Utilissima in praxi regula est *Hippocr.* quę extat in *Libro de locis in homine*, medicamenta fortia a natura in debilibus morbis dare non oportet, neq; paucitate medicamenti debilitas ipsius facienda est: sed fortibus natura fortibus pharmaci utendum est, debilibus vero pharmacis non fortibus. Neque partiendum esse medicamentum, sed singulis secundum naturam, debilibus quidem debilia a natura, fortibus vero morbis fortis naturæ pharmaca exhibenda sunt.

(*d*) *Cauterium inuri jussimus*. In podagra nec non in omnis arthritidis specie inustio actualis a veteribus dudum commendata, nuper autem ab Indis repetita sub moxæ nomine in Germaniam translata peragenda. Talismodi remedii mentionem jamdudum fecit *Hippocr.* in *libro de affection. Cap. 30. tit. 12.* Si in unum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis non fuerit exactus, urito, quocunque loco fuerit dolor: Urito autem lino crudo. Hic autem non intelligitur linum crudum, sed magis in fila aptatum. Processum integrum scite describit *Prosper Martianus commentario in lib. de affection. p. 170.* Accipiatur linum crudum & arcte conglobatum reducatur in formam pyramidis, cujus basis latior in angustum coarctetur. Magnitudinem, seu latitudinem basis indicabit locus inurendus: non ignorato, ustionem aliquanto latiorem fieri, quam sit basis pyramidis. Hæc igitur in summitate accensa loco inurendo apponatur, ibique resideat, donec materia absumta sit; nam ignis serpendo ad cutim perveniens ustionem facit; Et quod mirum videtur, fere insensibiliter & sine dolore. Extincto igne, porrum elixum imponebat *Hippocrat.* donec, quod exustum est, decidat. Nostri butyrum cum caule adhibent; indeque ulcus apertum servetur ad libitum.

CA-

CAPUT XXXVII.

De diuturnis ventris doloribus.

BEnedicta Joannis N. ex illis, qui vulgo dicuntur *Adobador*, in via, quæ communiter dicitur *il Borgo di S. Giacomo*, commorans, annos 45. nata, a longo tempore inveteratos, & contumaciſſimos dolores ventris patiebatur; propterea a duobus menſibus in lecto infeliciter decumbens, & alterius Medici opem dicto tempore fruſtra experta, non niſi de morte cogitabat. Tacto ejus abdomine nihil præter (*a*) *flatulentum tumorem*, ventrem nimirum præter conſuetudinem diſtentum, deprehendere licuit. Calculum, aut induratas fæces in inteſtinis contineri certo conjecimus, cum quo vermium proventus haud erat ſuſpicio: quare omnes curandi ſcopos eo direximus, ut calculus, aut quippiam ſimile non naturale foras detruderetur; ad quod præſtandum, duplici incedere via operæ pretium duximus. Etenim cum primum accerſiti, (*b*) *enema ex oleo lini ſimpl.* infundi juſſimus: per os ol. amygdal. dulc. ſenſim ſorbendum: ſenſim (in quam) ne affatim hauſtum evomuiſſet. Horis 4. exactis, theriacæ ʒ.j. dedimus. Sequenti mane pilul. catholic. gr. 12. cum trochiſc. alhandal. gr. iij. Ab aſſumpta pilula præduras fæces cum multa copia pituitæ ejecit. Dolores inde paulo mitiores evaſerunt, & noctu dormire cœpit. Tertio die pilulis reiteratis, ſimiles fæces excrevit, & ſupra multum bilis, & pituitæ. Reliquo temporis ſpatio conſervas roriſmarini, abſinthii, menthæ cum mithridati tantillo, mane ſumebat: quibus brevi ſanitatem conſecuta eſt. Interea connotandum ſupereſt, quomodo bis a duobus Medicis purgata fuerat, a quibus, ut a remediis parum appoſite adhibitis, nihil levaminis retulerat: (*c*) *non enim ſat eſt purgare*, ſed quando, quomodo, & quibus, obſervare oportet.

(*a*) *Flatulentum tumorem.* Nimia corporis a flatibus diſtenſio poris tunicarum inteſtinalium obſtructis vel ſpaſmo conſtrictis debetur; unde vapores liberum tranſitum non habentes, parietes inteſtinorum mirum diſtendunt, & tenſione hac cruciatus immanes efficiunt. Dicitur hic morbus colica ſpaſmodica ſeu tormina alvi convulſiva, & eſt maxime familiaris metallicolis, qui mineras ſaturninas igne tractant, & dicitur Germanice die hutten Rage, quod intolerabilis ille inteſtinorum cruciatus ægrotantem nonnunquam rabioſæ felis circumgyrationem imitari cogat: Illis hominibus aliquando nec ſtandi nec ſedendi datur poteſtas, inquieti huc atque illuc moventur, lecto ſi aliquantum incubuerint, terram viciſſim repetunt, unguibus eam rodunt, & immanes ventris dolores patiuntur cum ſudore nonnunquam frigido & lypothomia: Complicatur hiſce ſtatim vehementiſſima alvi conſtipatio, ita ut nihil flatuum, nedum excrementorum per anum exitum habeat. Purgantia omnia irrito effectu propinantur. Morbus hic a lythargyrii fumo cum aere ore hauſto derivandus eſt; hinc non tantum illis, qui plumbarium metallicum lapidem igne urunt, liquefaciunt, ſeparant, ſed & qui lythargirium ſaltim ponderant (vulgo Clettroager) communis eſt. Fumus hic ad ventriculum & inteſtina delatus partim gravitate & mole, partim textura, quam ſub acidi miſcela acquirit ſtiptica in poris tunicarum nervearum & muſculoſarum obſtructiones efficit; hinc dum per poros obſtructos inteſtinales non æqualiter circulari poſſint partes impetum facientes, moleſtiſſimus ſpaſmus gignitur, dictorum ſymptomatum parens.

(*b*) *Enema*

(b) *Enema ex olei lini*. In spasmodica colica & pertinaciſſima alvi constrictione, quæ utplurimum cum spasmo inteſtinali conjuncta est, clysteres ex solis oleis parati & applicati omne ferunt punctum, quo nimirum nimis fortiter constrictæ, inteſtinorum fibrillæ relaxentur. Tales clysteres *Rulandus* in empiricis ſuis curationibus frequenti in usu habet. Emollitis sic fæcibus, & laxioribus factis inteſtinis purgantia resolvendi simul virtute prædita ore assumenda sunt, quæ alias spasmum augendo symptomata exasperant.

(c) *Non sat est purgare*. Non levis res est, alvum movere & purgare, quivis agyrta & empiricus hoc tentat, sed quando, quomodo et quibus, hoc opus, hic labor est. Veronæ olim in publico foro suspensa fuit tabula, elenchum medicorum istorum continens, quibus solis authoritate magistrum liceret purgans præscribere. Potest de hac re videri *Dissert. nostra de prudenti medicamentorum applicatione in tempore*.

CAPUT XXXVIII.

De gibbositate in sene cum doloribus sublata.

MOnialis quædam, nomine Soror Fabricia, in cœnobio Corporis Christi degens, annos 70. nata, ab aliquot annis (a) *pertinaciſſime catarrho* in spinalem medullam irruenti obnoxia erat, unde variis temporibus diversos Medicos consuluerat, a quibus nihil opis reportans, me quoque consuluit. Examinata morbi natura, & catarrho per spinalem medullam decurrente cognito, morbum, etsi ab aliis Medicis incurrabilem creditum, tamen subsequentibus remediis curandum suscipio. In quinta vertebra, a qua gibbositas, & convulsivi dolores, quibus assidue cruciabatur, cauterium potentiale admovendum curavimus.

Intus bis in hebdomade sumebat sequentes pilulas.

Rec. Agaric. trochiscati, ʒ.iij. aloes succotrinæ, ʒ.ß. masticches, ʒ.ij. cum syrupo rosato sol. parabatur massa, cujus capiebat ʒ.j. pro dosi.

Per aliquot dies statim ante cibum, pulverem nostrum stomachicum sibi familiarem reddidit: quibus paucis pristinæ sanitati restituta fuit, scipionibus, quibus utebatur, relictis & doloribus plane sublatis.

(a) *Pertinaciſſimo catarrho*. Ex stagnatione lymphæ circa vertebras dorsi luxationem harum contingere posse etiam in profectioris ætatis hominibus, loquuntur observationes. Et vice versa etiam gibbosi fiunt catarrhosi, phthisici, difficulter spirant, stridulam faucium asperitatem habent: & pauci quinquaginta annos trasgrediuntur, quam tamen regulam non esse universalem, allata a Domino A. observatio testatur. Pueris quibus spina dorsi extrorsum admodum extuberat, thoracem ferreum ex tenuissimis laminis fabricatum atque intus forti que pannis suffultum ac per integrum annum dies noctesque gestandum commendat *Platerus Lib. 1. observat. pag. 153.*

CAPUT XXXIX.

De diuturna lævitate inteſtinorum, ventriculi attritione, abdominis cruciatibus, & aliis.

GUlielmus de Hortolanis sclopetarius, annos 45. natus, ab XI. mensibus (a) *gravissimis morbis* detinebatur, lævitate inteſtinorum, ventris do-

lori-

loribus, mira ventriculi, ac omnium partium naturalium imbecillitate, in appetentia, siti, & aliis. At usus erat toto illo tempore trium Medicorum ope, sed frustra: in his enim peculio, & omnibus fortunæ bonis absumptis ad extremam pauperiem devenerat. Tunc ipse ad me, tanquam ad extremum asylum, confugiens, & personæ & morborum ratione habita, consimilia, quæ brevi & cito, citra pecuniæ jacturam, sanitati eum restituerent, ipsi præscripsimus. Primis diebus, ad acrium & erodentium humorum vim, & impetum coercendum, pilulas laudinas bis dedimus. Viribus paululum recreatis polychrestas ad 3. ß. cum gr. vij. catholicarum ter accepit. Tandem cachexiæ, & obstructionibus in jecore, liene, & mesaraicis relictis, Electuarium sequens efficacissimum dedimus.

Rec. Conf. rosarum, ℥.iij. croci martis, ʒ. iij. macis, ʒ. ß. miscebatur pro elect. cujus dosis erat ʒ.ij. mane.

His omnibus ad vota cedentibus, Deo optimo, nobisque ejus instrumento gratias egit. Videant, si sapient, in quæ tormenta conjiciant ægros illi, qui nimio fastu innumera remedia unico morbo præscribunt. Nonne uni unum contrarium? Diceres ejusmodi sciolos alteros esse Galenos, cum nec Galenum a limine salutarint unquam. Hi semper de destillationibus, obstructionibus, & febribus, ad quæ tria capita tota ejusmodi homuncionum scientia reducitur, deblaterant.

Pilulæ polychrestæ nostræ toto cœlo distant a polychrestis officinarum; illis tamen dotibus, quibus illæ, donantur. De his, & de aliis, *in tertia parte nostræ Pharmacopœæ Spagyricæ*.

(a) *Gravissimis morbis*. Symptomata, quibus æger noster detinetur, dubio procul ex hypochondriorum vitio derivanda ac deducenda sunt. Per hypochondriorum vitium intelligimus obstructiones viscerum et glandularum subtilisationi et depurationi sanguinis et seri inservientium; unde mille propoilulant mala digestionis negotium continuo in illis depravatum est; unde flatus, tormina, ventris dolores, intestinorum levitas, vel etiam adstrictio, inappetentia suboriuntur. Hepar hoc in affectu non semper insons est, hoc enim, si obstructum mucosa amurca est, bilem non filtrat, cujus balsamo chylus destitutus in primis viis in acidum viscidum crudum succum degenerat. Hinc recte *Helmontius* plurimorum chronicorum originem petit a bilis defectu. *Bartholinus historiarum Cent. t. pag. 131.* in splenetico secto hepar lividum, vesicam biliariam pallidam tunica crassiore constantem invenit: ex aperta serum nudum effluxit, nulla bilis tinctura prodeunt: Plenu quoque fuit grumis nigricantibus lapilliſque pisorum magnitudine. Ad tollendum hoc malum opus est medicamentis temperatis, quæ balsamica sua vi chylum condiunt et blande spirituosum sanguinem reddunt. Ex horum remediorum classe non satis dilaudare possum sequens Elixir balsamicum, quo maximo cum emolumento per plurics annos in hisce morbis usus sum, si ejus usus per aliquot menses continuetur, assumendo omni die bis 60. ad minimum guttas. Recipe Herb. scordii manipul. iij. flor. centaur. minor. manip. j. myrrhæ electæ unciam semis, croci drachmam unam, succini, Zedoariæ nuciſtæ ana drachmas tres, ligni aloes drachmam unam semis, corticum aurantiorum unciam semis, olei cardamomi, caryophyllorum ana guttas decem, spiritus vini tartarisati mensuram unam, spiritus salis ammoniaci unciam unam, fiat extractio.

CAPUT

CAPUT XL.

De ischiadico dolore, quo claudus, & impotens jamdudum factus ager.

MIchael N. in via, quæ vulgo dicitur *il Borgo di San Pietro* commorans, bajulus, de his, qui *Chariolari* dicuntur, annos circiter quadraginta natus, ex fortissimo, & robustissimo viro, (*a*) *ischiadici doloris* immanitate, & tyrannide claudus, & pedibus omnino impotens redditus, & virilibus officiis, cui tota die ex officio insudabat, ad imbecille, & ignavum muliebre exercitium relegatur. Quo miserando spectaculo commotus, sciscitor ab eo, quæ hucusque in tam atrocem morbum expertus esset remedia: (*b*) *Multa inquit a duobus Medicis* sibi fuisse præscripta; in quæ non tantum sanitatis reliquias, verum quicquid in futuræ inopiæ subsidium coacervaverat, feciſſet jacturam: addens se in altero xenodochiorum quindecim dies curandum frustra moratum, nunc autem nullam sibi superesse sanitatis spem, & muliebre nendi officium, quod nunc præ fame compellitur exercere, in tot angustiis unicum sibi esse refugium, quo ærumnosam vitam sustentare possit. Implorato tandem divino Numine, sanitatem illi brevi affuturam, si nostris mandatis pareat, polliceor. Atque tum pilulas nostras catholicas, cum gr. iv. trochisc. alhandal. ter ipsi dedimus. Extrinsecus emplastrum ex sulphure & pice affectæ parti admovendum jussimus. Quibus sensim atrox, & pertinacissimus dolor evanuit: atque femori deperditum robur in totum fuit restitutum.

(*a*) *Ischiadici doloris*. Dolor Ischiadicus vel latius sumitur, vel strictius, latius dolorem lumbarem coxendicis & femoris denotat, alter strictior potissimum circa acetabulum ossis Ischii, in quo femoris os circumvolvitur, consistit. *Ab Hippocrate lib. de internis affectibus cap. 54. titulo 6. & Lib. 2. Porret. cap. 46. titulo* 1. Ille qui latius patet, describitur ἰσχὶς & lumbos notat & ἴσχιον coxam ἀπὸ τῆς ἰσχύος a robore, quod moles corporis hac potissimum parte sustineatur. Sæpius lumbaris dolor seu arthritis præcedit subsequente ischiatide strictiori. Molestus hic morbus est *Hippocratico* elogio, sed non lethali. Molestus est, quod & dolorum continuatione, & vigiliis, aliisque symptomatibus satis fatigare & torquere soleat ægros, non tamen necare, quandoquidem ex ipsis sanguinis undis naturæ quodam robore ad debiliora & ignobiliora membra vitiosa pellitur materia.

(*b*) *Multa a duobus Medicis præscripta.* Sanguinem exagitantia plerumque dolorem hunc augere solent, maxime in plethoricis & illis, qui vel ipsius naturæ beneficio, vel arte asueti sunt certæ & ordinatæ sanguinis excretioni, sive per sectionem venæ, sive hæmorrhoidum fluxum. Juvat hic magis sanguinis per consuetas vias detractio. Nam observatum est per frequentiorem experientiam, nec arthriticos alios nec ischiadicum cumprimis dolorem felicius tolli posse, quam sanguinis eductione. Qui nephritide seu inflammatorio lumborum dolore laborant, procliviores etiam ad hoc malum sunt, ubi diuretica inconsiderate adhibita dolores hos augent & ischiadicum malum inducunt. *Capivaccius apud Cratonem consilio* 154. inquit: Diureticis calculus inducitur, & ischias augetur. Venæsectio & hic loci quoque suadenda. Bene meminit *Galenus Lib. de venæsectione c.* 18. se ischiadicum morbum una die facta ex cruribus evacuatione curasse.

CAPUT

CAPUT XLI.

De *pertinaciſſima pſora*.

DOminus Julius Cæſar Rivalus aurifex, annos ſexaginta natus, a multis annis (*a*) *Pſoram contumaciſſimam patiebatur*, in qua cutis aſpera, craſſa, dura, arroſa, fiſſa, & exeſa, furfuraceas ſquamas aſſidue diſponebat. Tanto affectui ſuperando Medicos plures & pluries incaſſum conſuluit. Illi ad atram bilem, pituitam ſalſam purgandam, atque ad jecur refrigerandum reſpicientes, morbum magis rebellem, curatuque difficiliorem reddiderunt. Nos naturæ methodum inſequuti, naturalia emunctoria aperienda, facultatemque expultricem promovendam duximus, noxios interim humores incidendo, & attenuando. Quibus ſubactis & confectis, viiſque naturalibus adapertis, qui in excubiis conſederat hoſtis, facillime ejicitur. Igitur ut tot indicationibus ſatisfacerem, unico contentus fui medicamento, (*b*) *ſulphure* videlicet *embryonato ex magneſia ſaturnina* educto. Id verum eſt naturæ inſtaurativum, ſymphytum, ſeu balſamum naturale noſtrum mundat, & purgat, & modo communibus Medicis ignoto. Mirabatur interea quo pacto tam blande ſanaretur. Nulla fit ſenſibilis purgatio, alteratio nulla; potionum, apozematum, & juleporum aſpectum minime perhorreſcit. Sapor, color, & odor, in hoc medicamento naturæ amica ſunt: quantitas eſt perexigua, & omni tempore exhiberi poteſt, etiam in cibis ipſis. Æmuli interea, qui hæc ignorant, ut operibus deſtituti, ad verba ſe conferunt.

(*a*) *Pſoram contumaciſſimam*. Alia eſt pſora univerſum corpus defœdans, alia lepra Arabum ſeu elephantiaſis. Sæpius peccatur in hoc, quod confundantur hi affectus. Indicant elephantiaſim puſtulæ, ulcera cutanea, oculorum panniculi: poſtea hæc invaleſcunt, naſus collabitur, rauci fiunt, atque horrendum aſpectum præbent. Græcorum autem lepra ſcabies ſicca maligna eſt, univerſum corpus turpiter defœdans, ſquamiſque tunc tenuioribus, tunc craſſioribus obducens. Si altius radices egerit et piloſas capitis et ſuperciliorum ſedes invadit, licet curetur, facile rurſum redit.

(*b*) *Sulphure embryonato ex magneſia ſaturnina*. Eſt nimirum hoc nihil aliud, quam ſulphur ex antimonio rite extractum, quod magneſia ſaturnina audit, quia inſtar ſaturni quaſi devorat et imbibit alia metalla. Sulphur hoc decenter paratum et præcipitatum penetrantiſſimum eſt, et in exiliſſima quantitate magna agit et univerſum corpus pervadit. *Glauberus* panacæam et ſulphur univerſaliter purgans appellat, cujus unicum granum altis medicamentis immixtum in acrimonia ſeri ſcorbutici delinienda in defluxionibus acribus ad oculos, ad artus corrigendis maxima pollet efficacia, in majori doſi hoc remedium datum, emeticum eſt, in ſucciſa et refracta ſalivans et deobſtruens potentiſſimum. Ejuſdem cum ipſo indolis eſt regulum antimonii ſic dictus medicinalis, qui tamen in majori doſi exhiberi poteſt. Metallica hæc conſtantibus ſolidiſſimis et mobiliſſimis ſimul gaudent particulis, quæ facili ala corporis puros pervolant, viſcidoſque humores colliquant. Generoſis hic morbus æger præſidiis, cui debilioribus et languidioribus non cedit, durus namque nodus durum requirit cuneum.

CAPUT XLII.

De Pſora pertinaciſſima a multis annis inveterata.

DOminus Franciſcus Palatinus nobilis Bononienſis, annum quadrageſimum circiter agens, (*a*) *a teneris annis* ſcabiem contumacem, ſiccam, & atram patiebatur. Traxiſſetne originem a victus conſuetudine, an ab aliis, plane me latuit: ex præſentibus deprehendere licuit, dictum dominum eſſe temperamento calido & ſicco (*b*) *pituitæ ſalſæ multum generare*, craſſum obtinere ſanguinem, cutis poros valde denſatos, eandemque cutem fuſco colore perfuſam. In fœda hac ſcabie debellanda, multa remedia per totum vitæ ſpatium a diverſis Medicis exhibita fuere, ſed incaſſum: Nec mirum, cum ejuſmodi vulgarium Medicorum ſcientia tantum ſit, alvum laxare, & ſanguinem detrahere. Quicquid de alterantibus effutiunt, nugæ ſunt, & quid ſit refrigerare, penitus ignorant. Indicationes curativæ nobis fuerunt, luxuriantem ſalſedinem compeſcere, eamque in venis conſiſtentem per renes & veſicam foras propellere, & quæ in carnibus atque in cute ſtabularetur, eam diſcutere tum per ſudorem, tum per inſenſibilem evaporationem. Quæ facillime ſubſequentia duo medicamenta præſtiterunt.

Rec. Conſervæ roſarum, ℥. iv. conſ. violarum, ℥. ij. auri diaphoretici, ʒ.j. Miſcebantur ſimul, & hujus mixtionis capiebat ʒ. iij. bis in die. Hoc medicamentum non tantum ſudores, & inſenſibiles vaporationes promovet, verum labantem noſtram naturam ſublevat, calorem & humidum inſitum recreat, & nectaris noſtri ſpiritibus pabulum affert. Efferatam vero & exuberantem ſalſedinem ſequenti medicamine brevi imminuimus.

Rec. Radic. lapathi acuti, graminis, fœnic. an. ℥. j. ℔. fol. cichor. taraxac. agrimon. fumar. lupul. betonic. pimpinell. ſcolopend. an. m. j. ſenæ, epithym. cuſcut. an. ℥.j. liquirit. raſæ & contuſ. ℥ ℔. (*c*) *Parabatur decoctum* more ſolito in ſ.q. aquæ communis, cujus colaturæ ex arte depuratæ dabantur mane ℥. vj. cum ℥.j. ſyrupi limonum. Hujuſmodi decoctivis & energia ſalis copiam non tantum repurgat, verum & obſtructos meatus abdominis aperit, excrementitium ſulphur ejicit, inteſtinorum ſordes eluit; quicquid etiam renibus inhæret, nec non veſicæ, foras protrudit. Extrinſecus, ut cutis ſiccitas & aſperitas lævigaretur, unguento roſacco cum balſamo ſaturni, & pulvere coſmetico, ter vel quater uſus eſt. Quibus paucis & facillimis dictum Dominum a fœdo illo affectu tuto & jucunde liberavimus. Hic annotare licet ſenis Medici conſilium, qui cum ſolis ſcholarum veſtigiis inhæreret, incognitis naturæ mediis, nec non ipſiuſmet naturæ viribus, quibus in expellendis morbis ipſa utitur, indixit dicto domino, ne in poſterum quemquam Medicorum conſuleret, ſecus, ei imminere evidentiſſimum mortis periculum. Non alia ratione idipſum dixiſſe mihi perſuadeo, quam quod putaret congenitum omnino eſſe ejuſmodi affectum; unde ſi quis ejus curationem aggrederetur, id fieri haud poſſe, maxime blandis & ordinariis præſidiis, aliis vero valentioribus morbum

bum magis exasperatum iri; valida enim sunt calida, & magnæ activitatis: atque talia vim & molestiam naturæ afferunt; a qua symptomata multa, a quibus si non mors, saltem culpata sanitas. At Medicus Galenicis & Chymicis artibus simul instructus, majora longe sibi pollicetur, citra molestiam & vehementiam; non enim solum fallaci & titubanti scriptorum ratiocinio judicium suum committit, sed naturæ opera diu multumque rimatus, experientiæ rationi copulatæ se totum devovet.

(*a*) *A teneris annis*. Notus est mihi juvenis viginti annos non excedens, qui a nativitate psora laboravit, tota cutis squamosa & furfuracea est, excepta illa in facie, omni ferme mense decidit hæc, & nova propullulat sana, cui tamen mox squamulæ cinericei coloris innascuntur.

(*b*) *Pituitæ falsæ multum generare*. Salium genesis et evolutio in corpore nostro inchoative fit in culinis viscerum infimi ventris continuatione facta in reliquis locis, ubi filtrari et transire solent humores. Quando propter obstructionem illud non fit, fluctuant in sanguine motuque & impulsu intestino, nec non continua allisione ætheris exaltantur, acriora & penetrantiora fiunt; unde tantus salium morborum in corporibus proventus est.

(*c*) *Parabatur decoctum*. Decoctum hoc ex meris vernaculis ac domesticis paratum est, quæ profecto ad temperandam salium acrimoniam & evacuatoria blande referanda multum facere queunt: Nec etiam in contumaciſſimo tali morbo omnia vegetabilia & Galenica spernenda sunt. Spectat huc insignis observatio *Heurnii in Commentario ad aphoris. Hippocr. p.* 193. Hic cuidam nobili lepra laboranti multa remedia frustra exhibuit, secuit venam, purgavit, præparavit, tandem helleboro albo usus, topica præclara admovit, sed omnia frustra. Postremo usu cucumerum evasit, quibus etiam conditis totum per annum usus fuit.

CAPUT XLIII.

De Arthritide.

PErillustris Dominus Aloysius Maria de Ursis, Sancti Stephani eques, annos triginta natus, a quindecim diebus arthritide graviter detentus, etiam duorum Medicorum opera frustra curatus, me accersiri jussit. Tunc genua, & brachia dolore acerrimo tentabantur, noctes insomnes transigebat, cum cibi inappetentia, non sine febre, eaque lenta & continua. Hujus causas a naturali quadam propensione pendere, & (*a*) *ab erratis in regimine victus* commissis, existimavi. Etenim quinquennio exacto, dolore non dissimili correptus fuit; victus vero ratio omnifaria, (*b*) *veneris illecebris* (*c*) *vitaque voluptuariæ*, ut apud divites sæpius moris est, nimium indulgens. Cæterum causas antedentes calidiori hepati & ventriculo minus calido tribuunt Medicis, & eo magis ætate, corporisque habitudine, id ipsi condonantibus. Conjunctam a communi, & a nobis alibi explanata minime discrepare judicavimus. Hac de re, earundem indicationum, quas in similibus elicere consuevimus, consideratione habentes, primo die, ut jam geniti humoris acrimoniam membranis, nervis, tendinibus & ligamentis articulos constituentibus, infensam obtunderemus, aurum nostrum diaphoreticum ipsi exhibuimus, cujus medio humoris illuc appulsi subtilis evaporatio acris & mordax evanuit.

At

At relicto in articulis humori expurgando, fluxionique futuræ obviam eundo, (*d*) *pilulas catholicas* dedimus ad grana 15. cum gr. 5. trochiſc. alhandal. Vini uſum ad 15. dies ipſi interdiximus. Victus inſuper primis diebus fuit ſolito tenuior, paulo tamen conſueto parcior; ova loco carnium comedente ipſo, ut & pyra cocta ſaccharo conſperſa, ſicq; brevi firmiſſimæ ſanitati fuit reſtitutus.

(*a*) *Ab erratis in regimine victus*. Largior vini potus ad generationem arthritidis multum facit; quatenus ſcilicet particulis ſulphureis promtius evolantibus intemperatæ redduntur oleoſæ & roſcidæ ſanguinis particulæ, reſtitans vero ſub ingurgitatione amurca acida in ventriculo (mediante vomitu dentes ſtupefaciens) ſubinde chylum inficit, ejuſque dulcedinem vitiat. Peccat in hoc magis vinum rhenanum, de quo refert *Sennertus libr. de arthritide c. 2. pag.* 13. ſe e 24. menſuris vini rhenani fere uncias tres tartari, e Tocavienſis vero inter Hungarica generoſiſſimi totidem menſuris vix drachmas duas in deſtillatione reperiſſe.

(*b*) *Veneris illecebris*. Venus nimia defraudando delibatiſſimam ſucci lymphatici partem & ſpiritus exhauriendo mirum partium robur debilitat, ut hinc excretiones moretur, & ſtaſi humorum in partibus ſolidis anſam præbeat. Bacchi & Veneris filiam eſſe podagram Poetę finxerunt juxta πολυθρύλλητον illud:

Αυσιμελὴς ἐκ τῆς, καὶ λυσιμελὴς ἀφροδίτης
Γίγνεται θυγατὴρ λυσιμελὴς ποδάγρη.

i. e. e ſolvilumba Venere, ſolvilumboque Baccho creata eſt ſolvilumba Podagra. Et *Ovid.* Facit amor maciem & longa internodia crurum. Merito itaque conjugari prudentia quadam moderentur congreſſus, eoque allaborent, ne vires capiant detrimentum, item ne forma externa patiatur jacturam.

(*c*) *Vitæque voluptuariæ*. Utplurimum qui vitam habent ſedentariam, voluptuoſam tamen, nec laborant, ſed deſidioſi ſunt, laborant podagra. Veriſſime dicit *Cons noſter Lib. 1. de diæta c. 1. tit. 18.* homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret: Labore enim & motu excitatur calor, qui diſſipat halituoſa ſeroſa effluvia, firmatque membra.

(*d*) *Pilulas catholicas*. Purgantia acriora & calidiora validioraque in arthritide apprime volatica devitanda ſunt: Hæc enim ſalia morboſa magis ſubtilia & penetrantia reddunt. Et notabile quoque eſt, leniora purgantia in vigore morbi exhibita complures efficere ſedes, ſub declinatione autem vix aliquas; Adeo purgantium vim etiam intendunt acria illa morboſa ſalia.

CAPUT XLIV.

De funeſtiſſimo dolore alterum crus obſidente.

DOminus Virginius Piottus, annos 33. natus, prope Divi Matthæi Piſcatorum Eccleſiam, lanceæ mercaturæ officio incumbens, a multis menſibus, vagum & errabundum, atrocem & acerbiſſimum dolorem in altero crure patiebatur. (*a*) *Redibat is dolor* per intervalla, nullo ordine ſervato, cauſis externis præhabitis nullis, ad integrum diem, aliquando per horas latitans, & non raro per dies: febris interea aderat nulla, nec in parte dolente rubor, aut tumor conſpicuus, minus inflammationis veſtigia ulla, verum pars in ſuo colore, & naturali conformatione perſiſtebat. Ad tantum dolorem debellandum, multa incaſſum ab alio Medico, bimeſtri toto, ſumpſerat remedia, veluti purgationes ſolitas, julepos, phlebotomia minime omiſſa, cum

multis

multis localibus; item pulverem ivæ artheticæ, & alia: quibus (*b*) *dolore nihil remittente*, ſed indies pertinaciori facto, contumaciori, & magis ſæviente, me quoque conſulturus accerſiri juſſit. Relatis itaq; ad unguem exploratis, malum in tenui aura conſiſtere facile cognovi: quapropter cutis poros omnino ea in parte aperiendos judicavimus, ad quod ſequentem fotum direximus.

Rec. Baccarum juniperi, lauri, an. ℔.ß. roriſmarini, ſalviæ, meuthæ, abſinthii, majoranæ, an. m.ij. flor. ſtœchados, camomillæ, hypericonis, an. p.j. Coquebantur in vino, & aqua pro fotu. Quo peracto dolore renitente adhuc, cucurbitulas cum ſcarificationibus, uti monemus in noſtra *prima Centuria*, *curatione* 10. *& curatione* 69. admovendas juſſimus, a quibus pro tempore dolor penitus evanuit. Verum tenuis, & flatuoſa iſthæc materia ab intimis corporis receſſibus aſſidue erumpens, aliud medicamenti genus ſubindicavit, nimirum diſcutiens, aperiens, purgans, & ſimul roborans: diſcutiens, ut viſcidam materiam, e qua prodeunt ſimiles flatus inanes, attenuaret, & diſcuteret: aperiens, ut obſtructos meatus aperiret: purgans, ut diſſolutam, & expurgationi præparatam materiam foras propulſaret: roborans, ut pars diu doloris immanitate conflictata, priſtinum robur ſuſcipiens, noxia a ſe commodius repelleret: quibus virtutibus (*c*) *pilulæ noſtræ catholicæ* pollentes, has omnes intentiones jucunde, & tuto abſolverunt: dabantur autem ad gr. xv. gran. iv. trochiſc. anhandal aliquando additis.

(*a*) *Redibat is dolor per intervalla*. Exquiſitum pedum dolorem certis horis per intervalla vehementer affligentem deſcribit *Horſtius l.* 8. *obſ.* 16.

(*b*) *Dolore nihil remittente*. Dolores venereii iique continui diu noctuque quandoque a multis annis affligunt, præcipue in tibiis, ſecundum illarum longitudinem. Multa incaſſum hic tentantur tam intrinſecus ſudorifera, quam extrinſece fomenta, ſuffimigia, emplaſtra mercurialia. Potius extracto antivenereo, quod conſit ex extractis lignorum & mercurio diaphoretico, piluliſq; gummoſis & mercurialibus dolor hic tollendus eſt.

(*c*) *Pilulæ catholicæ*. Incidebat nuper fœmina in febrem tertianam ſcorbuticam cum doloribus crurum periodicis; urina lixivioſi erat coloris, appetitus erat proſtratus cum anxietate præcordiali. Accipiebat doſin florum ſalis ammoniaci vitriolatorum cum cereviſia calida, poſt quorum uſum materia reſinoſa alba viſcida inſtar terebinthinæ fuit ejecta, & paroxiſmus cum ipſis doloribus non rediit. Patet primis in viis non raro cauſam morbi ſtabulari, quæ removenda eſt; hac intentione *Dn. Author* ſummo cum fructu præſcripſit pilulas ſuas trochiſcis alhandal ac uatas.

CAPUT XLV.

De aſthmate inveterato.

MArcus Antonius . . . . ex his qui cinnabinam artem exercens, annos 40. natus, *in via Nozadella*, funeſto, & pertinaciſſimo aſthmate toto anno detentus, ſub cura noſtra ſic brevi reſtitutus fuit. (*a*) *Ad traſſam & viſcidam materiam* pulmonum bronchiis fixe inhærentem, & induratam, ſequenti oxymelite uſi ſumus.

Rec. Foliorum peti, (alias herbæ reginæ) m.iv. hyſſopi, praſſii albi, capill.

ven. an. m. ij. rad. ireos ſicc. liquiritiæ, an. ʒ. ß. fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ communis: colaturæ, fortique expreſſioni adde ol. ſulphuris, ℈. j. aceti ſcillitici, ʒ. v. ſacchari albi, ℔. j. mellis albi, ʒ. vj. Clarificetur albumine ovi, & coquatur ad ſyrupi craſſitiem, cui ſub finem adde tantillum croci, & pauxillum cinnamomi. Diſſolutam ejuſmodi craſſam materiam, pilulis catholicis quater repetitis optime purgavimus, ægrumque priſtinæ ſanitati fere tunc reſtituimus: Verum cum paulo poſt ex nonnullis mali prænunciis morbum adhuc conſiſtere, ſtationemque nondum omnino deſeruiſſe cognitum eſſet, pilulas catholicas reiteramus, granis aliquot trochiſc. alhandal. additis. Item ne fluxio iterum in pulmones irrueret, utque idem pulmones robore firmoque præſidio munirentur, tabellula, (*b*) *ex floribus ſulphuris* ad tempus ipſi præſcripſimus: quibus blandis remediis omnem aſthmatis moleſtiam longe a ſe propulſavit: annos ſeptem ab ejuſmodi tetri affectus curatione vivens penitus immunis.

(*a*) *Ad craſſam & viſcidam materiam*: In aſthmaticorum cadaveribus pulmonum ramos item cordis auriculas ſolito ampliores & refertas materia craſſa, compacta, alba, luridum colorem referente invenit *Riverius cent.* I. *obſ.* 82. Maximopere tunc cavendum eſt, ne dentur incraſſantia dulcia, opiata, quæ aſthmaticorum & hydropicorum mors ſunt.

(*b*) *Ex floribus ſulphuris*. Sulphur anima pulmonum dicitur quatenus nimirum balſamica ſua vi corroſivam humorum qualitatem infringit, putredini reſiſtit & fibras motrices roborando, ne ſtaſes humorum nocivæ fiant, impendit. Opus autem eſt, ut prius bene purgetur acido minerali ſuo ſucco, id quod omnium optime peragi poteſt, ſi cum corporibus alcalinis, v. g. calce viva miſceatur & aliquoties ſuper illam ſublimetur. Flores ſic fiunt ex flavo virideſcentes, in reſolvenda craſſitie humorum penetrantis efficaciæ: Movent quoque illi ipſi diaphoreſin & nonnunquam alvum reddunt laxam, quandoque etiam nimis mollem & fluidam conſtringunt.

CAPUT XLVI.

De aſthmate, & hydrope.

FRanciſcus Monardus annos 33. natus, ad plateam in officina *della Roſa* alutarius, duplici affectu in lecto moribundus jacebat, aſthmate videlicet, & hydrope. Aſthma non diu ſolitarium exiſtens (*a*) *hydropem in ſocium* ſibi aſcivit, nullaque de cauſa, quam de continuis vigiliis, & immodica potius ingluvie. Cum enim aſthmate nocte dieque premeretur, omnem cibum averſabatur, vigiliis inſuper aſſidue confectus, ſitim ingentem contraxerat, unde larga potatio: At jecur tot cruditatum, & humiditatum proventum conficere haud valens, loco laudabilis ſanguinis, pituitam, & aquas ingenerabat, a quibus hydrops. Aſthma ortum ducebat (*a*) *nimio crudorum uſu*, ea enim ſurſum ſublata facili negotio in pulmones irruunt, ubi obſtructiones facile pariunt, a quibus aſthma. Indicationes in his commixtis affectibus multiplices erant. In aſthmate, ut primario affectu, & magis urgente, materiam craſſam & viſcidam incidere, attenuare, & purgare. In hydrope, obſtructos meatus reſerare, naturales

les

les partes excalefacere, & flatus diſſipare. Et quia anhelitus difficultas eum vehementer urgebat, ipſi breve, & momentaneum requiri remedium judicavimus, infarctos pulmones vomitu nonnihil ſublevans. Quapropter eſulæ,& aſari extracta ad juſtam doſim ſtatim præbui, quibus plurimum pituitæ per os excrevit, item per alvum non parum: ſiti poſtea, hydropis parenti & altrici, ſulphuris liquorem acidum præſtitimus, cum conſerva roſarum. Hidropis indicationes ſulphure noſtro hydropico facillime abſolvimus, nam meatus ubique obſtructos aperit; calorem inſitum auget; renum vim, facultatemque expultricem conſopitam irritat; ſiquæ ſint in viſceribus durities, vel tumores,emollit, & diſcutit, aquas tandem, & cruditatem omnem optime conficit, & diſſipat, citra omnem moleſtiam,ſed ſemper cum levamine, certoque auxilio.

(*a*) *Hydropem in ſocium*. Aſthma lubentius cum hydrope conjungitur, ſeu cachexia & hydrops aſthmaticum morbum ſubſequitur, uterque etenim affectus ab eadem fovetur cauſa, nimirum pituita viſcida in ſanguine exundante, & viſcerum debilitate, quæ partim provenit ab obſtructione, partim a ſpirituum defectu, qui tonum illis fœnerant.

(*b*) *A nimio crudorum uſu*. Nimius dulcium ac humectantium uſus ac vulgo dictorum pectoralium abuſus ad aſthmatis nec non hydropis generationem magnum confert momentum. Elegans locus in hanc rem extat apud *Montanum conſult.* 77. qui ſic ſcribit: Ego maxime abhorreo ab Electuariis, ubi imbecillitas ventriculi ſuſpecta eſt. Vidi homines ſæpe, dum illi volumus catarrhum curare, ex frequenti & nimio uſu Electuariorum incidere in hydropem: dum enim illa frequenter ſumunt, die nocteque impeditur coctio, augeturque catarrhus. Obſervavi una nocte malum ex pulmonibus ad abdominis partes præcipitatum, reſpiratio facta fuit liberior, aſt intumeſcere cœperunt pedes cum abdomine.

CAPUT XLVII.

De ſingultu lethali.

PEtro de Magis ſartori, in via *di val di Loza*, annum circiter 45. agenti, (*a*) *acutiſſima febre* circa undecimum diem laboranti, frequentiſſimus, & vehementiſſimus ſingultus obvenit. Febris fuit in principio ardentiſſima, eodem in ſtatu ad 11. dies perſeverans, quæ diarrhœa veluti critica ſuperveniente ſoluta fuit. At cum læta, & pacatiora viderentur omnia, ecce immaniſſimus, & forte inauditus ſingultus, quo totum corpus eum in modum concutiebatur, ut vix momento ipſi reſpirandi daretur facultas, nec itidem efferendæ loquelæ propemodum ſpatium eſſet. Quo terrore triduo fere detentus, multa calida tum ſimplicia, tum compoſita, opiata item, philonium, theriacam, & ſimilia fruſtra accepit. (*b*) *Suppreſſa diarrhœa*, & per aliquot ſpatium tetri affectus violentia, opiatorum medio. Paulo poſt in animi deliquium incidit; quo in ſtatu cum de ejus vita conclamatum eſſet, accerſor: Ibi ego rebus in anguſto poſitis, lethalique affectu deprehenſo, melius duxi, in ſimili caſu aliquid antiquis inexpertum, ratione tamen probatum, uſurpare, quam mordicus eorum inventionibus ſolum inhærendo ægrum ſine remediis deſerere. Itaque mali fomitem ab inanitione, & acri humore ventriculi fundum irritante

exploratum, ſtomachico noſtro ſpecifico ſummovere decrevi, & maxime purgationi nullo loco exiſtente. Dato quippe dicto remedio, bis in die, affectus ſenſim mitior factus eſt; continuato vero dicti remedii uſu ad 8. dies, dirum & lethale hoc malum plane evanuit, ſanitatemque ab ea die, ſeptennio decurrente, feliciorem conſequutus eſt.

(*a*) *Acutiſſima febre*. Singultus motus quidam convulſivus vel concuſſio orificii ſuperioris ventriculi nec non ipſius diaphragmatis eſt, & provenit ab eiſdem cauſſis, a quibus convulſio, nimirum a copia humorum nervos obſidente vel ab illorum nimia acrimonia, ſeu uti veteres dixerunt a plenitudine & inanitione. Febribus continuis ſubdeclinatione interdum ſe aſſociat, forſan ob vitioſas acres particulas ex ſanguine beneficio motus præcipitatas ad primas vias, ubi regia quaſi ſordium & excrementorum via eſt. Non ſemper tamen, quamvis utplurimum, mortis eſt prænuncius.

(*b*) *Suppreſſa diarrhœa*. Opiatis diarrhœa critica, qua nonnunquam terminantur febres ardentes, ſuppreſſa, item dyſenteria in principio ſtatim opio cohibita, funeſtum frequentiſſime parit ſingultum, quatenus nimirum vitioſa materia reſtagnans malignitate adaucta convulſionem inducit diaphragmati; Sic quoque obſervante *Riverio cent. 3. obſ.* 17. quidam centurio febre tertiana laborans, ſumto ſyrupo de papavere in medio paroxyſmi, tam importuno ſingultu premebatur, ut pene moreretur. Tali in caſu theriacalia, diaſcordium *Fracaſtorii*, abſorbentia, antiſpaſmodica, in quibus alias magnum hujus morbi ſolatium eſt, vix proſunt, niſi cum leni emetico, quod impenſe commendat *Platerus l. 1. obſer. pag* 203. vel purgante miſceantur, ut ſaburra humorum putridorum hac ratione ſimul eliminetur. Eſt alias hoc in morbo magnum præſidium balneum antiſpaſmodicis & nervinis herbis nobilitatum, nec non conſtrictio fortior thoracis cum linteis. Laborabat ante duodecim ni fallor annis vir honoratus in Weſtphalia febre ardente juncta cum difficultate reſpirandi & ſingultis, qui per decem & tres dies ferme affligebat. Viribus tandem omnibus fractis occubuit. Sectione cadaveris inſtituta reperiebamus in thorace uncias aliquot ſeri acris fœtidi diaphragmati innatantis. Pulmones exſucci & putridi erant. Confirmat & hæc obſervatio noſtram aſſertionem, ſcilicet pleroſque morbos lethales oboriri ex ruptione vel apertione vaſis vel ſanguinei vel lymphatici notabilis, & inde enata extravaſatione & cadaveriſatione humoris.

CAPUT XLVIII.

De Epilepſia.

POlonia Jo annis Maccaferri filia, annos 11. nata, a tribus annis (*a*) *epilepſia* hæreditaria frequenter vexabatur. Hujuſmodi morbi talis erat inſultus. Paulo ante invaſionem, quandam oculi caliginem præſentiebat, & tunc humi derepente convulſa procidens, ad dimidiam horam veluti mortua ſine ſenſu, brachiis & cruribus diſtentis jacebat, ſpumam ex ore fundens, & præteriti caſus a morbo expergefacta immemor erat: inſuper exſoluto paroxyſmo, ſolutiſque muſculis alvum deponebat. Hunc porro affectum traxerat a parte, tanquam hæreditarium, ideoque tanti affectus cauſas ulterius perſcrutatus, comperi patrem non modo in Epilepſiam, verum & crebro in mentis alienationem incurriſſe, eaque alienationis ſpecie detineri, qua correpti, lunatici vocantur.

Cujus

Cujus nominis rationem non aliunde evenire mihi persuadeo, quam a motus ordinatione, eo quod pluries observatum ajunt, ejusmodi affectum certis Lunæ coitionibus & quadraturis moveri & excitari. Mallem tamen rationi seminali id tribuere, quam obscuris, & a nobis remotis causis, ne dicam vanis & infidis; nec moramur quicquid in contrarium obstrepant alii. Tanto affectu libera evasit isthæc puellula, (*b*) *saturnina magnesia* ter assumpta, qua plurimum pituitæ & bilis porraceæ evomuit. Ejusmodi saturninam magnesiam per calcinationem ad hoc paramus, de qua in nostra *Pharmacopœa Spagyrica in 3. cap. de stibio.* Vivit ipsa septennio a cura elapso, citra ullam morbi suspicionem.

(*a*) *Epilepsia*. Gravissimus hic morbus utplurimum fit ab obstructione seu compressione substantiæ cerebri tam glandulosæ, quam medullaris. Confirmant hoc sectiones epilepticorum, ubi plerumque cerebri ventriculi aut materia viscida, aut sanguine, sero acri, pure repleti aut compressi videntur. *Welschius* in *mistionematibus pag. 69.* notavit hydropicum, qui balnei usu, fusis humoribus in epilepsiam incidit. Laborabat paucis ab hinc annis puer decem annorum febre intermittente, chronica, ex qua contrahebat inflationem ac intumescentiam corporis, ad quam depulsandam suffimigia adhibebantur, quorum post usum epilepsia corripiebatur. Causam hujus morbi mechanice & ingeniose tradit *divus noster Cous in libro de morbo sacro*, dum inquit: sacer morbus fit, cum obstructiones multis modis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur, atque hic quidem sistitur, ibi tardius permeat, alibi autem citius. Hoc ipsum *a Domino Sponio in Commentario ad aphoris.* observatione illustratur, hoc inter alia in cadavere epileptici venas quasdam jugulares a muco tartareo viscido gypseo quasi obstructas invenit, hinc factum est, ut ob impeditam in ista parte circulationem sanguis serosus ad cerebrum magis regurgitaverit, & somnolentiam ac insultus epilepticos produxerit.

(*b*) *Saturnina magnesia*. Nihil est aliud quam regulus antimonii seu antimonium ipsum per calcinationem tractatum. Sepius epileptici mali fomes primis in viis latitat, quæ pituita & bile æruginosa sordescunt, his depletis malum remitti solet. Laudant emeticorum in epilepsia usum *Trallian. l. 1.* cap. 15. *Zacut. Lusitan. praxi admirabili* Lib. 1. *observ.* 24. *Petrus Johan. Faber in curation. pag. 714. Angelus Sala cent. 2. curatione 77.* Fumo tabaci in os pueri inflato epilepsiam curatam evolve *Riverium cent. 2. observ. 60.*

CAPUT XLIX.

De tertiana febre cum suffocatione.

NObilis Dom. Magdalenæ de Crescimbenis filia, nomine Hippolyta, annum decimumquartum suæ ætatis agens, sub canicula vehementissima febre tertiana, cum tetrico symptomate suffocatorio acerbe divexabatur. Hujus gravissimi symptomatis tanta vis & pernicies erat, ut in eo instante paroxysmo spiritum jam efflare crederetur. Contingebat dirum hoc (*a*) *symptoma initio rigoris*, in præcordiis validam, & intensissimam oppressionem præsentiente ægra: unde conjicere licuit, illic mali fomitem delitescere. Quapropter specificum nostrum stomachicum cum aqua cinnamomi exhibendum certa indicatione conjeci; idque non frustra, eo enim bis exhibito cum antipyreto nostro, febris, & symptomata confestim evanuerunt. Nec mirum: nam ubi magna morborum vis, & impetus, ibi cita mors, aut victoria læta. Interea hic mihi in

memoriam revocandum subit, quot ægri tali symptomata occubuerint hujus medicamenti privatione, & ignorantia.

(*a*) *Symptoma initio rigoris*. Tremor, horror ac frigus spasmodica affectio integumentorum totius corporis est, ubi molesta constrictione ex venarum extremis reprimitur sanguis in vasa majora, a cujus congestione respiratio fit difficilior, sique sanguis copiosus & viscidus est, in præcordiis & pulmonibus stagnans oppressionem vel etiam suffocationem creat. Qui ex febribus intermittentibus diem suum obeunt, ipsa sub accessione & rigoris paroxysmo decedunt. Laborabat Halberstadii quatuor ab hinc annis fœmina 20. annorum febre quotidiana intermittente, tertio die accipiebat a balneatore quatuor grana vitri antimonii in substantia cum vino, post hujus usum purgavit per tres dies continuos ἀνω & κατω plus centum vicibus, febris omni die servabat suum typum, tempore frigoris miserrime torquebatur spasmis, sudore frigido, pulsu debili, respiratione difficili & cum purgatio insistens vires ulterius destrueret, tertio die ab accepto emetico ipso in frigore, quod per sex horas cum sudore frigido per totum anxietate præcordiali, pulsu non sensibibili & omnium virium dejectione instabat, moriebatur.

CAPUT L.

De causo, ardenti febre, cum vehementissimo ardore ventriculi.

CÆsar Agucchius, annorum 25. in domo admodum Illustriss. Dominæ Ludovicæ de Poggiis, ardenti febre, cum anhelitu gravi, & ardore ventriculi acerbe conflictatus, ad quartum diem sine remediis perstitit; quinto cum valde cacochymus esset, (*a*) *sequentem potionem accepit*.

Rec. Mannæ Calabrinæ, syrupi rosati sol. an. ℥. ij. decoct. flor. & fruct cord. cum ʒ.j. senæ, q.s. fiat potus, quo medicamine multa biliosa excrevit. Sexto die viribus minime suadentibus non fuit detractus sanguis. Septimo augetur anhelitus, parique modo cætera symptomata mirum in modum creverunt, croceæ urinæ apparent, lingua autem nigrore perfunditur, scabraque redditur. Octavo die cum ventriculi ardor, anhelitus magis premerent, eumque ad extremum fere adigerent, (*b*) *cardiaco potu* hunc in modum ipsi prospeximus.

Rec. Pulveris diamargariti frigid. ʒ. syrup. de papavere nig. ℥.j. aquæ acetosæ, ℥.vj. succi limonum, ℥.ß. Misc. Hora a potu quievit, & ventriculi ardor, & dolor inde ortus cessavit, totaque nocte dormivit; exacta vero visoporifica potionis, (quod fuit circa decimam horam ab assumpta potione) eadem reversa sunt symptomata; quare supervenienti nocte eandem potionem reiterandam jussimus. Interim natura pugnam minime deserens, sudores movit circa undecimum, morbumque plane subegit. Iisdem diebus alios ægros febri omnino simili cum iisdem symptomatis, ejusdem potionis cardiacæ vi, & beneficio feliciter sanavimus. Quo argumento Medicos quosdam timidos, narcoticorum usus, & facultatis ignaros monere cupio, ne futili suo ratiocinio pellecti, ejusmodi medicamentorum usum reformident. Qui laudana, & alia opiata norunt, hæc vel illa usurpare possunt.

(*a*) Se-

(*a*) *Sequentem potionem*. In morbis epidemicis maxime caſtrenſibus & qui a vitio victus enaſcuntur, prima regio copia impurorum humorum utplurimam oneratur; hinc a cruditatibus illis purganda, non quidem vehementi pharmaco aut tali, quod œconomiam vitalem omneſque humores perturbat, vireſque ſubtrahit, ſed e contra, quod præter lenem evacuationem vires potius addit & malignitati reſiſtit. Poſſunt hinc miſceri mixturis alexipharmacis, lenia laxantia v. g. tamarindina, Syrupus roſarum laxativus, diagrydium &c. A febre maligna epidemia plurimos præſervatos fuiſſe levioribus purgationibus ſcribit *Plater. l. 2. Obſervat. pag.* 295. item leniora ineunte morbo petechiali ſummo cûm fructu exhibita in innumeris ægris commendat *Dominus Donckers in idea febris petechialis p.* 292. &c. *nec non Diemerbroccius in praxi pag.* 295. *Cardiaco potu*. Similes mixturas ex acidis & anodynis conſtantes exhibet *Domin. Donckers*, paſſim in *libro citato*. Merito opiata, narcotica, quæ ſpiritus ſuffocant & vires extinguunt, damnanda ſunt, papaveracea autem, ubi magna humorum ebullitio & acrimonia eſt, pulſus robuſtus & celer, circumſpecte adhibita & cum acidis mixta proficua ſunt. De horum uſu fuſius poteſt *videri Zacutus Luſitan. medicina pract. 61. lib. 1. River. in tractat. de febr. peſtilentiali p.* 137. *Horſtius l. 1. obſerv. 27.*

CAPUT LI.

De Pleuritide in Septuagenario.

PEr illuſtris Dominus Auguſtinus de Poggiis, S. Stephani eques, annos 70 natus, graviſſimo, & acerbiſſimo lateris dolore cum ardentiſſima febre correptus, hunc in modum ſanitatem conſequutus eſt. Dolori, ut magis urgenti, ad Hippocratis normam, (*a*) *fotum ſequentem* præſcripſimus.

Rec. Fol. malvæ, violar. praſſii albi, camomillæ, ſeminis lini, fœnugræci, an. p. æq. Bull. in ſ. q. aquæ communis: quo dolore paululum ſedato, linimentum, ut peracto fotu illineretur, admiſimus.

Rec. Butyri recentis, ol. amygdalarum dulc. adipis galin. an. ℥. ij. Miſce ſ. linimentum. Dolore placato, (*b*) *multoque pure* circa 4. diem excreto, febris omnino receſſit; quæ paulo poſt, diebus 6. vix elapſis reverſa eſt, una & lateris dolor, unde mortis ſubſecuturæ haud parva ſuſpicio. Tertio vero die multum ſanguinis expuit, ſimul cum puris aliqua portione, febre penitus ceſſante, atque dolore, & aliis ſymptomatibus. In hoc affectu, nullis prorſus uſi ſumus remediis, niſi maturantibus, & expectorationem promoventibus, ſic naturæ ſagacitate potius quam artis regulis opus perficiendum duximus. Cum autem jam annum elapſum incolumis vixiſſet, & ab omni mali pernicie tutus eſſet, (*c*) *nova pleuritis prima* vehementior eum adoritur, & mox quinto die, remediis etſi opportune factis, fatis cedere coactus, e vivis receſſit. Ejus *cadavere aperto*, ſiniſtri lateris, ubi dolor magis eum vexabat, pulmones ſuppuratos comperimus.

(*a*) *Fotum ſequentem*. Quantum juvent fotus in pleuritide, docet *Foreſtus in l. 16. obſerv.* unc. j. maxime in pleuritide ſpuria, ubi muſculi intercoſtales externi inflammatione affecti ſunt; nec non linimenta poros aperientia & diſſipantia, nimirum ex camphora, croco, nitro, ſpiritu vini & aceto deſtillato parata, quæ calide parti dolenti applicata diſſipatione per poros magnam locant operam.

(*b*) *Multo pure*. In graviore pleuritide, quæ in ſuppurationem vergit, non tantum per os, ſed per alvum quoque materia ejecta fuit, obſervante *id Wedelio in tractatu de Medicamentorum facultatibus, item Johanne Rhodio obſervatione medica C. 2. cap. 29. & Petro de Marchettis obſervat. Chirurg. 43. p. 99.*

(*c*) *Nova pleuritis*. *Foreſtus lib. citato obſ.* 32. refert exemplum, ubi quis inter quatuor menſes ter legitima pleuritide laboravit, & ſemper ſanguis detractus fuit ex ſiniſtro latere affecto, & ſic convaluit.

(*d*) *Cadavere adaperto*. Horſtius lib. 3. obſ. 9. aperuit peripneumoniacum mortuum & in pectoris cavitate ſerum ſanguinolentum copioſum invenit, pulmones undique ſanguine craſſiore, qualis venoſus eſt, ſcatentes, extremis eorum partibus induratis & nigricantibus, cor flaccidum & jecur exſangue,

CAPUT LII.

De catarrho ſalſo incurabili habito.

DOminus Hieronymus Tamburinus Bibliopola, annos 45. natus, catarrho ſalſo impetitus, (*a*) *ſub trium Medicorum cura infelicem*, & acerbam vitam biennio exegerat, modo purgationibus vulgatis, & phlebotomiis excruciatus, modo ligni guajaci diætis, nunc viperarum juſculis, julepis, (*b*) *ſyrupis*, & aliis ad nauſeam aſſumptis: mitto capitales conſervas, confectiones, morſellos, pulveres, enemata, & plurima alia: tot enim inconſtantiæ fluctibus ejus ſanitas ferebatur, quot ejuſmodi Medicorum opinionum ſcopulos offendebat. Morbus tamen erat notiſſimus, (*c*) *alopecia* a catarrho ſalſo producta, cum aſperitate, & ſiccitate cutis capitis, quas leviſſimus herpes cutaneus brevibus intervallis concomitabatur. Interim dum catarrhi ejuſmodi fomitem extirpare contenderem, atque de remedio apud me plurimum cogitarem, latens ventriculi imbecillitas a tot medicaminibus orta mihi innotuit, cui ante omnia occurri enixe petit. Itaque morbi eſſentia in principio curationis neglecta, ventriculo ut ſubveniretur, tanquam publico, & valde neceſſario inſtrumento, ſtatim proſpexi, quod quidem feliciſſime præſtitit noſtrum (*d*) *ſpecificum ſtomachicum*, noſtrum inquam, quod nemo hucuſque de ejus uſu, & facultate, quod ſcimus, mentionem fecerit. Medicamentum eſt gratiſſimi, & ſuaviſſimi ſaporis, ſuas vires exerit ſine manifeſta alteratione, & in exigua portione exhibitum. Ad eam vero ſalſedinem e corpore exturbandam, decoctum melanagogum ligno ſaſſafras addito per 20. dies dedimus. Victum præſcripſimus plenum, de conſueto fere nihil immutantes; ab acribus, ſalſis, & piperatis, item acetariis, caſeo, & aliis mali ſucci abſtinendum tantummodo ipſi indiximus, hiſque paucis intra 25. dies pertinaciſſimo, & ab aliis Medicis proclamato incurabili morbo, liber omnino evaſit. Septennio a cura hac mortuus eſt ſub aliorum cura, ob tertianam ſimplicem male curatam. Sic multis contigit, qui a me ex graviſſimis morbis ſanati, in aliorum manibus, levi morbo pereunt.

(*a*) *Sub trium medicorum cura*. Nihil æque cenſente *Seneca epiſtola* 2. Sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio, adde & medicorum. Recte non minus, quam vere canit *Ovvenus*:

Nunquam crede mihi a morbo curabitur æger;
Si multis medicis creditur una febris

Opti-

Optima medicina, juxta Livium, ſæpe eſt, nullo uti medicamento.

(*b*) *Syrupis*, &c. Saccharata & dulcia in copia oblata ægrotis, multum officere ſolent, viſcedinem ac tenacitatem nec non acredinem humoribus conciliant. Obſervatione dignum eſt, ſaccharum aceto additum illud hoc longe acidius reddere, imo ſuccum ex arundinibus expreſſum, ex quo in India occidentali ſaccharum conficiunt, per diem vix ſervari, quin in acetum degeneret acerrimum. Poſtremo dulcia propter lentorem ſuum medicamentorum actuoſitatem labefactant & infringunt.

(*c*) *Alopecia*. De fluvium capillorum lepræ, lui venereæ, illiſque morbis, ubi ſerum nutritium acredine corroſiva defœdatum eſt, facillime jungitur, ita ut illam hodie indubitatum morbi gallici ſignum credant, ubi alia ſigna adfuerint. In leproſis etiam ſuperciliorum pili decidunt. Tale capillorum defluvium non curationem ſuſcipit, niſi poſt morbum principaliorem ſanatum.

(*d*) *Specificum ſtomachicum*. De hoc in ſuperioribus diximus, eſt nimirum pulvis inſipidus albus gratiſſimus: ejuſdem indolis famoſa illa materia perlata *Krugeri* eſt. Item certi ejuſdem practici *Zittavienſis* panacæa, quæ beneficio carbonum in regulum antimonii mox reducitur. Sunt, qui illud pro mera calce effœta æſtimant, ſed falluntur: Etenim regulus antimonii mercurialis ſtibii pars eſt in unum corpus collecta, & microſcopio ejus pulvis aſpectus ex minutiſſimis globulis mercurialibus conflatus apparet. Globulis acceſſu nitri in minutiſſimas minutias rediguntur, quæ ob repercuſſionem luminis oculo ſpectatoris albæ apparent; non ſecus ac mercurius ſolutus in aqua forti & ſale communi præcipitatus albus apparet.

CAPUT LIII.

De Carcinomate.

BEnedictus de Piceninis ſartor, annos natus, *nella corte delli Galluci* commorans, (*a*) *in medio labri* inferioris horridum, & formidoloſum cancrum patiebatur, ovi gallinacei craſſitie, acutiſſimo, pungentique dolore per intervalla moleſtum, a quo multum ſanguinis ſponte, vel ſi tantillum caſu tangeretur, effundebatur. Ejuſmodi tumor a biennio ceperat, perexiguam veſiculam primum concitans. Hinc ratus ipſe nihil noxii ea in veſicula ſubeſſe, incuratam longo tempore reliquit; at invaleſcente, ſigniſque veri cancri apparentibus, nullus Medicorum ejus curam ſuſcipere auſus eſt. Et eandem ſupplex in lachrymas, ad nos prorepens, divinum auxilium per me repoſcit. Cognito morbi genere, præmiſſa levi purgatione, affectum locum oleo mercurii perunximus, unde lancinans dolor parum mitior factus, ſalutis ſpem pollicebatur: Nec fruſtra, terenim eodem oleo perunctus, (*b*) *cum oleo antimonii* aliquando admixto, tumor omnem vim, & ferociam amiſit. Primo ſiquidem rubens erat, durus, ſubtilique fumo circumfuſus: hinc aſpicientes terrebat; formidoloſus tamen ejuſmodi tumor brevi unctionibus pluries repetitis totus excidit, radiculis eo loci inhærentibus, atque iiſdem oleis penitus ſubactis. Quod ſupererat ulcus, facile coaluit, emplaſtro diapalmæ admoto. Vivit nunc felix, quinquennio a cura exacto.

Oleum mercurii non eſt cuivis notum, multiplici via paratur, uti & oleum antimonii. Optimum, & ad extrinſecos uſus accommodatum, ſubtile eſt admodum, corpora quæque denſiſſima facile penetrat. Horum præparationem in peculiari noſtro *de ſecretioribus medicamentor. præparat. & uſu* docuimus *lib.* 1. *in noſtra Pharmacopœa Spagyrica*.

(*a*) *In*

(*In medio labri* . Tumorem quendam ovi gallinacei in labio gessit Halberstadii Clericus quidam per multos annos, sponte tandem apertus fuit effluente pauco sanguine, altero die compressus emittebat magnam copiam puris : Instrumento immisso extracta fuit insignis quantitas materiæ instar ovulorum halecis , mie Derings Rogen , ulcus fuit mundatum & brevi consolidatum , glandulæ , quibus constant labia , induratæ non raro corrosivum succum continent , qui aere admisso in motum incitatus , instar caûterii exedit & depascit partes vicinas ; leniora remedia spernit , fortioribus autem & acrioribus exasperatur .

(*b*) *Cum oleo antimonii* . Est nihil aliud, quam vulgo sic dictum butyrum antimonii , quod *Johann. Faber in curationib. p.* 704. *&* 705. impense commendat , quo tangit ulcera cancrosa & instillat aliquot guttas , postea succo semper vivi majoris illa exsiccat .

CAPUT LIV.

De Phagedænis ulceribus utrumque genu obsidentibus , cum nervorum retractione , febre , vigiliis , & aliis .

CAtharina Camilla Taroni muratoris uxor , annos 35. nata , in via vulgo *delle Vinaccie* , a sesquienno in lecto clauda jacebat , ob fœda ulcera in utroque genu oborta . Ad hæc accedebant lenta febris, vigiliæ, dolores, inappetentia, & marcor totius corporis . Tot malorum concursus (*a*) *catarrho salso* , humoreve simili per totum corpus luxuriante originem certo trahebat ; is enim salsus humor eas in partes, ut imbecilliores irruens, carnes inibi arroserat , magnum dolorem, & fœtorem concitans ; a dolore subinde alia progrediebantur symptomata . A quibus ærumnis , morborumque procellis infelix mulier sequenti methodo sublevata sunt . Ad catarrhum salsum summovendum , (*b*) *decoctum catholicum* purgans melanagogum , ut in *libello nostro Præparationum* habetur , ad viginti dies præscripsimus ; quo peracto (*c*) *unguentum mundificans* ex terebinthina, vitellis ovorum, & cera , ad nonnullos dies admovebatur . Mundificato ulceri rubrum unguentum adhibebatur , quo ulcus cicatrice cito obducitur . Et eo temporis spatio singula quæque symptomata cessarunt , rediit pristina sanitas , & ambulandi potentia ,

(*a*) *A catarrho salso* . Variis experimentis firmaque ratione asseri & demonstrari potest , omnium salium , quæ in rerum natura continentur , primum originale ac fundamentale esse acidum , ex quo cætera omnia motu solo interveniente certaque terra proveniunt . In animantibus acidum facile convertitur in salsum , quoniam in illis motus fortior & fermentatio sanguinis intense viget , cujus beneficio attritio , divisio, subtilisatio particularum salinarum & per consequens transmutatio fit acidi in salsum , qua de re legi potest *Dissert. nostra de generat. salium* .

(*b*) *Decoctum catholicum* . Raro ulcera contumacia solis externis sanari possunt , sed potius discrasiæ sanguineæ habenda ratio : & primæ viæ probe liberandæ sunt a sordibus , nec non victus laudabilis omnis salis & acredinis expers commendandus .

(*c*) *Unguentum mundificans* : Ad ulcera mundificanda chirurgi utuntur spiritu vini camphorato , item essentia myrrhæ , aloes , balsami peruviani , nec non spiritu terebinthinæ .

CAPUT

CAPUT LV.

De asthmate inveterato.

JAcobus Bontanus, vir quadragenarius, in foro boario commorans, a 9. mensibus sub cura trium Medicorum ex levi stomachi affectu in molestissimum asthma incurrit, cum principio hydropis, ob refrigerationem ventriculi, pituita in eo redundante, sputum copiosius, & inappetentiam. Medicamenta purgantia sub variis formis accepit, item oxymel, julepos, jusculata alterata, & alia, phlebotomia de more pluries celebrata; quibus infeliciter, & contra artem factis in gravissimum asthma incurrit propterea alium Medicum seligendum curavit. At isto nihil felicius agente, tertium iterum advocat, qui gallorum jusculis curam aggrediens ægrum pene ad mortem deduxit: incauti omnes ab Hippocratis, & Galeni semitis plane digressi; unde mirum non est, si in turpissimos hos errores facile incurrant. Consimiles Medicos extrinseco apparatu alteros Galenos diceres: consenuerunt in arte, publico stipendio docendi munus jamdudum susceperunt: quis non veneretur aspectabilem eorum majestatem? quis non fucatam eloquentiam, & subtilem dicacitatem, vernaculis, si non Latinis verbis comptam? Taceo alia majora, ut ad nos revertar. Hippocratis trita est sententia: πέσσονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν μὴ ὠμά, (a) *concocta medicari, & movere non cruda*. Isti, contra nulla humorum coctione præmeditata statim purgantia præscribunt: aut si de ea cogitent, eam satis aggredi putant, si quædam oxymelita, syrupos, jusculata, aut similia ad 5. vel 7. dies adhibeant. Dum hæc peragunt, ventriculo negotium facessunt, naturæ munia ad sui ipsius tutelam disposita avertunt, & nova concitant symptomata. Etenim ventriculo magis refrigerato, & naturali œconomia a munere distracta, plus humiditatis, pituitæve coacervatur. Quæ in pectore redundabat asthma produxit; in abdomine, tumorem, quem & hydropem appellant: facto inde anhelitu gravi, præ vitalium partium oppressione, noctes fere semper insomnes traducebat, nec solum vigilem in lecto jacere necesse erat, pulsum, verum & erecta cervice, aut per cubiculum tota nocte stare, & deambulare.

Hujus asthmatis conjuncta causa erat, catarrhus in pectore redundans: antecedens, naturalium partium refrigeratio: ad quæ duo methodum nostram dirigentes, ad catarrhum exhauriendum, & ad ventriculum roborandum, aliasque naturales partes in pristinum statum restituendas: hæc duobus remediis facillime absolvimus: pilulis nostris catholicis, de quibus in nostro *de secret. med. præparat.* & lacte sulphuris in rotulis exhibito. His absolutis hydropi eadem via prospeximus, sulphur metallorum aliquando exhibentes.

(a) *Concocta medicari. Hippocratis* sententia est: cocta esse purganda, non cruda. Cocta dicuntur, quæ vitiosas qualitates deposuerunt, mitiora reddita & ad expulsionem aptiora: Huc spectant præparantia, quæ alterant & mobiles reddunt humores. Veteres Medicorum rigide observarunt illam methodum, & Hispani ac Itali hodienum observant, ut 1. dent lenientia 2. præparantia, 3. purgantia; Verum non necessaria sæpe est illa præparatio, si humor fluidus est, si quis victu

victu utitur humido, in regione calidiori degit; aſt quicunque humor reſiſtit motui, glutinoſus acidus eſt, auſterus, ille non aptus ad purgandum, unde eget præparatione ſeu correctione. Si quis itaque rebelles hos humores validiſſimis purgantibus tractare & expellere contendit, ille magis lædit, quam juvat. Deteſtandum ſane multorum practicorum mos eſt, qui cogere ægros renitente licet natura ad purgandum volunt, dum fortiſſima propinant purgantia, quibus non operantibus ſubinde alia fortiora ingerunt, maximo cum ægrotantium damno falſo ſibi perſuaſi, calamitoſum eſſe, ſi purgans ſubſiſtat, nec operetur.

CAPUT LVI.

De rara hæmorrhagiæ ſpecie, per omnes corporis meatus erumpente & aliis.

INauditam, & plane (a) *portentoſam hæmorrhagiæ ſpeciem* contraxit Perilluſtris Domina Semidea Poggi de Zeriis, dum ætatis ſuæ annum circiter quinquageſimum ageret. Exorta eſt autem ejuſmodi hæmorrhagia ſenſim, & a latente cauſa, ab omnibus fere corporis hiatibus, ore, naribus, utero, & alvo: per alvum, & uterum copioſius, per os, & nares minus, & ſegnius, atq; tantum per intervalla. Fluxit ſanguinis ad octo dies, nullo adhibito remedio, niſi *pauxillo coralli* vulgariter præparati, ad duas libras circiter in die. Hoc fluxu fracta viribus & maximo languore, cum animi crebris deliquiis, ſemimortua me advocandum curavimus, interdum mane ipſi porrigentes ad 3. ß. pulveris ranarum: quibus facillime conſtitit ſanguis. Cauſa vero nondum ſublata, paucis poſt diebus idem fluor, ſed mitior revertitur, ſymptomata haud levia ſecum adducens; calore enim exhauſto ob penuriam ſanguinis, quicquid intus ingerebat, in pituitam ſuccoſve crudos corpori alendo minime idoneos vertebatur, & potus pervicaci ſua velocitate, & penetratione, licet crudus, exinanitas venarum cavitates, ut repleret, eas prompte ſubibat; unde confertim turgidum corpus, & leucophlegmaticum redditum fuit, cui pari celeritate ſucceſſit ſitus ingens, mira inappetentia, febris lenta, ventriculi dolor, vomitus, & alvi conſtipatio.

Qui morbi, & ſymptomata nobis haud parum timoris attulerunt. Verebar enim ne caloris defectu medicamenta in actum non deducerentur; adde quod ſanguis ex quacunque exeat parte ſemper malum eſt, dictante Hippocrate, & uſu probante. Indicationes præterea, quas curatorias appellant, abſolvi poſſe vix credebam, quandoquidem primarius noſtrarum functionum opifex deficeret, quo collabente tota humanæ molis fabrica ſoleat dirui, & annihilari. Illi igitur quæ comprimum dictum calorem adjuvarent, uti aurum noſtrum diaphoreticum, dedimus: paulo poſt ſpecificum ſtomachicum ad aliquot dies, quo vomitus, & ventriculi dolor, una & febris ſubacta fuerunt: tumor pariter ſubalbidus toti corpori æqualis ſenſim evanuit. Cum vero firmam ſanitatem in longum minime deduceret, & paululum cibis aſſumptis nauſea plerumque premeretur, levi etiam ſyncope crebro tentaretur; aliud ſubeſſe ratus ſum; forte alicujus partis corruptelam, vel aliud præter naturam computreſcere, e quo vapor teter, & malignus expiraret. Hinc poſt multa, enemate deturbati ſunt tres calculi e ſuperioribus inteſtinis, qui in rectum illapſi dolores in pectine

haud

haud exiguos concitarunt; hos tandem maximis cruciatibus obortis feliciter excrevit, & confestim ipsa convaluit.

(a) *Portentosam hæmorrhagiæ speciem.* Variæ prostant annotationes insolitarum hæmorrhagiarum, sic annotavit *Horstius Lib.5. obs.3.* puellam, quæ mensium fluxu destituta erat, singulis mensibus per alvum sanguinem excreviſſe: item aliam per vomitum. Per mammæ sinistræ papillam apud *Cordæum* menstrua excreta sunt. Notabilis maxime est observatio, quam habet idem *Horstius Lib.5. obs.17.* prægnans nimirum fœmina septimo mense in hæmorragiam subitaneam gingivarum incidit, ita ut per 3. septimanas tanta copia effluxerit, ut aliquot mensuras implere potuisset. Tandem a capite ad calcem maculæ succedunt sanguineæ, quas cum medicus sudorifero & balneo discutere volebat supervenit sanguineus cum virium jactura ipsaque morte. Guttarum sanguinearum ex gena manuque menstruatæ, eruptionem tradit *Bartholin.cent.1.Hist.* 33.*l.32.B.Parens* in analectis suis practicis in fœmina gravida Hallensi binis vicibus in colli latere dextro spontaneam venæ jugularis rupturam observavit, quæ si fuit suppressa, incidit in tumorem œdematosum & erisypelaceum. Sanguis sponte ex saphena prorumpens notatus a *Schenk. l.4* Hæmorrhagiam per omnes meatus a filtro describit *Henricus ab Heer observ.13.pag.* 124. & seqq. quosdam terrore agitatos per omnes corporis meatus sanguinis fluxum passos fuisse auctor est *Schenckius lib.3.observ.56. Wepferus exercitatione de apoplex. pag.32.* meminit maculæ atro rubescens, sanguinem singulis annis ter vel quater cum saltu experimentis.

(b) *Pauxillo coralii.* Nunquam hæmorrhagia subito sistenda est, & maxime consueta vel critica, observatum tunc fuit tempore consueto utut non hæmorrhagia revertatur, vasa tamen faciei plus solito fieri conspicua, pulsum circa collum & tempora vehementiorem, dolorem tensivum & inflationem quasi internam capitis oriri. Scribit *Wedelius in opiologia pag.146.* Viduam, cum menses restitantes per os viam quærerent, sanguineo vomitu subsequente, obstructis viis inferioribus, ab imperito chirurgo sumpsisse poculum adstringens, cui admistum erat opium, illamque sanam quæ videbatur de subito extinctam fuisse.

CAPUT LVII.

De continua ardentique febre, &c.

SEbastianus Dominæ Isabellæ de Blanchis factor, annos sexaginta natus, superioribus annis in continuam & ardentem febrem incidit, cum vigiliis, vomitibus, siti, & aliis sævissimis symptomatibus. Hujus morbi causam nonnisi (a) *tempestatis conditionis*, atque ejus vitæ consuetudini referendam existimavi: Etenim tunc temporis multi eadem febre corripiebantur, & ii præsertim, qui tali & tali victus regimine utebantur, atque (b) *qui tali temperamento* donati erant (de quibus alibi fusius dicturi sumus.) In hac febre curanda, præter communes indicationes, ob vomitum, & ventriculi dolorem, ætati conjunctum, alia quam communi via incedere nobis fuit consilium. Itaque ventriculo, tanquam publicæ parti, primum esse prospiciendum statuimus, atque calori insito, quantum in nobis erat, suppetias ferre; quæ duo absolvere posse unico stomachico nostro rati, idipsum bis in die dedimus. Ad febrem Antidotum antipyreton sufficiens fuit alexipharmacum. In victu, vino albo usi sumus, etiam in principio febris, contra vulgarium Medicorum sententiam,

adver-

adversus quos mihi sufficiat opponere divinum Hippocratem, Galenum ipsum & recentiores nonnullos, item rationem ipsam, & communem consuetudinem. Non omnibus convenit aqua, nullius est nutrimenti, ventriculo & hypochondriis gravis est, obstructiones parit, & insensibilem transpirationem prohibet. De usu vini in omnibus febribus, legite Hippocratem, & observate ipsum in omni febre vinum exhibere, in continuis, & intermittentibus. Item Galenum legite *ad Glauconem*, is non modo vinum, verum & diatrium pipereum, diospoliticum, (c) *& alia longe calidiora* febricitantibus imperare non dubitat.

(a) *Tempestatis conditioni*. Veteres omnes febrium epidemicarum causas in temporum & tempestatum mutationes retulerunt. Continui imbres, nebulosum ac pluviosum cœlum multum faciunt ad excitandam putredinem, apprime in corporibus mollibus atque humidis. *Hippocr. Lib. 3. aphorism.* edocuit putredines humidis temporibus fieri atque videri. *Fernel. Lib. 2. de abditis rerum causis c. 76.* inquam pestilentiam graviorem evadere in regionibus putridis exhalationibus infestis, quam in sicca & pura, & rursus graviorem æstate, quam hyeme, & australi tempestate, quam aquilonia, inæquali intemperatoque cœlo, quam æquali atque temperato. Porro etiam aer nimis calidus morbos progignit epidemios, acutos. In Barbaria propter immodicum cœli calorem corpora excellentissimas suscipiunt putredines, pestemque producunt *Authore Alpino de medicina Ægyptiorum p. 31.* dysenteriam sub autumni initium post ferventissimam diuturnam tamen aeris constitutionem, oboriri, res est notissima. *Hippocrates l. 7. epidemiorum* testatur siccitates maxime sub cane ventisque calidis, febres malignas sudatorias gignere. Facilis ergo ratio est, quare ex regionibus orientalibus pestis utplurimum ad nostra feratur loca.

(b) *Qui tali temperamento donati erant*. Si morbi acuti a statu aeris humido proveniunt, & illi, qui tentantur his, humidæ constitutionis, habitusque corporis laxioris sunt, simul, & pinguioris, tunc res periculosior; Idem accidit, si qui morbi a nimio fervore oriuntur, biliosas teneras complexiones adoriuntur.

(c) *Et alia longe calidiora*. Præter vinum nonnulli & spiritum vini non verentur propinare. Sic *Welschius in observationibus* refert: se aliquod centum lue Hungarica laborantes curasse sequenti: Recipe albuminis ovi numero 1. spiritus vini cochleare 1. croci parum, post hujus usum sudor imperandus est. In malignarum febrium curatione summo cum fructum spiritum vini exhibitum *vide Ephemer. dec. 2. ann. 8. pag. 405.*

CAPUT LVIII.

De carcinomate in labiis, alias noli me tangere, in septuagenaria.

DOmina . . . D. Joannis Antonii de Righonis uxor, in via, quæ vulgo dicitur, *il Borgo di Strà Maggior* commorans, super inferioris labii extremitate prædurum tumorem, lividum, & exiguum admodum ciceris instar, ad aliquot menses perferebat. Huiusce tumoris curam negligente ipsa, omnia symptomata (a) *horrendi carcinomatis* apparuerunt, ut dolor lancinans & peracutus, calor fervidus & mordax, & per intervalla hæmorrhagia insignis. Ad ejus curam nonnulli Medici advenerunt primo, qui suaserunt omnes, ne cura m, quam vocant curatoriam, aggrediatur: verum in palliativa persistat: At ipsa non verbis, sed factis opus esse judicans, curatoriam per nostras manus

nus feliciter amplectitur : in qua peragenda locus localiter opitulari nos docens, partem affectam (*b*) *balſamo mercuriali* bis in die inungendam ſtatuimus, & hoc unico præſidio miraculi inſtar ſublatus eſt tumor; radicibus ejus jam alte defixis in totum avulſis.

Ante localis ejuſmodi medicamenti applicationem juſculum ſequens præmiſimus.

Rec. Radicum lapati acuti, polypod. querc. an. ℥.j. ß. fol. meliſſæ, pimpinell. boraginis, fumariæ, an. m.j. epithym. ſenæ, an. ℥.ß. aniſi ʒ.j. Hujuſcemodi juſculum capiebat ſingulis diebus, mane per 8. dies Ab hac cura octennium peragit, optima ſanitate gaudens. Interim ſi palliativa contenta fuiſſet, ut monebant alii, quam horrendam ante obitum pertuliſſet vitam? quos cruciatus, & quas miſerias fuiſſet experta?

(*a*) *Horrendi Carcinomatis*. In extremitate labii quando tumor durus rotundus, lividus, cæruleus conſpicuus eſt, venæque ſanguine turgidæ ſunt, apparente interdum hæmorrhagia, dolore lancinante & peracuto, affectus dicitur carcinoma labii. *Dominus Overkamp in chirurgia pag.* 347. laudat ſpiritum ſalis ammoniaci cum ſpiritu cochleariæ, camphora, tartaro vitriolato, elixirio vitæ, ſaccharo ſaturni, myrrha & aloe remixtum.

(*b*) *Balſamo mercuriali*. Paratur hoc, ſi oleum hyperici trituratione facta cum mercurio dulci probe miſcetur. Alii magnifaciunt in cancro exulcerato pulverem ex reguli antimonii, ſaturni & mercurii decenti mixtura paratum. Ab aliis arſenicum non cryſtallinum, ſed ab expoſitione aeris per aliquot annos, correctum & dulcificatum a ſale forſan aeris.

CAPUT LIX.

De vomitu, lienteria, & febre continua, ab aqua chryſulca epota concitatis.

DOmina . . . Domini Andreæ de Cantoffis uxor annos 55. nata, dum æſtivis diebus inexhauſta ſiti premeretur, (*a*) *aquam fortem*, quam chryſulcam vocant, pro vino incaute bibit, a qua nauſeam, vomitum, febrem continuam, & dyſenteriam reportavit. Cum vero tunc ruri diverſaretur, ibi Medicorum inopia, remediis ruralibus ad 3. vel 4. dies uſa eſt. At invaleſcente morbo, dyſenteria potiſſimum, & febre, factum eſt, ut ad civitatem adduceretur: ibi cum primum lac amygdalar. dulcium cum terræ Turcicæ gran. xv. dedimus: nocte theriacam ad ℈.ij. cum granis aliquot dictæ terræ ſigillatæ. Sequenti mane lac vaccinum chalybeatum cum ceræ flavæ ʒ.j. pauxillo nucis moſchatæ, & dictæ terræ Lemniæ addito. Extrinſecus fotum ex abſinthio, mentha, roſis ſiccis, maci, nuce moſchata, & aliis præſcripſimus. Febrem tanquam ſymptomaticam negleximus, vinum rubrum ipſi concedentes, ſuccos carnium vervecis, & alia ventriculum roborantia, præcipuo affectu ita ſuadente, necnon ægri viribus ita poſtulantibus. Eo in ſtatu per tres dies manſit, in quo ſingula quæque vomebat, purulenta per alvum dejiciens cum ſeroſis multis: ea tandem methodo probe convaluit.

(*a*) *Aquam*

(a) *Aquam fortem*. Omnia salia acida corrosivam vim exerunt, nequaquam autem salia volatilia urinosa: Videmus aquam fortem, vesicam, qua vitrum obturant, excedere, non autem id facere Spiritum salis ammoniaci etiam fortissimum. Aqua forti si cutis tangitur, brevi inflammatur, non mirum hinc est, erosionem tunicarum ventriculi & intestinorum ab epota aqua stygia fuisse secutam & sic vomitum atque dysenteriam. Eadem symptomata ab epota aqua forti annotavit quoque *Henric. ab Heer observ. 16. p. 151. videri possunt hac de re & Ephemer. dec. 1. an. 4. & 5. obs. 119. pag. 121.*

CAPUT LX.

De febre continua cum gravissimis symptomatibus.

ILlustris D. Josephus Scadinarius, annos 24. natus, 5. annis exactis dum ruri diversaretur, (a) *febre continua* de genere biliosarum, cum vehementissimo capitis dolore, siti inexplebili, anhelitu gravi, & aliis corripitur. Sub vespere advocatus, dictum Dominum æstuantem, magnis angoribus, & supradictis affectibus triduo oppressum invenio. Ejuscemodi febris causa forte erat (b) *immodica venus*, aut intemperata victus ratio, voluptuaria, utpote cui tunc plus justo indulgebat: (c) *plethoricum esse corpus*, & ob prægressa, & ob ejus naturalem ad eam propensionem, certum erat.

Sic ipsum necessario vacuare, tam (d) *per venæsectionem*, quam per alvi subductionem, indicatio communis erat: nos tamen cita virium dejectione cognita, & ejus antipathia in medicamenta expensa, alio nos vertere ratio impulit. Itaque vi, & facultate antipyreti nostri in memoria revocata, eo dictum Dominum brevi sanare posse certo sciens, ipsi futuram brevi sanitatem polliceor, quod equidem felicissime præstiti; etenim ab hora alexipyreti dati affulsit optatæ salutis indicium, somno placide ægrum excipiente, in quo, blando madore oborto, febris in totum recessit.

(a) *Febre continua de genere biliosarum*. Hæc quotidie suas habent exacerbationes cum levi quadam horripilatione, calore magno, sensibili, arido, siti intensa: Utplurimum qui laborant ex illis, ad præcipitantiam, incoercibilitatem & inquietudinem sunt proclives. Alvus in hisce aperta, sive fiat arte, sive natura bonum est, omnis a. alvi obstipatio periculosa, quoniam hanc subsequitur æstus gravior, major angor, siccitas linguæ ac faucium, nec non delirium.

(b) *Immodica venus*. Hac spiritus & sanguis concitatius moventur: Est enim lenis quasi convulsio, qua exteriores partes constrictæ humores subjacentes fortiter concutiunt & conquassant; hinc post nimiam venerem frequentius observatur pulsus fortior, vomitus, hæmorrhagia, nimiaque sanguinis rarefactio. Venerem nimiam vomitum & singultum excitasse *vid. miscell. cur. dec. 2. ann. 10. p. 160.*

(c) *Plethoricum esse corpus*. Magis macilenti, biliosi, iracundi, activioris ingenii, & qui venas amplas habent, hoc morbo corripiuntur, quam succi pleni.

(d) *Per venæ sectionem*. Revera venæ sectio & alvi lenior subductio sacra in hac febre sunt anchora. Et in hoc peccare videtur *Dominus Author*, quod venæsectionem, quæ heroicum & præsentissimum est remedium, circumspecte & certo tempore adhibitum, tantopere negligat & insuper habeat in omnibus ferme curationibus.

CAPUT

CAPUT LXI.

De insigni hæmorrhagia per nares.

DOm. Jacobi de Righis mercatoris filius, annos tunc 15. natus, ab aliquot mensibus (*a*) *quartana febre* vehementer detentus, hæmorrhagia insigni correptus, cui occurrendo alter Medicus multa incassum tulit, e brachio sanguinem mittens, emplastica, (*b*) *frigida, & astringentia* fronti, & naribus admovens, non omissis interea ligaturis validis, & aliis, quibus uti consueverunt in similibus. His penitus explosis, ad causam nos convertimus, spiritus videlicet sanguinis impetum concitantes, ad quod pil. laudinas ad gr. xj (*c*) *pil. catholicarum* dedimus: Harum unica dosi, & hæmorrhagia, & quartana propulsa fuit.

(*a*) *Quartana febre*. Ut plurimum largior hæmorrhagia eaque consueta etiam obstructionem viscerum vel spasmum quendam vasorum sanguiferorum circa mesenterium vel abdomen in hypochondriacis occurrentem subsequitur. Rectissime scribit *Fernelius*, eos e naribus sanguinis fluxum pati, quibus viscera sunt imbecillia & jecur maxime, id quod hydropicis accidit. Affirmat hoc *Heurnius in aphorism. Hippocratis p.* 193. dum inquit: quibus facies colore viridi subfusa est, hepate laborant, & signum est jam adfuturi hydropis, frequens in his cruoris per nares effusio. Praxis testatur Medica, illos, qui hæmorrhagiis affliguntur, plurimum in primis viis experiri flatulentias, murmura, tensiones molestas, anxietates, appetitum dejectum & quandoque etiam vomitum viscidæ viridis materiæ.

(*b*) *Frigida & adstringentia*. Subitaneus terror, horror ipsumque frigus forte admissum hæmorrhagiam sistunt, quidem, sed non felici semper cum successu: si in principio & repente id fiat, succedunt anxietates præcordiales suffocatoriæ quasi, arteriæ circa tempora & collum pulsant, facies inflatur &c. Suppressam talem mortis causam fuisse vid. *in miscellan. nat. cur. dec. 2. ann. 10. p. 219.*

(*c*) *Pillularum catholicarum*. In omnibus hæmorrhagiis obnoxiis commendanda est alvus aperta, sic quoque *Bonnetus in Medicina septentrionali l. 2. c. 32.* pertinacem hæmorrhagiam purgante prohibuit. Item hæmorrhagiam uteri sublatam purgantibus *vid. in misc. dec. 2. ann. 9. obs.* 126.

CAPUT LXII.

De vehementissimo, & efferatissimo alvi fluore.

DOminus Antonius da Ben Notarius, annos 33. natus, sub fine Septembris inexspectata, & portentosa (*a*) *diarrhœa* correptus fuit; in qua per integrum diem supra 40. libras materiæ serosæ ejecit, aqua evacuatione facultates naturales, & vitales adeo prostratæ fuerunt, ut jam jam vitam cum morte mutaturus videretur, sine pulsu, cum facie Hippocratica, & extremis valde frigidis. Quum autem circa meridie ad eum advocatus fuissem, *morbi causa probe cognita*, de viribus instaurandis tantum solliciti fuimus; eaque de causa ventriculo supra modum dejecto, & cibos omnes aversanti, sequentem fotum admoveri curavimus.

Rec. Fol. absinthii sicc. menthæ, calament. major. an. m. j. flor. rosarum,

ſtœchados an.p.j. maſtiches, macis, ſchœnanth. an. ℈.j. ſint decoct. in ſ.q.vini rub. Potu peracto locus inungebatur ol.abſinthii, & nucis moſchat Intus offas vino rubro madefactat. cum ſaccharo obtulimus: cætera quæque reſpuebat, eorumque aſpectum perhorreſcens cuncta evomebat, dictis offis diutius in ventriculo manentibus. Dum hæc peragerentur, litus factus fuit calidus in toto abdomine cum oleis cydoniorum: & maſtiches: Nocte appetente animi expiationi atque conſcientiæ emungendæ totus deditus, primam noctis partem ſine remediorum ſuffragio tranſegit; in ſecunda parte accepit potionem ſequentem.

Rec. Syrupi papaver. nig. ℥. ß. terræ Turcicæ ℈. j. aq. pimpinell. ℥. iij. mixtis fiat potio.

Mane ſequenti accepit mivam cidoniorum cum dicta terra Turcica, & melius valuit, & tandem poſtera die probe ſanus evaſit.

(*a*) *Diarrhœa.* Sero ſpiculis ſalinis turgido, ſalibuſque ventriculi & inteſtinorum fermentativis in motum acriorem redactis, fibræ ac glandulæ inteſtinales conſtrictione ſpaſmodica exprimunt copioſius ſerum. Sæpius a bile acriori malum hoc fit.

(*b*) *Morbis cauſſa probe cognita.* A cohibita tranſpiratione alvus fluidior non raro fit, dum ſerum ſalſum ſuperficiem corporis evacuari ſolitum inteſtina fortiter afficit: Bonum hic ſignum ſudor eſt diarrhææ ſuperveniens. Quocirca qui ſunt denſæ texturæ, & habent cutim ſpiſſam & poros arctos, ſæpius quotidie egerunt, quam qui poros habent apertos: in his enim egeſtiones exiccantur, & corpora fiunt magis ſtipata. Opera itaq; danda eſt in cura diarrææ, ut corpus ad diaphoreſin blanda diſponatur: *River. in tract. de febre peſtilent p.* 144. inquit. Alvi fluxum perniciosum potentioribus diaphoreticis adhibitis magna doſi, momento cohiberi. Quando diarrhæa critica eſt, maxime in hypochondriacis & ſcorbuticis, non ſtatim ſiſtenda vel ſupprimenda: ſic ovis induratis ſuppreſſam diarrhæam febris continuæ, vomitus atrabilarii, alvi fluxus & phthiſeos cauſſam fuiſſe memorant M. N. C. *dec.* 2. *an.*10. *pag.* 125. ſæpiuſcule chronica diarrhæa laborant infantes, quæ etiam optima eludit remedia: Animadverti tunc, acrem pituitam cellulis craſſi inteſtini impactam ad continuas excretiones ſtimulare, quare ſoli clyſteres demulcentes ex decocto raparum cum butyro parati egregium levamen attulerunt.

CAPUT LXIII.

De intenſiſſimo dolore oculorum Medicis deplorato, cum aliis graviſſimis ſymptomatis.

OCulus partium corporis nobiliſſimus, elegantiſſima, & admirabili ſtructura factus, in quo corporis ſpiritus fere viſibiles redduntur, in quo animi vires eminus conſpiciuntur. Præterea (*a*) *oculus* eſt *hominis* ſtatus lucidiſſimum *ſpeculum*, quo cuilibet nedum ſanitatis, verum & morum conſtitutionem optime rimari licet. Etenim ſcriptum eſt: *ſi oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus lucebit.* Is eſt omnium partium doloris impatientiſſimus: nec citra rationem; nam eo vexato, vexatur & totum animal: Ejus privatione, vita humana infeliciſſima redditur; nec immerito; nam tunc vita non vita, ſed mors ipſa cenſetur. Perſimile fere comprobavit Perilluſt. Eques D. Galeatius Arioſtus, dum ſex ſuperioribus annis ex fervida fluxione acerrimum dolorem per ſeſquimenſem pateretur: cui ut occurreret, duos Medicos toto illo tempore

fruſtra conſuluit, imo parum abfuit, quin loco ſanitatis vitam ab eo extorſerint, nunc reiteratis ſanguinis miſſionibus, nunc purgationibus variis, ſanguiſugis, cauteriis, veſicatoriis, & aliis tormentis, quibus cachecticus & imbecillis factus, ultra dolorem acerrimum, vigilias, inſignem animi mœrorem, ventriculi imbecillitatem, & alia complurima acquiſivit. Cumque minus de ſalute cogitaret, & ipſi indixiſſent Medici, cum dolente oculo orbatum iri, vitam vero incolumem ſervaturum: advenit amicus, qui ejus ſorti compatiens, de nobis, noſtraque facili medendi methodo plura ipſi diſſeruit. Hunc ergo enixe flagitat, ut is cumprimum me in ejus auxilium advocet: quo facto, morbi ſpecie, cauſis, & affecto loco rite examinatis, nec non ægri conditione, & ſtatu cognito, brevi ſanitatem ipſi polliceor.

Imprimis diætam, quam humectantem & refrigerantem ſervabat, ex aliorum Medicorum judicio, immutavimus (*b*) *loco aquæ vinum*, loco lactis ſeminum melonum, & ſimilium inaſſuetorum, optima, & ejus naturæ conſentanea edulia porrigentes.

Cum vero ejus ſanitatem in unico auro diaphoretico conſiſtere, optime cognoſcerem, cauteria, ſetones in nucha, veſicatoria, frontalia, & ficta ejuſmodi præſidia confeſtim tollenda imperavi. His exploſis, triduo uſus eſt præfato medicamine, & ecce optata ſalus: recedunt dolores, vigiliæ, adepſia, inflationes, rubores; ſiſtitur fluxio, & cito priſtinum robur recuperat. Hæc perdiſcenda, non invidentiæ livore inſectanda. Vivit tandem felix, ſexennio a cura clapſo.

(*a*) *Oculus hominis ſpeculum*. Veriſſimum eſt, quod ex oculorum ſplendore, conſtitutione & motu, ſanitatis non tantum, verum etiam morum ac ingenii conſtitutionem optime rimari queamus. Inſtantis martis indicium optime petitur ex oculis: Spiritus enim animales copioſiſſime influunt per magnum nervorum opticorum par in hanc partem; unde qualis oculorum vigor & motus, talis etiam ſpirituum animalium indoles & motus. Notabile eſt, oculorum ſerenitatem & claritatem dependere unice ab influxu ſpirituum animalium: quare oculi violenta morte peremtorum per aliquot horas clariſſimi apparent, poſtmodum ſenſim ac ſenſim claritas illa perit. Ut enim oculus valet: ita & corpus totum. Sic lucidus oculorum ſplendor animalis ſpiritus firmitudinem depromit: impuritas vero ſpirituum obtenebrationem & facultatem animalem prope emortuam arguit.

(*b*) *Loco aquæ vinum*. Notandus aphoriſmus *Hippocr. eſt* 31 *Sect.* 6. dolores oculorum vini potus ſanat. Intelligendus eſt talis dolor, qui provenit ex ſucco craſſo oculos occupante: Hunc enim vinum tenue ac validum diſcutit. Hanc ob rationem *Dn. Author* ſuadet vini potum loco aquæ, quæ humores magis coagulat. *Brrell. cent.* 2 *obſ.* 77. Simili ratione vini potum in doloribus oculorum proficuum expertus eſt. In initio inflammationis gravioris circumſpecte vinum adminiſtrandum eſt: Quando autem calor & dolor remittit. ejus uſus utilis eſſe poteſt, etiam ad præſervationem inflammationum: Mirabile enim eſt, *Riverium cent.* 2. *obſ.* 31. vini largioris potu plures præſervaſſe ab eryſipelate.

CAPUT LXIV.

De ſalſo humore circa anum luxuriante, hæmorrhoidibus dolorificis, &c.

PEr illuſtris Dominus D. Joannes de Zanis, annos 45. natus, a nonnullis menſibus catarrhum ſalſum circa genitalia, & anum patiebatur. Huic gra-

viſſimo affectui debellando, Medicos duos ſeniores conſulit: at hi, cum minus agnoſcerent morbi originem, datis inopportune remediis, (*a*) *hæmorrhoides dolorificas* cum aliis graviſſimis ſymptomatibus *concitarunt*. Trimeſtri toto, & morbi ſævitia, & medicaminibus nimiopere vexatus, ad me, tanquam ad ſacram anchoram, confugit. Interea mirum dictu quot purgationes, phlebotomias, ſyrupos, julepos, juſcula alterata, decocta exſiccantia falſæ, & ſimilium inutiliter expertus fuerat. Nos ergo ejuſce mali cauſam, non in ſolam jecoris intemperiem, ut hodie Empiricorum moris eſt, verum in pravam renum conſtitutionem, ob quam excrementum ſalſum in corpore diu detentum conſimilia parere ſolet, rejicientes, aperientia, non refrigerantia eſſe adhibenda, ſtatuimus. Re opinioni reſpondente, brevi ſequentibus ſanitatem recuperavit: at primo, quo pacto renes ejuſmodi labe afficiantur, dicendum. Sæpe ab immodica Venere, aut ſaltem eadem intempeſtive petita, quod debilibus primum, delicatulis, ſenibus, & certis temporibus, quibus ea in nobis languere ſolet, contigit. Evenit & his, qui craſſis, lutulentis & falſis victitant; hinc expultrice facultate fracta, & renum meatibus obſtructis, ſalſum illud excrementum per venas remeare cogitur, & inde per reſudationem ad cutem protruditur, ubi pro varia ejus natura, aqua prodit. Varios producit effectus: nunc enim diſſolvitur, nunc coagulatur; nunc hanc, nunc illam induit naturam, de quibus alibi. Itaque his omiſſis, ad præſcripta medicamenta deveniendum. Primis diebus accepit tincturam corallorum, & ſpecificum ſtomachicum. Utrumque ſanguinem purgat, & viſcera roborat, ac renes præſertim. Ne vero prima corporis regio impura permaneret, (*b*) *decoctum catholicum purgans* & refrigerans ad aliquot dies dedimus: de quibus decoctis ſatis in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica* dictum eſt. Extrinſecus Saturni balſamus cum calcinato majore dulcificato, curam totam brevi abſolvit. Hæc eſt vera & inconcuſſa medendi methodus, cui ſi quis innititur, is vere canonice & dogmatice mederi dicitur, qui ſecus agit, agyrtam & pſeudomedicum ſe præſtat. Nos optime alloquutus eſt Galenus, dicens, ſi non tantum vobis reſidet in pectore, ut ſitis boni Methodici, ſaltem ſitis boni Empirici.

(*a*) *Hæmorroides dolorificas concitarunt.* Excretio ſanguinis per venas hæmorrhoidales fit maxime in ſenibus, vel etiam in virili ætate, quando ſanguis craſſus copioſus non æqualiter per viſcera movetur, ſed circa ſplenem & meſenterium in vena portæ ſtagnat vel tardius circulatur, quare melancholicis & hypochondriacis hic fluxus admodum familiaris eſt, & etiam ſalutaris, hinc etiam melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes bonæ ſunt juxta *aphor.* 16. *lib.* 6. ab Iſchiatide quoque & podagra ejus fluxus præſervat. Quando autem ſanguis nimis craſſus & acris ſtagnat circa venas ani, ipſæ tument, & a nimia diſtenſione dolent & tunc dicuntur hæmorrhoidibus cœcæ: Tumores autem circa anum quam citiſſime aperiendi ſunt, ne fiſtuloſa abeant ulcera. Aloetica maxime hunc fluxum proritare ſolent, dum acri ſua reſina venas ipſas ſtimulant & ſanguini ὀργασμὸν conciliant. *Calvinus* ex immodico aloes uſu, teſte *Beza in ejus vita*, in hæmorrhoides ulceroſas & ſputum ſanguinis incidit.

(*b*) *Decoctum catholicum purgans.* In fluxu hæmorrhoidum vel nimio vel etiam ſuppreſſo pilulæ *Beccherianæ*, quæ ex vegetabilium extractis concinnantur ac leniſſime alvum ſubducunt, omnium optimæ ſunt, uti & in omnium menſium negotio,

ſive

sive illi nimium, sive parcius fluant; dum enim fluiditatem humoribus conciliando motum illorum ac circulum æqualem reddunt, utrumque affectum curant, cum uterque ex obstructione sanguinisque crassitie ortum ac originem suam habeat.

CAPUT LXV.

De fœda & horrenda scabie a multo tempore inveterata.

PErillustris Dominus Scipio Blanchinus, annos 33. natus, a nonnullis mensibus prava tentigine cum (a) *deplorata scabie* pessime vexabatur. Ad fœdum & molestissimum hunc affectum debellandum, 4. præcipuos Bononienses Medicos toto illo tempore consuluit. Ipsi eum de more purgant, & repurgant, sæpe phlebotomizant, assiduo refrigerant & humectant, tandem & exsiccant. In purgando, utramque bilem observant, phlegma salsum enumerant, calidum jecur incusant, caput fluxionibus obnoxium prædicant, expendunt singula, & tamen frustra: efferatior morbus redditur, & miserrime vitam inter pocula medica ducit. Prima vice advocatus, sciscitor ab eo, num præfati Medici omnes ingenii nervos in ejus sanitatem intendissent; majora forte adhuc penes eos restare: hac de re ut eos iterum consulat suadeo. Ipsi iterum advocatis, plura ad menses incassum experitur: purgant, repurgant, itidem phlebotomizant, humectant, abstemius vivit, hordeacea & similia fercula continuo usurpat, quibus ventriculus male torquetur; in his medicaminibus tres menses infeliciter vivit. Pro secunda vice advocor, & eum rursus moneo, ne suos deserat Medicos, non omnem movisse lapidem tibi fatebuntur, non omnes Medicinæ thesauros deprompsisse dicent, artis abdita penes eos latere non diffido. Credulus eos iterum accersiri jussit, aliud trimestre in præfata cura reiteranda inaniter terunt; miscent succos cichoraceos sero lactis, Guajaci decoctum cum iisdem cichoraceis temperant: exsiccante & attenuante victu hac vice utitur, nec propterea quicquam opis. Iterum accersitus, affectum penes eos conclamatum observo; eum tamen rursus increpo, ne tam doctos, tamque artis peritos, &, si Deus placet, alteros Galenos a sua cura abdicet; quibus & maximus stimulus erit, si referat ipsis, quomodo eum visitaverim, & dixerim, quomodo facillime intra 15. dies eum sanare possem, & omni tempore, paucis & gravissimis, se tamen ab his potius sanitatem requirere, quam a quovis alio. His impulsi curam de novo aggrediuntur, omnia quæque explent, superiora mutantur, exceptis phlebotomiis, & potionibus laxativis, quas frequenter reiterant: omnia susque deque miscent, calida frigidis, sicca humidis, cephalica thoracicis; thoracica cardiacis, cardiaca jecorariis & spleneticis balneis aquæ dulcis compositis, & aliis utuntur. Ultimo ab his male vexatus, tanquam omni spe destitutus, sub nostra cura intra 15. dies, ut retuleram, sanus evasit, methodus non dissimili a supra citatis.

(a) *Deplorata scabie*. Scabies est exulceratio glandularum & vasculorum cutis proveniens a sero corrosivo salso, aculeis suis pruritum, dolorem, inflammationem excitante. Complicatur ut plurimum scorbuto vel cachochymiæ. Cura con-

consistit partim in edulcoratione ipsius lymphæ, salumque emollitione & correctione, partim etiam in ulteriori salium horum genesi impedienda. Primo scopo inserviunt decocta emollientia, qualia optima sunt ex malva, fumaria, rasura cornu cervi, floribus sambuci, borraginis, papaveris rhœados, non omissis extrinsece balneis: Ex adverso nocent & salium acrimoniam augent salia volatilia, spirituosa, sudorifera calida, & regimen nimis calidum. Impediunt autem ulteriorem salium generationem deobstruentia, qualia sunt omnium efficacissima mercurialia & antimonialia, nec non sulphurata, item per picrisin purgantia. Extrinsece sulphurata cum mercurialibus & talismodi, quæ inflammationibus resistunt & exiccant, v.g. saccharo saturni camphorata rite mixta, præmissis præmittendis, omne absolvunt punctum. Cavendum autem ante omnia est, ne scabiem nimis intempestive extrinsece sistamus, existente præprimis corpore plethorico & cachochymico. Hinc omnia quæ repellunt sunt frigida, unctuosa, cautissime administranda sunt. Docet quippe experientia, a scabie sic præpostere retropulsa ortas fuisse febres, convulsiones arthritides, cæcitatem, melancholiam desperatam: de qua re consule *miscellanea nat. cur. in decur. 2. ann. 8. pag. 255. & ann. 2. pag. 417.*

CAPUT LXVI.

De Paralysi linguam, & brachium sinistrum obsidente.

ADmodum Reverendus P. D. Claudius le Page, in Cœnobio D. Stephani commorans, annos 47. natus, dum diluculo sacra facturus surgeret, vix indutus (*a*) *Paralysi derepente* obsidetur, qua loquelam penitus amisit, & motum brachii sinistri, cum gravi torpedine eo in latere. Confestim ad eum accersitus, auri nostri diaphoretici gr. vj. cum aquæ theriacalis ʒ. ß. ipsi dedimus, tunc paulatim loqui cœpit, & movere brachium; sub vespera medicamine reiterato, perfecte convaluit, (*b*) *exiguo torpore affectis membris relicto*, qui & in totum propulsatus fuit, aquæ antiapoplecticæ usu, de qua in nostra *Pharmacopœa Spagyrica*.

(*a*) *Paralysi derepente*. Sæpius in momento paralysis invadit, præcedente fortiore animi motu; unde cum fortiter in angustias spinali medulla cogitur, humor ibi subsistit, & stasi sua spirituum influxum intercipit.

(*b*) *Exiguo torpore affectis membris relicto*. Curata paralysis relinquit sæpius capitis maximam debilitatem, torporem nec non somnolentiam; unde facile a pauciſſimo vino ebrii redduntur, & a suaveolentibus & vaporosis læduntur, introducta vitiosa & præternaturali poris cerebri dispositione, quare etiam qui semel tentati sunt paralysi vel hemiplexia, ex facili iterum in hunc affectum incurrunt.

CAPUT LXVII.

De vulneribus capitis.

CApitis vulnera, dummodo fractum non sit cranium, sequenti methodo brevi solidamus. Et primo vulnus simplex sine contusione manifesta, ut quod acie ferri factum sit, (*a*) *admoto oleo nostro balsamico*, bis in die, cum gossypio, vel filis cannabinis citissime sanatur: Cui vero contusio adest, vulnus a qua salsa cum vino rubro prius eluitur, ut contusæ carnes oleum affusum faci-

facilius combibant: tum oleum vel cum goſſypio, vel cum plagulis eo imbutis ſuperimponitur, faſciis ad id opportunis ex arte admoti. Quod ſi contuſio ſit valida, tunc triduo a vulnere inflicto, mundificante, & ſuppurante opus eſt. In omnibus, vulnus bis in die deligatur, arque iiſdem plagulis & faſciis communitur. Occurrunt & nonnunquam alia ſymptomata, quibus ut proſpiciat Medicus, in practica phyſica bene eſſe verſatum neceſſe eſt. Alia etiam via per aquam, ſeu decoctum vulnerarium, vulneribus quibuſcunque facillime & citiſſime mederi poſſumus: de his decoctis vulnerariis in noſtra *Pharmacopœa* ſatis aperte diximus.

Ejuſmodi viis ſanatos complures in medium protraherem, confirmationis ergo: at multi ſunt, & per ſe ſoli integram Centuriam complere poſſent. Dominus Albertus Polſonus ſeptennio elapſo, quinque vulneribus profundis a ſicario clam acceptis, eo methodo feliciter curatus fuit. Dominus Hercules Lucatellus, ingenti vulnere circumventus a proditore, pari methodo convaluit. Magiſter Joannes . . . Sclopetarius, eadem ſorte a proditore vulneratus, curatus fuit.

Ubi fractum eſt cranium, methodo fere ſimili tractanda ſunt vulnera, ſuppurantibus & mundificantibus cito adhibitis. (*b*) *Terebra*, & alia chirurgica, quibus mali Medici ſæpius abutuntur, parce uſurpare ſoleo; natura enim proprio motu extranea ejicere ſolet.

(*a*) *Admoto oleo balſamico*. Omnia oleoſa pinguia & unguenta in partibus nerveis & membranoſis ſauciatis multum damni afferunt, dum poros obſtruendo graves inflammationes inducunt. Quo circa in capitis vulneribus & pericranii læſionibus merito ab illis abſtinemus, & loco horum vel ſicca v. g. pulverem iridis florent. maſtiches, ſuccini, vel ſolum mel cum pauxillo balſami peruviani mixtum admovemus. Emplaſtrum de betonica utiliſſime in omnibus externis capitis affectibus adhibetur: Exaltatur autem ejus virtus gummatibus balſamicis, v. g. gummi elemi, ſuccino, maſtiche, ſtorace, nec non pulvere cubebarum, cariophyllorum. Hac ratione redditur etiam efficaciſſimum in gravioribus capitis contuſionibus.

(*b*) *Terebra*. Plures obſervationes, ubi trepanatio in cranio fracto & ſanguine ibi extravaſato optime ſucceſſit, collegit *Dominus Marchette in chirurgia ſua*. Valet hic *Celſi* monitum: quos ratio non reſtituit, juvat ſæpe temeritas: item ſatius eſt anceps remedium experiri, quam nullum; dubia namque ſpes certa deſperatione potior eſt.

CAPUT LXVIII.

De maligna febre cum ſæviſſimis ſymptomatibus.

DOmina N. Domini Herculis de Lucatellis ſoror, prope Divi Sebaſtiani fanum, annos tunc circiter 24. nata, ardenti febre graviter conflictata, inter graviora ſymptomata, (*a*) *triduo animi deliquio correpta*, & mortuæ ſimillima jacuit. Tetro ejuſmodi affectui grana iv. lapidis bezoardici animalis adhibuimus, cum grano j. auri diaphoretici: dabantur in ſucco carnis, nec alio cibo triduo enutrita fuit. His ter reiteratis ad ter rediit. Interea cordis regio bis in die fovebatur ſequenti (*b*) *epithemate*.

Rec. Pulver. diamargar. frig. 3. ij. granorum kermes, corall. præpar. an. ʒ. j. croci Orient. 3. ß. aquæ meliſſæ, borag. acetoſ. an. lib. j. vini Cretici lib, . Miſcebantur pro Epithemate. Primis febris initii per alterum Medicum purgata fuit. Syrupos & julepos item accepit: quin etiam ſanguis bis detractus fuit e brachiis. Sero advocatus, non mihi licuit tanti ſymptomatis cauſam in aliud rejicere, quam in pravum & malignum vaporem ex hypochondriis expirantem. Rediit tandem ad ſe illa, quæ ab omnibus mortua cenſebatur, ab eo tempore decennio elapſo.

(*a*) *Triduo animi deliquio correpta.* Symptoma hoc indicat febrem fuiſſe hyſtericam, ſpaſmis præcordialibus ſuffocativis & hypochondriacis ſociatam, qui ex impuro ſanguine & ſero ſtagnante circa abdominis partes originem ſuam petunt.

(*b*) *Epithemate.* In ſyncope, quæ a ſpaſmo diaphragmatis & præcordiorum naſcitur, extrinſecus applicata antiſpaſmodica volatilia nervina egregium faciunt officium; ſpectat huc linimentum noſtrum cordiale ex theriaca, camphora, croco, balſamo peruviano, oleo caryophyllorum, & aqua Anhaltina paratum. Corallia & pulvis diamargaritæ frigidus omni fere uſu tali in ſtatu carent.

CAPUT LXIX.

De vulnere in facie citra ſuturam curando, ubi iterum carniſicina ſuendi vulnera exploditur.

DOm. Joannes Baptiſta Bocchinus, cujus ſupra in *prima noſtra Centuria* mentionem fecimus, a quodam proditore, cum quo familiariter verſabatur, & cujus famulitio quotidie utebatur, vulnus in facie, vulgo *ſfriſo*, accepit. Inflictum vulnus barbitonſor primus advocatus, fuit pro more acu & filo, ipſique ſuperimpoſuit album ovi, poſtera die advocatus, abſciſſis ſuturæ punctulis, (*a*) *oleo noſtro balſamico* totum vulnus circumdari curavimus, vulneris labiis prius invicem adductis: Et tandem quoad coaluerint dicta vulneris labia, quotidie uſus eſt dicto oleo.

Cur ſi paucis & facillimis tutius & certius ægros ſublevare poſſumus, multa infida ipſius morbis ſæpius graviora, tedii & laboris plena nos cogat uſurpare antiquitas, ſi medicamentum, non authoritas admoveatur ægris? Si experientia, & ratio, non opinio, artem efficit, cur contraria ſectemur?

(*a*) *Oleo noſtro Balſamico*. Balſamum vulnerarium tam ad internum quam ad externum uſum optimum fit, ſi balſamum ſulphuris antimonii ex ſale igitur tartareo, & oleis deſtillatis confectum elegantiſſime rubicundum, miſcetur cum oleo hyperici terebinthina & cera. Ex eodem fundamento fluit quoque præparatio balſami Anglici Locatelli dicti.

CAPUT LXX.

De lenta febre cum tuſſi, ventriculi imbecillitate, & aliis.

DOminus Martius Malvezzius ex Illuſtriſſima familia Malvezziorum, annos tunc triginta natus, annis ſuperioribus in duplicem tertianam incurre-

currerat, a qua ſublevatus (*a*) *habitum cachectitum*, debilem a catarrho valde obnoxium reportavit; non ſine flatibus, ventriculi refrigeratione, crebra expuitione, inappetentia, & quodam marcore. His malis ut ſubveniret, Medicos conſuluit, qui unanimiter chinæ decoctum ad menſem circiter ipſi porrexerunt. At medicamentum inappoſite datum, morbos longe graviores reddidit. Etenim accerſitus, dictum Dominum ſummopere emaciatum comperio, catarrho, inappetentiæ, flatibus, & aliis ſymptomatibus magis obnoxium, febre item lenta per intervalla non raro vexatum. Tot morbis ex arte curandis, duas indicationes curatorias conſtituimus. Prima, viſcerum obſtructiones reſerare. Secundam, ſuccos crudos humoreſve incoctos conficere: quas indicationes nos tuto abſolvere ipſi indiximus, & non multiplicitate remediorum, ut Empiricorum mos eſt, neque errabunda & fallaci opinione, qua plerique Medicorum falluntur; verum certa & cognita ſcientia, atque tantum unico remedio, eo pacto, ut diu in ejus uſu perſiſtat; non enim diu contractos habitus cito immutare poſſumus. Annuente ipſo, ſe in cura permanſurum, ſpecificum noſtrum ſtomachicum ipſi præſtitimus bis in die, cum ſaccharo roſaceo, eo febre ſenſim propulſata, & (*b*) *ventriculi robore aucto*, cuncta melius obire cœpit; in ejus uſu perſiſtens, ea qua nunc fruitur ſanitate, vivit.

(*a*) *Habitum cachecticum*. Quandocunque intermittentes non legitime curantur, vel ſtatim motus iſti febriles critici in bonum finem nimirum excernendi, illud, quod ſanguinis mixturæ infenſum eſt, inſtituti, nimis cito figentibus vel adſtringentibus ſupprimuntur, periculoſiſſima multa mala inde proveniunt, infarctus quippe viſcerum fiunt graviores, obſtructiones firmiores, perſpiratio corporis magis impenditur, ſicq; febres lentæ, cachexia, affectio hypochondriaca preſſo pede ſequuntur. Si febres ardentes, item intermittentes intempeſtive curatas hecticæ cauſsam fuiſſe annotavit *Foreſtus l. 4. obſ. 1. & 4 it. Horſtius l. 1. obſ. 30. & 34.*

(*b*) *Ventriculi robore aucto*. Poſt graves perpeſſos morbos facile ventriculi imbecillitas oritur, & tunc ſemper maxima ratio eſt habenda digeſtionis primæ, & præſtat ſemper, poſt diuturnos morbos a parciori paulatim ad largiorem victum procedere. Proportio enim ſemper debet eſſe inter victum & vires, quando quidem vires, ſi debiles ſunt, victus quoque tenuis ſuadendus, fortes autem & robuſtæ ſi ſunt, victus magis plenus & craſſus locum habet. Priſci ſapientiſſimi Medici in adminiſtranda diæta vel in ipſis morbis, vel poſt illos admodum religioſi & circumſpecti erant, quorum veſtigiis & nos inſiſtere debemus.

CAPUT LXXI.

De catarrho, febre lenta, virium imbecillitate, a multo tempore contractis.

DOminus Ludovicus de Urſis annos 30. natus, ab aliquot annis, multis malis acerbe conflictatus, extrema ducere videbatur, omnium graviſſimum erat (*a*) *inſignis ventriculi languor*. Tot malorum cauſas tam externam, quam internam, ad pravam victus rationem prægreſſam, & imbecillam viſcerum conſtitutionem referens, curationis argumenta eſſe dixi, viſcera

natura-

naturalia cum primum roborare, dein fluxos, & congestos humores tum in ventriculo, & in intestinis, tum in aliis corporis partibus, conficere, & purgare. Primas indicationes brevi absolvimus specifico nostro stomachico, secundas decocto sequenti.

Rec. Chinæ electæ in taleolas minutim dissectæ, ℥.ß. salsæ paril. ʒ. j. sassafras, ʒ. ij. santal. ℥ß. epithym, cuscut. senæ, an. ʒ. v. anisi, coriand. præpar. an. p. j. flor. borrag. bugl. melissæ, betonicæ, an. m. j. flor. violarum p. j. coquebantur omnia in optimo jure caponis.

(a) *Insignis ventriculi languor*. Multa mala ex vitio primarum viarum proveniunt. Laborabat ante aliquot annos generosa fœmina ante autumnali tertiana, post ejus curationem appetitu fortiori indulgebat; unde incurrebat in febrem lentam, phlogosin, virium defectionem & dolorem pedum contusivum, als mann sie inschiagen mare. Medici in consilium vocati pugnabant contra calorem refrigerantibus, julapiis, acidis, quorum assumtione symtomatum vehementia magis augebatur. Ego primis in viis colluviem impurorum humorum ratus, ordinavi lene emeticum, liquida in forma assumendum, quod tribus vomitionibus magnam copiam viridissimæ pituitæ educebat, huic experimenti gratia instillavi oleum tartari per deliquium, & mox viridis ille color mutabatur in flavum, indicio manifesto, acidum ita tingere bilem, non secus ac spiritus vitrioli ipsi viriditatem conciliat. Post usum hujus emetici protinus expirabant cuncta symptomata, notabiliter enim calor, sitis & pedum dolores remittebant, adhuc semel idem remedium propinatum est, & Divina gratia mox in integrum restituta est fœmina.

CAPUT LXXII.

De ophtalmia.

UT non omnes ophthalmiæ ab una eademque causa, nec item uno eodemq; remedio curantur, Perillustriss. & Excellentiss. Dominus Hercules de Marescottis, 4. annis elapsis id maxime comprobavit; is enim contumacissimam, & dolorificam ophthalmiam incurrerat, quam contraxit (a) *ab aere ambiente nimis calido* & sicco, quo in tempore fluxio salsa & acris, qua prius detinebatur, in summum irritata fuit: ea enim ab extrinseco impulsa, & ad oculos detrusa, primum in oculo sinistro tumorem, & inflammationem peperit; ea remediis paulo mitior facta in dextrum recurrit. Multis tunc extraordinariis frustra adhibitis, uti cassia, pilulis de agarico, cocciis, phlebotomia, &c. (b) *decocto purgante*, & exsiccante intra paucos dies convaluit.

(a) *Ab aere ambiente nimis calido*. Ophthalmia sæpe est epidemia, & debetur aeris vitio, si nimirum ille vel hyeme nimis siccus est, vel etiam ipso vere siccus & aquilonius; tunc enim facile rheumatismi & fibrarum tam cutanearum, quam membranacearum subtilissimarum fiunt contractiones & contorsiones propter particulas aeris rigidiores de quo consule *aphorism.* 11. & 12. *lib.* 3.

(b) *Decocto purgante*. Notabilis est *aphor.* 17. *Lib.* 6. Hippocratis: Oculis ex inflammatione laborantem diarrhæa corripi bonum est. Nam omnis alvus fluxus, sive arte, sive ultro erumpat, inquit *Heurnius in commentario ad aphor.* pag. 432. repellit & una evacuat ab oculo. Quare si natura id ultro non fecerit, pharmacia

hoc

hoc agamus. Si valida phlegmone occupaverit oculum, venam seca, cucurbitas cervici admove: purga, dolorem mitiga, digere. In magnis doloribus fove oculum decocto malvarum, chamæmeli & fœnugræci.

CAPUT LXXIII.

De præduro quodam tumore jamdudum inveterato, in palpebra oculi enato.

SCirrosos tumores dissolvere, non minus arduum, quam difficile, comprobant omnes, qui artem medicam exercent; sic ejusmodi tumores, vel in carcinomata vertuntur, vel incurabiles fiunt. Superioribus annis venit ad me curandus quidam Dominus Franciscus Limidus, simili tumore affectus: cum autem ipse ad ejusmodi tumorem deformem, & molestum exscindendum, multos Medicos frustra per longum tempus consuluisset, nostra tandem ope intra 20. dies convaluit. Itaque ut densum, firmum & compactum ejusmodi tumorem, osseum potius, quam carneum dissolverem, corpore prius purgato, collyrium sequens admovimus.

Rec. Stibii crudi, camphoræ, an. ʒ.ß. tutiæ præparat. collyrii albi Rhasis, an. ʒ.j. aquarum solatri, plantaginis, rosarum, an. ʒ. ij. misceantur, & fiat collyrium: Infundebatur collyrium bis in die inter adnatam, & palpebram. Extra unguentum, hunc in modum applicatum fuit.

Rec. Camphoræ ʒ.ß. ceræ albæ ʒ.j. ol. rosati ʒ. iij. liquentur omnia simul, refrigerato adde pul. tuthiæ, stibii, plumbi usti, an. ʒ.j. misce.

At nec his tantus tumor emolliri potuit; sed (*a*) *specifico ophthalmico* in usum advocato, intra 4. dies tumor evanuit.

Artis abdita non omnibus referanda veniunt, maxime hodie propter pseudochymicos, qui his perperam abutuntur, nec propterea illi verentur se scientiarum Monarchas appellare; veri illi sunt jactabundi impostores, fumivenduli meri, auri potabilis decoctores, de quibus plura apud bonos authores.

(*a*) *Specifico ophthalmico*. Tumor scirrhosus durus sæpiusculæ palpebris adnascitur, dicitur: vulgo Gerstен Korn, sed non tam facile dissipari solet, maxime si induraverit. Novi chirurgum expertissimum, qui ejuscemodi tumores feliciter sic abigit. Nimirum unguento gryseo, cui momentum mercurii præcipitati albi immixtum est, caute bis de die tumorem illinit, sic spacio trium hebdomadum dissipatio sit insensibilis ferme.

CAPUT LXXIV.

De dolore Capitis, amentiæ quadam specie, & videndi impotentia.

ANdreas Rivannus, annos 30. natus *nel Borgo delle Tovaglie*, tribus gravissimis cerebri affectibus ab anno detinebatur, amentia, obtuso capitis dolore, & visus imbecillitate. (*a*) *Amentia non erat perpetua*, sed tunc ea correptus, multa absurda verbo & opere committere cogebatur, citra tamen violen-

violentiam: eam præcedebat gravis capitis dolor, cum ſopore quodam permoleſto. Suſcitari hunc dolorem a vaporibus, aut ſubtili & atro humore melancholico ex hypochondriis ad caput ſublato, certum erat; unde & videndi facultatis perverſio. Indicationes itaque erant, noxium humorem e præcordiis deturbare, & caput roborare; quæ duo præſtitimus decocto melanagogo & cephalico, prout habentur in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica*, atque oleo vitrioli balſamico cum conſervis caput robotantibus. Vivit nunc a cura liber, ſeptennio elapſo.

(*a*) *Amentia non erat perpetua*. Notus eſt mihi paſtor in principatu Mindenſi, vir robuſtus plethoricus ac facie ſanus, hic per intervalla certo tempore breves mentis patitur abalienationes, nimirum colloquens cum amico vel etiam ſacra faciens coram populo, præter omnem ſpem mox multa delira, abſurda & male cohærentia loquitur, nonnunquam ad horæ quadrantem, nonnunquam etiam brevius. Ad ſe rediens ignarus omnium eſt, quæ fecerit, paroxyſmi utplurimum fiunt circa certas phaſes lunæ, vel etiam ſub veris & autumni initia, ubi etiam non raro motus convulſivi & dolores tenſivi, gravativi pedum complicati ſunt. Affectibus animi ac venere malum fit vehementius, venæſectio autem & omnia ſanguinem diluentia nec non nitroſa cinnabarina & temperata antiſpaſmodica mitigant & leniunt paroxyſmos. Contraxit hoc malum ex febre tertiana ante 7. annos perperam curata, & quoniam videtur quaſi habituale, radicalis curatio non facile expectanda eſt.

CAPUT LXXV.

De hydrope aſcite, in quo ventris tumor ad immenſam magnitudinem creverat, ab aliis conclamato.

NOnnulli ſunt morbi, aſpectu horrendi, formidoloſi, & a Medicis immedicabiles habiti. Talis fuit præſens affectus, quo laborabat quædam ancilla Perilluſtris, & Excellentiſſimi Domini Papiniani Rombelli, annos 45. nata. Etenim ad eam perductus per admodum Illuſtrem, & Excellentiſſ. D. Doctorem Mathaſilanum, primo intuitu ſe nobis obtulit mulier facie horrida, extenuata, & anhelitus difficultate gemebunda, mortuis, & reſiccatis cadaveribus quam ſimilis, cum incredibili abdomine, cruribus etiam ingenti tumore diſtentis, nec nos propterea deterrebat (*a*) *monſtroſus ille tumor*, ſed illa macies ſuperiorum partium, virium imbecillitas, anhelitus difficultas, & alia graviſſima ſymptomata. Adverſus tam immane monſtrum multa ab aliis Medicis adhibita fuerant remedia, & toto anni ſpatio, quo cœperat dicto morbo detineri. Huic & morbi magnitudine ad extremum adductæ, & omni ſpe deſtitutæ mulieri, Omnipotens Deus, & miſericors, ſic per manus noſtras opem tulit. Primis diebus ſulphur metallorum cum conſerva roſarum bis in die dedimus, quo anhelitum paulo liberiorem ducere cœpit: Viribus tantiſper erectis, ad aquas citius exhauriendas, devorabat alternis diebus (*b*) *tres pilulas* ex polychreſtis, & catholicis, ponderis 3. ß. quibus reſervatæ ſunt obſtructiones, communes viæ adapertæ, & ſanguis in utroque viſcere rectificatus: unde priſtina ſanitas, atque ab illo die, ſexcennio videlicet elapſo, firma valetudine potitur.

(*a*) *Mon-*

(*a*) *Monstrosus tumor*. Offerebat sese nuper nobis fœmina, 30. annorum in superiori corporis parte nimirum extenuata, respirandi difficultate, marcore partium & facie Hippocratica, semimortua, incredibilis etiam erat tumor abdominis, brevi post ultro & sponte umbilicus exiit & aperiebatur, magnaque quantitas seri lympidi, explens fere mensuras 20. intra duarum horarum spatium effluxit, instituta sic ab ipsa natura paracentesi. Ego accedens illico curavi, ut foramen illud clauderetur, & probe a corruptela non tantum umbilicalis regio, sed & totum abdomen defenderetur, quare cataplasma ex speciebus balsamicis cum vino coctum toti applicabatur ventri, aperto obturaculo tertio die post mox nova rursus quantitas seri effluxit. Interea debilitabatur ægra, porrigebantur analeptica, balsamica. Elapsis aliquot diebus, venter, qui propter effluxum copiosæ aquæ valde detumuit, de novo increscebat in molem, a flatibus, quasi distentus, interin deficiebant plus vires, extrema frigebant, pulsus rarior, & ægra diem sic suum obibat. Hydropis per umbilicum sponte ruptum evacuationem vide in Hildano obs. 14.

(*b*) *Tres pilulas*. Bene monet *Sydenhamius* in *tractatu de hydrope*: Aut fortiter in hoc morbo purgandum est, aut nunquam, & maxima curationis pars in eo videtur posita, ut medicus naturam morbi exploret, an ferre possit catharctica, nec ne, & una bene succedit purgatio, brevi plures instituendæ sunt. Merentur autem laudari hunc in finem purgantes pilulæ emetico acuatæ, stimulo quippe, quæ egregie serosam colluviem expurgant.

CAPUT LXXVI.

De sanguinis, & puris fluore insigni per alvum, a biennio inveterato, cum febre lenta, marcore, &c.

THomas Casarius, de his qui vulgo *Tiraloro* dicuntur, in via sancti Felicis commorans, annos 40. natus, (*a*) *fluore sanguinis & puris* biennii spatio vexabatur, unde in incredibilem corporis maciem inciderat, cum apepsia, lenta febre, siti valida, & aliis. Toto illi tempore omne peculium in Medicos frustra impenderat. Sub cura vero nostra, paucis & nullius pretii remediis, intra 12. dies sanitati restitutus fuit: præcipuum fuit crocus metallorum, non is quidem Rulandi & Quercetani, sed Th. P. hic roborat tantum, ille vero purgat supra & infra.

(*a*) *Fluore sanguinis & puris*. Hic affectus dubio procul abscessus fuit aut mesenterii, aut ipsius pancreatis. Pancreatis abscessus curam describit *Sylvius in praxi l.* 1. *c.* 15. Nimirum fœmina laborabat diuturno & gravi lumborum dolore, subsecutus fuit puris vomitus & dejectio spontanea, emetico assumto ultra uncias 20. puris cocti excrevit: exhibitis balsamicis & putredini resistentibus, brevi perfecte sanitati restituta fuit. Abscessum mesenteriicum febre lenta dolore ac tensione hypochondrii & excretione puris per alvum tradit *Hollerius observ.* 19. Abscessum intra musculos abdominis & peritoneum latentem felicissime curavit *Beatus Parens vid. meth. med. pag.* 370. Ulcus ventriculi annotavit *Bartholin. centur.* 1. *p.* 40.

CAPUT LXXVII.

De quodam fœdo & horrendo morbi genere.

HOrrendum, fœdum, & ab omni humana cogitatione alienum malignus, quinquennio elapso, invasit Magistrum Joannem N. textorem lanæ,

lanæ, in via, quæ vulgo dicitur *strà Castione* prope portam Urbis. Ad eum perductus per Dominum Virginium Piottum, (a) *patientem invenio* vultu deformem, fœtidum vaporem exspirantem, squammis conspersum totum, etiam superciliis ipsis, & adeo, ut solis oculis micantibus, non hominis, sed alicujus monstri facie videretur. Capilli guttulas aquæ assiduo fundebant, veluti e scaturigine prosilientes. Ut attentius corpus universum perlustrarem, fenestris, & cubiculi ostiis adapertis, ut fœtidissimus ille vapor expiraret, aromatis etiam eo in loco combustis: tunc stragulis sublatis, atque corpore denudato, mirabile, nec dictu facile, quo errore perculsi fuerimus, videre divinum animal hominem, tam sæva, truci, & abominabili plaga affectum in quo cutis frustatim e brachiis, tibiis & coxis decidens, carnem cute denudatam, novas squammas producentem relinquebat; perpetua corruptio & generatio cutis videbatur. Dira hæc plaga a planta pedum ad verticem usque miserum incessanter affligebat: quo in statu, trimestri toto stetit, antequam nostra ope uteretur. Qui eum primo visitaverant Medici, ipsum esse leprosum, & ab hominum consortio removendum ajebant. Certatim quis dixisset, omnia humanæ miseriæ tela in eum vibrata fuisse: hæc enim omnia concomitabatur insignis pauperies, cum numerosa prole. Ad tam fœdum & horrendum monstrum debellandum, specificum stomachicum cum granis aliquot auri diaphoretici dedimus, cum conserva rosarum. In ferculis pulvere vîperarum utebatur, extra unctione blanda ex balsamo metallorum facta. Intra triginta dies pristinæ sanitati restitutus fuit, qua potitus est ad quatuor annos: demum eodem affectu correptus, priori diligentia minime adhibita misere occubuit.

(a) *Patientem invenio*. Signa lepram indicantia recitat hic *Auctor*. Intensissima hic lymphæ & sanguinis coagulatio est. *Marcellus Donatus l. 1. cap. 4. Histor. medic. mirabil.* Sanguinem e vena emissum instar coagulati lactis observavit. Quapropter omnia callida & exsiccantia præsertim in morbo nocentissima sunt. Ab usu immodico & præposfero ligni quajaci juvenem in perfectam lepram incurrisse Autor est *Henricus ab Heer obs.* 22. Potius humectantia conveniunt, *hinc Benivenius cap. 21. abditorum* refert: quendam elephantiacum incurioso & licentiore usu frigidiorum, citrullorum, peponum ac nucum recentium fuisse restitutum.

CAPUT LXXVIII

De rara, mirabili, & incurabili morbi specie in Marco Marci, filio pistoris, prope ædes D. D. de Barbatiis.

EN formidandum, mirabile, rarum & ordinariis Medicis incurabile morbi genus: hic sileant ignavi calumniatores, personati Medici. Et vos deliri Phormiones, qui coram optimis & exercitatissimis Medicis, de re medica inanes vestras leges proponere, atque totius artis medicæ, verbis plusquam sesquipedalibus, nec minus ampulloso, officia distribuere, ac tanquam Asclepiadeæ familiæ patronos, & summa artis fastigia tenentes, unicuique vos turpiter divendere vultis: Tota die præclara adversus catarrhum præsidia

nos-

nobis occinitis, ejuſque mille cauſas aſſiduo effingitis: at quorſum tot verba inaniter jactata pro catarrhis præſcindendis & averrucandis? & ecce incipienti catarrho in juvene annorum 16. ne tantillum quidem levaminis afferre poteſtis; imo vobis, veſtriſque præſidiis invitis, ad tantam calamitatem perducitur æger, ut nemo mortalium cruces & tormenta, quibus inceſſanter conflictaretur, exprimere poſſet: ſatius ipſi fuiſſet inter mortuos computari, quam ulterius tam acerbam vitam, & omni dolorum genere referta traducere. Cæpit vero iſte juvenis initio veris articularibus doloribus vehementer cruciari, obſeſſis nimirum genubus, pedibus, utriſque manuum articulis, cum poplite, & iſchio. Primus Medicus in ejus curam advocatus multa de more ipſi præſcripſit, potus nimirum purgantes, julepos, apozemata, phlebotomiam, juſcula alterata, ligni Indici decocta, & alia. Extrinſecus, litus, fotus, embrochas, cataplaſmata, frictiones, cucurbitulas, cauteria in nucha & brachiis & ſimiles cruces. Quieverunt dolores aliquantulum, quadrageſimo die exacto, quo tempore dolores articulares ſponte conſopiri ſolent: at paulo poſt vix menſe exacto, iidem dolores recrudeſcunt. Propterea novum Medicum accerſunt, qui non felicior primo, multa adhuc irrita præſcribit. Qui de re tertius advocatur: hic priorum medelis omnino repudiatis, ad varia tum alterantia, tum purgantia ſe contulit, victu exſiccante, & attenuante perbelle mutato, atque tum hordeacea, carnes elixas, ova ſorbilia, & alia, pro aſſis, amygdalis toſtis, pane biſcocto, &c. Quid vero ultimus iſte athleta profecerit intelliges. Nodos in juncturis firmat; dolores magis atque magis auget, & morbo efferatiori facto, miſerum incredibilem maraſmum præcipitat. Inſuper (quod omnem captum excedit) (4) *oſſa omnia adeo contabuerant*, ut ea infantium duorum annorum craſſitiem vix æquarent: oſſa ob dolorem continuum, & nimiam tendinum laxitatem, e loco exciderant: manus, & brachia, item genua, & pedes propter tophaceos tumores in articulis genitos, contorta adeo erant, ut nullo pacto quis credidiſſet ea erigi, & in propriam conſtitutionem reverti poſſe. Rurſus, quod magis mirabile, & formidandum videbatur, caput toti corpori in malis ferendis conſentiens, a juſta & naturali conformatione, tam magnitudine, quam ſitu, mirum in modum deſciverat, etenim cum reliquo corporis continue contabeſcens, perexiguum evaſerat.

Primo intuitu, tanti morbi curam aggredi velle, temerarium, & audax facinus eſſe exiſtimabam, nec niſi miſeratione, & remediorum magnitudine ſuffultus, ad id unquam adduci paſſus fuiſſem. Cauſis tanti affectus conſideratis, ipſum prius humectare, dolores conſopiendo, incipio. Ea de re primis diebus optimum juſculum pulli, cum radicibus acoris vulgaris, parari jubeo, idque mane & veſperi, poſtprandium, & cœnam. Matutinis horis aurum noſtrum diaphoreticum dabamus cum conſerva roſarum, quibus intra menſem optimam & firmamiſſimam recuperavit ſanitatem. Videant illi, qui corporum fæcibus expurgandis aſſidue incumbunt, propterea ſtercorarii dicti, ſimilia ſi præſtare poſſint. Scio ejuſmodi Medicos ab Empiricis, agyrtis, & circumforaneis minime differre; nec obſtat, ſi per corporum ſordes, ut olim Uromantes, de morborum cauſis coram populo multa vaticinentur: plebs his faſcinatoribus deluſa credula redditur.

(4) *Oſſa*

(a) *Ossa adeo contabuerant*. Mirabile est, ossa omnia in præsenti ægro ita contabuisse, ut ea infantium duorum annorum crassitiem vix æquarent. Ossa scil. conflata sunt ex tenerrimis tubulis, qui poros habent innumeros, in quibus circulationem sustinent depositæ particulæ, & sanguineæ & lymphaticæ. Inoseulantur namque illis venæ & arteriæ intrantes cavitatem, & deponentes ibi pinguem sanguineo-gelatinosam substantiam. Hac autem minime ossa nutriri, sed temperata oleositate duram ac stabilem ossium substantiam magis delinire & inungere veri videtur similimum: Hac delibuta extersus impetibus, quos sustinere coguntur, sine fracturæ metu resistunt. Inde jam constare potest ratio miræ ossium fragilitatis, quam notarunt *Hildanus & Capivaccius* passim in scriptis suis. Porro tubulis ossium introducta magna materiæ subtilis quantitate mollities in ossibus generatur, qualem ceræ instar flexilem describunt *Actæ Hafniensium observ. 24. anno 73. & 74.* Solidum enim a fluido non differt nisi sola divisibilitate. Quod si itaq; efferveseentia acrior in sanguine concitata corpuscula illa, e quibus ossa contexta sunt, dissipat, ossa minora & contractiora fiunt: similem contabescentiæ osseæ historiam tradit *Dominus Jacobæi in actis Hafniens. anno 71. & 72. observat. 115.* Nimirum chirurgus quidam per errorem aquam fortem bibebat, unde non mortuus est, sed tota membra ita contracta & corrugata fuerunt, ut qui antea justi viri staturam habuit, nunc vix pigmæi vel septennis pueri obtinuerit.

CAPUT LXXIX.

De dolore funestissimo per totum corpus oberrante, cum gravissimis symptomatibus.

NOva quotidie in hominum perniciem vibrata esse tela cognoscimus. Ecce hac de re novum doloris genus, per intervalla Constantinum barbitonsorem, annos 40. natum invadens: (a) *Vagus is dolor nunc per carnes*, nunc per articulos adeo vehementer vagabatur, ut ne per momenta quidem desereret ægrum; mirum equidem quam pervicaci velocitate per universum corpus oberraret: 15. diebus elapsis, in juncturis firmata sede, ibi ingentes cruciatus peperit cum tumoribus, ut in arthritide consuetum est. Inassueti ejusmodi doloris causas aliunde, quam a communi Medicorum sensu, deducendas esse judicavimus; indicationes itidem ab his longe diversas: de quibus alibi Deo favente. Interim ad tam immane monstrum debellandum, pilulis nostris catholicis usi sumus: Catholicæ hac de re dicuntur quod in universum quoscunque humores tartareos fugent, & ejiciant. (b) *Aurum nostrum diaphoreticum* per vices dabamus, ad transpiratum corporis promovendum, & juncturas roborandas. Locis affectis sæpe cucurbitulas per exiguas, vulgo *cornetti*, affigendas curavimus, cum scarificationibus, & eo tempore quo adhuc vagaretur dolor, nam in juncturis obfirmata sede, fotus, & embrochas usurpavimus. Victus in principio fuit refrigerans & humectans, tandem sub fine decoctum phlegmagogum & exsiccans, ad 15. dies accepit, quibus sensim sanitatem adeptus est. Sequenti anno iidem reversi sunt dolores, qui iisdem quoque remediis propulsati sunt. Ne vero iterum reverterentur, pilulas catholicas semel in mense deglutiendas imperavimus ipsi, quod præstitit ad annum, nec a septennio redierunt ejusmodi dolores, vivitque nunc felix optima sanitate donatus.

(a) *Vagus*

(*a*) *Vagus is dolor nunc per carnes* &c. Sunt dolores hi revera ſpaſmodici, & non tantum nerveas fibroſas partes, ſed & muſculoſas occupant, ſæpiuſque totum per corpus oberrant, ita ut mox pedes, mox ſpinam dorſi, collum digitorum extremitates invadant, debitoque ſenſu ac motu iſtas partes privent: Quandoque etiam in ipſis partibus interioribus calamitoſam ludunt tragœdiam, dum in inteſtinis cruciatus horrendos efficiunt, urinæ ſuppreſſionem, cardialgiam & ſuffocationem pariunt. Ab hoc malo vidi nec immunes ipſos juvenes & infantes, qui a parentibns ſcorbuticis nati erant; Nam dolores hi ſcorbuticorum acidorum ſalium progenies ſunt, & illa, potiſſimum corpora, quæ nervos imbecilles ac debiles habent, & quorum ſpiritus faciles ad ataxiam ſunt, mirum exercere ſolent. Dolores hi ſæpius quorum aeris vitio debentur & epidemici ſunt: Annotavi hoc anno poſt hyemem ſumme tepidam, ubi menſe februarii jam tum multæ arbores in flore erant, affectus arthriticos & rheumaticos familiariſſimos, qui maxime illos, qui proclives & obnoxii erant huic affectui, valde torquebant, diuque lecto præter ſolitum affigebant, recidivante ſæpius malo.

(*b*) *Aurum diaphoreticum*. Aurum a gaſtrico menſtruo & fluidis microcosmi non bene vincitur, niſi ope mercurii ſubtilioris exaltatum & ſpirituoſum factu m fuerit. Cum mercurio autem hac ratione cicuratum promtiſſime agit menſtruum ventriculi ſalivale ſubtiliſſimo æthereo ſale imbutum, quod, utut non totum mercurii nexum diſſolvat, nihilominus tamen mercurii ſubtiliores partes abradit & extrahit & ſecum per totam corporis ſphæram vehit. Inſipida autem menſtrua magnam in metalla & mercurialia poſſidere efficaciam comprobat inter alia decoctum mercurii cum aqua ſimplici, quod teſte experientia ad enecandos lumbricos ſummè proficuum eſt. Operantur autem mercurialia, ſi illorum textura integra manet, nec acceſſu cujuſdam accidi corroſivam naturam induit, colliquando & diſſolvendo partim gravitate, partim tenuitate ſua, ſeri ubique etiam illud, ſit coagulum: Quare ubi alia medicamenta non attingunt, ibi mercurialia penetrant, ac in diſſitis & anguſtiſſimis quoque partibus vim ſuam exerunt.

CAPUT LXXX.

De *multiplici febrium genere*.

FEbris, etſi affectuum communiſſima, & frequentiſſima, omnium tamen (*a*) *curatu difficillima*: nam licet infinitæ ſub Medicorum cura quotidie ſanentur, non tamen eorum arte, ſed (*b*) *ſponte*, & naturaliter *deſinunt*. Contemplare, quomodo minima pars gentium utatur Medicis, & quo pacto nullus ſit mortalium febris tyrannidis expers, vide an horum minima pars, Medicorum abſentia pereat. Univerſa Aſia, Africa, & maxima pars Europæ caret Medicis, non carent tamen febre; ubique communis eſt morbus, eandem ubique locorum ſervat naturam. Quod ſiquis objiciat, illis in remotiſſimis partibus, imo ubiq; reperiri Medicos, nec tam eſſe barbaram, & incultam gentem, quæ propriis Medicis careat: at utriuſque diſciplinam confer invicem, vel hos, vel illos non Medicos comperies. Barbari inculti, literarum rudes, Hippocratis & Galeni, & aliorum authorum inſcii, per experimenta medicinam agunt. Noſtrates, ut plurimum bonis literis imbuti, Hippocratis, Galeni, & aliorum ſectatores, per dogmata rationibus innixa medicinam agere profitentur. Sed hæc contemplatio hujus non eſt loci. Dicamus ergo, febres ſæpe Medicorum vulgarium diſciplinam eludere, quod ſuperioribus annis experta eſt

nobilis Dom. D. Isabetta D.D. Augustini Pistorienſis, alias de Dondolis, uxor. Etenim ipsa, dum 20. annum suæ ætatis ageret, quatuor annis elapsis, in simplicem tertianam incidit, circa initium mensis Augusti, cui subveniendo, usitata haud pauca remedia accepit, duobus Medicis ad id convocatis: quibus invitis ea in semitertianam vertitur, adversus quam multa ad nauseam usque patrata fuerunt medicamenta, nunc potiones laxativæ, syrupi, jusculæ alterata, pilulæ, trochisci, & similia. Febre tandem contumaciori facta, atque Medicorum artem plane eludente, Medicorum præsentium perhorrescit ægra, atque affines enixe flagitat, ut eos procul a se amandent. Interea febre in hecticam versa, eam sine auxiliis sedere nolunt, meque in ejus curam advocant. At quum intellexissem odium, quo Medicorum adventum exciperet, aliam personam induo; amici videlicet conjugis, & sic clam ipsa inscia eduliis, & ferculis antipyreton miscebamus, quo brevi febris & pertinaces obstructiones propulsatæ fuerunt.

(*a*) *Curatu difficillima*. Medici titulo indignum illum judicat *Helmontius*, qui non omnis generis febres, cito & tuto profligare novit. Nec enim sunt intermittentium sanationes jam temporis difficiles invento usu chinæ chinæ, modo quis rite procedat cum ipsa in applicatione. Tenendæ autem circa ejus exhibitionem sequentes sunt regulæ: 1. Ut palato consulatur, optime sumitur in forma pilulari, si nempe cum mucilagine tragacanthi, ex solo pulvere, fiant pilulæ. 2. Longe efficacior ejus effectus percipitur in substantia, quam in essentiis, decoctis & elixiriis. 3. Offerri debet sæpius repetita, parca tamen dosi, & nunquam statim ante paroxysmum vel in ipso paroxysmo, sed semper diebus intermissionis, incipiendo statim post febrilis paroxysmi declinationem. 4. Nunquam china chinæ danda est, nisi prius detersis purgante primis viis soluta plethora, obstructionibus expeditis & transpiratione liberiori. 5. In exhibitione chinæ chinæ alvus non movenda, nulla sudorifera calida, purgantia, vomitoria, turbantia, vel in usu, vel post ejus usum exhibenda, alias facillime febris recidivat.

(*b*) *Sponte desinunt*. Notari meretur circa & post æquinoctia & solstitia varie affici febricitantes, utpote vel circa illud tempus plane cessat febris nunquam rediens, vel desinit, post eum redit, vel etiam tunc temporis ejus vis remittit, aut simplex tertiana in duplicem mutatur, non obscuro indicio: ab ætheris motu, qui circa hæc tempora varius est, magnam quoque mutationem subire corporis nostri fluores. Quartanæ autumnales & hybernæ circa tempus æstivum sæpius sponte desinunt: vividiori enim tacto ætheris tunc temporis motu, non modo intestina sanguinis, sed & circularis motio promptior est; hinc transpiratio liberior, & obstructiones in cutis poris residentes facilius dissolvuntur.

CAPUT LXXXI.

De morbo raro, & deplorato.

QUidam sartor Bononiensis Venetiis commorans, annos 40. natus, nomine Hieronymus Barbiero, justæ staturæ homo, alias sanus, & vegetus, tribus superioribus annis (*b*) *sub finem æstatis* in lævitatem intestinorum incurrit, cui occurrendo, Medici Veneti ope ad multum tempus utitur: morbus tamen pertinax & rebellis; at ipse sanitatis impatiens alium medicum accersit.

cerſit, utpote juſcula alterata, morcellos aſtringentes, litus, embrochas, clyſteres, & ſimilia: At nec his morbo mitiori, imo eodem indies efferatiori reddito, nova ſuperveniunt ſymptomata, corpus mirum in modum extenuatur, lenta febre conficitur: artuum extremitates adeo laxantur, ut manus & pedes emortui omnino cenſerentur, reliquum corpus macrum, & luridum, coloreque terreo perfuſum, non hominis, ſed cadaveris effigiem præ ſe ferebat. Hoc in ſtatu Venetiis Bononiam reverſus, in noſtras manus curandum ſeſe obtulit. Morbi cauſis a nobis exploratis, atque indicationibus hinc inde collatis, (a) *jecoris & lienis obſtructiones* reſerare ſtatuimus, craſſos, viſcidos, & concretos humores incidendo, attenuando, & purgando, quod primis diebus præſtitimus per pilulas noſtras polychreſtas, ad ℈. j. ſ. pro doſi, Sequentibus diebus ſumebat mane electuarium ſeq.

Rec. Mitridati optimi, ʒ. ſß. conſerv. roſarum, ℥. j. ſß. croci martis, ℥. iij. macis, ʒ. j. miſce.

Hujus electuarii dabantur ʒ. ij. pro doſi mane. Sub veſperam dabamus ſpecificum ſtomachicum, quibus gratiſſimis graviſſimum, & incurabilem morbum facillime ſuperavimus.

(a) *Sub finem ætatis.* Æthere facto tunc denſiori ſtrictiores pori corporis noſtri evadunt, & perſpiratio effluviorum difficilior, quare ſuppreſſa conſueta ſudoris excretione ſerum ſalſum ad interiora vertit, & partes inteſtinorum membranaceas varie afficit, & conſtringit, hinc tormina ventris, alvi fluxus, tunc temporis valde familiares ſunt.

(b) *Jecoris & lienis obſtructiones.* Hypochondriaci, in quibus ſanguinis motus, per vaſa meſeraica, ramum ſplenicum & venam portæ, non legitime ſeſe habet, præter alia ſæva ſymptomata experiuntur etiam quandoque levitatem inteſtinorum & alvi criticum quaſi fluxum, ſecedunt ſæpius feces nigræ & a ſanguine tunicas inteſtinorum perrumpente, ſic tinctæ, dum natura ſubſiſtentem circa hæc vaſa colluviem ſeroſo-ſanguineam per vaſa, inteſtinalia, interdum etiam ipſius ventriculi ſeu gaſtrica bonum in finem exonerat. Proſunt hic aſſentiente *Dom. Authore* martialia, theriacalia & carminativa, præmiſſis lenioribus purgantibus, concretos humores educentibus.

CAPUT LXXXII.

De hydrope aſcite in ſene, inveterata, & ab omnibus Medicis deplorata.

MAgiſtri Gerardi Schaion lanionis uxor, in via vulgo *di Galiera* commorantis, prope Moniales D. Magdalenæ, a quatuor menſibus poſt diuturnas febres, & alvi profluvium in hydropem aſcitem incurrerat, annum ſuæ ætatis tunc agens 52. hunc affectum concomitabantur, febris lenta de genere putridarum, cum exacerbationibus quotidianis frigoris & caloris, more tertianarum, ſitis ingens, urinæ rubræ, craſſæ, & fere ſuppreſſæ, vigiliæ immodicæ, apepſia, crebri animi languores, & exolutiones, cum inſigni marcore totius corporis. Ad dira hæc mala propulſanda, multa a duobus Medicis ſatis notis per quatuor menſes accepit, At hi, malum initio

blandum, ſenſim (*a*) *remediis exaſperarunt*, idq; ad ſummum perniciei gradum perduxerunt. Unde ventris tumor in ingentem molem invaleſcens, reliquo corpore macie, & tabe confecto, omnem ſalutis ſpem ademerat: Medicorum nullus ejus ſaluti proſpicere audebat. Ego tamen Dei miſericordia fretus, quid noſtra in his deploratis valerent, experiri minime recuſo, licet invitus, & anceps valde, num optatum finem conſequerer. Quod ſi forte aliquando votis contrarium contingat, tum ob ſubſtantiæ viſcerum corruptionem, tum ob ægri aut aſſiſtentium errores, mirum videre eſt, quot convitia in nos evomant invidi: horum tamen nebulonum vocem minime extimeſco. Curationem auſpicatus per noſtrum ſpecificum ſtomachicum, ut publica via rite reſtaurata, remediorum copiæ bene inſtructæ ſanitatis iter facilius peragerent; Ventriculo quippe paulo firmiore reddito, (*b*) *crocum metallorum* bis in die dabamus, pro quo, ut ſupra monuimus, Rulandinum a Quercetano hauſtum minime intelligamus. Per intervalla pilulas polychreſtas dabamus ad ʒ. j. ut tantam aquarum copiam partim per alvum propulſarem. Quibus ad vota ſuccedentibus, (*c*) *mulier ab omnibus conclamata* his paucis, & gratiſſimis ſanitati reſtituitur. Victus interim fuit in principio humidus, contra morbi naturam, & Medicorum leges, nam tunc ſicca deglutire non valebat; paulo poſt magis ſiccus, quem ad finem ſervavit. Sitis primis diebus evanuit, at qua abdominis per os ſenſim extillante, & fauces irrorante; urinæ etiam copioſiores evaſerunt, & tandem abdomen, crura, & tibiæ detumuerunt, & intra ſeſquimenſem perfecte convaluit.

(*a*) *Remediis exaſperarunt.* Omnia potentia calida, ſudorifera, acria, volatilia, ſulphurea, maxime ſi in principio propinantur, valde affectum hydropicum exaſperant, dum dolores, anxietates adaugent, & ſanguinis fluxus vel per nares vel hæmorrhoides proritant, & calorem accendendo nimium marcorem ſuperioribus inducunt. Præſtat in ſanandis hydropicis curam inchoare, a deobſtruentibus & vaſa occluſa recludentibus, temperatis tamen nec exceſſiva qualitate imbutis, & ſenſim ſemper a purgantibus lenioribus aſcendendo ad fortiora.

(*b*) *Crocum metallorum*. Antimonialia rite correcta et præparata, uti ſunt Regulus Antimonii Medicinalis, Panacea Glauberiana in hydropicis, ſi viſcera adhuc quodammodo ſalva, et appetitus non prorſus dejectus, aperiendo, reſolvendo, et evacuando, divinam ferunt opem: Quod ſi enim pro hydropicis auxilium quærendum eſt, certe in martialibus, antimonialibus, ſalibus fixis, et purgantium fortiorum prudenti applicatione illud inveniendum eſt.

(*c*) *Mulier ab omnibus conclamata.* Retulit mihi non ita pridem practicus fide digniſſimus, hydropicum deſperatum ſervatum fuiſſe, dum veſiculæ magnæ in abdomine ſponte obortæ, magnam quantitatem aquę ſingulis diebus effundebant: Poſtea dyſenteria, tunc temporis graſſante, correptus, ſanguinem cum ſero copioſo per alvum excrevit, ſicque detumeſcente abdomine ſanitati reſtitutus eſt.

CAPUT LXXXIII.

De iliaca paſſione, miſerere mei, *dicta*.

IN via, quæ vulgo dicitur *Inanzi Gardino*, commorans D. Gio Battiſta Borſo, ex officio de his, qui vernacula lingua *filatoieri* dicuntur, annos 40. natus,

in

in iliacam paſſionem inciderat, a colico dolore initia ducentem: ei opitulando varia, & egregia medicamenta alter medicus præſcripſerat; At his nihilum proficientibus, imo dolore magis ſæviente, ſeniorem, & magis venerabilem Medicum conſuluit, qui aquam Tetucianam exhibens, malum duplo deterius reddidit, ex ſimplici dolore coli, iliacum efficiens. Nec ſine cauſa, nam jecore antea imbecillo facto, larga humidi actualis potatione, iterum imbecillus redditur: hinc cruditates ingeminantur, & pituitæ novus fit proventus. Propinqua hujuſce doloris cauſa erat lentus, & craſſus humor, coli cellulas varie contorquens. Remota intrinſeca, naturalis jecoris, ventriculi, & inteſtinorum debilitas. Procatarctica, calida aeris conſtitutio, propter quam crudorum, & frigidorum immoderatus uſus: Ex quibus manifeſte apparebat, indicationes curativas eſſe, viſcidum, lentum, & incoctum excrementum attenuare, incidere, & coquere: viſcera, jecur, & alia roborare: ea vero præſtari non poſſe per aquam Tetucianam, lippis & tonſoribus notum erat: ea enim quæ actu humida ſunt, viſcerum conſtitutionem multifariam lædunt, inprimis diſtendendo, refrigerando, humectando, tranſpirationem cohibendo, & ciborum coctionem avertendo; quæ omnia ſponte hos affectus parere conſueverunt. Nec me latet, verboſos ad verba ſe conferentes, nobis objicere ejuſmodi aquam eſſe ſalſam, calidam, & ſiccam, atque his qualitatibus tanto affectui convenientem. At inexperti, ſuam magis imperitiam produnt: Rerum actiones, non ſolæ qualitates explorandæ veniunt, non ut qualiâ, & ut tali qualitate prædita, ſed ut ſunt talia, ſic conformata, & conſtituta. Præcipuum quod agit forma eſt; qualitas eſt quo melius, vel deterius. Rurſus non ſolum agentis, ſed & patientis ratio habenda eſt, loci præterea, temporis, & aliorum paſſim a Galeno, cæteriſque authoribus enumeratorum. Hæc omnia confirmat præſens exemplum. Etenim data Tecutiana aqua, morbus ingeminatur (*a*) *flatibus inter craſſa, & tenuia inteſtina oppreſſis*, ileum comprehenditur, idque motu converſo, & periſtaltico violenter contrahitur, unde acerbiſſimi dolores, alvi ſuppreſſio, & vomitus. Poſtquam vero æger eo in ſtatu perſtitiſſet ad 5. dies, atque eo tempore multa inaniter expertus fuiſſet, ex ſenis Medici conſilium, ad eum perducor: tunc hominem languidum, ſemimortuum, doloris immanitate confectum, cibaria quæque vomentem invenio. Cum primum ventriculo proſpicientes, aquam cinnamomi dedimus, dein (*b*) *fotum excalefacientem*, & roborantem, paulo poſt pilulam laudinam; qua dolore mitiori facto, oleum ſupra, & infra infundendum juſſimus: per os, oleum amygd. dulc. infra ol. commune. Curam poſtremo abſolvimus granis aliquot auri diaphoretici noſtri: ſicque brevi, & cito convaluit, vivitque ab hac cura incolumis, ſexennio jam exacto.

(*a*) *Flatibus inter craſſa & tenuia inteſtina oppreſſa*. Non omnis Iliaca paſſio ab hernia, verum etiam a flatibus & fæcum infarctu; ubi tamen notandum, quod magis tenuia inteſtina & maxime Ileon circa ingreſſum coli obſtrui & infarciri facilius poſſint, quam craſſa ſatis amplæ capacitatis. Quando autem motus inteſtinorum periſtalticus invertitur, a continua ipſorum contractione ſpaſmodica, clyſteres, ſuppoſitoria, per os rejiciuntur, praxi ipſa id teſtante. In cadaveribus ſe-

ctis, plerumque Ileon læsum & gangræno-sum reperitur, vide *Harderii Apiarium obs.64.p.253.254. Item Forestus l.30.obs.17. & 18. Sylvius l.5.c.15. §.17.*

(*b*) *Fotum excalefacientem.* Hic affectus hernioſos, maxime ſi iracundiæ dediti fuerunt, & corpus frigidiſſimo aeri expoſuerunt, ſemper fere detinet, principalis itaq; labor eſt, poros conſtrictos relaxare, quod optime peragitur fotibus, balneis ex emollientibus & carminativis paratis. Intrinſece omnia illa quæ compeſcunt ſpirituum animalium motum, & inflammationem inteſtinalem præcavent, præſentiſſima ſunt. Cum opiatis tamen caute mercandum eſt, quæ proficua ſunt, non niſi refracta doſi, & cum confortantibus, ac diaphoreticis: commode autem miſcentur cum purgantibus, (quæ alias ſibi relicta, facile cedunt in vomitoria) duplicem nimirum in finem, ut ſpaſmo & dolori ſuccurratur, & excrementorum depletio fiat.

CAPUT LXXXIV.

De atrociſſimo, contumaciſſimo & deploratiſſimo morbi genere.

MEdici ſæpe ob rerum metallicarum imperitiam, ægros in maxima vitæ diſcrimina præcipitant. Quod infeliciter comprobavit Illuſtriſſ. Comes Hannibal Ibertus Mantuanus, qui fluxione in genua & pedes correptus, poſt multa medicamentorum genera, neſcio quo conſilio (*a*) *hydrargyrii unctione uſus* eſt ad 15. dies, a qua fluxione irritata, novis etiam ſuperadditis, pro ſanitate miſerrimam vitam traxit. Medicus, qui unctionem ſuaſerat, non hydrargyrii virulentiam incuſat, ſed morbi pervicaciam: hac de re novi purgationibus præmiſſis, diæta etiam cum ligno Indico, ſaſſa, & aliis ad menſem ſervata, ad novam unctionem patientem induxit. Reiteratur ergo unctio ad alios 15. dies, nec felicius, etenim fluxio magis efferata redditur, & ægri ſanitas ad extremum deducitur. Viribus in eum paulo recreatis, novi Medici conſilio utitur, qui ad fluxionem ſolum reſpiens, loca affecta ferro & igne tractanda ſuſcipit. At nec is, cæteris felicior, mercurialem perniciem intus pellit, novas cruces patienti imponit, & morbum incurabilem prædicat. Tunc Mantua Bononiam ſe afportari curavit: atque tum in noſtris manibus tuto, & jucunde ſanitatem conſequutus eſt. Ad hydrargyrii perniciem excidendam primum ſcopum direximus; nam ea relicta, fruſtra erat fluxioni mederi velle: & quia ſolida pervadere ſolet ejuſmodi prava qualitas, mirum non fuit, ſi trium aut quatuor menſium in id inſumpſerim ſpatium. Principio dedimus liquorem ſulphuris dulcoacidum, cum aqua ſtillatitia? paulo poſt hydrargyrii malignitate conſopita, aurum noſtrum diaphoreticum ad nonnullos dies ipſi præſtitimus, quibus duobus gratiſſimis, & fluxionem firmavimus, & Mercurii pravitatem ſuſtulimus.

(*b*) *Hydrargyrii unctione uſus.* Sanatio morborum rebellium beneficio mercurii circumſpecte applicati glorioſe ſæpe peragitur, & vice verſa, etiam nulla ratione habita individuorum, nec cognita natura indoleque morbi, et humorum peccantium ingenio; temere exhibitus mercurius, ſæpius quoque non rite præparatus, infinita mala acceriit, cujus rei teſtem cito quotidianam experientiam, qua propter ſequentes tenere oportet regulas: 1. Nunquam offerri mercurialia debent impuris corporibus ſcorbuticis acribus ſalibus ſcatentibus, & ubi viſcera labem et corruptelam

lam quandam contraxerunt. 2. Ubi inflammatio adeſt, vel metuenda, aut ad phtiſin, vel hecticam proclivitas eſt, maximopere fugienda ſunt. 3. Evacuatoriis corporis publicis adapertis, humorum corroſiva qualitate correcta, exhiberi debent, & magis tempore vernali, & autumnali, quam æſtate ac hyeme. 4. Exactiſſima vitæ & diætæ ratio ſervanda eſt, ſecus mercurialia magnum damnum corporis invehere queunt. Nuper ad juvenem vocabat ſcabioſum, qui opera empirici uſus, ab ipſo accepit aquam mercurii ſublimati, qua ex præcepto ejus lavabat manus, pedes, dorſum: elapſo aliquot dierum ſpatio, animi defectione & brachii ſiniſtri contractura prehendebatur, crebrius de die revertente malo, reſtitutus tamen ſanitati eſt, per decoctum emolliens, diaphoreticum, & ſimul anodyna virtute conſpicuum. Intentio enim fuit corroſivos mercurii atomos temperare ac invertere, quo minus ſanguini coagulum inferre queant, experimento quippe conſtat, ſolutionem ſublimati, ſanguini recenti infuſam ipſum coagulare. Similis fere hiſtoria evolvi poteſt apud *Borellum Cent. II. obſ. 92.*

CAPUT LXXXV.

De arthritide cum lue venerea, febre, & aliis.

QUidam vir de infima gente harpiculus, cujus nomen ſcriptis noſtris interſerere, indignum arbitramus, annos tunc natos 40. circiter, in abominabiles articulorum (*a*) *cruciatus a lue venerea* concitatos incurrerat. Diro huic malo ut occurrerent duo Medici, multa impune per ſeſquimenſem tentarunt remedia, cathartica varia, ſolida, & liquida; alterantia, cephalica, jecoraria, & articulos reſpicientia: ſanguinem e brachiis detrahentes, & nucham cauſtico inurentes. Diætam item imperant attenuantem & exſiccantem: quibus ſanitatis loco, morbus efferatior redditur, & ad extremum perducitur. Deplorato ejuſmodi affectui ut ſubvenirem grana aliquot auri noſtri diaphoretici, cum portiuncula ſtomachici ſpecifici ad paucos dies ipſi dedimus, cum conſerva roſarum, quibus dolores, & febres breviſſime propulſatæ fuerunt: ac tandem victus regimine mutato, ſenſim priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

(*a*) *Cruciatus a lue venerea*. Gallicus morbus arthritidis ſpecie et nomine non raro ludit tragœdiam ſuam, nam ſororiantes affectus ſunt, dum uterque a principio plus minus coagulativo & corroſivo cauſam ac originem ſuam trahit. Differre tamen videtur cura in hoc, quod lues venerea balnea laconica, ſudatoria, et ſudorifera bene ferre poſſit, non autem arthritis, quæ hiſce magis exaſperatur.

CAPUT LXXXVI.

De Iſchiatica inveterata.

ADmodum R.P. Thomas Dominicanus Bononienſis, Fratrem ſuum annorum 45. ex iſchiatico dolore (*a*) *claudum & impotentem* jamdudum factum, ad nos curandum duxit. Deprehenſis articuli tendinibus & ligamentis, præ copia humoris laxatis, ut & membranis, cum cæteris particulis juncturam conſtituentibus, ad valide exſiccantia, & roborantia nos contulimus, interea decoctum ſequens præſcribentes,

Rec. Rad. filicis maris, ʒ.j. ſalſæ paril. ʒ.ij. fol. betonic. ivæ artheticæ, ar. themiſ. an. m.j. hermodactyl. ſenæ, an. ʒ.j. aniſi ʒ.j. liquiritiæ, raſæ, ʒ.ß. Parabatur decoctum in lib. viij. aquæ communis, ad medietat. de colatura dabantur ʒ.vj. pro ſingula doſi, ad 15. dies.

Extra, Emplaſtrum expice & ſulphure admovendum juſſimus, cujus eſt deſcriptio.

Rec. Picis navalis ʒ.iv. terebinth. communis ʒ.ß. maſtiches ʒ. iij. ſulphuris ſubtiliſſime triti, ʒ.ß. miſce.

His duobus remediis ſatis vulgaribus, & omnibus perviis, ex deplorato morbo, feliciter convaluit.

(a) *Claudum & impotentem*. Iſchiatis ſi perperam curatur, ſæpius contracturam reliquit. Nil autem magis officit, quam corpora, antequam ſoluta plethora eſt, & ſufficienter per alvum evacuatæ viſciditates, ſubinde macerare ſudoriferis calidis, et balneis laconicis, dolores ſic evadunt acerbiores, intimius quaſi adactis peccantibus humoribus in affectæ partis tendines, unde, dolore increſcente circulatio humorum per hanc partem impeditior fit, ſicque tumor prægrandis non raro partem occupat, mox autem ipſe tumor retrocedit. Adeoque dum vel nimia conſtrictione & ſpaſmo, vel nimia relaxatione tendines et nervi majores tonum ac robur ſuum amittunt, impotentia et claudicatio membri ſupervenit.

CAPUT LXXXVII.

De paralyſi, marcore inſigni, diuturnis vomitibus, capitis gravedine, inappetentia, vigiliis, & aliis, a duobus annis inveteratis.

ADmodum R.P.F. Archangelus Guidi Mutinenſis, annos 30. natus, Mutinæ in Cœnobio Reverend. PP. Divi Dominici, lethaliter decumbens in ſui auxilium nos advocari juſſit. Bononia eo profectus, Reverendum Patientem marcore confectum, & veluti truncum ligneum frigidum, & immobilem reperio, diuturnis vomitibus excruciatum, inappetentia, vigiliis & aliis confectum. Tot morborum magnitudine, (a) *tot ſymptomatum multitudine* deterritus, vix ægrum e tam procelloſo Oceano tutum eripere poſſe arbitrabat: attamen Divino numine fretus ſanitatem ipſi polliceor, ſi Bononiam affines eum ad me advehi curent: Ne autem conditio impoſſibilitas appareat, aſſevero ipſi brevi mobilem evaſurum, ſi duo allata remedia bis in die aſſumat, aurum videlicet diaphoreticum, & ſpecificum ſtomachicum, quibus ter aut quater aſſumptis mobilis & portatilis redditur. Bononiæ receptus, intra ſeſquimenſem priſtinam ſanitatem recuperavit: in prædictis remediis perſtitit, ad menſem, pilulis polychreſtis & catholicis aliquando exhibitis: ſæpe etiam dabamus ol. balſamicum vitrioli; quibus paucis & gratiſſimis optime convaluit, valet nunc & in præſens, ſeptennio a cura exacto.

(a) *Tot ſymptomatum multitudinem*. Multum inter ſe differentia eaque plurima ſymptomata ſæpius ab una ſaltim radice propullulant: qua dempta et evulſa omnes provenientes fructus una extinguuntur. Artis itaque eſt, cauſam morbi exacte indagare: qua cognita facilis ſymptomatum ratio eſt, & ſecura remediorum appli-

plicatio; in noſtro ægro nervi imbecillitate laborant, et digeſtio regionis primæ vacillare, et venter impuris ſordibus ſcatere videtur.

CAPUT LXXXVIII.

De raro, acerbiſſimo, & funeſtiſſimo capitis dolore a multis annis inveterato.

PErilluſtris D. Bartholomæus Bologninus annos 33. natus, a quatuor annis vago & atrociſſimo dolore divexari cœpit, cum graviſſimis ſymptomatibus, animi mœrore, inappetentia, vigiliis, ſiti inexplebili, & aliis, non tam morbi natura, quam remediorum perperam exhibitorum multiplicitate. Præceſſerat ejuſmodi dolorem (*a*) *affectio quædam hypochondriaca*, obquam varia & multiplicia a pleriſque Medicis præſcripta exercuerat remedia. In hac paſſione hypochondriaca diverſa erant ſymptomata, mœror animi & timor haud exiguus, flatus multi per os, inappetentia, alvi aſtrictio, vertigo frequens, & alia melancholiæ communia. Triennio fere in remediis perſeverans nihil opis retulit. Ad me tandem adductus, decocto melanagogo ad 20. dies probe purgatus fuit, a quo non parum levaminis percepit. At morbi radices alte in natura defixæ paucis poſt menſibus repullulant, cui ut ſubveniret ipſe, alios Medicos conſulit, at fruſtra: & morbo tunc maxime ſæviente, ſe iterum in manus noſtras curandum recepit. Reiterato, ut prius, decocto, iterum conſaneſcit, licet adhuc morbi vis me lateret: propterea quatuor tantum menſes ſanus & incolumis vivit. (*b*) *Rediit hoſtis*, quam antea, longe truculentior, cujus cauſa novos conſulit Medicos, at incaſſum. Novus fit ſymptomatum concurſus, in occyge dolor fit immaniſſimus, contrahuntur brachia, & caput acerrimo dolore aſſidue vexatur. Interim agyrtas in conſilium pariter advocat, a quibus ne minimum opis reportans, novos adiit Medicos; at infauſte nimis. Atque tunc pro tertia vice in ejus auxilium advocor. Singulis excuſſis, in jam præſcripto & bis experto medicamine tam diu ſtandum eſſe judico, quam morbis radices exciſæ fuerint: ventriculo vero nauſeabundo, vi præteritorum medicamentorum facto, ſuppetias ferre primum exiſtimavi. Itaque ſpecificum noſtrum ſtomachicum ad aliquot dies ipſi dedimus: ad capitis dolorem leniendum, pilulas polychreſtas ter exhibentes: tandem ventriculo roborato, decocto præſcripto ad longum tempus uſus eſt, ſicque perfectæ ſanitati reſtitutus eſt.

(*a*) *Affectio hypochondriaca*. Hæc fecunda mater graviſſimorum morborum et ſymptomatum eſt, malum admodum frequens; hinc ferme in omni curatione chronicorum affectuum ratio hypochondriorum et primarum viarum habenda eſt. Dependet autem hic morbus potiſſimum a ſanguinis et humorum craſſitie, nec non motu progreſſivo per totius corporis partes, maxime per viſcera depurationi et ſubtiliſationi ſanguini inſervientia, nimirum hepar, lienem, pancreas, meſenterium valde tardo et impedito; unde hæ dictæ partes ſanguine craſſo infarctæ ac tumidæ fiunt, præprimis cum obſtructuram venæ portæ ſanguinis regreſſus, ex abdominis partibus ad hepar aliqua ex parte difficilis, impulſum ſatis validum requirat. Ex præpedita autem ſanguinis circulatione per abdominis viſcera non

tantum

tantum fiunt tumores, dolores, fluxiones, ſpaſmodicæ contractiones, flatulentiæ, verum etiam propter non ſeparata excrementa lympha ventriculi & inteſtinalis impurior facta, digeſtionem turbat & chylum crudum acidum progignit, qui ſanguini infuſus, illum ulterius deturpat. Unde a ſanguine craſſo & imminuta ſanguinis circulatione, nec non ulterius chylificatione depravata petenda jam ratio ſymptomatum eſt, nimirum mœroris inſoliti, timoris, melancholiæ, alvi adſtrictionis, vertiginis, inappetentiæ, anxietatis præcordialis, cardialgiæ, doloris colici, ſiniſtri lateris tumoris, inflationis, intrinſeci ardoris, & quæ ſunt ejus generis alia. Notabile eſt, hypochondriacos poſt mortem diſſectos viſcera in hypochondriis detenta multo ſanguine & ſucco nigro tanquam atro jure oppleta ac diſtenta habere. Novimus, quibus ſimilis ex iis locis humor ſupra infraque abſceſſit, quod licet cum periculo conjunctum eſſet: tamen evaſiſſet plures ſcio & honeſto viro Philippo Johannis Schleidani fratri bis illud accidiſſe meminit, ſcribit *Solinander Conſil. 7. ſect. 2. pag. 121.* Et ante menſem honeſta & nobilis matrona iſtius atri ſucci, & quod mirum eſt, fere inſipidi ex dextro hypochondrio ad libras ſex vel ſeptem vomitu rejecit. Plerumque autem taliter conſtituti aſcite moriuntur.

(*b*) *Rediit hoſtis*. Habet affectio hypochondriaca ſuas periodos & paroxyſmos, quibus vehementiſſime affligit, maxime autem in autumno & hyeme: æſtate ut plurimum optime habent hoc affectu detenti, qui autumno graviſſime decumbunt. Nam ille aer, qui liberiorem perſpirationem impedit, valde horum corpora offendit.

CAPUT LXXXIX.

De raro, inveterato & deplorato affectu virgineo.

RAri & portentoſi plane ſunt nonnulli morbi, qui virginibus nonnunquam accidunt, ut in præſenti caſu facile videre eſt. Itaque nobilis quædam virgo de Illuſtriſſima Familia Coſpiorum, in Monaſterio Sancti Vitalis, annos 20. nata, a tribus annis (*a*) *innumerabiles contraxit affectus*, nunc febres, nunc ſyncopas, nunc capitis dolores, modo vigilias, modo cardialgias, & continuo moleſtiſſimum ventriculi dolorem, unde in inſignem marcorem incideret, & quaſi ſceletos pelle indutus cernebatur. Ad tot mala debellanda, qui triennio ejus curam ſuſceperant, nihil ex vulgata medendi methodo intactum relinquunt: at infeliciter & methodice omnia agunt, corpus delicatulum purgationibus, phlebotomiis, decoctis, juſculis alteratis, cucurbitulis, cauteriis, frictionibus, ſtillicidiis, & ſimilibus tormentis varie exagitant, & incaſſum vero prohibente ad ſanitatem contendunt, unde ab his incurabilis habetur. Ea ſic deplorata, & ſine remediis relicta, ad me, tanquam ad extremum remedium, parentes confugiunt: Morborum, & ſymptomatum ideis, cauſis, & indicationibus probe exploratis, obſtructiones, præcipuas cauſas, reſecandas apprime duximus, quod blande præſtitit ſpecificum noſtrum ſtomachicum: verum enim vero quia morborum tyrannide jamdudum fracta, & ejuſmodi obſtructiones pertinaciſſimæ, factum eſt, ut hucuſque in totum ſublatæ non fuerint: dicti tamen remedii uſu, atque auri noſtri diaphoretici ope, eam feliciſſime valere arbitramur.

(*a*) In-

(a) *Innumerabiles contraxit affectus*. Affectus hic est hystericus, qui tamen ejusdem naturæ ac indolis est, eandemque causam habet cum hypochondriaco, modo quod in fœminis graviora complicata sunt symptomata, partim, quod hæ nervos habeant imbecilliores, partim quod ob vitium menstruæ purgationis facilius in ipsis progignatur sanguis copiolus isque crassus impurus. Symptomata, quæ prehendunt hystericas, spasmo & contractioni partium nervosarum fortiori decentur; hinc remedia, quæ spasmo opitulantur & hypochondria obstructa liberant, optima sunt antihysterica. Sæpius etiam hoc malum oritur in virginibus, junctum cum cachexia, colore faciei plumbeo, lassitudine, febre lenta, anxietate, a suppressione veneris, ubi ex mora liquor genitalis vappescens ac corruptus succos vitales in mixtura & in motu suo varie turbat & alterat. His suadendum optimo jure conjugium est, utpote excreto liquore seminali, & a spiritu genituræ virilis tanquam novo elixirio & fermento suscitata & vegetiori facta massæ sanguineæ fermentatione, maxima alteratio fit in corpore, novusque vigor vividusque calor partibus restituitur. Notabile est, quod hac ratione fœdæ prius virgines per conjugium elegantes & majori venustate affluentes aliquando fiant; exemplo uxoris *Aristonis* apud *Pausaniam*, quæ Spartanarum omnium virginum turpissima, mulier vero pulchritudine omnium præstantissima, & quæ cum *Helena* certandum haberet, fuisse, legitur. Et hoc sensu, quod venus pulchritudinem corpori conciliet, admitti potest.

CAPUT XC.

De marcore insigni, lenta febre, &c.

JOannes Baptista Vicinelli, Perillustris Domini Hieronymi de Bobus factor, annos 35. natus, (a) *post diuturnas febres* in insignem marasmum inciderat. Alterius Medici opera per multum temporis frustra usus erat. Nos in principio specificum stomachicum dedimus, cum conserva rosarum: postea sequens decoctum ad viginti dies bibit.

Rec. Ligni sassafras, 3. vj. chinæ electæ in taleolas dissectæ. ℥. ß. fol. boraginis, melissæ, pimpinellæ, capill. ven. an. m. j. florum violarum, uvarum pass. anisi, p. j. liquirit. ℥. ß. Parabatur decoctum in s. quantitate jusculi Caponis: dabatur bis in die quatuor horis ante & post cibum. Et his facillimis & gratissimis pristinam sanitatem consequutus est, nulla purgatione facta: quod dictum sit propter eos, qui in exoneranda alvo totam suam artem reponunt.

(a) *Post diuturnas febres*. Plerumque post chronicas febres vel perperam illas curatas extremus marcor, lenta febris, dolor artuum contusivus, urina cum sedimento multa rubicunda accidit. Pessime autem illi faciunt, qui acidis, refrigerantibus, incrassantibus malum hoc tollere sustinent longe præsentiora hic sunt leniora emetica, circumspecte tamen & viribus adhuc constantibus, & integris adhuc visceribus propinata. Vidimus sic viridissimam seu æruginosam veteribus dictam bilem excretam, qua evacuata sensim lenta febris, cunctaque symptomata remiserunt. Præter hæc infusa leniora laxantia; nec non salia detersiva, uti sunt terra foliata tartari, solutio oculorum cancri, nitrum antimoniatum, (quæ tria elegantissimum aperitivum sal, quod *Tackenius* ille celebris Medicus frequentissimo in usu habuit, constituunt) egregiam opem ferunt.

CAPUT

CAPUT XCI.

De arthritidis quadam ſpecie rara.

PErilluſtris Domina D. Junipera Domini Herculis Fabæ uxor, diu graviſſimis articulorum doloribus conflictata, duorum Medicorum conſilio, ad quatuor menſes fruſtra utitur, purgatur, repurgatur, juſcula alterata ad longum tempus bibit; nunc tandem calidis & ſiccis, nunc frigidis & humidis ejus ſanitas concreditur: ad menſem cichorii ſuccum cum ſero lactis aſſumit. His irritis, & malo vegetiori facto, ad noſtras manus curanda ſe recepit. Nos per methodum curandi tartareos morbos incedentes, eam citiſſime & tutiſſime ſanitati reſtituimus. Itaque ad tartarum univerſaliter e corpore deturbandum duo catholica remedia uſurpare ſolemus, catholicas, & (*a*) *polychreſtas pilulas*. Qui hæc ignorant, vituperare ſolent: proximi ſanitati ſtudentes, & conſcientiæ invigilantes, ſycophantarum linguas ſpernimus. Interea obſervare licet (*b*) *mulieres raro arthritide* laborare, quod jamdudum literis prodidit Hippocrates.

(*a*) *Polychreſtas pilulas.* Cauſſa arthritidis latet interdum in primis viis, quæ confertæ ſuccis bilioſis acidis ſunt, hos ſi commode purgantibus eduxeris, mirum levabitur malum & in diſſitis quoque partibus medicamenti vis percipietur. *Solenander in Conſil pag.* 78. magno cum ſucceſſu in principio arthritidis aliquod purgans exhibere ſolet, edoctus primum ab *Alexandro Tralliano lib.* 11. licet a multis hoc tempore reformidetur, quaſi quæ exagitata ſit, non amplius moveri debeat materia. Sic quoque vomitus interdum ſumme utilis arthriticis eſt. Patiebatur non ita pridem virgo 26. annorum dolorem acerbum ſub genu ſiniſtro, qui veſperi accedebat & totam noctem durabat: altero die recurrebat eadem hora idem dolor, aſt acerbior per totam coxam ſe diffundens, pulſus erat magnus ac celer cum vigiliis. Exibui emeticum, & mox pituita ſumme viridis copioſe excernebatur, mitior ſtatim erat paroxyſmus, altero die idem emeticum repetitum ſimili cum effectu eſt, & iterum longe mitior factus, donec tandem uſu tincturæ bezoardicæ volatilis omnis pene dolor ſublatus fuerit. Obſervavit *Martialis commentario in Hippocratem pag.* 382. Quamplurimos podagricos ob acorem in ventriculo peccantem a dolore corripi ſueviſſe, liberatoſque aut ſaltim mitigatos eſſe, ubi acetoſa evomiſſent. Arthritidem annuam vomitu & diarrhæa ſolutam evolve in *decuria* 1. *anno* 6. *&* 7. *Miſcellan. N. C. pag.* 220.

(*b*) *Mulieres vero arthritide.*) Eſt *aphoriſmus* 29. *Hippocratis lib.* 6. Mulier ex arthritide non laborat, niſi menſes ipſi deficiant. Regula hæc patitur exceptionem, ſi luxui intemperantiæ & libidini deditæ ſunt, & faciles ſunt ad iram, quæ, quantum commoveat impuros ſuccos, & nervoſas partes debilitet, dici vix poteſt. Per menſium alias fluxum detrahitur ſentina ſuccorum impurorum; nam ut pedes artuſque hoc malo affligantur, neceſſe eſt, ut ſit ſentina ac ſcaturigo ſuccorum; nec enim artuum imbecillitas ſolitaria hoc malum evocat. Quare in mulieribus ante omnia excitandi ſunt menſes, ſi ex tali morbo laborant.

CAPUT XCII.

De oris tortura, linguæ paralyſi, continuis vomitibus, & aliis graviſſimis morbis, & ſymptomat.

PErilluſtris D. Hieronymus Marſilius, annos 25. natus, poſt continuam febrem, (*a*) *in graviſſimos affectus* incurrerat, in paralyſin, in qua oris, & ocu-

& oculorum contorsio, cum auditu gravi, & continuo capitis dolore: hæc omnia concomitabantur crebri vomitus, vigiliæ, stomachi morsus, inappetentia, alvi siccitas, & insignis virium prostratio. Ad tot mala debellanda duorum Medicorum opera frustra usus est, sub cura vero nostra sanitatem pristinam sic feliciter consequutus est.

Primis diebus, ob prostratas vires, morbis capitis neglectis, ventriculo, tanquam publicæ viæ instaurandæ, prospeximus, bis in die porrigentes specificum nostrum stomachicum, & aurum diaphoreticum, quibus sensim sublevatus aptior redditur, ad morbos capitis funditus excidendos, quod pilul. polychrestæ, & catholicæ partim præstiterunt: reliquias ejecit balsamum vitrioli,

(a) *In gravissimos affectus*. Sunt hæc symptomata hypochondriaca. Post diuturnos perpessos morbos, qui vires solvunt & Spiritus depauperant, affectus hypochondriacus creberrime nascitur: Solenne enim est, unum morbum producere alterum maxime qui diuturnus est; hic enim discrasiam peregrinam induci humoribus, spiritus humorum motores consumit, ut inde obstructiones graviorum morborum genetrices ex sanguinis crassitie & immobilitate facile propullulent. Optimum itaque post gravem morbum perpessum præcavere, & antevertere alium roborando primam digestionem & vires amissas resarciendo, quod partim exacta diæta, partim & roborantibus medicamentis perficitur. Est regula hæc generalis ibi servanda: Parca semper manu in morborum declinatione exhibendos esse cibos, quo eo promptior fiat solutio.

CAPUT XCIII.

De pertinacissima & contumacissima capitis defluxione, deplorata & incurabili habita.

DOmina Prudentia D. Hieronymi de Ferro mercatoris sericei uxor, (a) *salsam & acrem fluxionem* & sesquianno patiebatur: toto illo tempore alterius Medici opera usa erat: At quia nihil quicquam levaminis ab eo reportarat, ad nos deplorata venit. Morbi origine cognita, extractum antiven. ad 15. dies ipsi dedimus; decoctum postea melanagogum, quibus pristinam recuperavit sanitatem. Extract. antivenereum habetur in nostra *Pharmacopœa Spagyrica*, uti & decoct. melanagog.

(a) *Salsam & acrem fluxionem*. Catarrhosæ vulgo dictæ defluxiones & rheumata musculosas partes affligentia hypochondriacis, scorbuticis, & lue venerea affectis valde sunt familiaria. Tota quasi natura scorbuticorum salsifica est. Vomitus instar aquæ fortis corrosivi sæpiusculæ deprehenduntur, ut etiam limaturam martis, quod edoctus experimento scribo in vitriolum vertant. *Borellus cent.* 11. *obser.* 1. vomitum bilis bullientis instar aquæ fortis notavit. *Salmuthus Cent.* 11. *obser.* 4. & *Senners. Tract. de Conf. & dissens. cap.* 16. Urinam & sanguinem scorbuticorum lintea corrodentem vidit, item *Dæring. tract. de scorb. pag.* 109. Insignem massæ sanguinæ

neæ acredinem in scorbuto annotarunt quoque *Miscell. A. N. C. dec. 2. no. 2. obs.* 107. dum in phlebotomia phlebotomi cuspistam friabilis fuit reddita, ut leni in particulas attritu abierit, guttaque fortuito in denudatum brachium incidens vesiculam excitarit. Ratum est quod refert *Boyle in Chym. scept. p. 68 de* milite hypochondriaco lapides & frustula horum devorante & ita consumente, ut alvi excreta arenosa inde rejecta fuerint, lapidibus in stomacho ab acido in arenulas resolutis.

CAPUT XCIV.

De paralysi, & gangræna, cum marcore, & aliis.

FLexiles & natura debiles, magnos & curatu difficiles morbos experiuntur sæpius, quod verissimum comprobavit Dominus Vincentius de Albonis, annos 25. natus, in via, quæ vulgo dicitur *della Mascarella* commorans. Ipse dum ruri diversaretur itinere fractus, sub quercus umbra quiescens, maximam capitis gravedinem contraxit. Paucis post diebus domum in Civitatem reversus, ambulandi impotentiam sentit, cujus causa ad eum advocatus, causam tanti affectus ab eo sciscitor, nec ulla quam ea supradicta, deprehensa, ad ejusmodi insolatum causam referri potui. Etenim (*a*) *rara & debilia corpora* facillime permeat aer, fusis vero humoribus, & per spinalem medullam collapsis, mirum non fuit, si obstructi fuerint nervi, vique motrice inferiores partes orbatæ, atque paralysi correptæ, cui necrosis paulo post advenit, cum febre, & aliis gravissimis symptomatibus. Etenim maximum dolorem patiebatur paulo supra os sacrum, cui postea obvenerunt urinæ fœtidæ cum puris quantitate. Ad dira hæc monstra debellanda, plura dirigere oportuit. Corpore ejus blande purgato, sequenti decocto, terebinthinam ad mensem ipsi concessimus. Fuit decoct. sic.

Rec. Ligni sassafras, visci quercini, an. ℥. ß. fol. ivæ artheticæ, betonicæ, ceterach, pimpinellæ, cichorii, an. m. j. cuscutæ, epithym. sem. carthami, an. ʒ. vj. senæ ʒ. j. anisi, ʒ. ij. liquirit. ʒ. ß. parabatur decoct. in s. q. aq. communis, cujus colaturæ dabatur ℥. v. pro dosi bis in die, ad 12. dies.

Terebinthinæ dosis fuit ʒ. iij. lotæ cum aqua betonicæ; per intervalla addebatur ʒ. j. rhabarbari subtiliter triti.

Extrinsecus semicubium sic parabatur.

Rec. Baccarum juniperi ℔. ij. bacc. lauri ℔. j. fol. rorismarini, salviæ, menthæ, majoranæ, absinthii, calamenthi, origani, rutæ, camomill. melilot. an. m. iv. flor. stęchados, rosarum, anthos, an. p. iij. coquebantur in vino & aqua pro semicupio: Quo peracto inungebantur partes affectæ sequenti litu.

Rec. Adipis taxi, adip. vulpis, an. ℥. vj. ol. lumbricor. ol. laurini, an. lib. j. ol. petrolei ℥. j. aquæ vitæ, ℥. iv. Misce pro linimento. (*a*) *Ad necrosim acetum minerale* admovebatur, digestivo ex vitellis ovorum superposito. Ulcera profunda a necrosi relicta, more aliorum ulcerum solidata fuerunt. Et quia ægre & lento gradu incedebat, curatio, aurum diaphoreticum cum conservis sæpe ipsi dabamus, & sic firmam sanitatem consequutus est, atque nunc vivit satis bona valetudine præditus.

(*a*) Ra-

(*a*) *Rara & debilia corpora*. Robusta dicuntur corpora, quando partes carneæ & fibrosæ duræ et densæ sunt, et membra grandiora parteſque fluidæ non facilem alterationem vel heterogeneum motum suscipiunt. Debile corpus dicitur, ubi rarior, subtilior et mollior partium textura, et humores æque ac spiritus ad motum subeundum inordinatum admodum proclives sunt. Talia corpora jam facile lædit aer peregrinis effluviis stipatus, qui facilem in tali corpore inveniens ingressum, irregulares motus suscitare aptus est. Quantum suaveolentia noceat hystericis, res in proclivo est. Umbra quercus vel juglandis arboris non nocet, sed effluvia exhalantia, schesin & crasin spirituum animalium varie alterant ipsosque inordinate movent. De effluviorum autem efficacius, legi fusius meretur *Boyle in Tract. de mira subtilitate effluviorum*. Item *Kerchringius in spicilegio anatomico Observ.* 15. ubi docet, odorifera corpori unico temporis momento vel prodesse vel nocere posse. Notari meretur, quandoque admodum lædi odoriferis penetrantibus etiam illos, qui odore prorsus privati sunt.

(*b*) *Ad necrosin acetum minerale*. Est hoc nihil aliud quam butyrum antimonii, quod corrodendo absumit partes mortuas, sed quoniam non profundius agit, melius est, vel ferro illas separare, vel profundius partem scarificare & applicare liquorem balsamicum, qualis conficitur, ex sale ammoniaco, Vitriolo, Camphora, spir. vin. aloe, myrrha, scordio, ruta, sale Qri, &c.

CAPUT XCV.

De acerrimo, & vehementissimo dolore capitis.

DOm. Jacobus de Pesis tinctor, annos 35. natus, prope sacellum Crucifixi commorans, a mense (*a*) *vehementissimum dolorem* patiebatur, cui ut mederetur, per id temporis spatium alterius Medici copia frustra usus est. Sub vesperam advocatus, pilulam laudinam ipsi dedimus: sequenti die (*b*) *pilularum* gran. xiv. *catholicarum*: at postridie altera pilul. reiterata, cito & tuto convaluit. Interim annotare placet alterius Medici curam: ille primo patientem purgavit potione, cum agarico infuso, & sena, cum dissoluto syrupo rosar. sol. detraxit sanguinem e brachiis, admovit cucurbitulas, sanguisugas non omisit; cauterium in nucha, & brachio excitavit, pilulis non pepercit: at his invitis, dolor truculentior efficitur. Non quanta, sed qualia purgari debeant, medicum considerare oportet.

(*a*) *Vehementissimum dolorem*. Cephalalgiæ subjectum fere semper sunt membranæ cranium investientes, rarius meninges, quam ob causam etiam vesicatoria, pulveres insperſi cephalici, cataplasmata, & nonnunquam setacea, in Cephalalgiis præsentem locant operam, quæ si malum internum esset, præstare non potuissent Causæ Cephalalgicæ non solum est, serum viscidum, corrosivum, in pericranio hærens & vellicans; uti id fit in scorbuto, & lue Venerea affectis, nec non hypochendriacis, sed sæpius etiam sanguinis per vasa integumentorum capitis impeditior motus, & hinc enata nimia venarum distensio & turgescentia, subjectas membranas premens. Perpulchre & mechanice *Hippocr.* causam doloris capitis *in Tract. de flatibus* describit his verbis: Capitis dolores una cum febre hanc ob causam oriuntur. Sanguinis in capite viis angustia contingit, cum aere replentur, eæque repletæ ac distentæ capiti dolorem afferunt: Sanguis enim vi pulsus cum calidus existat, per angustam viam transire celeriter nequit, quod eum multa remo-

rentur,

rentur, quæ impediunt & obstruunt. Eamque sane ob causam pulsationes circa tempora contingunt. Patet hinc, cur febribus & massæ sanguineæ ebullitionibus frequenter complicentur cephalalgiæ?

(*b*) *Pilularum Catholicarum*. Magna est diserepantia purgantium, nec promiscue quævis in omni affectu propinanda sunt: revera enim certis humoribus quædam purgantia dicata sunt, cætera neutiquam. Sic Rhabarbarum in hepatis vitiis & bilioſorum humorum exundantia & devia qualitate eximium, sol. ſenæ ad expurgandum humorem melancholicum, tamarindi ad bilem nimis volatilem salivam educendam, Jalappium ad seri copioſi evacuationem, helleborus niger ad mucum viscidum eliminandum manna ad acidos humores purgandos magis quadrant & apta sunt. Peccant itaque, qui non expensa humorum indole sine discrimine purgantia corporibus offerunt. Sic ubi prima regio sordibus impuris viscidis scatet, præposiere adhibetur manna vel purgans ex tamarindis. Tamarindi viceversa perperam applicantur, ubi acido pontici humores intestina occupant.

CAPUT XCVI.

De Apoplexia, Paralysi, imminuta memoria.

DOminus Josephus Guidetus, annos 52. natus, apoplexia jampridem correptus, & ea in Paralysim versa, inde linguæ laxatis musculis fandi impotentia insignis, (*a*) *interioribus cerebri ventriculis* frigido, pituitoso humore repletis, imaginativa, & discursiva facultatibus insigniter læsis. His tractu temporis melius habitis, memoria valde imminuta conspicitur, eodem tempore in posticam partem forte excusso. Apoplexia brevi tempore ejecta, ut quæ sponte in paralysim desinere solet ut plurimum. Duorum Medicorum consilio multo tempore utitur: & ab his nihil aliud beneficii accepit, quam quod tempus afferre consuevit: quamvis purgent, & repurgent, phlebotomias celebrent, brachia, & nucham inurant, & similia patrent; ad ligni Indici decoctum, tanquam ad sacram anchoram, confugientes, id ad mensem præstiterunt, exquisita diæta servata. Sub cura vero nostra, ad mali originem respicientes, sic ipsi sanitatem, quali hodie potitur, restituimus.

(*a*) *Interioribus cerebri ventriculis*. In apoplecticorum cadaveribus, ut plurimum aut sanguis aut serum copioſum & coagulatum reperitur, cerebri substantiam occupans, sic *Bartolinus* Batavii vidit in cadavere apoplectici omnes ventriculos concreto sanguine turgidos, ut ne guttam amplius exciperent. Vid. *Hist. Anatom. C. 2. Observ. 60. Bonetus in sepulchreto L. 1. sect. 2. obs.* 12. Totam cerebri basin cruore obductam vidit. *Hollerius L. 1. c. 7. d. m.* 1. refert, Quæstorem quendam, qui cum in sole ambulasset, liquatusque inde sanguis per venam ruptam in cerebrum esset diffusus, repente apoplecticum interiisse; uti id docuit anatomia. Porro dissectionem apoplectici, in cujus cerebro sanguinis extravasactio facta v. ap. *Fernel. d. abdit. 1. cans. p. 235. &c. Tulpium obs.* 13. qui & plurimum aquæ in demortuorum apoplecticorum capite repetiit. *v. l. 1. c. 27. ib. Nymannus de apoplexia. it. H. ab Heer. obs. 11. p. 120. Riolanus* crassum & viscosum humorem ad contextam retiformem invenit, cerebri ventriculis nec ob pletis nec obstructis. Nullum dubium est, apoplexiam oriri a rupto sanguinis vel lymphæ vase: Quæmadmodum enim propter impeditum æqualem sanguinis circulum in exteſnis partibus vasa aperiuntur & sanguinem effundunt: pari ratione intus recondita vasa, si sanguinis motio per

partes

partes æquàlis ſuſpenditur, rumpi & aperiri poſſunt. Ex quo jam putet, quare Plethorici, maxime ſi in ipſis propter externum frigus ſeu aliud quid tranſpiratio impeditur, ad apoplexiam, item lethargum, paralyſin, admodum ſint proclives, item cur venæſectio tam celebratiſſimum in apoplexia ſit remedium, patet & porro ratio, cur hypochondriaci, lienoſi, in quibus ſanguis & humores in abdominis partibus propter infarcta viſcera non rite circulantur, in apoplexiam incidant, imprimis præcedente vehementi ſpirituum per iram vel terrorem motu. Novi plethoricos, qui podagra it. eryſipelate affecti, facti fuerunt apoplectici; Cavendum hinc tali in caſu eſt, uti optime id monet *beat. Ludovici in Pharmacia pag.* 575. a medicamentis calidis, arcendæ apoplexiæ cauſa tituloque alias propoſitis. Frequens etiam illud apoplecticum malum eſt, in quibus conſuetæ ſanguinis evacuationes ſive per nares ſive per uterum aut anum ſupprimuntur. Bene hinc *Hippocrates Incoacis pag.* 178. In ſideratis ſuccedentes hæmorroides utiles ſunt.

CAPUT XCVII.

De duplici quartana cum principio hydropis.

ILluſtriſſimus Comes D. Nicolaus Taſſonus Ferrarienſis, duplici quartana jamdudum excruciatus, leucophlegmatiam contraxerat, cum (*a*) *inſigni lienis tumore*, & aliis, Bononiæ ſub cura noſtra ſic brevi ſanitatem conſequutus eſt: Ad quartanam propulſandam; pilulas catholicas dedimus ad gran. xv. quibus multum bilis & pituitæ excrevit; iiſdem ter reiteratis febris in totum evanuit. Ad hydropem & lienis tumorem ad menſem accepit ſulphur metallorum cum croco martis, conſervis roſarum admixta. Et his paucis & facillimis ſanitati reſtitutus fuit.

(*a*) *Inſigni lienis tumore*. Veteres quartanam, ex humore melancholico prima in regione putreſcente deduxerunt. Per melancholiam autem intellexerunt acetoſam & viſcidam ſanguinis diſpoſitionem. Invadit autem quartana maxime eos qui melancholicum humorem puta ſanguinem craſſiorem lentioriſque motus congeſſerunt: cujuſmodi ſunt lienoſi, hypochondriaci, & qui olim alias febres erraticas & adurentes paſſi ſunt. Hanc ob cauſam veteres ſubjectum quartanæ ſplenem putarunt. Ipſe *Helmontius* quartanam in ſplene veniſque illi contiguis hoſpitium habere ſcribit *lib. de Febr. cap.* 10. §. 6. Sæpius etiam ipſi quartanarii circa regionem lienis tumorem & dolorem ſentiunt. vid. *Bonetti Anatom. pract. it. Timæus in caſu Medic.* 16. *it.* 50. *Helvvigius obſervat.* 69. *pag.* 228. mentionem injicit quartanarii ſecti, qui prius ictero laboravit, ubi inventum fuit hepar & lien inſolitæ magnitudinis, utraque ſubdura, & tartarus lienis cellulis inciſis, profiliit, ſerum in abdominis cavitate ſtagnavit, & inteſtina lumbricis referta.

CAPUT XCVIII.

De cachexia, antiqua ventriculi imbecillitate, febre lenta, &c.

PEtrillustris Dominus D. Marcus Aurelius Donatus Romanus, Bononiam venit, ut cachexiæ jampridem (*a*) *poſt diuturnas febres* contractæ mederetur. Ad hanc accedebat lenta febris, dolor & imbecillitas ventriculi, inſignis

virium proſtratio, atriſtipticitas, & ſimilia; quæ omnia, ſolius ſpecifici noſtri ſtomachici uſu, intra ſeſquimenſem ſuſtulimus. Specificum ejuſmodi ſtomachicum inſenſibiliter ſuas vires exerit, aperit, diſſolvit, & roborat: ter & quater in die in magnis morbis adhibetur, cum vino, conſerva, aut quovis alio condito.

(*a*) *Poſt diuturnas febres*. Poſt morbos diuturnos maxime febres admodum vitiatur ſanguinis & lymphæ craſis, nec minus ventriculi ſolvens liquor iners & languidus fit; unde digeſtionis vitia propullulant, & inteſtina ſordibus acidoviſcidis replentur, quæ fores pandunt febri lentæ, dolori colico, cachexiæ, affectioni hypochondriacæ &c.

CAPUT XCIX.

De phthiſi.

ADmod. Rever. D. Horatius, Sacerdos Mutinenſis, cognomine Parma, annos 35. natus, ad nos Bononiam venit phrhiſi abſumptus, & deploratus: tota die maximam copiam (*a*) *ſputi cruenti* & purulenti ejiciebat, cum tuſſi, & febre. Mutinenſes Medici varia & egregia medicamenta per tres menſes præſtiterant, quem cum deploratum cenſerent, incurabilem dimittunt. Ad præcipuam indicationem, videlicet ad pulmonum ulceris exſiccationem, animum dirigentes, ſulphur triplex ipſi dedimus: commune in flores exaltatum, (*b*) *in liquorem verſum*, & in magiſterium adductum: metallicum, & animale, & hæctria in Electuarii formam mixta ad menſem accepit, bis in die, quatuor horis ante & poſt cibum. Uſus eſt etiam ad 15. dies decocto ſimili.

Rec. Ligni ſaſſafras, ℥. j. radicum ſymphyti majoris, ℥. ß. fol. pulmonariæ, hepaticæ, piloſellæ, capil. vener. ſcabioſæ, pimpinellæ, betonicæ, tuſſilaginis, an. m. j. liquiritiæ, ℥. ß. fiat decoct. in ſ. q. juſculi carnis: quibus tuto & cito priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit; quin etiam vivit hodie feliciſſima & firmiſſima ſanitate præditus.

(*a*) *Sputi cruenti & purulenti*. Non omnes phthiſis eſt cum exulceratione pulmonum, ſed ſæpius phthiſis nomine venit nutritio depravata ſeu carnis conſumptio a lento calore, enato ex viſcerum corruptela & deſtructione. Si ulcus adeſt, excreta ſunt fœtida, purulenta, ſanguinea, & fœtor oris; frequentius malum provenit ex hæmophthiſi, & de ea phthiſi verus eſt canon *Hippocratis* ultra 36. ann. phthiſin amplius non oriri. Vidimus alias ſenes & vetulas pulmonis ulcere laborantes, diuque ſervatos & viventes citra ardorem quendam hecticum. Scimus etiam, ulcera talia conſolidata per balſamica & leniter adſtringentia, tamen ſtato tempore redierunt.

(*b*) *In liquorem verſum*; eſt nimirum balſamum ſulphuris temperatum cum oleo amygdalino factum minus calidum, ſicuti illud, quod oleo deſtillato puro conficitur; Huic ſi adjicitur modica quantitas balſami peruviani, olei aniſi, fœniculi, nuciſtæ, exſurgit balſamum pectorale præſtantiſſimum.

CAPUT

CAPUT C.

De arthrithide, & de dolore.

ARthritis nomen Græcum eſt ab ἄρθρον, articulus: Gutta, Barbaris dicitur: Hermeticis ſynovia. Græci, & Latini ejus differentias a locis affectis deducunt, hinc podagra, gonagra, chiragra, &c. Inter ſe diſceptant ſcholaſtici, an ejuſmodi dolor ſit ſymptoma, an morbus. Hermetici, ſpretis in frugiferis quæſtionibus, & partium læſarum differentiis, a ſynoviæ diverſitate ejus ſpecies inſtituunt, quas ſub nomine podagræ, ut plurimum reponunt. Cauſas procatarcticas, antecedentes, & conjunctas, Dogmatici exponunt artificio magno, nec non modum ejuſmodi cauſarum haud minori arte. Curam duplicem inſtituunt, prophylacticen & curatricem. Quam parum appoſite, exprimitur quotidie. Enemata præmittunt; purgant nunc omnes humores per diacatholicum; electuaria ad id opportuna ſeligentes. Magis oculati diacaryocoſtinum & diacartamum accipiunt; præparant humores per apozemata, incidere dicunt, attenuare & coquere, addunt & exſiccare per ſuas diætas ligni Indici, ſaſſæ, Chinæ & ſimilium. Recentiores addiderunt ligni lentiſci & viſci quercini. Mitto cauteria, ſetones, frictiones, unctiones, ſanguiſugas, ſinapiſmos, embrochas, fotus, litus, & alia innumera, quæ ægris imponere ſolent, ut fluxiones derivent, & exſiccent.

Etenim ipſis Arthritis eſt articulorum dolor per intervalla ejuſmodi partes invadens, ab humorum fluxione ſuſcitatus: per intervalla, ad differentiam aliorum dolorum, qui ſemel, & continuos articulos affligunt, a defluxione, ut qui aliunde exoriuntur dolores, arthritici non cenſeantur, licet eam partem obſideant. Doloris modum, per ſolutam unitatem exponunt: mitto alia quibus immodice defatigantur ipſi. Hermetici ad curationem animum intendentes, pro effectu, quem Dogmatici definiunt pro morbo, cauſam efficientem accipiunt, atque ſic Arthritidem dicunt eſſe morbum tartareum, in quo ſynovia acris & mordax redditur, propter (*a*) *exaltationem ſalis* mineralis. Synovia eſt gluten in articulis, & eſt veluti (*b*) *lac* quoddam dulce, cui ſi accedat ſal acidus, ſtypticus aut contagioſus, exoritur dolor ob contrarietatem: contrarietas non ex frigore & calore, ſed forma tota principioque intrinſeco, quod fuſius poſtea demonſtrare oportet. Synoviam rurſus duplicem faciunt, materialem & formalem, propriam & impropriam. Materialis ubique reperitur, in ſanguine rubra, in cerebro alba: in corde, renibus, his membris ſimilis; in liene nigra; in felle citrina, & in utero punica: hic denſa, alibi compacta. Formalis vis eſt uniuſcujuſque membri retentiva, attractiva, digeſtiva, expulſiva, &c. Modus ipſius arthritidis, quo videlicet pacto dolorem ſuſcitet, jam conſtat eſſe ſalis exaltationem, a qua principiorum, & cauſarum contrarietas: verum antequam ulterius progrediar in Hermeticorum placita, liceat nobis prius Dogmaticorum ſententiam de dolore examinare. Vide ſupra curationes de arthritide interim. Di-

cunt dolorem fieri per ſolutionem unitatis, & hanc excitari tenſione, compreſſione, & divulſione, per humorum defluxionem concitatis. Quis non tantæ doctrinæ ſubtilitatem demiretur, eamque libere ſuſcipiat, & ad ſidera extollat? Lex omnium conſenſu fit, vetuſtate temporis firmatur, & antiquorum authoritate roboratur, & inconcuſſa redditur: At veritas temporis minime filia, mortalium legis inſcia, nullius antiquorum judicio ſubdita, omnia æquali ſeveritate ponderat, & examinat. Itaque ad inſtitutum redeuntes, vix crederem ſolutionem eſſe doloris cauſſam, ea quandoquidem ſæpe in nobis exſuſcitatur ſine dolore; etiam in articulis ipſis gypſea illa materia poſt dolorem articularem relicta, continuo efficit ſolutionem continui, nec propterea dolorem. Tumores alii fiunt juncturis citra dolorem, œdematoſi ſcirrhoſi, &c. Cauſæ naturales nunquam otiantur, poſita cauſa ponitur effectus, ſunt reciproca, relatorum eadem lex eſt. Plura de ipſa ſolutione adducerem, ni ipſa fuſiori ſermone eventilanda ſuſcepiſſem in noſtris quæſtionibus. De unitate ridiculum plane, & ab omni rationem alienum judicare quis poſſet. Etenim unitas doloris expers eſt, eſt abſtractum quid, quo unum eſt. Quod ſi non hoc preſſiori ſignificatu, ſed pro continuitate, quid inde? Continuum eſt: quantum dolere perabſurdum nimis: Partem, quantum dices: non ergo unitas dolet, aut per eam dolor fit, ſed ipſa pars. Tu iterum, neque pars, ſed ipſa ſoluta. Ego iterum, non pars per ſe, neque ſolutio per ſe, ergo tertium ex his reſultans; id vero eſtne ens per ſe, an per accidens? Cave ne in abſurdiora impingas. Si per ſe ſubſtantia, ſubſtantia ſic erit ex non ſubſtantia: Verum enim vero malo hic te deſerere, quam ulterius te per hæc in via concomitari: Sat exiſtimo, ſi tibi connotavero immanem, & atrocem ejuſcemodi dolorem in articulis excitari, citra ullam ſolutionem, (interea imaginariam ſolutionem non mihi objicias) ſolutione vero apparente dolorem remitti, & evaneſcere. In dolore duo animadvertenda cenſeo, quid dolet, & a quo doleat: neq; partem informem dolere, neque formam ſine parte, hoc eſt, non forma ſine materia, neq; materia ſine forma dolet, non ambarum unitas ſeu unio, quod ſupra tetigimus; eſſe in corpore tertium quid ab his diſcretum, doloriscapax, litem immortalem cum Peripateticis eſſet ordiri. Sit quid ſit, neque anima totius forma, doloris capax eſt, minus materia; totum vero compoſitum; vel id inexplicatum manet, vel tertium quid, actionis & paſſionis capax intelligendum venit. Dum verbis alii irretiuntur, ad opus nos accingimus, & ejus curam multiplici experientia confirmatam in medium proponimus. Solvimus paroxyſmi, doloriſve impetum, intrinſecis, & extrinſecis. Intrinſecis nunc anodynis, confortativis, nunc robortantibus, & diaphoreticis: nunc vero validis catharticis, & vomitoriis. Anodyna ſunt laudana opiata, & ſimilia. Confortantia, roborantia, & diaphoretica, (a) *aurum diaphoreticum*, metallorum ſulphur. ſaccharum magneſiæ ſaturninæ, ejus tinctura, & ſimilia. Purgantia ſunt decocta melanagoga, cholagoga, de quibus in *prima parte Pharmacop. noſtræ Spagyr.* Extracta, eſulæ, ellebori nigri, hermodactyl. pil. polych. eſtæ, & præcipue ipſæ catholicæ, quæ in tartareos morbos ſummum obtinent imperium.

Extrinſeca ſunt anodyna quæque aquea, lac, juſcula ranarum, earum ſperma,

ſperma, & aqua. Sæpe utimur, nec infeliciter, fotibus calidis, ex baccis juniperi, lauri, herbis calidis, roremarino, ſalvia, mentha, majorana, arthemiſia, calamentho, pulegio, & ſimilibus. Succos herbarum etiam haud infrequenter uſurpamus, & præſertim ebuli foliorum, baccarum ejuſdem ebuli, plantaginis, ſolatri, ſedi majoris, thapſi barbati, anagallidis, & aliorum ſimplicium, uſu & experientia probatorum. In teſtimonium hujuſce methodi plures adducere poſſem teſtes irrefragabiles, nobiles & ignobiles; at graviſſimis curis obrutus, receptui canere omnino compellor.

(*a*) *Salis exaltationem*. Eſt ſal illud arthriticum dolorem cauſans indolis maxime acidæ, magis vel minus volatile, figuram habens rigidam, anguloſam, ſcindentem. Præſentiam acidi ſalis indicans appetitus voracior aliquot diebus ante paroxyſmum, item vomitus acidus virore tinctus, nec non ſudor odorem acidum ſpirans, procatarcticæ arthritidis cauſæ ſunt ut plurimum larga vini potatio, nec non diæta abundans ſale fixo tartareo vel acido. Arthritici poſt mortem ſi ſecantur, ſemper fere calculoſa concreta in veſicula fellis ſive in pulmonibus, venis ſive inteſtinis conſpiciuntur. Vidi arthriticos deponentes copiam ſabuli duri per alvum: Notum quoque eſt, arthriticos facile fieri calculoſos & vice verſa: Vero ſimile enim eſt, ſal acidum in fluoribus corporis undulans, ſi involvitur particulis viſcoſis terreis fixis, conſtituere ſolidum corpus, non ſecus uti videmus ſal tartareum generari, quando vino acidulo imponitur teſta ovi: eodem ex fundamento cauſæ tophorum etiam peti debent. Non raro lympha, quæ ex veſicis in podagricorum pedibus excitatis effluit, ſumme corroſiva acris eſt, ipſa linteamina corrodens.

(*b*) *Lac*. Omnia edulcorantia ſanguinem & ſalium acrimoniam mitigantia optima ſunt antiartrhritica. *Plinius* jam tu refert. *Lib. 28. cap. 9.* plurimos aſinini lactis uſu ab articulari morbo liberatos. *It. Cornelius Celſus Lib. 4. cap. 24. Domin. Sachſius in M. C. Dec. 1. an. 1. Obſerv.* 141. plura exempla recenſet, talium, qui ſolo lacte curati fuerunt. Hunc in finem *Langius in M. C. p. 26. & 27.* emulſiones valde hoc in affectu commendat.

(*c*) *Aurum diaphoreticum*. Radicalis podagræ cura conſiſtit maxime in reſeratione partium lymphæ depurationi inſervientium, maxime in glandularum obſtructarum apertione, ibi enim latet minera ſeu ſeminium ſalinum multiplicativum. Huc autem ſpectant non vulgaria remedia, ſed ex metallico regno petita, ſpiritu minerali æthereo reſolvente inſtructa, uti ſunt; Mercurius cum auro fixatus, qui nihil aliud eſt, quam aurum diaphoreticum *Dn. Authoris*, quod lympham fortiter movendo obſtructiones egregie expedit. Salivationem mercurialem rite inſtituta feliciter tollere podagram, author eſt *Wedelius in tr. de medicament. facult. pag. 209.* Nec obſtat exemplum infelicis curationis *Hildani cent. 4. obſerv. 82.* Ipſe enim *Hildanus* errorem hic agnoſcit, adhibitam ſcilicet illam fuiſſe non prius purgato corpore. Methodus *Dn. Cnœffelii* in curatione feliciſſima podagræ per mercurium fixum notiſſima eſt, *vid. ejus Epiſt. de podagra curata*.

PETRI POTERII

INSIGNIUM CURATIONUM, ET SINGULARIUM OBSERVATIONUM.

CENTURIA TERTIA.

CAPUT I.

Dolor quid?

UT est voluptatis, ita & doloris ratio. Est vero voluptas Philosophis, res animæ affectibus conveniens. Quod satis sapienter dictum non videtur; etenim actio ejusmodi non animæ tantum, sed totius compositi est. Rursus, res animæ convenientes sunt non paucæ, quæ ipsi nullam afferunt voluptatem. Placeret magis rei convenientis perceptionem dicere, adeo ut voluptas sit rei convenientis perceptio: sed adhuc, quo pacto perceptio, si perceptio fieri debeat persensus: & voluptas, & dolor sint speciei naturam juvantis, vel lædentis?

Uterque ergo est impressio in sensum delata speciei. Quæ species, si sit naturæ conveniens, ejus perceptio voluptas erit; si inconveniens, dolor. Et quia duplex est voluptas, totuplex erit dolor. Vel voluptas est perceptio convenientis speciei, vel ipsius perceptionis fruitio. Prima est in apprehensione sensus, vel intellectus; Altera est in præsentis judicio, vel in memoria, quæ reducit in mentem perceptionem factam; quibus patet, rei inconvenientis impressionem esse doloris causam: Sed hæc, ut minus medica, Philosophis discutienda relinquimus.

(*a*) *Dolor* ad Galeni mentem 2. *de locis affectis*, est sensus tristis, seu sensatio tristis ob mutationem confertim factam: fit vero ejusmodi mutatio, vel solutione, vel intemperie; solutio continui fit, dum pars secatur, uritur, pungitur, distenditur, &c. Quod forte ex Platone *in Tim.* desumptum esse videtur; dum inquit, pathos præter naturam violenter & affatim incidens, dolorem excitare; dum vero corpus ad naturalem habitum affatim, & derepente redit, delectationem.

Definitio, & quævis descriptio obscurior definito, nedum Arist. judice, verum omnium Philosophorum turba approbante, mala est; frustra in re clara declarationem requirimus: exoptarem Medicos in cathedris doloris sedationem docere potius, quam ejuscemodi tricas. Gal. sæpissime essentiales & generalissimas morborum, & symptomatum differentias, a partibus quibus

inhæ-

inhærent, desumit: hinc similares, organicæ, & communes, 1. *de diff. morb. cap.* 2. 9. *method.* Et quanquam ipse *de sympt. caus. cap.* 6. *& de differ. sympt. cap.* 8. doceat, dolorem, & delectationem omnibus sensibus contingere, subjectum doloris propterea non probat. In dolore, sensus quidem læditur, non propterea sensus est ejus subjectum, nam subjectum accidentis est, cui inhæret.

Dolor præterea morbus, an symptoma dicatur, parum refert: ejus curationem ex vero fonte expiscari contendimus, quam, missis scholasticorum nugis, quæ ad rei veritatem, ejus nempe remotionem spectant, quoad ejus fieri potest, perscrutamur.

Dolor itaque cum per se satis sit notus, nulla definitione indiget. Rursus, quorum una eademque non est natura, non potest esse eadem definitio; dolores invicem toto cœlo discrepant, nec tam ratione subjecti, quam ratione differentiæ, quæ pendet a causa. Dolor Nephriticus, cujus causa est calculus, quantum distet a dolore capitis, satis notum est. Imo dolores ipsiusmet capitis, quantum subjecto, seu parte, & differentia, & causa invicem discrepent. Sed dicamus, id quod dolet, idem esse in capite, idem in pectore, idem in febre, idem in aliis morbis; & ut voluptas dolori opposita, in animo residet, ita dolor in ipsomet. Arqui jam intelligo animam non esse sensibilem, immaterialem, & omnino doloris expertem, corpus itidem anima destitutum dolorum spiculis minime obnoxium. Ridiculum dictu Animum taxare: actiones sunt suppositorum, totum compositum est id quod agit, & patitur, hæc Arist. & omnium scholasticorum opinio. Gal. ut nimis Empedocleus, qui in rebus nihil præstantius temperamento agnoscit, & solam temperiem subjectum doloris constituit. Nos doctrinæ gratia, tria in homine reperiri statuimus cum sacris litteris, animam, spiritum, & corpus; quæ Platonici pariter agnoscunt; Plotinus, *Tria sunt* inquit, *supremum, infimum, & medium, quæ tria nedum in homine, sed in omni re, quæ continetur sub concavo Lunæ.* Fuit enim tanta naturæ sagacitas, ut juncta mediis connecteret. Aerem & aquam, terra; cœlum & terram, aere; extremos colores, album & nigrum, flavo, & rubro; sapores amarum & dulce, austeris, & acidis. Quid inter cœlestia? Summum Deum & hominem Angelis. Ubique tandem prostant rerum vincula, quæ facilius admirari, quam enarrare. His clare constat, in divina hominis fabrica, inconsonum non esse, tria isthæc reperiri, de quibus in sacris paginis multoties fit mentio. Anima si pro suprema parte sumitur, ea vere immaterialis, indivisibilis, & doloris incapax est; corpus utroque destitutum, dolore non afficit; restat spiritus, qui si non vinculum, saltem pars ea tenuissima, in qua anima potius hospitatur, quam in quovis alio: hæc tria, non tres formas, sed totum complere, & sub unius imperio contineri fatemur.

Nec propterea compositam esse humanam formam, immo simplicissimam, indivisibilem, & incomprensibilem; hinc merito supremi numinis imaginem, quasi divinitatis suæ portiunculam, in quo discutiendo cæcutit omnis intellectus. Portionem ergo illam, seu spiritum, aut substantiam doloris susceptri-

cem, quotiescunque libera, & ab omni re aliena expedita est, gauderé, & optima valetudine frui, per belle deprehendimus: contra ubi excessu aliquo, ut aliena re præpeditam, mira contentione exagitari, nunquam quiescere, donec confecto hoste victricem se recipiat, sub salutaria vexilla ejus, cui militat. Hinc patet, quæ causæ esse possint doloris, etenim omne quod naturæ limites excedit, sive intra, sive extra, dolorem parit; verum antequam præsentem dirimamus litem, Galen. & universum Medicorum gregem consulere, & quid de doloris causis sentiant, in medium proponere fas est. Medici dolorum causas in internas, & externas dividunt; hæ a rebus non naturalibus derivantur, illæ in antecedentes, & conjuncta; dividuntur. Conjunctæ sunt spiritus, & humores; antecedentes sunt partes illæ generantes. At hæc minutius per exempla conciduntur. His propterea studio brevitatis supersedentes, ad particulares deveniamus.

(a) *Dolor*. Dolor tristis sensatio animæ est, nata ex membranarum nerveārum & fibrosarum partium violenta passione. Causa materialis ut plurimum salia sunt, quæ spiculis armata, lancinando nerveas partes influxum impetuosiorem spirituum & contractionem excitant; unde molesta animæ sensatio. Quapropter in omni dolore concitatius moventur spiritus, unde sanguis orgasmum patitur, & cor ipsum frequentius ad contractionem se accingit, ut major sanguinis sit impulsus; unde non mirum est, vigentibus adhuc atrocioribus dolorum tormentis delirium sæpius conjungi. *Salmuthus Cent. 3. observ. 32. scribit*. Novi quosdam præ assidua dolorum vehementia pene exanimatos, imo alios ad insaniam fere redactos fuisse. Quale exemplum quoque de muliere Aclmariana refert *Forestus L. 14. observ. 3*. Cura dolorum in genere versatur in componendo spirituum animalium discursivo & actuoso motu; qua vi maxime eminent, vaporosa, & anodyna sic dicta, quæ blanda ἀναθυμάσει nervos replendo spirituum motum efferatum suspendunt, & tardiorem efficiunt: laudem ex his merentur pilulæ de cynoglossa, Wildeganii, & Matthiæ Anglicæ.

CAPUT II.

De dolore Capitis.

MUltiplices esse capitis dolores comprobamus quotidie: majores Cephalæam, Cephalalgiam, & Hemicraniam dixerunt; nostra ætas plures agnoscit, quia (a) *victus, quo hodie utimur*, ab eo quo antiqui, longe discrepat, de quibus in sequentibus.

Hic Bononiæ ad manus nostras venit Illustriss. & Reverendiss. D. Archiepisc. Rhodi, Alphonsus Gonzaga, Novelaræ Dominus, ann. 40. natus, temperamenti calidi & humidi, sesquianno acerbissimo, & atrocissimo capitis dolore vexatus, cum febre lenta, vigiliis, inappetentia, & aliis gravissimis symptomatibus. Ad tam pertinacem dolorem multos consuluit Medicos, qui in eo sedando nihil intactum reliquerunt: potiones purgantes, item & alterantes, ad nauseam reiterantes; pilulis haud parcentes; a phlebotomia tam e brachiis, quam ab hæmorrhoidibus minime abstinentes; cauteria variis in locis excitarunt; quibus decocta exsiccantia, & alterantia, item conservas capitales, & sexcenta alia addiderunt. Hic tandem morbi pernicie, & medicamentorum multitudine fractus, ad

nos,

nos, tanquam ad tutiſſimum Aſylum, confugit. Tanti doloris cauſas in hypochondriis ſtabulari ratus, his proſpiciendum eſſe judicavi: nec me fefellit opinio, nam ſub veſperum, exhibito laudano ſine opio ad gr.vj. dolor mitior evaſit, & ſomnus, qui antea gravis erat, placidus fuit. Sequentibus diebus dedi decoctum cum ligno ſaſſafras, viſco quercino, betonica, ſena, & aniſo, pro ſyrupo, quinque horis ante prandium cum guttulis tribus liquoris vitrioli dulcoacidi. Poſt prandium, dabantur aliquot grana ſpecifici ſtomachici: quibus facillimis, & gratiſſimis firmiſſimam recuperavit ſanitatem. Mirantur cur non inſtituerim univerſalem purgationem; cur non phlebotomiam; cur pro conſuetis inaſſueta reponam? Sciant velim, me non male operantium conſuetudinem, ſed recte medentium leges, & canones ſectari. Nec nobis obſtat, ſi neoterici contradicant. Leges Hipp. & Gal. Nos cum ipſis veritatem agnoſcimus.

(*a*) *Victus quo hodie utimur*. Certiſſimum eſt, ex diverſa ratione vivendi diverſos quoque propullulare morbos, qualis enim victus, talis humorum & ſanguinis diſpoſitio. Veteres ſimplicitatem utebantur victu, noſtro autem ævo ſexcenta invicem miſcentur & componuntur, ut non niſi ex diverſitate particularum diverſum etiam humores induant ingenium, ſæpius a nativa & genuina ſanguinis & humorum naturali ſcheſi multum diſcrepans. Videmus hinc, quo diverſior eſt victus, hoc etiam morbos eſſe pertinaciores & curationis difficilioris. Contrarium appareret in ruſticis & plebeiis, qui victu gaudentes ſimplici longe citius ſanantur, etiam medicamentis vilioribus, quam qui delicatæ aſſueti ſunt vitæ cibiſque variis.

CAPUT III.

De funeſtiſſimo cap. dol. per intervalla recurrente.

DOlor in vertice præciſe tanta ferocia adoriebatur Sereniſſimum Mantuæ P.D.D. Vincentium Gonzagam (qui mox fratri mortuo Dux ſufficitur) ut eo tempore quo ſæviret dolor, caput in parietem pluries impingeret, pugnis plorans ſe vehementer impeteret, miris clamoribus miſerrimam ſuam ſortem deflens. Locus affectus vix ciceris latitudinem æquabat, ſine tumore, livore, nigredine, aut quovis alio ſigno ſenſibus obvio. Mantuam advocatum per Sereniſs. ejus fratrem, tanti doloris cauſas perveſtigare, una cum domeſticis Medicis non recuſavi. Fuerunt, qui vaporem aliunde ſuſcitatum dicerent, qui (*a*) *carioſum os*, (*b*) *qui vermem*, qui bilem atram, qui pravum quid; cum vero ad quinque & ſex horas perduraret, nec rediret niſi poſt quindecim, & viginti dies, ad pertenuem & ſubtiliſſimam materiam referendam eſſe cenſebamus, & eam inibi coercitam, nec aliunde derivatam. Non defuerunt, qui incuſarent ventriculum, qui hypochondria, qui cerebrum, & qui intemperiem quandam ineffabilem. Loco affecto, (*c*) *potentiali cauſtico* adaperto, & perpauca materia purulenta ſublata, quievit omnis dolor. In cauſis tanti doloris perpendendis, nulla probabilior mihi viſa eſt, quam uſus quarundam pilularum mercurialium, a domeſtico Medico jamdudum ipſi exhibitarum; dictus enim Princeps cunctis voluptatum illecebris non parum indulgens, mirum non fuit ſi aliquando ſeſe miſcuerit impuro concubitui.

(*a*) Ca-

(*a*) *Cariosum os*. Cranium, quod constat ex duplici lamella, carie magna affici posse in concava sua parte, historiam retulit. *Dn. Schlevogtius in dissertatione de carie cranii*.

(*b*) *Qui vermem*. A verme dolorem capitis annotarunt *Miscellanea nat. cur. Dec. 1. ann. 9. & 10. p. 127.*

(*c*) *Potentiali cauflico*. Quando causa cephalalgiæ immanis est, & serum acre stagnat & periostium cranii lancinat, ægre curatio fit, nisi extrinsecus fiat apertio circa partem affectam. *Dn. Author.* applicavit cauterium. Simili modo intensum capitis dolorem sanavit *Mæckern. vid. ejus observat.* Satius est cutim tali in casu decussatim incidere, ut stagnanti humori corrosivo pateat exitus, quod consilium etiam valet in gravioribus contusionibus, ex quibus sævissima nascuntur symptomata, nimirum vomitus, delirium, convulsio, sopor. Notabile est, frequentissime simulac incisio facta est, statim ad se redire & melius se habere læsos. In gravioribus cephalalgiis, quæ saltim in certa capitis parte consistunt, medici semper maximi fecerunt vificatoria parti dolenti applicata: Qua de re potest *Riverius Cent. 1 obs. 36. Septalius animadv. med. lib. 1. cap. 18. it. Muys obs. chirurg. dec. 2. obs. 2.* Horribilem capitis dolorem, nihil in illo proficiente arte medica, a natura per nares plurimo expulso pure brevi devictum describit *Tulpius lib. 1. obs. 32.* Spectat huc aphor. *Hippocr.* Ex capite dolente & effusione puris vel aquæ vel sanguinis in naribus morbus solet solvi. Scarificationes tali in casu non quoque sunt de nihilo. In magnis doloribus, inquit *Heurnius in aphorismis Hippocrat. pag. 426.* Turcæ solent auriculas validissime fricare, mox novacula scarificare ac sanguinem elicere. Nostrates Cantharidibus vesiculas ponere aures excitant & venam frontis secant.

CAPUT IV.

De dolore acerrimo; sesquitertianæ febris periodos servante in vesperis.

EST quidam capitis dolor teterrimus, rarus, sed funestissimus, (*a*) *febrium periodos* servans, (*b*) *sæpissime cum febre*. Periodi sunt trium, & quatuor horarum, aliquando ad quinque, & sex: frequens non est. Inter nonnullos nobis sese offert Dominus Gaspar Moronus, annos triginta natus, temperamenti calidi & humidi, qui præteritis annis Mantuæ commorans, sub finem æstatis in similem dolorem incidit, cum febris sesquitertianæ periodis. Ad dirum hunc affectum debellendum, Mantuani Medici nihil intactum reliquerunt; nunc bilem purgantes, modo eandem alterantes, ac tandem utriusque brachii, & frontis venas tundentes, nec non sanguisugas ano admoventes; victum servaverat humectantem & refrigerantem, cum emulsionibus, & jusculis alterantibus. At incassum hæc omnia fuerunt: unde remediorum multitudine, & morbi ferocia fractus, clam Mantua recedens, Bononiam venit, ad nos, tanquam ad sacram anchoram confugiens. Tanti morbi causis ad unguem expensis, frequens præscripsi remedium. Rec. Pilul. catholic. gran. xx. opii Thebaici gran. iij. misce, fiat pilul. hoc unico remedio dolor mirifice sedatur. Ad pituitam vero, crassumve humorem e capite deturbandum, (*c*) *Magisteriam Lunæ* alternativis diebus dabamus. Ad ventriculum vero roborandum, & morbi radices in totum averruncandas, specificum stomachicum ad mensem accepit, quibus utilissimis convaluit.

(*a*) *Febrium periodos*. Dolores non secus ac febres dilucida sua habent intervalla, ita ut certis ac statis horis redeant. Etenim dolores species spasmi sunt, excitati

tati in partibus nerveis & membranaceis. Sicuti autem omnes ſpaſmodici affectus per certa intervalla ac periodos afficiunt corpus, pari ratione dolores id faciunt. Hiſtorias periodici doloris capitis evolve in *Tulpio l.1. cap. 13. Bartholin. hiſtor. obſ. 51. Miſcell. nat. cur. dec.1. ann.3. pag.124. it.dec.11. ann.3. p.112.*

(*b*) *Sæpiſſime cum febre*. Uti omni dolori acerbiori propter ſpaſmum fortiorem conjunguntur facile ſanguinis & humorum in craſi ac motu ſuo turbatio, dum circulatio ejus per partem ſpaſmo affectam non libera & æqualis ſatis eſt; ſic quoque dolori capitis, qui nil niſi ſpaſmodica contractio pericranii, perioſtii vel etiam duræ matris eſt, perfacile aſſociatur febricula.

(*c*) *Magiſterium lunæ*. Eſt nihil aliud, quam luna in aqua forti ſoluta et ſale communi præcipitata: poſt debitam elutriationem remanet calx candida, quæ propter ſpiculà ſalina in poris lunæ relicta, & maxime, ſi acidum primarum viarum præternaturale accedat, viſcidæ pituitæ reſolvens eſt, non ſecus ac aurum fulminans propter ſimilem rationem haud raro purgat, imo corrodentem vim quandoque in teſterrimis inteſtinorum membranis a muco liberis exerit.

CAPUT V.

De Hemicrania inveterata.

PLures recenſere poſſem eodem dolore ſævo, & atroci conflictatos, ſed paucis contentus nonnullos referam. Hic (*a*) *differt a cephalæa*, & cephalalgia loco quem occupat; illæ totum caput vexant, hic tantum dimidiam partem. Mirum eſt, quomodo ejuſmodi dolor certis temporibus, ſtatutis horis, nonnullis adveniat: aliis Vere, aliis Autumno, aliis ante, aliis poſt Occaſum, nonnullis ante, aliis poſt cibum. Cauſas conjunctas iſtius doloris, ut plurimum agnoſcimus vapores tetros, ex hypochondriis ad caput ſublatos ut antecedentes, viſcerum infarctum, qui nonniſi ab ingluvie, aut inordinata victus ratione. Utcunque ſit, ubi ab inordinata victus ratione, a pilulis catholicis incipimus, gr. xx porrigentes. Ubi dolor eſt vehementiſſimus, (*b*) *hanc pilulam* loco cœnæ exhibemus.

Rec. Pil. catholicarum gr.xiv. Pilul. laudinæ gran. iv. miſce, fiat Pil. j. In quibus pertinax eſt morbus, & hypochondria male affecta, incipimus a pilulis, quas ob crocum Martis, baſim earum compoſitionis, Martiales appellamus, de quibus in noſtra *Pharmac. Spag.* de quibus ℈. ij. vel ʒ.j. pro doſi, in duas, vel tres pilulas pro ſingula doſi ad menſem. Aliquando, ubi dolor in ſolo capite reſidet, elect. ſequens da nus.

Rec. conſ. citri cydoniorum, ana ʒ ij. cinnamomi ʒ j. magiſter. lunæ ʒ ß. miſce, capiat ʒ.j. quolibet mane jejuno ſtomacho. Almodum R. P. F. Sanctes Dominicanus, Sacræ Theologiæ Lector, & Concionator egregius, annos 35. natus, nuperrime conſimili hemicrania ſub alio Medico toto trimeſtri miſerrime conflictatus, hanc noſtram methodum feliciſſime expertus eſt. Is enim tot laborum, quos miſeri ſub aliorum cura, pro præſidiis ſubire ſolent, unica pilula ſanus evaſit; ſetonem, cauteria, & alia in ejus perniciem parata omiſit. Plures pro præſenti non recenſeo, diverſa commemoraturus.

(*a*) *Differt a cephalæa*. A reliquis capitis doloribus hemicrania differt (1) con-

continuitate, (2) laterali ſenſatione, quod in modum fabrilem cùm exacerbatione redeat. Præcedit ut plurimum hemicraniam Vagabundus capitis dolor, per intervalla affligens, donec ſenſim pori arteriolarum ita diſponuntur, ut humorem peccantem ad certam partem derivent.

(b) *Hanc pilulam*. Purgantia optime miſcentur cum opio: ſi enim ullum datur opii correctivum, ſane purgans eſt, vel etiam emeticum: horum enim amica conjugio deponit vim ſuam ſtupefactivam & magis acquirit virtutem reſolventem mitigativam tamen, quæ valde expetitur in dolorum atrocitate. Hanc ob rationem pilulæ *Starkianæ & Wildeganſii*, quæ utræque purganti ſtimulo gaudent, diaphoreſin optatiſſimam excitant.

CAPUT VI.

De raro Capitis dolore, in quo caput rigidum nullo pacto flecti poterat ſine gravi dolore.

SI (a) *affectus*, quibus aſſiduo divexantur homines, ſimplici *narratione* (uti res eſt) & ſine fuco, memoriæ hominum conſignarentur, tutius & certius ageretur de humana ſalute. At o, infelix humana ſors! pro veritate medica turpiſſime logicorum ſophiſmata amplecti cogimur. Quamobrem mihi in mentem venit Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Princeps Cardinalis Eſtenſis, ad quem viginti annis elapſis Mutinæ tunc commorantem, advocatus, eum inveni macilentum, facie lurido colore deturpata, tam ob continuum dolorem, quam propter aſſiduas vigilias, quas a longo tempore patiebatur. Cauſas hujus morbi plures recenſebat: eas ad unicum (b) *hydrargyrii uſum* revocavi: at illo vere uſus erat, ad ulcuſcula in gutture genita; unde vero iſthæc ulcuſcula, non erat ſatis compertum. Multitudinis remediorum a domeſticis Medicis adhibitorum, & nauſea pertæſus, quendam deſtillatorem accerſivit; is autem dedit ipſi pilulas mercuriales ad quindecim dies, ex quo contumacia illa ulcuſcula perfecte convaluerant. At paulo poſt præfatus dolor ipſum adoritur, cui iterum multa Medici inaniter præſcribunt. Ad eum tandem advocatus, decoctum ipſi præſcribo, ex radice filicis maris, China, & herbis capitalibus, cum oleo ſulphuris dulcoacidi, ex quo perfecte ſanus evaſit. Hic hydrargyrii Antipatheiam annotarem, ſed de hoc alibi fuſius; placet tantum ſignificare, quomodo dictus Eminentiſſ. D. ſexennio a cura vixerit ſanus, & tandem Romæ ex pleuritide decubuerit.

(a) *Affectus narratione*. Inſigne adminiculum felicioris comparandæ praxeos eſſet, ſi medicinam facientes dextre ac fideliter morborum hiſtorias cum attenta & ſedula ſymptomatum annotatione, nec non medicamentorum efficacia colligerent & conſignarent. Turpe dictu eſt & veriſſimum, propter accuratiorum obſervationum defectum mancam ac incertam eſſe magna ex parte praxim medicam. Quidam ſaltim in eo aucupari gloriam vanam intendunt, ut monſtroſas inſolitaſque conſignent hiſtorias & caſus, vel etiam miraculoſas quaſdam curas, ſæpius tamen mentitas, ut magni videri velim. Nemo ferme eſt, qui vulgariter graſſantium morborum hiſtorias fideliter & ſine fuco recenſet, nec non errores in praxi vel ab ipſo commiſſos agnoſcit vel detegit. Profecto ſi haberemus veras & accuratas

morborum obſervationes, longe tutius ac certius ageretur de humana ſalute.

(*b*) *Hydrargyrii uſum*. Quod gladius eſt in manibus furioſi, id medicamentum generoſum eſt in manibus imperiti. Habent id fatum heroica remedia, quæ magnam vim in ſanatione morborum promittunt, ut ex illorum abuſu maxima quoque oriantur incommoda. Magnificæ famæ mercurialia in praxi medica ſunt. Sæviſſima tamen minus recte præparata, vel non habito reſpectu temperamentorum, ætatis, virium, cauſæ morbi, temporis & regiminis, decentis applicata, excitant ſymptomata. De hoc legi merentur *Miſcell. natur. cur. dec. 1. ann. 1. obſerv.* 80. *item dec. 11. ann. 10. obſervat.* 120. *Williſius part. 2. Pathol. cap. 2. Hildanus obſerv. chirurg. cent. 5. obſerv. 92. Foreſtus lib. 30. obſerv. 4. Acta Haffn. vol. 5. obſerv. 2. Panarollus obſerv. med. pag.* 103. *it. Fernel. de luis vener. cur. pag.* 560. *Welſchius in curat. pag.* 144. *Schenckius in obſerv. pag.* 988. Notabile eſt, ipſum mercurium vivum in cerebro aliquoties repertum fuiſſe poſt cadaverum diſſectionem, vid. *Granius in Praxi reformata pag.* 18.

CAPUT VII.

De dolore Capitis inveterato.

DUm Mediolani agerem propter graviſſimam ægritudinem D. Joannis de Corduba, ad quem curandum Bononia Mediolani advocatus fueram, incidit curandus in manus meas egregius vir, civis præclarus & optimus, D. Franciſcus Romanus, annos quadraginta natus: Is autem tanto dolore, tam acerbo & violento vexabatur continuo, ut ſæpiſſime violentas manus ſibi injicere cogitaret, eligens potius mors, quam tam acerbam vitam in longius protrahere. Cauſæ tanti doloris perobſcuræ erant, cachecticus erat valde, pertinaciſſimas vigilias a longo tempore perferens, cum incredibili inappetentia. Quot medicamentis toto anno quo laboravit, uſus ſit, non eſt facile dictu. Ligni decoctum ex Medicorum præſcripto ad menſem ebiberat, catapocia fere infinita devoraverat, ſanguinem e brachiis pluries detraxerunt, e fronte pariter, ſetonem in nucha, & in brachiis uſtiones non omiſerunt, & hæc omnia incaſſum. Mitto revulſiones, ſanguiſugas, & alia tormenta medica. Nos curam ſuſcepturi, ad (*a*) *univerſam ſanguinis ſaburram* in venis jam dudum ſtagnantem reſpeximus; hac de re decoctum ex filice mare, ſalſa parilla, betonica, ſena, &c. ad menſem præſtitimus, ex quo penitus liber evaſit. Ad caput roborandum, (*b*) *Magiſterium Lunæ* ad plures dies dedimus; & his utiliſſimis ſine ulla moleſtia priſtinam recuperavit ſanitatem.

(*a*) *Univerſam ſanguinis ſaburram*. Diuturnus capitis dolor ſcorbuticos, lue venerea affectos, menſium ſuppreſſione laborantes, & quibus ordinarie ſanguinis evacuationes impediuntur, valde exercere ſolet, ut non raro in vomitus animi defectionem & furorem quaſi adigantur. Accidunt quoque tales dolores ſæpius ex narium obſtructione. Memini ante aliquot annos fœminæ per menſis ferme ſpatium truculento capitis dolore vexatæ, cui nares antea ſolebant fluere & madere copioſo muco. Hæc poſt intruſum ſal volatile in nares, ejecit aliquot cochlearia ſeri ſanguinei inſtar loturæ carnis, & ſic evanuit omnis dolor. Unde autem

tem hoc ſerum ſanguinolentum ortum fuerit, an ex ipſo cerebro an ex ſinubus oſſium cranii, res altioris indaginis apud Anatomicos eſt. Nos ex forammulis oſſis cribri formis, dura matre ut ut firmiter cinctis, liquidam materiam extravaſatam ibi ſtagnantem penetrare & ejici poſſe, vero ſimile eſſe exiſtimamus.

(*b*) *Migiſterium Lunæ*. Hoc ſociatum cum Cinnabaris, antimonii anatica portione in capitis diuturnis affectibus eximium præbet uſum. *Tackenius* talem pulverem in uſu frequenti habuit ad ſanandam maniam & melancholiam. Cinnabaris ſufficienti in doſi & quantitate propinata egregie reſolvit non tantum ſanguinem congrumatum, ſed & lymphæ ſubſiſtens coagulum: quare in omni graviore concuſſione ejus uſus præſentiſſimus. Movet quandoque ſalivæ fluxum maximo cum emolumento & fructu. *Rolfincius Lib. 6. ſect. 3. cap. 1. Method.* Inveteratum capitis dolorem levi ſalivatione ſublatum vidit.

CAPUT VIII.

De rara, & non obſervata doloris ſpecie in facie.

PLures in medendo novos, & a nemine obſervatos morbos quotidie experimur; inter hos mirum (*a*) *dolorem in facie*, citra ullum tumorem, ruborem, aut aliud ſignum evidens, per intervalla recurrentem, & tanta ferocia portionem faciei, quam occupat, divexantem, ut in ejulatus & lachrymas prorumpere cogantur obſeſſi. Nonnullis ad duos, & tres menſes perſeverat. Aliis per octo, & quindecim dies, quibuſdam breviori temporis intervallo evaneſcit; alios horæ, aut quadrantis ſpatio vexat. Quibuſdam Vere contingit, aliis æſtate, nonnullis hyeme, ut plurimum (*b*) *ſiccis temporibus*, & quo tempeſtas ſiccior, eo efferatior redditur. Mulier quædam annoſa hoc acerrimo dolore diu conflictata, ſanitatem hunc in modum conſequuta eſt. (*c*) *In temporibus*, ubi firmiter hoſpitabatur dolor, (*d*) *cauſticum argenteum* apponi curavimus: eſchara ſublata, & ulcere pus copioſe fundente, dolor evanuit. Tanti doloris cauſa, non pus, ſed filamenta quædam prætenuia, & dura eſſe comprobavimus, quæ ſi cauſtico haud lacerentur, forcipibus, & volſellis eximantur; ſecus dolor qui latet, conſolidato ulcere recrudeſcit. Ubi conſimilis dolor nondum alte egit radices, ſed oberrat prætenuis aura, ſolo ſuffitu hyoſcyami ſubigitur. Quidam ſolo ſuffictu lactis ſeri conſanuit.

(*a*) *Dolorem in facie*. Eſt nihil aliud, quam ſpaſmodica conſtrictio tendinum muſculoſorum, quæ ſcorbuticis non raro contingit; Obſervamus ſæpius, leniſſimo, aere admiſſo, inſigniter illos lædi, & dolores exacerbari, dum facillime in ſpaſmos conſuetos fibrillæ a quavis cauſa extrinſeca adiguntur.

(*b*) *Siccis temporibus*. Quo tempora ſunt ſicciora & æther liberioris ac celerioris motus in aere eſt, eo magis creſcit motus ſanguinis & humorum tam inteſtinus quam progreſſivus in corpore noſtro, & ſpicula ſalium morboſorum ab hoc intenſo ætheris motu, magis acuuntur, ſubtiliſantur, & majorem acquirunt acrimoniam, quare dolore, rheumatici, arthritici, ſcorbutici, poſt ſiccas longius durantes tempeſtates vehementius affligunt.

(*c*) *In temporibus*. Dolor hic major eſt, propter muſculum & tendines copioſiores, ac membranas eximii ſenſus circa os temporum ſitos.

(*d*) *Cauſticum argentum*. Error eſt a Dn. *Authore* commiſſus, qui putat a filamentis

mentis prætenuibus & duris natum fuisse dolorem, quæ filamenta causticum dilacerare debeat. Potius post applicationem causticí dolor evanuit, dum facta apertio in loco aperto, stagnationem seri acrioris, spasmum dolorificum efficientis, impedivit.

CAPUT IX.

De Dolore oculorum inveterato.

RAra quædam doloris species invadit oculos, cui suppetias ferre studentes Medici, oleum, & operam perdunt. Inter multos, quidam Faber Ferrarius in via S. Vitalis, superioribus annis tanto (*a*) *dolore excruciabatur*, tam pertinaci, & tam violento, ut omnem cogitationem humanam excederet. Dolor erat lancinans, & continuus, cum rubore, & inflammatione, nec sine febre, noctes ducens insomnes. Ad hunc sævum dolorem, tres primæ notæ Medicos adhibuerat. Illi de more mille cruces ipsi imponunt, cauteria, setones, cucurbitulas, & sanguisugas, cum vesicatoriis pone aures, præmissis purgationibus, & phlebotomiis, pluries repetitis. Ad decocta tandem deveniunt salsæ, & ligni Guajaci; sed cum ab his nihil opis retulisset, immo dolor evaderet indies efferatior; ad eum perducti nos, sic brevi ipsi sanitatem restituimus. Ad tantum ergo dolorem exscindendum, (*b*) *pilulas catholicas*: ad gr. viginti dedimus, cum granis quinque pilul. laud. prima die: ex quibus quiescere cœpit. Sequenti die pilul. catholicæ reiterantur, quibus in totum dolor evanuit. Ad roborandum caput conservas capitales, & ad partem læsam, (*c*) *collyrium* ex verbena, fœniculo, sumach, & tuthia admovebatur, & his paucis pristinæ sanitati fuit restitutus.

(*a*) *Dolore excruciabatur*. Eadem fere causa, cura ac Genesis doloris oculorum & capitis est. Meninges & pericranium quæ cephalalgiæ subjectum sunt, ad oculum etiam & orbitam ejus pertingunt: unde in pertinaci capitis dolore dolent & oculi, in utroque spasmus quidam violentus fibrillarum membranacearum ac nervearum est, qui quadantenus circulationem sanguinis & lymphæ liberiorem impedit; unde dolor, ardor, tumor, color ruber, & lachrymarum effusio. Causantur hoc spasmum partes salinæ angulosæ, rigidæ, a sanguine præcipitatæ, & ex poris arteriolarum nimis apertis secedentes.

(*b*) *Pilulas catholicas*. In omni ferme dolore convenit mitigare salium acrimoniam, tumultum spirituum animalium componere, alvum & cutis spiracula aperire, quod omne præstat, opium cum purgante, seu massa pilularum catholicarum Dn. Authoris, cum opio correcto remixta.

(*c*) *Collyrium*. Si dolor nimis urget, cataplasma mitigativum ex mica panis lacte, croco, camphora, saccharo saturni, floribus rosarum, sambuci, semine fœniculi, mucilagine seminis cydoniorum tepide applicatum, insignem utilitatem præstat.

CAPUT X.

De dolore Oculi atrocissimo cum magnitudine aucta.

MUlier quædam annos 30. nata, in via *del Pradello* commorans, a tribus mensibus (*a*) *in pessimum doloris genus* incidit, in quo oculus ad insi-

guem

gnem magnitudinem creverat. Pulsatilis erat dolor cum puncturis in medio orbitæ oculi. Ad tam immanem, & truculentum dolorem, tres Medicos frustra consuluerat. Illi cauteria, setonem, vesicatoria, cucurbitulas, & alia tormenta minime omiserunt, sanguinem pluries e brachiis fundentes; at incassum omnia, immo dolor efferatior redditur continuo, & oculis extra naturalem locum cum insigni magnitudine excidit. Tanti doloris causa, ut abdita, non minimum laboris in ea pervestiganda dedit: traxerat tamen initium a lachrymis, quas paulo ante copiosas fuderat, cui mœror succedens miram inappetentiam pepererat, unde loco cibi, vino ventriculum copiose implerat; hinc coacervata sun calida excrementa, quæ ad partem læsam detrusa dolorem illum concitarunt. Cura fuit initiata pil. catholicis ad gr. xv. laudin. gr. iv. sequentibus diebus dabatur magisterium lunæ cum conf. betonicæ, & euphrasiæ. Extrinsecus fotus parabatur ex decoct. fol. verbenæ, fœniculi, euphrasiæ, rosar. Pro potu dabatur decoct. Sassafras, quibus dolor evanuit, & pristinæ saluti restituta fuit.

(*a*) *In pessimum doloris genus*. Memini generosi juvenis, ante sedecim annos Rhinthelii studiorum causa morantis, qui omni die matutino tempore, præcedente oscitatione ac febrili horrore, corripiebatur intensissimo oculi dextri dolore, pulsabant circa hanc oculi & capitis partem mirum arteriæ, oculi erant magni, non autem rubicundi, lachrymæ effluebant, inappetentia, sitis erat conjuncta: durabat hic dolor per 6. ferme horas, & per mensem fere excruciavit ægrum. Ipso in paroxysmo sal volatile oleosum naribus oblatum, levamen quoddam afferebat. Ratus ego primis in viis spasmi hujus dolorifici caussam hospitari, exhibui pilulas mercuriales cum gummatibus, et grano uno tartari emetici, roboratas; hæ assumptæ, sedes & vomitum movebant, post aliquot dies paroxysmo finito, regimine lene sudorifero ordinavi, oblato hunc in finem liquore ex tinct. bezoard. Ess. succini, anodyna, et spir. Cornu cervi constante, sudore sic indulsit æger per aliquot horas, et altero die semper mitior evadebat paroxysmus, donec elapsis octo diebus plane cessaret.

CAPUT XI.

De oculi dolore superioribus paulo dissimili.

SUperioribus annis duobus, idem, (*a*) *affectus oculorum* contingit cuidam Fabro Ferrario, in quadrivio S. Martini commoranti, cui oculi ambo mirum in modum creverant, sine gravi dolore, rubore, aut alio symptomate. Mirum erat quomodo corpus oculi in tam insignem magnitudinem crevisset citra dolorem manifestum. Ambo eadem methodo, iisdemque remediis curati sunt. Utrique pilulas catholicas dedimus, stomachicas deinde; conservas postea capitales, cum guttulis aliquot olei vitrioli. Extrinsecus sequenti fotu utebatur. Rec. fol. hormini sativi, verbenæ, fœniculi, euphrasiæ, ana m. j. ros. rub. stœchados, sem. fœniculi, ana p. j. fiat decoct. in s. q. aquæ & vini, quibus in pristinum restituti sunt perfecte. Alteri fabro lignario utrique laxati erant, musculi membranæ, & tres humores mirum in modum aucti. Rari

istius

istius affectus causam particularem invenire facile non fuit: forte ab immodico potu, & somno deperdito. Tunc vigebat canicula, in qua somni sunt breviores, jucunda poculorum frequentia.

(a) *affectus oculorum*. Ad melius cognoscendum ophthalmiæ causam, quæ sequitur, inservit observatio: In consilium non ita pridem vocabar ad puerum 16. annorum, qui per anni ferme dimidium, dolore oculorum truculento, cum rubore, ardore & impatientia lucis conjuncto, confectus erat. Alvus, nullo etiam fortissimo purgante moveri ac solicitari poterat, sed dura ac densa manebat. Alterandi fine semel præscripsi pulverem ex Nitro Antimoniato, Antimonio diaphoretico, & ejus Cinnabari, & ecce, post hujus usum atrocissima ventris tormina experiebatur, & plus quam vigesies alvum deponebat; hic affectus haud dubie adscribendus est Cinnabari, quæ accessu primarum viarum accidi corrosivam indolem, fibras intestinales stimulantes iterum contrahit.

CAPUT XII.

Aurium Surditas cum ulcere a multo tempore.

MOrbi etsi exigui, sæpe tamen magni fiunt ob Medicorum imperitiam. Elegans quædam Monialis, nomine Angela Semidea de Gypso, annos triginta nata, in cœnobio S. Mariæ novæ, a duobus annis surditatem utriusque auris patiebatur, ex utraque aure, (a) *pus fœtidum* continuo fundebatur: hinc in utraque ulcus subesse judicavi; de cætero sana erat, optimi coloris, & ad cuncta naturæ munia probe se habebat. Propterea loco affecto tantummodo opitulari decrevimus, ei de re unguentum rosaceum, cum Mumia Minerali præscripsimus, quo perfecte sublata sunt ulcera, & auditum recuperavit. Mitto, quot medicamenta intrinseca frustra ab aliis Medicis exercuerat (b) *gravis* quamvis fuerit illi *auditus*, de surditate tamen amplius conquesta non est.

(a) *Pus fœtidum*. Ulcera aurium diuturna fistulosa ut plurimum sunt, & cum carie ossis conjuncta, hinc ægre sanescunt. Vide alias post gravem inflammationem, auris ulcus, & ex ipso pus egrediens ad aliquot cochlearia, quod tamen feliciter melle cum balsamo peruviano mixto, sublatum fuit. Solet etiam auris dolor vehementissimus esse, propter tunicam nerveo-tendineam, quæ meatum auditorium cingit. Post mixtionem in aures petulanter factam inexplicabilem dolorem notarunt *Miscell. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 4. pag. 277.*

(b) *Gravis auditus*. Vel fit vitio meatus auditorii, quando cerumine firmiter est obstructus, ubi balnea, fotus, ex herbis emollientibus & balsamicis conveniunt, vel fit vitio nervi auditorii, si ille per paralysin tactus vel obstructus est, vel fit vitio tympani, quando illud nimis laxum, ruptum aut exesum ab ulcere est. Tympani membrana laxa nimis, & flaccida fit, ac tensionem debitam amittit a nimio madore, & humiditate, vel ab improvide instillatis medicamentis, vel ab aere pluvioso ac nebuloso. Interdum etiam accidit, sonos accutos prorsus esse intolerabiles, quod fit, quando tympani membrana spasmodice nimis tenditur, vel in affectu hypochondriaco flatulento, vel a nimio dolore capitis in febribus; si biennium excesserit surditas, vel aurium tinnitus, non facile curatur.

CAPUT XIII.

De inaudita doloris ſpecie in facie, in qua nares mira magnitudine incraſſantur, & mira fœditate in pomum granatum augentur, &c.

INcredibilis ſane, nec multum viſa narratio, quod ſi cunctis haud innotuiſſet, vix ulli crederetur. Hic Bononiæ decennio forte elapſo, mercatori cuidam Thomæ de Capello nomine, contigit (a) *dolor in facie, rodens* & lancinans, qui poſtquam vagatus eſſet per totam faciem, tandem fixit ſedem in naribus, & circa oculos, nares intumuerunt ſenſim, ita ut pomi granati formam, & magnitudinem æquarent. Tunc dolor vagus ille penitus evanuit. Ad hanc turpem deformitatem, nihil intactum reliquit. Plures conſuluit Medicos, toto nonimeſtri ſpatio multa remedia impune exercet. Purgationes de more, cum reiteratis phlebotomiis, plures adhibentur. Ligni Guajaci cum ſalſę decoctum, ad quadraginta dies ebibit. Cauteria, ſeu fonticuli in nucha, & brachiis excitantur. (b) *Extrinſecus* linimenta refrigerantia & exſiccantia admoventur, at his invitis morbus efferatior redditur. Quis ejus curæ præerant Medici palam profitentur, ſe omnem moviſſe lapidem, ut morbi ſævitiem ſaltem retunderent, & fruſtra morbum jactant cunctis incurabilem; carcinoma, & noli me tangere appellari, ſolius ſupremi omnibus opem efflagitare, nullam ſupereſſe humanam ſpem. Ne tamen ſine omni humana conſolatione extremum vitæ clauderet, ad me venit Excellentiſſ. Dominus Guido Monticellus ejus affinis, & Medicus, enixe me rogans, ut amici, & affinis cariſſimi curam ſuſciperem, ſolis medicamentis chymicis veram & ſolidam deberi gloriam. Hæc & plura dicens, ad dictum patientem inviſendum me ſenſim deducit. Prima facie morbum incurabilem judico, & tantum onus ſuſcipere recuſo. At ipſe lacrymis, & precibus me rogat, & vehementer commovet, ut tam miſeri patientis curam aggredi velim, ne ſpe deſtitutus extremos dies ſuos in deſperatione compleret. His, & aliis charitatis erga proximum ſtimulis impulſus, curam hunc in modum ſuſcipio. Primo ad hepar, (c) *maſſamve ſanguineam repurgandam*, primum ens metallorum ad 15. dies exhibeo, grana tria pro qualibet doſi. Forinſecus mumiam mineralem bis in die naribus admovebo, quibus gratiſſimis citra ullum dolorem, moleſtiamve quamcunque narium durities ſolvitur, ulcuſcula intus, & extra nares repurgantur, & quæ intumuerant in inſignem turpitudinem nares, mirifice detumuerunt; oſſa vero humoris pernicie eroſa foras ſeſe produnt, & leviſſimo tactu evocantur, & fere ſponte decidunt, facies tandem, & nares oſſibus exceptis in priſtinum reducuntur. In hoc teterrimo affectu multa eſſent dicenda, tam circa patientis conditionem quam circa morbi naturam. Hoc tantum addam, eum ab hac cura duodecim annos vixiſſe ſaniſſimum. Levi tandem dolore ventriculi laborantem alios conſuluiſſe Medicos, a quibus pro ſalute mortem reportat. Sub fine quidem me conſulere volebat, at cum præteriti beneficii parum memorem eum obſervaſſem, in illorum manibus eum defecturum relinquere ſatius duxi.

(a) Do-

(*a*) *Dolor in facie rodens*. Dolor hic ortus fuit a ſale ſcorbutico, corroſivo, fibras carneas diſcindente, unde inflammatio faciei ac narium cum rubore, dolore, tumore, & ulcere, ſive eryſipelas capitis exulceratum ortum, quod non raro cum gravi periculo junctum; nam ex eryſipelate putredo aut ſuppuratio malum, teſte *Hippocrate Sect.7. Aphor.* 20. Conſpiciuntur non raro tali in caſu, veſicæ ſat magnæ, pellucidæ, flaveſcente aqua repletæ, ex quibus vel ſponte apertis, vel chirurgi manu diſſectis, ſerum flavum, aere, & ſubviſcidum effluit.

(*b*) *Extrinſecus*. Unguentum Saturninum cum aqua florum ſambuci, Camphora, Croco, Spir. Vini, & ſaccharo ſaturni permixtum, calideque applicatum, tali in caſu egregium eſt.

(*c*) *Maſſam ſanguineam repurgandam*. Malum hoc ſæpius recurrit. Ubi purgantia ex Gummatibus, item Diaphoretica, uti Tinctura bezoardica volatilis, cum Tinctura Antimonii Tartariſata, nec non lignorum infuſa, vel etiam Martialia, commendari merentur, ipſo in paroxyſmo Antimonium Diaphoreticum, flor. ſulphuris, Nitrum Antimoniatum, Camphora, & Theriaca cœleſtis nec non aqua flor. ſambuci expertiſſimæ virtutis ſunt.

CAPUT XIV.

De Paralyſi, febre lenta, inappetentia, vigiliis, &c.

PRæcipuum in medendo eſt, (*a*) *morbum cognoſcere*, etſi non minoris ſit ponderis, arma quibus quiſpiam eſt dimicaturus, bene movere, & ad nutum conducere. Hujus civitatis Medici duo, ſex menſium ſpatio Perilluſt. Dominum Innocentium Ringherium curaverant, at quia mala, quibus vexabatur, non agnoverunt, ideo dictum Dominum non ſanarunt. (*b*) *Initium erat* catarrhus ſatis levis & curatu facillimus: huic ut occurrerent, ipſum purgant, bis ſanguinem detrahunt, potiones purgantes pluries reiterant, opiata, & conſervas propinant, decocta alterantia ad nauſeam; ſed fruſtra omnia. Ad nos confugiens brevi priſtinam ſanitatem recuperat, Ad nervorum laxitatem, & capitis obſtupeſcentiam, Aurum noſtrum Diaphoreticum dabamus cum conſerva Roſarum; & quia ventriculi languor & inſignis imbecillitas; ipſi ſæpe miſcebamus Specificum Stomachicum. Ad tartarum vero, carnibus infixum ſolvendum, Aquam Hidroticam bis in die dabamus, quibus gratiſſimis priſtinæ ſalutis reſtitutus fuit.

(*a*) *Morbum cognoſcere*. Duo ſunt, quæ potiſſimum in illo deſiderantur, qui ſapienter & dextre medicinam facere & ægrotantes juvare allaborat, primum, ut exacte morbi ejuſque cauſæ indolem ac originem perſpectam habeat; deinde ut medicamentum probatæ & expertæ virtutis, ac removendæ mortificæ cauſæ aptum prudentes applicet. Huc ſcopus collineat totius ſcientiæ mediæ. Prudens cenſetur judex, qui claro & ex circumſtantiarum ſerie evidenti reddito facto jus ex lege, cauſæ conformi applicare novit; ſic felix & rationalis Medicus reputandus eſt, qui ex circumſtantiis & ſignis elicitæ morborum cauſæ aptum applicat medicamentum.

(*b*) *Initium erat*. Ex levibus initiis ſæpe maxime propullulant morbi, & ex male cognito & curato levi morbo lethalis quandoque ſuccedere ſolet eventus. Confirmant hæc ſequentes obſervationes. Ex punctura veſpæ circa carpum dolorem immanem & lypothymiam annotavit *Hildanus Centur. 4. Obſervat.* 80. A tendine muſculi bicipitis ſauciato in venæ ſectione mortem ſubſecutam eſſe *Author* eſt idem *Hildanus Centur.* 4.

Observ.70. Erysipelas pedis oleosis tractatum in gangrænam clavus pedis dissectus in eandem cum Sphacelo sæpius transit, quod frequenti constat observatione. Materiam Podagricam alumínoso cataplasmate repercussam lethargum induxisse non ita pridem notavi.

CAPUT XV.

De inaudito Carcinomatis genere in lingua.

SIqua in re infelicem hominis statum deplorare debemus, maxime in hoc consimili recensendo. Erat vir quidam nobilis nomine Hieronymus Fava, annos 40. natus, cui obortum erat (*a*) *exiguum ulcusculum* in extremitate linguæ. In principio duorum Medicorum consilium ad hoc adhibuit, qui de more ipsum purgant & repurgant, sanguinem ter & quater detrahunt, julepos refrigerantes, lactis serum cum succo cichorii, & multa alia ipsi longo tempore porrigunt, & hæc omnia incassum. Ad nostras tandem manus curandus venit. Ulcus statim ter aut quater, oleo seu (*b*) *Balsamo Antimonii* tetigimus, ex quo tutissime ulcus obliteratum fuit: duobus annis sanitate fruitur, & postea recruduit ulcus, quo sanando non me advocat, sed seniores consuluit, qui plures simul vocati consultationem ineunt. Reiteratas purgationes, & Chinæ decoctum ad sesquimensem præscribunt: omnia infeliciter ab ipso executioni mandantur, ulcus augetur & efferatius redditur. Forinsecus nunc oleo vitrioli, nunc oleo sulphuris utuntur, gargarismata usurpant varia, item collyrium Lanfranci, & infinita alia. Me accersere non audet, ulcus horrendum fit, dolorificum, & fœtidum, & tandem die noctequeejulans, miserrime vitæ finem imposuit. Sub fine, nulla spe existente, ad eum invisendum advocor, at tarde, in tanta enim molem linguam crevisse comperi, ut ejus os occluderet.

Doctor Guardinus, in via *delle Lame* consimili modo, eodemque morbo extremum diem clausit, quamvis 30. esset annorum.

(*a*) *Exiguum ulcusculum.* Venit ad me nuper fœmina XL. annorum tota cachectica, quæ conquerebatur de tumore & dolore in lingua, qui cum horrore invasit. Valde illa tumebat, ut amplius eam nec exerere vel movere intus posset, digito saltim inter vocem inconditam indicans malum. Brevi post in media ipsius linguæ parte apostema rumpebatur, pure non pauco, & ingenti cum fœtore prodeunte. Gargarisma ex emollientibus injiciebatur, nec non decocto myrrhæ, rosarum rubrarum, saniculæ, os eluebatur insperſis simul in ulcus oculis cancri, sic persanata egregie est.

(*b*) *Balsamo antimonii.* Hujus descriptionem vide infra in pharmacopœa. Est medicamentum egregie consolidans, & in recentibus vulneribus nec non ulceribus balsamica sua vi insignem præstat opem.

CAPUT XVI.

Linguæ rarus affectus.

NOn minus in linguæ structura, quam in aliis membris, naturæ prudentia elucescit; ea enim cum sit humanæ tantopere necessaria, materia

densa,

denſa, firma, & dura, ut ab injuriis, quibus alia membra ſunt obnoxia, ſe tutaretur, indiguiſſet, at quia ipſa variis expoſita eſt laboribus, ideo ex tenui, & facili materia fuit compoſita, ipſique fontes dicati, quorum benigna humiditate foveretur, ut munera, quibus dicata eſt, facilius exequeretur. Fieri tamen non potuit, quin verſatile iſtud membrum aliquibus injuriis afficeretur, cum iiſdem conſtet principiis, cum omnibus ſublunaribus creatis: Intemperiem, & alios leviſſimos affectus ſileo, in mentem tantum revocare placet rarum mali genus, quod nuperrime cuidam ſacerdoti contigit, qui inſignem linguæ craſſitiem diuturno tempore pertulit, cum fœdo colore, ſine dolore, aut quovis alio accidente. Ad hoc removendum, plures conſuluit Medicos, & totum quinquennium in medicamentis aſſumendis fruſtra inſumpſit. Tandem cum morbi ſævities indies invaleſceret, & pro ſanitate, lingua pluribus (*a*) *malignis ulceribus* infeſtaretur, & per medium inſignes ſciſſuras, ad longitudinem trium digitorum perferret; huic pravo affectui curando impune a diverſis Medicis adhibita fuerunt remedia, unde ſexcenta malorum genera. Nos curam abſolvimus unico vino hidrotico, inter prandendum aquam bibebat ex vini magmate. Contumaces morbi valida & continua expoſcunt remedia, Lingua bis in die tangebatur mumia minerali.

(*a*) *Malignis ulceribus*. Lingua ex acinis glanduloſis copioſiſſimis & eminentiis ac filamentis nerveis conſtructa eſt: Continue madida eſt, propter copiam lymphæ exſtillantis tam ex contextu faucium toto glanduloſo vaſiſque ſalivalibus, quam ex ductibus ipſius linguę lymphaticis, qui cuivis glandulæ appoſiti ſunt. Quo circa commode ex linguæ colore ac facie in morbis ſeri ac lymphæ ſtatum cognoſcere licet, unde ejus inſpectio multum ad prognoſin neceſſaria. Cum autem tota ejus textura ſatis ſit mollis & ſpongioſa, non mirum, ſi recrementa ſalino-cauſtica biliosa ſanguinis ibi depoſita gravia ſuſcitent ſymptomata. Ante aliquot annos Halberſtadii vir ſexagenarius robuſtus, hortore ac calore præter naturam affectus, mox ſentit inſignem tumorem ac dolorem in lingua, qui ita increvit, ut per tres dies nihil deglutire ac loqui potuerit. Applicabatur collo emplaſtrum diachylon ſimplex cum ſuccino, benzoe, ſtorace & balſamo Peruviano remixtum: Gargariſma emollien s frequentius quoque injiciebatur. Quarto die remiſerunt ſymptomata & mox convaluit. Hiſtoriam contumaciſſimi linguæ tumoris, ubi ipſa ad partem ſui dimidiam induruerat, ita ut aridi inſtar ligni immobilis in ore hæreret, & malum ſolis hirudinis applicatis opportune ceſſit. v. *miſcell. nat. cur. an. 6. & 7. obſ. 9.*

CAPUT XVII.

De loquendi impotentia a ſeſquiano contracta, cum anhelitus difficultate.

CONtumaces morbos in extremo ſenio incurabiles eſſe, quotidiana docet experientia; hos tamen curare docet naturalis pietas, & ſæpe contra conſuetudinem ex graviſſimis morbis convaleſcunt. Quod in ſeptuagenaria quadam muliere mihi feliciter ſucceſſit. Nobilis itaque & optima Monialis, Soror Vincentia Bologhetta, annos ſeptuaginta nata, (*a*) *loquelam ſenſim amiſit*: principio exiſtimabat morbum eſſe levem, & propterea Medici illius cœ-

nobii opera tantum indigere; at cum per ſeſquiannum fruſtra ab eo accepiſſet remedia, immo propter reiterata cathartica in inſignem marcorem incidiſſet, me quoque conſulendum curavit. Utrique affectui proſpiciens, duo remedii genera uſurpavi: ad marcorem, ſpecificum ſtomachicum cum conſerva roſarum dedimus; ad faucium aſperitatem, & ſiccitatem emolliendam, ol. Amygdalar. dulc. ſine igne, & ol. ſacchari. Quibus gratiſſimis priſtinam loquendi potentiam recuperavit. Duobus annis ab hac cura elapſis, in eundem affectum incidit, & iterum iiſdem remediis ſanata fuit.

(a) *Loquelam ſenſim amiſit.* Accidit hoc, quando nervi recurrentes vel ſpaſmodice conſtringuntur, vel ex humore quodam in cerebro collecto obſtruuntur: Raucedo oris utplurimum conjungitur, & cachecticis ac ſcorbuticis familiaris eſt. *Riverius Cent. 2. obſ.* 80. exemplum habet virginis, quæ externo aere frigefacta graviſſima laboravit raucedine abſq; tuſſi & catarrhis: Tandem e dormientis aure aquei humoris portio quædam effluxit, atque exinde iterum recte loqui incepit, ex quo colligere licet, cumulatum & depoſitum fuiſſe quendam humorem in cerebro, qui ipſos nervos ad laryngis muſculos pergentes occupavit. Eodem modo *Stalpartius* von der Miele *Cent. 1. obſ. 27.* refert de muliere, ſudore per totum corpus ſuffuſa, quę frigidioris cereviſiæ hauſtu inſignem ſine tuſſi catarrhove ullo raucedinem & loquelæ amiſſionem ſibi contraxit, uti vix ſonum reddere poſſet, quod diu admodum ipſi adhæſit incommodum. Tali malo ſuccurrunt potius diaphoretica, ſuccinata, nervina, decocta lignorum, &c. quam pectoralia, dulcia, incraſſantia.

CAPUT XVIII.

De ſimili loquendi impotentia, cum inſigni anhelitus difficultate, in muliere quadragenaria.

DUm Regii Lombard. a nonnullis accerſitus, inviſerem ægros, nobis occurrit honeſta quædam mulier; virgo adhuc, annorum quadraginta, maoie incredibili confecta, quæ loquelam omnino amiſerat, anhelitum difficillime trahens, (a) *menſes ad nonnullos annos* minime viderat, unde mali origo. Ad morbi radicem exſcindendam, primis diebus ſpecificum ſtomachicum dedi, deinde croc. Metallor. cum conſ. violarum, boraginis & roſarum ad tres dies, quibus ſuaviſſimis priſtinam recuperavit ſalutem.

(a) *Menſes ad nonnullos annos.* Cauſſa hujus mali merito deducenda eſſe videtur a copioſo ſero viſcido ex menſium reſtagnatione producto, quod nervos recurrentes & fibrillas pulmonum nerveas obſidet. Gravidis idem incommodum ſæpius accidit ob eandem rationem. Præcipuus nervorum recurrentium uſus eſt, juxta *Dn. Vieuſen Nevrographia p.* 356. ut circa arteriam axillarem dextram & deſcendentem aortæ truncam velut trochleas convoluti, tracheę annulos pro ſpiritu tum anhelando tum ſonoro reddendo, tanquam plicas follium diducant, aut ſaltim iis diducendis inſerviant. Emplaſtrum ranarum cum mercurio nobilitatum cum balſamo peruviano externe egregie reſolvit & roborat. Ad morbi radicem exſcindendam, rectiſſime *Dn. Author* ordinavit ſpecificum ſtomachicum & crocum metallorum cum conſerva violarum & borraginis.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Phthisi.

PHthisis non semper incurabilis censenda est; ut plurimum tamen curatu difficilis est, & ubi alte jecit radices, nulla habenda est spes. Præcipuum est scire, an utrinque (*a*) *Pulmones eroſi* sint. Nonnunquam pars dextra tantum læditur, mediastino illæso, & sinistra parte integra manente, tunc medicamentis rite adhibitis sanantur, de quibus nunc. Admodum Rev. D. . . : annos triginta natus, sanguinem copiose pluries evomuit, cui puris rejectio, & tussis molestissima (*b*) *lenta & habitualis febris* successit; ad hæc marcor insignis, & curis asperitas ac ariditas, omnium tamen pessimum, alvi laxitas, & pilorum capitis defluvium. Qui primi ejus curam susceperant Medici, multa, & propemodum infinita medicamentorum genera frustra præscripserant, utpote clysteres, purgationes, phlebotomias, syrupos, cucurbitulas, sanguisugas, cauteria, setones, lambativa, rotulas, & sexcenta alia; diætam humectantem & refrigerantem, hordeacea nempe, emulsiones sem. melonum, jusculà refrigerantia, & similia: nec pepercerant cons. violarum, rosarum, betonicæ; minus ceratis pro capite, unctionibus pro pectore, & innumeris aliis. Nos quum primum advocati fuimus, ad ulcus pulmonum detergendum, dedimus (*c*) *sulphuris balsamum*, ad quindecim dies 3. v. & syrup. pro singula dosi mane: ad febrem Antihecticum in vesperis; tota vero die tabellulas ex sulphuris floribus, & pulv. Ireos (*d*) *in ore tenebat*. Victus regimen mutavimus, (*e*) *vinum* & carnes concedendo, cum aliis assuetis, quibus optime & perfecte convaluit, vivitque a cura sanus & vegetus, elapso jam decennio.

(*a*) *Pulmones eroſi*. Pulmones ex tenerrimis fibris membranaceis constant, in quibus facile fordes viscidæ acres hærere, illasque dilacerare possunt; unde scorbuticis familiares pulmonum erosiones, eæque fistulosæ sæpius sunt, quod omne adscribendum sali lymphæ caustico. Mirabile est, quod refert. *Panarollus Pentecost. 2. ob. 42.* Expectoratum sputum ex confirmato ulcere pulmonum adeo virulentum & malignum fuisse, ut muscas illud gustantes instar arsenici interemerit. Præterea & hoc notabile est circa pulmonum ulcera, quod sine contabescentia corporis, reliquis visceribus salvis, per plures annos durare queant. De qua re potest videri *Kerckringius in spicilegio anatom. obs 72.* & *Bartholin Cent. 2. hist. 14.* Uti enim quandoque natura vitiosa salina excrementa, magna cum utilitate ad certam partem amandat: Sic quoque illud nonnunquam locum habet in pulmonum ulceribus. Sic notavit exemplum *Thyrmayerus in consiliis Lib. 2. pag. 85.* Quendam ex ulcere pedis sanato factum fuisse phthisicum.

(*b*) *Lenta & habitualis febris*. Fit hæc, dum a fermento ulceroso mixturæ sanguinis in crasi & motu suo continuo turbatur, & motus ejus intestinus serum roscidum valde consumens, plus justo adaugetur, unde marcor, sitis, cutis asperitas ac ariditas, & pilorum capitis defluvium dependet.

(*c*) *Sulphuris balsamum*. Hoc si cum oleis destillatis præparatum fuerit, cautissime dandum, utpote quod hecticum calorem & corporis marcorem: Potius commendandum est temperatum, quod fit cum oleo amygdalarum dulcium, cui deinde pro re nata & circumstantiarum ra-

tione certa olei cujuſdam balſamici quantitas adjici poteſt. Commode tale balſamum accipitur cum lacte, quo melius humorum temperetur acrimonia.

(*d*) *In ore tenebat*. Probabile maxime videtur, aerem particulis balſamicis ſulphureis imbutum, & ſic ad pulmones inſpiratione ductum & hauſtum egregie eroſis pulmonibus conferre: Quam ob cauſam ſuffimigia & medicatum aerem attractum phthiſicis valde commendat *Benedictus in theatro tabidorum*. Phthiſicam ſolo odore aſæ fœtidæ, camphoræ, caſtorei curatam notavit *D. Gehema in obſervat.* Ex omnibus myrrham electam omnibus phthiſicis, et pectore laborantibus commendo, quæ in ore detenta et ſenſim ſaliva ſoluta, balſamicum aerem ad pulmones intro ſubeuntem efficit, & a putredine egregie defendit.

(*e*) *Vinum*. Vinum maxime nocet phthiſicis, quoniam propter acidum acrimoniam inducit, propter particulas ſpirituoſas calorem ſanguinis accendit: Si tamen ventriculus roborandus eſt, Hiſpanicum, pauca tamen in doſi, & cum gelatina cornu cervi temperatum, inter cibos concedi poteſt.

CAPUT XX.

De Phthiſi in muliere, 35. annorum.

PHthiſis eſt quædam ſpecies, in qua ſenſim ſuppurantur pulmones, cum febre hectica, tuſſi, & excretione purulenta, citra prævium ſanguinis expuitionem, aut ſaltem perexiguum. Putat Medicorum vulgus, hujuſmodi Phthiſim fieri a ferina deſtillatione a capite. Sic mihi obſervare licuit in D. Helena Jacobi Ajacis uxore, quæ annos 25. nata in phthiſim incidit: tuſſis aderat moleſtiſſima, febris hectica, difficilis reſpiratio, marcor inſignis, ſanguinem per intervalla expuebat, capilli adhuc non decidebant, neque diarrhœa premebatur, propterea morbum non adhuc alte radices egiſſe exiſtimavi. Eum edomari poſſe ratus, (*a*) *antihecticum* propinare cœpi, cum ſaccharo roſaceo, bis in die, cujus medio febris propulſata fuit, & reſpiratio difficilis facilior reddita, dejectus appetitus corrigitur, & vigiliæ miteſcunt: ſic paulatim ſanitatem priſtinam recuperat. Mitto, quot medicamenta ab alio Medico impune ſumpſerat. Antihecticum fit ex duabus partibus Jovis, & una parte reguli Antimonii; hæc mixta ſimul ter coquuntur in ſicca aqua hermaphroditica: hujus vires ſunt, ignem ſaturninum in ſolidis accenſum extinguere, reſpirationem difficilem juvare, & vermes enecare; alia tandem præſtat, quæ brevitatis cauſa omitto.

(*a*) *Antihecticum*. Ejus deſcriptionem vide infra in *Pharmacop.* Quod hoc medicamentum acrimoniam vitioſam ſeri egregie temperet, vel exinde quoque conſtare poteſt, quoniam in ulceribus malignis extrinſecus inſperſum temperando fermentum corroſivum magnum habeat uſum.

CAPUT XXI.

De Phthiſi.

VEram (*a*) *Medici theoriam* in praxi conſiſtere, ſemper cognovimus, & hoc quotidie comprobamus, & maxime in morbis, qui requirunt artem.

tem. Phthisis in principio cognitu difficilis videtur, maximè ubi sanguinis expuitio non præcedit. Hanc (*b*) *ad ferinam destillationem* referunt, cujus originem ad calidius jecur, & frigidiorem ventriculum, & ad cerebri intemperiem. Multæ de terminis, a quo, & ad quem, circumferuntur nugæ; nos venarum erosionem, & pulmonum suppurationem altius inquirimus. Scimus salsedinem erosionis conjunctam esse causam, (*c*) *salsedinem non a calidiori jecore*, sed a retento salso excremento, quod cum expurgandum esset a renibus, & vesica, resiliit ad pulmones, vel ob inordinatum motum, vel ab aliam injuriam, de quo alibi. Aliquando demandatur ad pulmones, alimenti penuria; sæpissime (*d*) *aer ambiens natura salsus* pulmones replet & naturalem salsedinem acriorem reddit, unde venarum erosio, & ulcus. Sunt rursus (*e*) *morbi quidam* venenati, qui pulmones labefactant, & in phthisim multos præcipitant. Ut anno trigesimo primo, & trigesimo secundo nobis observare licuit, ubi post pestis fervorem remissum, complurimos phthisi laborantes vidimus. In lue venerea perpaucos, inter quos nobilem quendam presbyterum, annorum quadraginta, qui biennio toto in propulsanda lue venerea, qua ipse miserrime torquebatur, infinitis medicamentorum generibus defatigatus, & maxime post longam ligni Guajaci diætam, sanguinis vomitu primo tentatur, cui postea accessere tussis, puris sputum, & marcor insignis. Restitutus ille fuit balsamo sulphuris, floribus dicti sulphuris diversimode apparatis, (*f*) *cum iusculo carnium* mane cum salsa, China, fol. boraginis, & capil. veneris, ad mensem. Duobus annis elapsis, in eandem phthisim incidit, domesticum Medicum consuluit, medicamenta usualia ipsi imperat, & cum nihil opis tulisset, eum a Lamiis effascinatum suadet; unde loco Medici, Exorcistas adire ipsi suadet, mulieres in eam sententiam citissime deveniunt. In his exorcismis patrandis augetur morbus, & tandem credulus fatis cedere cogitur. Sub fine advocor, sed infirmi, & (*g*) *parentum imbecillitatem* agnoscens, ejus curam amplius suscipere nolui. Fuit & illis temporibus sacrificulus quidam, qui alia ex causa in phthisim incidit. Is erat annorum XIX. (*h*) *natura melancholicus*, devotionibus immodice indulgens, tota die vigiliis, orationibus, jejuniis, & vitæ nimis solitarie: derepente sanguinis rejectione corripitur, cui successerunt puris rejectio, tussis, & febris. Ejulcemodi (*i*) *eruptionis causa*, erat jecoris, & lienis durities, cui prospiciens, dedi pilulas Martiales ad ʒ. j. pro dosi, singulo mane ad mensem, quibus optime convaluit. Mirum non est; si ejusmodi affectus per medicamenta naturadiversa sanentur. Sunt qui per saccharum rosaceum, qui decoctione ligni Guajaci, qui lacte Asinino, Caprino, &c. de quibus Cardan. Valeriol. Zacut.

(*a*) *Medici theoriam*. Nullus bonus theoreticus est, nisi in praxi ille bene sit versatus: Omnes enim suppositiones & hypotheses theoreticæ nisi fluant ex sollicitis & attentis observationibus practicis, veris & perpetuis morborum circumstantiis & historiis, non in paucis, sed numerosis ægrotis, nullius momenti sunt; semper enim in theoria & hypothesibus de causis morborum ponendis prius ad practicorum exercitatorum & circumspectorum testimonium & fidem respiciendum est, ut deinde

inde ex omnibus connexis morborum circumstantiis veritas causarum colligatur & ad usum medicum dirigatur. In quo negotio cum universa medicæ Pathologiæ solliditas consistat, ut ante omnia perpetuæ individuæ ac essentiales morbi notæ cognoscantur & deinde rationali collatione examinentur; hinc nullus bonus theoreticus, qui non est, vel fuit practicus.

(*b*) *Ad ferinam defillationem*. Quod veteres appellarunt defluxionem vel destillationem: id nihil aliud est, quam stagnatio lymphæ in partibus, ejusque circulatio impedita, vel propter partis affectæ tonum nimis languidum & tenuem, vel propter vitium lymphæ nimis salsæ aut viscidæ.

(*c*) *Salsedinem non a calidiori jecore*. Jecur per se non est calidum, vel calorem fœnerat corpori, quod si autem vitio laborat, vel obstructum est, & salia biliosa sulphurea minus recte expurgat, quæ sanguinem collutulant & calorem accendunt, per accidens fit causa caloris p.n.

(*d*) *Aer ambiens natura salsus*. Nullum dubium est, aerem salsugine vel acribus effluviis imbutum, cum immediate ad ipsos pulmones ducitur, labem ipsis affricare, id quod jam satis suo damno experiuntur miseri illi homines, qui metallorum ac mineralium effossioni, fusioni, separationi variæque tractationi inserviunt. Hi sane ab effluviis aeris nocivis & asthmata & pulmonum exulcerationes patiuntur. Angli propter atmosphœram copiosis carbonum fossilium salino sulphureis repletam frequentissime in asthma, tabescentiam, phthisim & corporis consumptionem incidunt.

(*e*) *Morbi quidam*. Morbilli, variolæ, lues venerea, & catarrhi frequentiores, omnesque morbi salini facilem pulmonibus labem inducunt, & dispositionem phthisicam accersunt.

(*f*) *Cum jusculo carnium*. Jusculum carnis bovinæ, hæderæ terrestris, veronicæ, scordii, marubii, scabiosæ, pulmonariæ, saniculæ, flores bellidis, urtica mortua, in dispositione phthisica & pulmonum erosionibus plus præstant quam magna arcana: Si vulo tamen in morbo, sane in hoc leniter & blande agendum est, omnia vehementia hic devitanda.

(*g*) *Parentum imbecillitatem*. Phthisis hæreditarium malum est, consistens partim in nimia membranarum pulmonalium mollitie & laxitate, partim in acrimonia lymphæ congenita. Contagiosa quoque phthisis esse solet, quæ ex ulcere pulmonum nascitur, quandoquidem particulæ ex hoc evectę pulmonem sanum simili diathesi inficiunt, quare maritus si phthisicus est, facile conjux inficitur et contra. *Schenckius in observat.* refert, adeo contagiosa esse phthisicorum confirmatorum sputa, ut medicus subinde illa olfaciens factus sit inde phtisicus.

(*h*) *Natura melancholicus*. Frequentius phthisis fit a visceribus abdominis obstructis et induratis, nullo vitio principaliter existente in pulmonibus. Confirmant phthisicorum sectiones, ubi sæpius viscera indurata ac pallida, bilis lixiviosa, vel loco hujus serum rubrum flavedine infectum reperitur. vid. *Bartholinus Cent. 1. hist.* 75. Anathomen phthisici, ubi plurimæ mesenterii glandulæ pisi magnitudine, et ad magnitudinem fabarum conspiciebantur, item vesicula fellis bile inanita erat, pulmones autem tuberculis puris scatentes describunt *acta Haffnienſia obſerv.* 14. *ann.* 73. Secui Mindæ Westphalorum phthisicum cadaver, in quo hepar induratam cum pallore & vesiculam fellis loco bilis scoriis lixiviosis refertam, lienem putrefactum, et pulmones inflammatos cum empyemate inveni.

(*i*) *Eruptionis causa*. Hæmophtici affectus uti aliarum hæmorrhagiarum causa utplurimum dependet a circulatione sanguinis impedita, dum nimirum viscera abdominis maxime hepar, et lien vel indurata sunt; unde sanguinis motus æqualis impeditur, vel vasa sanguifera spasmodice constringuntur; unde sanguis ad alias partes majori impetu ruit, orificia distensione sua aperit, et qua data porta erumpit. Quapropter in praxi rarius sanguinis eruptiones copiosas videmus sine viscerum labe vel spasmodica partium abdominis constrictione.

CA-

CAPUT XXII.

De Asthmate.

TAnta est respirationis necessitas, ut ea sublata ne quidem ad momentum vivere possimus. Omnis respirandi difficultas, Asthma appellatur: & hoc in Orthopnœam, & Dyspnœam dividunt. (a) *Causas tradunt multiplices*, pituitam in bronchiis exundantem, eamque aliquando addensatam, & (b) *in calculum versam*. Tubercula etiam in pulmonum substantia genita. Sunt qui destillationes pro caussa antecedente incusant: qui coacervationem dictæ materiæ, propter intemperiem partis, & alia hujusmodi. In hoc affectu curando communem viam non sequimur. Initio (c) *vomitorium cum pilulis catholicis* porrigimus: ubi vires sunt debiles, vel in delicatulis, qui su pernas evacuationes recusant, solo specifico stomachico utimur, quo remedii genere omnis cura tutissime absolvitur. In quibusdam tanta est (d) *morbi ferocia*, ut a laudano incipere cogamur. Pro laudano accipe pilulam sequentem. Rec. Croci Orient. gran. iij. opii Thebaici gran. iv. moschi gran. j. cum guttula cujusvis liquoris, formetur Pilula, quam capiat hora una ab assumpta cœna. Vel accipimus Pilul. catgolie. gran. xij. vel xiv. opii gran. iv. cum guttulis vini, formetur pilula, quam capiat loco cœnæ. Et hoc medicamentum non est neque vomitorium, neque dejectorium, pauperibus peropportunum. Sequentibus diebus elect. de croc. Martis porrigimus; ubi adstricta est alvus, pilulas Martiales potius. Plures recensserem, quos solis pilulis catholicis sanavimus, sed exempla patent in aliis duabus centuriis. Sunt qui multum pituitæ generant, propter malam jecoris dispositionem, & hi croci Martis usu convalescunt. Sunt quibus jecur, & lien induruit, cujus causa deprimitur diaphragma, unde insignis respirandi difficultas: illi pariter croci Martis usu sanantur. Sunt quibus in pectore redundat, quibus pariter opitulatur croc. Martis. Quibus calculi fiunt in ductibus pulmonum, ol. sulphuris succurrit, sicuti oxymelita composita, scillitica, &c. Ubi septuagenarios adoritur, vix curabilis est. Inter complurimos Admodum Rev. P. in Cœnobio Gratiarum Subpriorem sanavimus annis præteritis. Primo ad paroxysmum, pilulas catholicas ad gran. xiij. cum gran. iv. laudani dabamus. Sequentibus diebus pilulas Martiales devorabat, quibus duobus perfecte convaluit. Erat ætatis 45. annorum, & causa erat pituita redundans in pectore. Quædam est respirandi difficultas, quæ per intervalla deambulantibus accidit; in hac fit præceps virium lapsus, propinquis tenentur niti adminiculis, alias humi corruerent, hi utplurimum derepente moriuntur. In hac specie vena arteriosa in sinistro cordis ventriculo disrumpitur, & sanguine effuso spiritus vitæ illico suffocantur, aliquando est pulpa cordis suppurata, aliquando quidpiam præter naturam genitum, vel tuberculum, vel calculus. Ex his nonnulli ad manus nostras curandi venerunt, & hos soli prognostico reliquimus. Hos tamen si necessitudinis ergo curare, aut vitam in longius protrahere tenemur,

hac

hac incedimus via. Primo victum attenuantem & exsiccantem imperamus, a motu se abstineant, & ab omnibus animi passionibus. Pro præsidiis, levi purgatione præmissa, in ore teneant frequenter rotulas cum ebore, margar. præpar. & saccharo factas. Cordis regionem muniant unctione ol. scorpionum comp. Matth. Crystallos Martis capiat mane cum jusculo carnium. Rursus sunt alii (e) *pulmones hærent costis* & pariter incurabiles sunt. Sunt quibus flaccescunt pulmones citra ullam manifestam causam; contabescit simul universum corpus: hi solius lactis usu, sive capræ sive asinæ, perfecte sanantur. Refert Hollerius *lib. de morb. int.* quendam asthmate brevi periisse, ac in hujus dissecto cadavere, abscessum repertum fuisse in vena arteriosa, integris pulmonibus: Quod in pluribus nobis observare licuit.

(a) *Causas multiplices*. Nonnunquam mala ab hæreditate conformatio pulmonum causa hujus affectus est, sic hæreditarium asthma toti familiæ tradunt *M. N. C. Dec. 2. ann. 6. pag. 252.* It. *Forestus lib. 16. Observat. 9.* Et retrofacta scabie *Brendel. Cons. 13.* ex repulsa podagra *Crato in Cons. pag. 367. It. M. N. C. Dec. 2. ann. 4. pag. 112. a mensibus sup. pressis Zacutus Lusitan. Lib. 3. Med. Hist. 2.* annotarunt, asthmaticum affectum.

(b) *In calculum versam*. A calculis in pulmonibus latitantibus, observarunt asthma *Dodonæus Observat. 23. Platerus Lib. 1. Observ. 180. Rentman lib. de calc. Thom. Barth. hist. c. 1. Kerkring. obs. 27. Joh. Rhod. cent. II. obs. 3. conferatur Pison. lib. de morb a serosa colluvie Sect. 3. c. 4. Obs. 46. miscel. nat. cur. ann. 4. obs. 11. item dec. 2. an. 2. observ. 303. Hipp. Sect. 3. Aphor. 22.*

(c) *Vomitorium cum pilulis catholicis*. In asthmate humido ac stomachali it. infantili emeticum sacra anchora est.

(d) *Morbi ferocia*. Quando asthma est spasmodicum, uti hystericum et hypochondriacum, anodyna cum antispasmodicis mixta præsentissima sunt. Membranaceæ vesiculæ pulmonum ipsorumque bronchia et sanguifera vasa nerveis fibrillis velut loris varie circumligata videntur, ne concidentia proprium tonum seu naturalem tensionis statum amittant, qui ad ipsorum nutritionem ad aeris inspirandi et exspirandi necessitatem, facilioremque sanguinis, quo irrigantur, commeatum requiritur. Ubi autem nerveæ hujusmodi fibrillæ spasmodicis motibus corripiuntur, bronchia pulmonum, utpote inordinate contracta, aerem debito modo nec inspirant, et sanguifera illorum vasa inordinate quoque huc illuc contracta, laticem, quem devehunt, non exonerant, asthma horrendum oboritur. Malam jecoris dispositionem in asthmate frequentius adesse certissimum est, quando sanguinis circulatio per venam portæ et abdominis partes non æqualis et legitima est; unde cachectici semper fere sunt asthmatici. Tali in casu Martialia et omnia quæ hepatis obstructioni opitulantur, et liberum sanguinis circulum efficiunt, uti sunt: Martialia, et maxime Antimonium Martiale cachecticum, egregium levamen afferunt.

(e) *Pulmones hærent costis*. In multis subjectis visuntur pulmones pleuræ adnati citra ullum respirationis incommodum, ita ut nonnulli hac in opinione sint, talem statum magis esse naturalem, quam si pulmones libere pendeant, quod tamen non videtur vero simile.

CAPUT XXIII.

De Ictericia flava cum principio hydropis, inappetentia, summa virium jactura, vigiliis, &c.

MOrbus regius non raro in hydropem desinit. Mirantur nonnulli, cur in curandis ejusmodi affectibus via trita non incedam. Sciant velim, nos

ægro-

ægrorum tantum consulere saluti. Hic affectus in nonnullis curatu est facillimus, in aliis difficillimus. In contumaci ictericia plerumque (*a*) *calculi in cystifellis* reperiuntur. Plures ejuscemodi calculos e cadaveribus excisos domi asservamus. Quidam ex his (*b*) *ventriculi torminibus* vexantur continuo, & post longos labores vitam miserrime terminant. Nonnulli vitam brevissime absolvunt, major pars cachectica, & hydropica fit. Nonnullos simplici apozemate sanavimus, uti.

Rec. Rad. rubeæ tinct. ʒ.ij. Rad. petroselini, apii, fœniculi, an. ʒ.xv. fol. cichorii, melissæ, ceterach, capil. veneris, chamædryos, chamæpithyos, an. m.j. sem. carthami contus. ʒ.ij. sennæ Orient. ʒ.iij. Rhabarbari el. ʒ. v. cum saccharo fiat Apozema, de quo ad septem, & novem dies, damus mane ʒ.iij. pro dosi. Ubi morbus altius radices egit, Excell. Martis utimur, ut facilius vires suas exerat, præmittimus dosim salis vitrioli. Sunt quibus inest tanta virium imbecillitas, ut ad tutiora, & selectiora confugere necesse sit, ut in Domino Octavio Beccatello, qui cum ætatis suæ perageret annum supra sexagesimum, incidit ictericiam flavam cum incredibili inappetentia, vigiliis, & aliis, cujus causa duos Medicos advocat: at illi cum ad extremum vitæ deducunt, etsi pro viribus omnem movissent lapidem trimestri toto, inaniter tamen, immo infeliciter insumpto. Advocor: cunctis ad amussim exploratis, ejus curam prospere sic incipio.

Rec. (*c*) *Sulphuris Martialis* gr. iv. specifici stomachici, gran. 10. cum elect. de cort. citri cord. ʒ. j. fiat bolus, quem capiebat bis in die. Hoc unico remedio sanus evasit. Operatio medicamenti est incidere, attenuare, & roborare viscerum intemperiem, & humorum ferociam apprime corrigere.

(*a*) *Calculi in cistide fellea.* Lapides in vesicula fellis reperire plurimos, prostant apud practicos hinc inde exempla. *Fabricio Hildano* monstrati fuere lapides in vesicula fellea Coloniæ 1612. in septuagenarii comitis cadavere reperti, excisi, quorum major drachm. 14. minor drachm. 4. ponderavit, quamvis pondus minus videatur propter insignem eorum magnitudinem, quod factum, quia spongiosi fuerunt. *Hildanus Cent. 2. observ. 44. fol.* 320. qui etiam illos depictos exhibet. In fœmina 93. ann. vesicam biliariam prægnantem pluribus calculis fabæ molem excedentibus iisque viridantibus, *Carol. Piso Sect. 2. de morb. ex sero pag. 2. cap. 4. obs. 17. vidit D. Olaus Borrichius* vidit anno 1661. Leidæ in Nosocomio, secante *D. Sylvio* Mulierculam, in vesicula fellea plusquam 90. calculos, magnitudine fabarum, sed figurarum irregularium, tactu moles, & qui in aqua calida pene toti colliquescerent. vid. *Cent. 3. Ep. 85. Barthol.* plura hac de re *vide in Eph. nat. cur. Dec. 1. ann. 1. obser. 44.* Notari hoc meretur, calculum felleæ cistis non esse tartareum salino-terreum, sed generari ex bile glutinosa viscida, quod constat exinde, quia in aqua calida ferme tota solvitur. Spiritus vini rectificatus ipsi affusus extrahit tincturam flavam amaricantem, quæ mixta cum aqua lacteum constituit colorem.

(*b*) *Ventriculi torminibus.* Jenæ ensifaber ante ni fallor octodecim annos sectus miram vesiculæ biliariæ structuram habebat, utpote ingens erat amplitudo & longitudo ejus, ultra 366. grana instar pisorum, partim & globulorum bilis coagulatæ tenebat. Per integrum vicennium dum viveret, intolerabiles patiebatur dolores, & putabat se habere in corpore carbones ignitos. In pertinaci ictero diritissimi sæpe cruciatus conjuncti sunt, dū alvus simul adstricta est, & bilis subtilior, obstructo poro cholodocho, per poros vesiculæ facilius transit, & acrimonia sua, partim

partim & calore afficit partes contiguas. De quo legi meretur elegans *observat.* 47. *Cent.* 3. *Starpatii* van der Miel.

(*c*) *Sulphuris martialis*. Est nihil aliud quam specificum Authoris antihydropicum. Mars duplicem habet substantiam, unam adstringentem, alteram aperientem, quæ etiam commode ab invicem certa encheirisi separari potest, hinc anticachecticum martiale, si non rite præparatum fuerit, separata nimirum substantia martiali adstringente, vix satisfaciet indicationi deobstruendi. Quapropter rite illud paratum medicamentum excellentissimum est antihydropicum & anticachecticum, quod si non majorem, saltem parem cum Dn. Authoris specifico habebit efficaciam.

CAPUT XXIV.

De funestissimo dolore Oculorum.

MIrabilis oculi textura vix ullam patitur molestiam; & ubi in aliquam incurrit, non est credibile dictu, quantum doloris in homine concitet, nec quiescit, donec eam a se depulerit. Quidam Tabellio nomine Antonius Mazini, annos 35. natus, tunc in via S. Isaias, modo in Montanis prope Albergatum commorans, tribus mensibus atrocissimus utriusque oculi dolorem patiebatur. Toto illo tempore duorum Medicorum ope frustra usus erat. Nos ad pituitam humoremve salsum foras propulsandum, dedimus decoctum hidroticum phlemagogum 20. diebus. Ad capitis robur conciliandum capiebat sub vesperam saccharum rosaceum, cum magisterio Lunæ, quibus duobus pristinam salutem recuperavit.

Sunt nonnulli dolores Oculorum, in quibus isthæc methodus non servatur. Ubi enim inflammatio causa est doloris, ab ebulliente tartaro, pilulæ catholicæ primas tenent, quibus sæpe addimus gran. iv. (*a*) *opii* correcti, & maxime in robustis; & præsertim si a capitis gravedine malum inceperit: in delicatulis specificum stomachicum non raro sufficit.

(*a*) *Opii*. Commode purgantia opio immiscentur in gravioribus doloribus ad manuductionem *Rondeletii lib.* 11. *cap.* 26. *Deodati valetudinario pag.* 191. *& Riverii in praxi passim*.

CAPUT XXV.

De admirabili Dolore Colico, raro & incurabili habito, cum continuis vomitibus.

QUi morborum causas ex falso dogmate tradunt, non rationales & canonici Medici, sed larvati & nudi circulatores, (*a*) *Empiricis longe pejores* habendi sunt. Hoc frequentissime nobis innotescit in curandis ægris, & maxime in his, qui sola arte curantur. (*b*) *Coli dolor* ubique terrarum frequens est. Causas conjunctas flatus esse certum est; flatuum pituitam; pituitæ, jecoris intemperiem frigidam. Si ventriculi pariter inæqualem intemperiem addat, universalem morbi cognitionem habere ne diffidas. Indicationes, ex

qui-

quibus medendi methodum eſtormant, ſi rite perpendas, non niſi ſubtilem dicacitatem ad cathedræ pompam inventam comperies; ſed pedantiſmo ejuſmodi relicto, de raro & vix a quopiam viſo caſu dicamus.

D. Victoria, D. Nicolai de Fabris Pharmacopolæ, prope divi Laurentii Templum, uxor, ter intra quindecim annorum ſpatium coli dolore derivata fuit, cum continuis vomitibus. Principio cum juvenis eſſet, morbum ſex menſibus pertulit, quo tempore multorum Medicorum opera uſa eſt. His invitis dolor perſeveravit, & in inſignem maraſmum incidit, omnia quæcumque ederet evomens; ſic ipſa miſere vitam trahens, a Medicis tanquam incurabilis relicta eſt. Eſt enim quædam Medicorum ſpecies adeo indocta, ut ſi morbus fuerit curatu difficilis, morbum ſtatim non eſſe naturalem, ſed a Lamiis clamitent: eorum ſtultam vafritiem in præſenti detegere non eſt animus, alibi tamen Deo favente. Cum vero minus de ſalute cogitaret, dolor ſenſim remittitur, & ſponte nullis adhibitis remediis convaluit, & ſana ab eo tempore vixit circiter ſex annos. Deinde (c) *ſecunda vice* in eundem dolorem incidit, cum iiſdem continuis vomitibus: Doloris ferociam, ut retunderent alii Medici, pul. Eleſcoph. ipſi pluries dederunt, ol. amygd. dulc. pariter pluries, Aquam Tetucianam per multos dies, Philonum R. theria. triferam M. & alia prope infinita; extrinſecus fomenta, emplaſt. ſaccul. unctiones innumeras, clyſteres quoque ſine numero, & hæc omnia incaſſum; cumque ad multos dies ſine Medicis, & ſine remediis vixiſſet, ad eam inviſendam perducor. Singulis ad amuſſim expenſis, (d) *faces in inteſtinis mirum in modum induratas* eſſe agnoſco, propterea longo tempore nullas ejeciſſe; eas hac de re aliqua arte emolliendas eſſe impero: hinc Balneum cum emollientibus præſcribo, uti cum althæa, malva, parietaria, viol. branc. urſina, praſſ. alb. menth. majoran. camomill. & melilot. in vino & aqua cocta: manebat in ſemicupio ad mediam horam, paulo ante hauriens ʒ. j. ol. amygdalar. dulc. hoc non evomebat, propter exiguam quantitatem & ventriculi inanitionem. In prandio, unica res, & pauca dabatur, ne ipſam evomeres. Sero duabus horis ante cœnam reiterabat Balneum, & paulo ante cœnam ſumebat circiter ʒ. ij. vini ſequentis. Rec. fol. ſenæ ʒ. v. ſaſſafras, cinnamomi, an. ʒ. ij. aniſi ʒ. xv. infunde in ℔. j. vini albi per horas duodecim, & fiat vivum: His ſolutæ ſunt fæces, & quotidie deponebat alvum. Ad ventriculi robur ſtabiliendum, gran. 10. ſpecifici ſtomachici paulo poſt cibum capiebat, cum pauco vini albi, & hac methodo probe convaluit. Quatuor, vel quinque annis exactis in eundem affectum incidit, cui ut ſuccurreret, præfatam methodum ſervat, at nihil opis; qua de re iterum accerſitus, novum ordinem aggredior. Prima die flor. Antim. corr. gran. iij. exhibeo. Sequentibus diebus ſalis Martis gr. iv. cum conſ. roſ. Singulis quinque diebus reiterabantur dicti flores: ſic tutiſſime ſanitati reſtituta fuit, in quo animadvertere licet, tartareum hunc affectum uno eodemque modo curari poſſe. Ab hac cura annos quinque ſana vixit.

(a) *Empirici longe pejores*. Si fateri licet, quod res eſt, nil niſi ſubtilis empiria, veris rationibus deſtituta, facundia ſaltem & ingenio tecta, haſtenus inter

ter plures medicos regnavit, qui ſapientiſſimi etiam videri volebant. Nullus enim fere rationalis medicus cenſendus eſt, niſi qui Phyſicus ſit, & principiorum naturalium exactam cognitionem habeat. Plurimarum in medicina ſectarum ac errorum originem ignorantiæ naturalis Philoſophiæ adſcribendam eſſe, veriſſimum eſt. Equidem non exiſtimandum, antiquiores & omnes, qui tali philoſophia carent, ob eleganter fideliſſimeque multa tradita negligendos penitus eſſe; Utpote ex quorum ſcriptis hiſtoriæ & morborum obſervationes, & quæ ad prognoſin pertinent, ſufficienter peti poſſunt, illis tamen anteponendos credo, qui altius & ſubtilius excollunt ipſam naturam & ejus ſtudium, in ſubſidium vocatis experimentis variis ex mechanica, anatomia & chymia deſumptis. Non tamen & hic in mera ſubtilitate ſubſiſtere, ſed & fructus inde petere, et omnia transferre ad uſum debent; unde non minus a prudentia & uſu, quam ſcientia commendandus eſt medicus.

(*b*) *Coli dolor*. Præ aliis inteſtinis colon maxime exquiſito ſenſu gaudet propter ligamentum tendinoſum, quo cellulæ per longitudinem dicti inteſtini percurrentes conſtant.

(*c*) *Secunda vice*. Dolor colicus ſi frequentius invadit, ſubeſt plerumque ſcorbutus vel affectio hypochondriaca; hinc ſtomachica cum carminativis mixta & ſæpius in uſum ducta, commodum inveniunt locum.

(*d*) *Fæces in inteſtinis induratas*. Fumus lithargirii hauſtus in metallurgis contumaciſſimam cum crudeli coli dolore efficit obſtructionem alvi, ut ſitum nonnunquam contrahant excrementa. De quo latius videri poteſt *Stockhuſius in tract. de lythargyrii* fumo noxio. Conveniunt hic maxime balnea, emollientia, nec non clyſteres mere oleoſi, qui etiam in colica convulſiva præſentiſſimam ferunt opem, aliis Clyſteribus prorſus languidis & dolores magis exaſperantibus, maxime ſi ſubſiſtant et in copia injiciantur.

CAPUT XXVI.

De contumaciſſimo, & ab omnibus deplorato dolore Colico.

COnſimilem dolorem formoſa juvenis, annorum 20. nomine Victoria de Vitalibus Comica, patiebatur: (*a*) *vomebat pariter* quidquid aſſumeret, & continuis coli doloribus cruciabatur. Toto trimeſtri duorum Medicorum opera fruſtra uſa eſt: (*b*) *ſanguinem* eo tempore bis *e pedibus* detraxerunt, toties pariter e brachio, purgationibus ſemper præmiſſis, ſolitos ſyrupos mitto, julepos, decoctiones, conſervas, pilulas, theriacum, philonium, pilulas de cynogloſſo; pulverem Eleſcoph, aquas Theriacales, cinnamomum, piper integrum, & pleraque alia diſcutientia. Præfatis Medicis duo alii ſuperadduntur, qui primis nihil feliciores, integrum menſem inaniter inſumpſerunt, etſi priorum mutatis ordinibus, pro calidis frigida reponentes. Tandem in extremam maciem deductæ cum ſalutis nulla ſpes ſupereſſet, ad eam perducor. Tanti morbi cauſis ad unguem explanatis, curam exordior per ſpecificum ſtomachicum. Mane ergo exhibita fuerunt gran. 15. ex quibus robuſtior factus ventriculus cibum diutius retinere cœpit. In veſperis exhibita fuit pilulas ex gran. xij. pilular. catholicarum, & gran. iv. laudin. Sequenti die reiteratur ſpecificum ſtomachicum, & in ejus uſu perſeverat ad quindecim dies, bis in die, quibus integram & firmiſſimam recuperat ſanitatem.

(*a*) *Vo-*

(a) *Vomebat pariter*. Vomitus & continui cruciatus coli a dolorifico ventriculi & inteſtinorum ſpaſmo proficiuntur. Spaſmus ab obſtructione pororum inteſtinalium & hinc orta flatuum copia provenit: ubi enim obſtructio pororum talis, ut effluvia per illos non legitime tranſire queant, ibi diſtenſio illarum partium naſcitur moleſta, quæ a flatibus provenire dicitur. Quare in omni colica diaphoretica cum carminativis mixta laudem merentur, uti infuſum calidum chamomillæ romanæ, hederæ terreſtris, ſpiritus volatilis oleoſus, ſpiritus de tribus carminativus *Michaelis*, ſpiritus tartari volatilis cum ſpiritu nitri mixtus. Extrinſece balnea ex herbis emollientibus & carminativis, quatenus obſtructiones removent & fibras tenſas & conſtrictas laxant, egregie opitulantur.

(b) *Sanguinem e pedibus*. Colica varia eſt, vel humoralis, vel nephritica, convulſiva, ſcorbutica, item hæmorrhoidalis. Obſervavi talem in viro, qui ſingulo fere menſe, patiebatur fluxum hæmorrhoidalem: quotieſcunque autem ille vel ex diætæ vel alio quodam vitio ſubſiſtebat, immani torquebatur dolore colico, quem ſpirituoſa et calida quævis nimium exaſperabant, levamen autem ſentiebat ex venæ ſectione & pulveribus præcipitantibus cum caſtoreo mixtis. Nullum dubium eſt, ſanguinem, qui ad ani extrema magno cum impetu ruebat, ibi & in meſenterio ſtagnantem copioſeque collectum, pathemata ejuſmodi ſpaſmodica excitaſſe. Colicam identidem venæ ſectione ſublatum *vid. in Riverio Cent. 1. obſ. 44.*

CAPUT XXVII.

De acerbiſſimo Abdominis dolore, matricali falſo habito, a novem menſibus patientiam ſupra vires divexante.

SI qua in re eluceſcit unquam nonnullorum ſupina ignorantia, maxime in his, quæ cum ſint notæ; ipſis tamen obſcuræ & impoſſibiles reddantur: quod obſervare mihi contigit in Nobiliſſ. muliere, nomine D. Claricea de Leonibus, ex Nobiliſſ. ſtirpe Illuſtriſs. de Nigro Florent. quæ anno ætatis ſuæ 35. in dolorem colicum ſenſim incidit, (a) *ob pituitam vitream* in inteſtinis coacervatam, hanc tartarum fæcale appellant neoterici. Propter ſtatum vidualem, & florentem ætatem, Medici, qui ejus curæ præerant, uterum incuſant, & ad uterum omnes curandi ſcopos dirigunt. Deus bone! quot matricalia remedia fruſtra inſumpſerint, recenſere pudet. Conſultationes ineunt pluries; ſic ludere de corio humano licet bis, qui ſe mederi canonice jactitant. Interea dolor efferatior redditus parentes impulit, ut me accerſerent. Nobilem patientem in ſacerdotum manibus invenio. Singula ab abſtantibus ſciſcitor: Medicorum fœdam & ſupinam ignorantiam agnoſco: colicum dolorem a Tartaro paroxyſmante invenio: ſanitatem ipſi polliceor, quam ſic brevi per me a Deo conſecuta eſt. Ad paroxyſmum itaque, dolorem videlicet, ipſam immaniter dilaniantem, pilulam ſequentem ipſi præſcripſimus.

Rec. Pilul. catholicarum gran. xvj. laudani gran. iv. Miſce, fiat pil. j. quam primis diebus devorabat veſpere; mane vero ſpecificum ſtomachicum. Et quia tota regio viſcerum naturalium erat infirma, ad complures dies dedimus

ſulphur Metall. quibus minime nauſeabundis totalem recuperavit ſanitatem; Domeſticus ejus Medicus propriis convitiis ſanitatem talem non deſtitit lacerare, & ignaram ſuam methodum ad ſidera extollere.

(a) *Pituitam vitream*. *Salmuthius Cent. 5. Obſerv. 78.* vidit in Italo quodam Colico conſumto diſſectoque totum colon pituita obductum, relicto ſaltem foramine digiti craſſitie. *Sennertus l. 3. Prax. de Clariſſ. Lipſio* refert. Hunc ſcilicet aliquando materiam adeo lentam & tenacem, paulatim in tota inteſtinali fiſtula a vita ſedentaria ac in ſtudiis contabeſcente coacervatam, ejuſque figuram remittentem per alvum rejeciſſe, ut ſe omnia inteſtina effudiſſe putaret.

CAPUT XXVIII.

De dolore Ventriculi a longo tempore contracto, cui ſævus & atrox colicus ſuccedit.

PErilluſtris D. Aloyſius Mozarellus, nobilis Ferrarienſis, annos 27. natus, optimi temperamenti, ab octo, vel novem menſibus permoleſtum ventriculi dolorem patiebatur, qui cum quotidie invaleſceret, ad manus noſtras curandus venit. Antequam vero ejus curam ſerio aggrederer, ipſi obortus eſt atrociſſimus dolor colicus, cui ſucceſſit horrendus vomitus, & inſigni alvi ſtypticitas. Ad ſaburram tartaream, ſeu pituitam excrementitiam, in prima regione conſiſtentem, exiguam quantitatem (a) *ſalis vitrioli* exhibuimus, cujus beneficio multum pituitæ per os ejecit. Cum vero per alvum nihil depoſuiſſet, non deerant, qui ſuaderent, ut aſſumeret medicamentum ſcammoniatum; Nos contra, nam ubi adeſt jecoris intemperies, ſeu prava conſtitutio, ſcimus ſcammoniatis nihil eſt deterius. Quapropter non tam Gall. authoritate, 9. & 11. *methodi*, quam propria experientia freti, roborantibus, incidentibus, & attenuantibus uti maluimus, quam purgantibus, & laxantibus: etenim certo ſcio, ipſum (b) *in pejus ruiturum fuiſſe*, ſi talia aſſumpſiſſet. Nec raro obſervavimus, inde exortos fuiſſe volvulos, hydropes, & ſimiles affecti incurabiles. Loco igitur ejuſcemodi medicamentorum, hoc accepimus.

Rec. Auri diaphoretici gran. iij. ſpecifici ſtomachici gran. xx. cum conſer. cydon. fiat bolus. Prima doſi dolor mitior factus eſt valde; ſecunda, is in totum ſublatus fuit; tertia & quarta, confirmatus, & priſtinæ ſaluti reſtitutus. Medicamentum eſt gratiſſimum, famelicos ſpiritus reſtaurat benigna ſua præſentia, & mordaces fervidoſque vapores mitigat, retundit, & fugat. Verum ſtupent omnes, quomodo hæc peragam citra fæcum ſubductionem: ſtercorarios Medicos ejuſcemodi nunc noſtra reſponſione indignos cenſemus.

(b) *Salis vitrioli*. Hoc ex capite mortui vitrioli elicitur ad drachmam unam, ſi vitriolum martiale fuerit, ſi venerem, ad ſcrupulum unum propinatum, vomitus in inſtanti parit, & pituitam viſcidam educit, magna in copia. Ut adeo vitrio-

vitriolatorum emeticorum usus non prorsus contemnendus sit, quippe quæ, ubi vitrea pituita ventriculus obsessus & robustior natura est, longe efficacius & præsentius operantur, quam Antimonialia. De horum egregio usu fusius videri possunt *Angelus Sala*. *Christianus Langius in Misc. N.C.*

(*b*) *In pejus ruiturum*. Purgantia præprimis drastica & acriora gravissimos morbos excitare & augere, præpostere si adhibeantur, possunt. Crudelem dolorem colicum exinde ortum Author est *Forestus Lib.* 21. *Observat.* 13. *Item Bartholin. Hist. Anatom. Cent.* 4. *Observ.* 23. Maxime autem hydropem & abdominis tumores augere solent incautius adhibita. Agunt enim illa ipsa spasmodica fibrillarum intestinalium constrictione, unde pori & tubuli vasorum lymphaticorum magis clauduntur, & libera circulatio lymphæ per abdominis viscera sic impeditur, unde tumores incrementum accipiunt.

CAPUT XXIX.

De dolore Abdominis inveterato, Uterino habito, cum insigni Ventriculi imbecillitate.

QUi morbos ex arte curandos, suscipit, eos primo cognoscere necesse est: atqui ut morbum cognoscamus, partem, cui insidet ipse, pervestigare convenit; At ubi in eodem loco, in abdomine videlicet, plures sunt partes, doloris situ ipsam distinguere non est facile; ab actione læsa, pariter difficile; a retentis non minus. Totius ventris actio sic læditur: aderat vomitus, alvi adstrictio, menses valde diminuti, urinæ crassæ & subrubræ, unde (*a*) *jecur*, & per consequens omnes partes naturales, laborare, verosimile erat, quæ loco sanguinis, cum multum pituitæ generarent, eamque ad intestina detruderent, ibi flatus, a quibus dolores.

(*a*) *Jecur*. Vomitus, alvi adstrictio, menses valde diminuti, urinæ crassæ & rubræ, pathemata hypochondriaca sunt, quæ non semper ab obstructione glandularum meseraicarum dependent, sed latet potius vitium in visceribus sanguinis & lymphæ depurationi inservientibus. Horum tubuli excretorii si obstructi sunt, non tantum sanguis crassus & viscidus, verum etiam impurus generatur, & circulatio ejus æqualis ac libera impeditur, unde consueta symptomata hypochondriaca propullulant, quibus removendis *Dn. Author* prudenter ponit pilulas Martiales & specificum stomahicum.

CAPUT XXX.

De dolore Ventriculi, post cibum, in sene 66. annorum

DUm hæc typis mandare decreveram, occurrit nobis Reverendiss. Abb. D. Salvatoris, annorum sexaginta sex, curandus: Is a multo tempore (*b*) *ingentem ventriculi dolorem* patiebatur, cui occurrendo, multa usualia toto illo tempore inutiliter assumpserat. Medici qui eum curabant, hunc affectum non minus ignoranter quam audacter, incurabilem esse pronunciabant, Hipochondriaci nomine ipsum falso designantes. Nos tanti

doloris causam, esse flatus ab imbecillo calore ortos, judicavimus. Durabat is dolor duabus, aut tribus horis a prandio usque ad sequentem diem. Tantam Medicorum ignorantiam demiratus, ut qui fractis viribus cathartica imponere audent, & totam curam in evacuationibus reponunt: insuper de immodico calore jecoris bonum senem incusantes. Nos qui expultricem fractam, & debilem in senibus probe cognoscimus, excrementum tartareum in ventriculo, & intestinis coquere, atterere, & expellere curavimus, idque duobus specificis, specifico videlicet stomachico, & pilulis Martialibus. Ad doloris vehementiam cito retundendam, Pilulam sequentem porrigebamus.

Rec. Ambaris grisei gran. ij. Moschi, croci oriental. an. gr. j. Opii Thebaici gran. iv. Misce, fiat pilul. una. Pilularum Martialium descriptio habetur in nostra *Pharmacopœa Spagyrica*, *cap. de Pilulis*. Medicus, qui novit Tartari naturam, non rixatur circa quæstiunculas de calore & frigore; sed altiora & certiora contemplatur. Uni tandem specifico cura tota committitur.

(*a*) *Ingentem ventriculi dolorem*. Producitur dolor in ventriculo maxime a flatibus, qui sopori tunicarum ventriculi obstructi sunt, gravius infestant, & orificia ejus nervea & exquisiti sensus lancinant & vellicant; Quo casu Elixiria balsamica, essentiæ carminativæ cum pauxillo castorei & opii mixta conferunt. Nonnunquam etiam animis corrosivo acido liquore gastrico in melancholicis & hypochondriacis dolor intensus exsurgit, qui post coctionem peractam præcipue invadit, ubi acidum saturantia & imbibentia commodum locum inveniunt.

CAPUT XXXI.

De dolore ventriculi.

QUidam Monachus Sacrista Rever. P. Cælestinorum, annos 35. natus, insignem ventriculi dolorem a nonnullis mensibus patiebatur, cui nihil profuerant pilulæ de hiera, mastichinæ, pulveres digestivi, syrup. de absynthio, aquæ Tecutianæ, &c. Extra fotus, litus, olea, unguenta, & cerata. Tandem usu (*a*) *decocti ligni sassafras*, ad 10. dies convaluit.

(*a*) *Decocti sassafras*. Uti dolor colicus sic quoque ventriculi ex obstructis poris maximam partem dependet, quare quæ sudorem movent, uti sunt: decocta lignorum calidissime hausta, plus præstant, quam alia remedia. Hanc ob causam quoque in Colica flatulenta Clysteres, quibus diaphoretica & spirituosa immixta sunt, solamen præ cæteris afferunt præstantissimum. vide *Solenander Consil.* 18. *Sect.* 3.

CAPUT XXXII.

De dolore ventriculi acerbo, Taccamahaca sanato.

PLurimos recensere possem, qui solo (*a*) *cerato* ex Gum. Tuccamahaca convaluerunt ex acerbissimis ventriculi doloribus. Extendatur Gum. ferro,

ferro, vel piſtillo, vel alio calido ſuper alutam. Velut idem Gum. frequentiſſime uſurpamus adverſus vagos membrorum dolores: Caragna tamen magis eſt efficax. Utrumque ex India ad nos convehitur. Pix noſtra, quam navalem dicunt, iſtis non eſt inferior; at exotica majoris ſemper habentur.

(a) *Cerato*. Emplaſtra ſtomachica ex Gummatibus, reſinis, balſamicis, & oleis aromaticis parata, ac regioni ventriculi applicata, roborare dicuntur ventriculum, quatenus effluviis balſamicis ſulphureis fibras nimis laxas erigunt, & particulas viſcidas obſtruentes reſolvunt & diſſipant.

CAPUT XXXIII.

De Aſcite, duplici quartana, lienteria, &c.

HYdrops longis morbis ſuccedens ſemper læthalis, maxime ubi plurimis ſymptomatibus ſtipatur. Superioribus annis, juvenem 30. annorum Venetiis curavimus, ex hydrope, duplici quartana ſuccedente, cui aderant ſitis ingens, mira inappetentia, vigiliæ permoleſtæ, & diarrhœa. (a) *Quartana* per duos dies vehementes excruciabat patientem, frigore, & calore. Hæc vero quartana præterito anno Patavii illum invaſerat, & ibi doctiſſimorum Medicorum conſilio uſus eſt tota hyeme; at reluctante febre, novus emerſit morbus, Hydrops videlicet, cui ſe junxit diarrhœa: Tunc Venetiam in propriam domum ſe tranſtulit, ubi iterum duorum Medicorum conſilio utitur, nec propterea rediit deſiderata ſalus. Eo advocor: Ægri ſtatum conclamatum etſi exiſtimarem, aurum Diaphoreticum tamen ipſi exhibeo, ex quo intra quatuor dies inappetentia, & vigiliæ corriguntur; perſeverat ad nonnullos dies, unde febris miteſcit, detumeſcit venter, & ſingula ſymptomata evaneſcunt. In hoc affectu mirum fuit, quomodo (b) *longiſſima*, dura, & tenuia corpora tanquam inteſtinorum particulas ex arte conciſas, excreverint, lumbricorum pelles arbitrabamur, at capitis & caudæ nullum veſtigium, durities major, & longitudo, lumbricis longe prolixior. In hoc caſu multa dicerem de mala hominum natura; ni ſupremo numine monitus eſſem, qui pluit ſuper juſtos & injuſtos, & omnibus æqualiter benefacit. Quartana febris Medicorum opprobrium merito cenſetur. Ecquid quæſo notus eſt morbus? Ejus cauſa in atra bile dicitur conſiſtere, quidni ipſa purgata, & tot tantiſque contrariis ad officium redacta, non ceſſat febris? Medendi methodum nobis toties inculcant, indicationes, quibus ab empiricis ſe diſcrepare jactitant, ad ſidera extollunt: & ubi de minimo morbo curando agitur, imbecilles ſunt, & nullius momenti, & tanquam aſini ad lyram, quid agant plane ignorant.

(a) *Quartana*. Nullus morborum natura ſua tam lentus & contumax eſt, quam febris quartana, quæ etiam multorum ſeculorum decurſu, in ludibrium tranſit medentium. Notarunt antiquiores, plures in annos ipſos protractas, modo triſti, modo felici eventu: vid. *Joſ. Rhodius Cent. 1. obſ. 14. Gabelchofer Cent. 6. Obſ. 47. Marcellus Donatus Hiſtoria Medica cap. 14.* Nos autem hodierno tempore, per Dei beneficium,

altius in causas morborum penetrantes, & præsentioribus remediis instructi præ veteribus, etiam desperatis ac rebellibus morbis, medendi gloriam nobis vindicamus.

(*b*) *Longissima*. In Febre hac crassitie humorum ad aciditatem vergens maxime delinquit. Præter alia confirmant hoc, suppressio sudoris, cutis sicca, arida; item facilis quartanæ transitus in melancholiam hypochondriacam, hydropem, icterum nigrum. In dissectis cadaveribus quartanariorum sanguinem crassum, lentum, corporaque alba reperiisse, testatur *Scehnck. in observationibus*.

CAPUT XXXIV.

De Hydrope Ascite, febre lenta, macie incredibili, duabus fistulis in Crure dextro, &c.

ANno 1627. mense Novembri, Bononia Mediolanum accitus, ut Illustriss. D. D. Joannes de Corduba inviserem, D. D. ad extremum vitæ deveniisse comperio. Hac de re potius de recessu, quam de ejus cura cogitabam: At in ejus domicilio duos Medicos invenio, qui enixe me rogant, ut saltem in ejus gratiam, & illorum benevolentiam, aliquid dicere vellem. Deliberato, sequenti die nos simul esse consulturos, substiti. Primo loco dicens retulit, quomodo septennio elapso, fœdam luem veneream contraxerat, & quomodo a complurimis Medicis curatus fuisset; tandem in coxa obortum esse apostema, cui fistulæ duæ relictæ erant. Causas morbi, indicationes, prognosim & therapeiam expendens, socio cuncta amplificanda reliquit. Is longa & nimis prolixa oratione, morbum sua natura incurabilem, pronuntiat; omnem movisse lapidem, ut opportuna inveniret remedia; nihil ex arte reliquisse; huc usque canonice curatum; Morbum e superis, non humanum, sed divinum exposcere auxilium. Singulis hinc inde auditis, omnia (ut moris est) laudo, doctrinam, prudentiam, & solertiam propriis extollo encomiis: viam tamen intactam adhuc supereſſe, qua complurimos conclamatos e faucibus Orci eripui, & hanc legitimam, & plane canonicam censeri, nec obstare, si scholis invisam, & vulgo Medicorum ignotam. Docebam insuper communem medendi methodum vanam, & irritam esse. Nullum esse purgantibus locum. Alterantia, aperientia, incidentia, & attenuantia, huc usque frustra adhibita fuisse. Chirurgica omnino contraria, vires ne quidem minimam Chirurgicam operationem sufferre posse, sed seligendum aliquod medicamenti genus, quod Solis instar, Microcosmi exhauriat aquas. Tale commemorare Paracelsum, *sub fine sexti Tomi operum suorum*, at pauciſſimis notum, atque id ipsum cum plerisque aliis ex arte occultasse, atque id ipsum revelandum proprium ejus genium requiri. Nos tamen post diuturnos labores, longamque contemplationem, quidpiam simile inveniisse; unde ægri corpusculum calore destitutum ejusmodi remedio concalefieri, & ad meliorem conditionem reduci possit, sensim postea aquas insensibiliter exhauriri, semper roborando, citra ullam manifestam operationem, & merito medicamentum hoc Soli macrocosmi æquiparari, qui e terris omnem absumit humiditatem,

beni-

benigno & vivifico ſuo calore. Ægræ tamen ferebam, tam pretioſum medicamentum in ancipiti, & deplorato caſu profanare, at tam longo iter emenſo indecorum erat, aſymbolum veniſſe. Qua de re concordes, ipſi porrigimus antedictum præſidium, quater in die in cochleari argenteo, cujus ope ſenſim recuperat vires, appetitum, ſomnum, & ad omnia melius ſe habet, detumeſcit venter, & intra ſeſquimenſem penitus convaluit. Medicamentum erat (*a*) *Sulphur metall. quod alibi Aurum diaphereticum, quod ex auro fiat potiſſimum.*

(*a*) *Sulphur metallorum*. Medicamenta metallica heroica, quale eſt ſulphur metallorum & aurum Diaphoreticum *Dn. Authoris*, in morbis magnis rite adhibita nonnunquam præſtant miracula. Quid *Paracelſus*, *Helmontius*, *Knæpffelius* mercurio ſuo diaphoretico effecerint, in foro medico notiſſimum eſt. Edidit nuper *Praxin Medicam Italus quidam Lucas Lozzi in qua pag.* 319. tale deſcribit remedium mercuriale: Febribus fere omnibus prodeſt mercurius fixus, qui vomitum non movet, nec dejectionem, niſi cum catharticis jungatur, illamque blandam nimis & moderatam, color rubet, ut corallorum pulverem æmuletur, comminuitur in pollinem, & inſtar cinnabaris tingit, igni reſiſtit, neque a lixivio reviviſcit aut permutatur, levis eſt, nec temporis diuturnitate, quicquam aut virtute aut mole diminuitur. Mirabiliter autem operatur in doſi 3. aut 4. granorum, cum aliquo electuario commiſtus. Luem etiam veneream quamvis diuturnam & inveteratam doloribus articularibus, ulceribus tumoribus cæteriſque ſymptomatibus comitatam, brevi depellit & curat, nec unquam memini ſæpius ejus doſin repetiiſſe, quin certo morbo hunc funditus debellaverit.

CAPUT XXXV.

De Cachexia, & Leucophlematia, poſt inſignem Hæmorrhagiam.

INcurabilem, & penitus deploratum Hydropem, Hæmorrhagiæ, ſuccedentem, quotidie experimur: nam (*a*) *in magno ſanguinis efluvio*, fit maxima caloris, & ſpirituum jactura; quemadmodum prava ſuccorum concoctio, a qua phlegma & aqua. Sic contigit Doctiſſ. & optimo viro, Admod. Rev. P. Roſſano, tunc collegii Bonon. P. Jeſuit. Rectori, qui poſt longam, & continuam ſanguinis fluxionem, in Leucophlematiam inciderat, pedes, & tibias inſigniter tumentes habens, cum inſigni ventriculi imbecillitate; unde inappetentia, ſitis, &c. (*b*) *ad hæmorragiam firmandam* coral. Tinct. ſaccharo roſaceo miſcebamus. Ad ventriculi, & aliarum partium naturalium robur conciliandum, ſpecifico noſtro ſtomachico, cum conſ. roſarum contenti fuimus, quibus gratiſſimis priſtinam recuperavit ſanitatem. Videat interim, ſi ſciant, illi, qui ſe lactitant canonice mederi, num cura hæc tuta, vera & legitima ſit. Quid ſi medicamenta hæc ipſis non ſint nota, an propterea non ſunt canonica? Ejuſcemodi Ariſtarchis conſulerem potius, ut naturæ miraculis ſedulo operam darent, quam inani & infrugifero ſuo cachinno. Sæpiſſime demiror, quomodo ad ſidera eorum pedantiſmus ab his, qui docti habentur, extollatur. Scio, quantum apud mortales valeat exterior apparatus. Pauci ſunt, qui docti ſunt. Non in verborum ſtrepitu, ſed in factis vera ſapientia reſidet.

(*a*) *In magno sanguinis effluvio*. Cachectici facile incidunt in hæmorrhagias, quandoquidem hæ ex vitio & obstructione alicujus visceris maxime hepatis eveniunt. Notanter scribit *Heurnius in Notis ad Aphor. Hipp. p.*193. quibus facies viridi colore est suffusa, ex hepate laborant: & signum jam jam adfuturi hydropis, frequens in his cruoris per nares effusio. Vidi tales cum a vini liberaliori usu æstuarent, & in hæmorrhagiam sæpius traherentur, tandem ictericos evasisse, mox in hydropem id malum abiisse calamitosum. Sanguis enim in motum adactus, cum libere propter obstructa vasa transire nequeat, in alia vasa irrumpens illa nimium distendit & aperit. Copiose autem cruore effuso, omnes motus & actiones vitales languidiores fiunt, & sanguificatio læditur, & multi crudi succi invenis, loco sanguinis remanent, qui calorem præternaturalem accendunt, pariter etiam obstructiones ulteriores fores pandunt.

(*b*) *Ad hæmorrhagiam firmandam*. Adstringentia in hæmorrhagia maxime ea, quæ ad obstructione visceris alicujus dependet, malum reddunt deterius, hinc cane pejus & angue fugienda: magis aperientia mixta cum nitrosis locum habere possunt, uti est Antimonium Martiale cachecticum cum duplicato mixtum.

CAPUT XXXVI.

De *Hydrope Ascite cum Anasarca*.

DOminus Paulus a Portu, annos XLV. natus, Ravenna ad nos Bononiam curandus venit. Is a quinque mensibus primo Anasarca, postea Ascite laborabat, cui ut suppetias ferrent Ravennates Medici, nihil intactum reliquerunt. Ad hunc deploratum affectum, Sulphure Metall. usi sumus XX. dierum spatio, cujus medio in totum detumuit & pristinam sanitatem recuperavit. Ut vero dictum medicamentum facilius (*a*) *vires suas exereret*, in principio, ter dedimus pilulas Catholicas ad gran. xxij. alternativis diebus. Ejusmodi Hydropem sensim contraxerat, nullo alio prægresso morbo, (*b*) *obstructis* fortasse primo *venis Jecoris*. Is erat fusci, & terrestris coloris in facie, urinæ paucæ & rubræ, cum siti, maxima inappetentia, vigiliis, summa lassitudine, & insigni alvi adstrictione. Causæ istius affectus tam intrinsecæ, quam extrinsecæ multiplices sunt. Quas vulgus Medicorum affert, satis probare non possum. Quicquid velint dicere de intemperie jecoris, nimis universalis est hæc, ut alibi dicemus, caret fundamento: magis particularis danda, quare videlicet sanguinis serum satis a renibus haud proliciatur; & quare resudans per meatus, sensim intra abdominis membranas se insinuet. Chymicorum placita studio brevitatis omitto. Interea placet juniores commonefacere, purgationes, quas in suis casibus solent usurpare, non modo esse irritas, verum utplurimum (*c*) *augere morbum*, quod quotidie experimur maximo ægrorum damno. Nonnullos esse incurabiles non diffido, sed hi tantum, ubi est substantiæ corruptio.

(*a*) *Vires suas exereret*. Martialia rite præparata & applicata, si ullum remedium, mirabilem opem præstant. Notandum autem circa illorum usum hæc sunt; (1.) ut ventriculi & intestinorum regionem liberam ab excrementis inveniant, quod commode efficitur lenioribus rhabarbarinis & salinis detersivis.

(2.) ut

(2.) ut motus imperetur poſt illorum uſum & accuratum regimen inſtituatur. (3.) Ut ſufficiens tempus ejus uſus continuetur.

(*b*) *Obſtructis venis jecoris*. In hydrope ſæpius peccat hepar, quoniam illud propter inſigne vas venoſum portæ diſpenſat motum ſanguinis, nec non ipſius lymphæ, propter copiam vaſorum lymphaticorum ibi exiſtentium, quare tubulis ejus obſtructis, vel tono ejus deſtructo, ſanguinis circulatio per meſenterium non rite ſe habet, unde lympha facile ſecedit, vaſa lymphatica diſtendit & tandem rumpit. In hydropicæ cadavere obſervata varia, inter quæ hepatis glandulas admodum tumefactas vide in *Ruyſchio Obſerv.* 45. It. in hydropicæ cadavere hepar male affectum, & veſicam felleam calculo ſcatentem vide apud *eundem Authorem Obſerv.* 86. 87.

(*c*) *Augere morbum*. In valentiorum hydragogorum uſu ſemper maxima ventriculi habenda eſt ratio: majori enim ex parte tonum illius labefactant, ſi frequentius, ut a multis ſolet exhibeantur, niſique ab illorum exhibitione ventriculi habeatur ratio, imminuta aqua flatus augebuntur, & deterior ſpecies hydropis & curatu difficilior inducetur, vide *Septalii animadverſ. med. pag.* 237. Præſtat autem evacuata primum parte materiæ per ſeceſſum viſcera roborare & ſufficienter aperire, deinde purgantia adminiſtrare.

CAPUT XXXVII.

De Cachexia, cum Aſcite incipiente, & febre lenta.

OPtima valetudo, qua nonnulli meorum amicorum fruuntur, mihi in mentem revocat curam, fere jam e memoria elapſam, qua multis exactis annis ſublevatus fuit Clariſſ. D. meus, D. Carolus Beccatellus, tunc forte trigeſimum ætatis ſuæ annum agens. Is in Cachexiam, & principium Aſcitis inciderat, cum graviſſimis ventris doloribus. Duorum, vel trium menſium ſpatio, alterius Medici opera uſus erat. Verum cum eſſet multitudine remediorum fractus, ad me, tanquam ad extremum Aſylum, confugit. Ad tot mala unico ictu jugulanda, (*a*) *ſulphur metallorum* dedimus, cum conſerva roſarum bis in die. Hoc pretioſum, & nobiliſſimum medicamentum vias omnes obſtructas reſerat, non calore (ut falſo poſſent arbitrari pſeudomedici) ſed reſtaurando naturam, refocillatis famelicis ſpiritibus: qua via, qua methodo infinitos prope e cymba Charontis eduximus. Sanis non minus conducit. Corpus ab omni materia tartarea præſervat: omne humidum ſuperfluum inſenſibiliter abſumit: catarrhos, ſeu quaſvis fluxiones ſiſtit; & mira alia præſtat, de quo alibi. Præparandi formulam a Paracelſ. traditam *ſub fine ſexti Tomi*, ænigmaticam eſſe ſatis patet: quod feciſſe conſtat, ne Sanctum daret Canibus. Nec eſt quod clamitent æmuli: non omnibus datum eſt adire Corinthum; virtutem enim poſuere Dii ſudore parandam.

(*a*) *Sulpur metallorum*. Præter hoc remedium tantopere ab *Authore* celebratum merito magnifaciendæ ſunt pilulæ *Becherianæ*, quæ meatus obſtructos aperiendo & ſanguinem fluidum reddendo, nec non viſcerum tonum roborando in chronicorum morborum cura magna præſtare poſſunt. Præter has & commendari

dari merentur extractum florum bellidos, absynthii, cent. minoris, vincetoxici, marrubii, resina ligni guajaci, flores Sulphuris, benzoes, crocus martis aperitivus, sal absynthii, radix ari, extractum rhabarbari: quæ cuncta in formam pilularem commode rediguntur.

CAPUT XXXVIII.

De Hydrope in sene.

HYdropem pluries commemoravimus in juvenibus, & ætate consistentibus, non sine labore fieri sanabilem; in sene rarissime, nec citra maximam difficultatem curari; & eo magis, quod ut plurimum a pulmonibus originem ducit; unde non nisi coactus, consimilium ægrotantium curam aggredior. Cum vero Bononia Parmam advocatus fuissem, ad curam Illustriss. Comitis Fortunati de Cæsis, annorum 67. Arcis Parmæ Gubernatoris, recusare non potui, quia ejus curam susceperim. Etenim Parmam deductus, labore & molestia insigni, cum tunc urgeret hyems, & itineri tunc me committere non auderem, precibus tamen adductus, factum est, ut lecticam conscenderem, Parmam contendens, ibique ad palatium dicti ægri perductus, nobilem patientem invenio in extremis constitutum, a Medicis omnino conclamatum, & solis sacerdotibus derelictum, ex quorum manibus sacram, & extremam unctionem recipit, sacra synaxi pro viatico præmissa, de funere potius, quam de Medico cogitans. Lachrymas, & patientem vix loquentem invenio, quocirca de recessu potius, quam de medicina facienda statuo. Parentes tamen, & amici me enixe obsecrant, ne patientis opinionem de me conceptam eludere velim. Ego qui crudele nimis existimo, impium, & omnino inhumanum, homini etsi morienti auxilium non ferre; ideo semimortuo patienti aliquot grana sulphuris metall. porrigo, cum vino, in cochleari argenteo, a quo melius respirare cœpit. Mane sequenti totidem grana reiterantur; tunc & dormire, & quiescere potuit. Ad octo dies perseverat, & ecce surgit e lecto, detumuit corpus, & sanus omnino videtur, per civitatem discurrit. A morte resurrexisse fatentur omnes; & cum quatuor mensibus eo in statu perstitisset, & solitariis vacaret negotiis, derepente inespectata mors eum invasit. Nos qui Bononiæ morabamur, præsentes mortis causam explorare non potuimus: (a) *alicujus visceris corruptionem* extitisse conjicimus.

(a) *Alicujus visceris corruptionem*. In juvenibus, & ubi viscera salva sunt, & hydrops ex suppressa quadam consueta evacuatione subnascitur, malum non adeo calamitosum existit, sed roborantibus extractis herbarum & radicum, martialibus, salibus lixivios & debito hydragogorum usu felicissime debellatur. Tali in casu etiam paracentesis opem ferre potest, cujus administratio in illis, cujus viscera sunt corrupta, magis mortem accelerat. Frequenti constat observatione, in hydropicis naturam per se quasi talem evacuationem seri superflue tentasse, maximo cum emolumento, *vid. Hildan. obs. 47. it. Decur. 2. Misc. nat. cur. ann. 1. pag. 187. it. ann. 8. pag. 182.* De hac re meretur legi *Septalius in annotationibus pa. 239.* Qui ita scribit: duos hydrope laborantes sanatos vidimus, vesicis in cruribus per se excitatis & disruptis, multa aqua per eam partem evacuata, exhibitis postea multis hepar roborantibus.

(a) Alii-

CAPUT XXXIX.

De Leucophlegmatia.

LEucophlegmatia, quam Anasarcam appellant, proprie jecoris vitium est, in eo, pro sanguine phlegma fit, non tantum in hoc affectu abdomen, sed totum corpus intumescit. Tribus annis elapsis Ferraria Bononiam venit ad nos tabellio quidam, nomine Joannes Baptista Chiapino, Leucophlegmatia totus tumens, facie, brachiis, ventre, cruribus, & pedibus mirum in modum distentis. Varia ad hunc affectum impune a Ferrariensibus Medicis acceperat medicamenta. Ad jecur roborandum nos accinximus; ea de re Electuarium sequens ipsi præscripsimus.

Rec. Specierum Dialaccæ, ℥.ß. Croci Martis ʒ.iij. conf. rosarum ℥.iv. misce. Dosis fuit ℥.ß. singulo mane. Electuario ejusmodi usus est, quindecim diebus. Singulis octo diebus Pilulam Catholic. xxij. gran. capiebat, quibus duobus pristinam recuperavit sanitatem, ad quam firmandam ali quot grana sulphuris metallorum dedimus. Hydrops Anasarca semper curabilis est, quia in eo non est substantiæ corruptio, Elaterium, Jalappa, mechioacan. radix, Gotta gummi, soldanella, medianus cortex sambuci, ebuli semen, & alia pleraque communiter usurpata, ut plurimum non modo non sanant, sed potius morbum augent, & miscellos in pejus præcipitant. Ricini semen, fabæ purgatrices, esula, turbith, ramni succus, & pleraque alia semper nos deceperunt. Cauteria, (*a*) *vesicatoria in tibiis*, & cruribus excitata, cum scarificationibus, pessima & funestissima experti sumus semper: quod dictum sit propter incautos.

(*a*) *Vesicatoria in tibiis*. *Hildanus Cent.* 1. *obs.* 3. scribit, se gangrænam in pedibus hydropicorum asciticorum vel centies observasse, si serum salsum in fasciis pedum hærens pedes madefecerit. De usu vesicatoriorum in hydrope sic scribit *Septalius cit. loco*: Nullos unquam spacio hoc 46. annorum, quo in magna hac urbe medicinam facio, curatos vidi, quibus a medico vesicantia cruribus admota fuere; sed fere semper gangrenæ subsecutæ sunt curatu impossibiles: ut optime etiam doctissimus Massaria longa experientia observavit. Idem sentiendum est de scroti apertione in hydrope. Lege de hac re *Bartholin. centur.* 1. *histor.* 64.

CAPUT XL.

De Hydrope Ascite, cum Leucophlegmatia.

HOnesta mulier, uxor .... Pistoris, post diuturnas febres, in leucophlegmatiam, & ascitem inciderat, cui succurrendo, a pil. Catholicis incepimus. (*a*) *Croc. Metall.* postea cum conserva rosar. complurimos dies accepit, a quibus perfecte sanata fuit. Menses, qui suppressi erant, foras erumpunt, & integram salutem recuperat. Juvenis erat viginti octo annorum, in quo animadvertere licet, in ea ætate morbos facilius edomari posse.

(*a*) *Cro-*

(a) *Crocum metallorum*. Non eſt ille emeticus, draſticus, ſed ſale communi correctus, notabile enim eſt, ſal commune vel gemmæ demere antimonio, ſi cum illo liquetur, ſuam vim emeticam & virulentam, commode ſubſtitui poteſt huic croco metallorum regulus antimonii medicinalis, qui cum antimonio martiali cachectico & ſale abſynthii mixtus in reſerandis obſtructionibus vix par habet: Sic etiam panacea Conerodingiana refracta doſi cum croco martis mixta, addito arcano duplicato, eundem in finem convenientiſſima eſt.

CAPUT XLI.

De Uterinis affectibus.

OMnes (a) *Mulierum morbos* ab utero provenire, ſanxit olim Hippoc. etſi contrarium quotidie experiamur: nam cum viris omne morbi genus patiuntur. Tres vero ſunt ſpecies, quæ potiſſimum conſiderandæ veniunt. Prima ſpecies, omnium frequentiſſima, in menſium diminutione conſiſtit; altera in immodico, & inordinato eorum fluxu; tertia in eorum motu, in quo de profocatione, & ejus prolapſu. Quæ mala, ut adverſa, varias habent cauſas, de quibus in ſingulis curationibus. Ad hæc tria, reliqua facile reducuntur. Sunt quidam morbi, quos communes appellant, utplurimum inde geniti, ut ſterilitas, & fœcunditas. Furor, & alia ſymptomata a retento, & corrupto ſemine orta. Origines ut faciles, facile cognoſcuntur, & facile curantur,

(a) *Mulierum morbos*. Effato *Helmontii* fœmina omnem morbum bis patitur, quatenus eſt homo, & quatenus eſt fœmina. Hoc certum eſt, mulieres frequentius corripi morbis, quam ipſi viri, partim propter menſium evacuationem ſuppreſſam, ingravidationem, partum, partim & quod in illis tranſpiratio ſit debilior, & ad ſpaſmodicas contractiones & ἀτροφίας motuum ſpiritus animales promptiores ſint.

CAPUT XLII.

De ſuppreſſione, & imminutione Menſium.

INfinitas fere mulieres numerare, quas (a) *facili, & tuta methodo* ſanavimus, nobis non eſt inſtitutum; nam non centurias, ſed myriades, & plurima volumina deſcribere oportet. At peculiari, certa & tuta methodo dicamus, quomodo primum imminutos menſes curemus.

Juvenes virgines frequenter in menſium ſuppreſſionem, & diminutionem incurrunt. Potiſſimæ cauſæ ſunt ſanguinis craſſities, & anguſtia venarum. Incipit utplurimum pubertatis tempore, ubi genitalium ſenſim invaleſcit ardor. Juvenibus complurimis, ob pravam viſcerum, jecoris & lienis conſtitutionem, menſium fit ſuppreſſio, diminutio, & coloris pravitas. Viſcerum mala conditio, ſæpe ab utero matris. Aliquando a mala educatione, a nutrice, a genere victus. At inſtituti limites excedere videor. Quæ a teneris annis ſenſim invaleſcunt pallidæ, & decoloratæ, id maxime illis contingunt ex mala viſcerum conſtitutione; quibus occurſurus, a ſequenti Apozemate incipio.

Rec.

Rec. Rad. fœniculi, apii, & graminis, an. ʒ. ij. cort. tamariſci, ʒ. j. ß. fol. ceterach. abſinthii, abrotani, matricariæ, chamædrys, chamæpitys, calendulæ an. m. j. fol. ſenæ Orient. ʒ. j. aniſi ʒ. ij. liquiritiæ, ʒ. ß. fiat omnium decoctum in ſufficienti quantitate aquæ communis, Colat. dulcoretur ſaccharo, clarificetur albumine ovi, & fiat Apozema, de quo capiat ʒ. v. vel ʒ. vj. pro ſingula doſi, per 7. vel 9. dies. Quibus exactis præbeo electuarium ſequens. Rec. conſ. roſar. ʒ. iij. conſ. beton. ʒ. j. Croci Martis ʒ. v. vel ejus loco limat. chalyb. præpar. ʒ. vj. miſce, capiat ʒ. ij. pro doſi ſingulo mane. Ubi per menſem uſa erit hoc electuario, poterit (*b*) *reiterari Apozema* præſcriptum, addendo radicum altheæ, valerianæ, an. ʒ. j. ß. pulegii, matricariæ, tanaceti, ſabinæ, an. m. j. (*c*) *ubi adeſt plethora*, ſanguinem e pedibus detrahere opportunum erit.

Quando vero ſupprimuntur, poſtquam adoleverint, & jam primo copioſe fluxerint, incipio a pil. ſequentibus. Rec. (*d*) *Galbani* purificati, ʒ. ß. Opopanacis, ſagapeni, myrrhæ, Ammoniaci, an. ʒ. ij. aloes ſuccotrinæ, ʒ. j. croci Martis, ʒ. j. ß. cum ſyrupo de arthemiſia, fiat maſſa. Doſis erat ℈. i.. & ʒ. j. Dantur ad quindecim dies, & ad integrum menſem. Ubi morbus eſt pertinax, nil magis opportunum Pilulis Catholicis, quæ ubi bis & ter reiterantur, omnem cachexiam removent & menſes promovent. Via eſt omnium facillima, & tutiſſima, & eſt uſus ſpecifici ſtomachici, auri etiam diaphoretici; quæ medicamenta ſenſim repurgant ſanguinem, craſſa & viſcida incidunt, & attenuant, & naturæ emiſſaria ab omni impedimento liberant. Nonnullis vinum ſequens mirifice profuit.

Rec. Limaturæ chalybis non præpar. ʒ. ij. Cinnamomi contuſi ʒ. j. Sacchari albi, ʒ. iv. Vini dulcis, albi vel nigri lib. ß. macerentur ſimul in vaſe vitreo: de quo quotidie capiat ʒ. ij. hora prandii; totidem hora cœnæ. Ad hoc nulla præmittitur purgatio. Hiſtorias plures commemorare poſſem hoc vino ſanatarum. Rurſus ſunt pulveres, & alia complurima; ſed hæc nobis experta tibi damus.

(*a*) *Facili & tuta methodo*. Curandi menſium ſuppreſſionem methodus *Domin. Authoris* ſat bona & tuta eſt. Martialia, decocta ex herbis & radicibus amaricantibus et ſale volatili oleoſo pollentibus, item purgantia ex gummatibus ſat potentia ſunt, acidum at viſcidum præternaturale edomare, ſanguiniſque ſpirituaſcentiam promovere, nec non capillaria uteri vaſcula obſtructa aperire. Sectio quoque venæ in cruribus, ubi menſes vel ſuppreſſi vel diminuti ſunt, præſens auxilium promittunt. Sæpius poſt venam ſectam aut unicum purgans datum redeunt menſes. Cautela hic attendi meretur practica, ut triduum circiter ante tempus ordinarium fluxus medicamenta propinentur. Si menſes diminuti procedunt, & ſufficiens non fit evacuatio, per ſanguinis ex talo miſſionem promovenda tunc temporis evacuatio eſt, quod bene annotavit *Septalius loc. cit. pag.* 288.

(*b*) *Reiterari apozema*. In decoctis menſes promoventibus exhibendis hæc adſit animadverſio, ut illorum magnam quantitatem concedamus, quo integris viribus ad uterum provenire poſſint; atque non ſolum ſanguinem in venis exiſtentem craſſiorem attenuare, ſed & eum, qui in utero impactus, et obſtruens impedimento effluxui eſt, ſecernere et ſubtilem reddere queant.

(*c*) *Ubi adeſt plethora*. Menſium ſuppreſſio etiam a nimia ſanguinis quantitate fieri poteſt. Nam obſervamus, venis a cruore nimium diſtentis, motum ſanguinis

& pulsum fieri languidiorem : simulac autem sanguinis quantitas demitur, protinus pulsus liberior & major fit, impulsusque sanguinis ad partes citior est: Quocirca observamus tribus diebus ante debitum purgationis menstruæ tempus venam in brachio sectam, corpore existente plethorico, longe liberiorem & largiorem postea fieri mensium fluxum. In suppressione mensium a nimia sanguinis quantitate venæsectionem in manu celebratam contulisse, in pede autem non, Author est *Riverius Cent. 1. obs. 2.*

(*d*) *Galbani* &c. Gummata omnia, maxime ammoniacum bdellium, myrrha, succinum, magnam potentiam habent menses movendi. Ratio mihi videtur talis, quoniam salia volatilia & olea destillata ceu subtiliora citius avolant, hæc autem cum oleo subtili copioso, particulis terreis immerso constent, diutius in sanguine morantur, & turgescentiam ac orgasmum in eo efficiunt majorem & longiorem.

CAPUT XLIII.

De immodico Mensium fluore cum leucophlegmatia.

HOnesta mulier ... uxor cujusdam calceolarii, in via *de Maramont*, a sesquianno immodicos, & inordinatos menses patiebatur, cui ventriculi dolor, sitis, (*a*) *leucophlegmatia*, & maxima anhelitus difficultas adjungebantur. Toto illo tempore multorum Medicorum opera usa erat; sed frustra, multa de more cathartica ipsi præscribentes, Gal. forte imitati in historia uxoris Boetii. Nos omnes intentiones medicas unico præsidio absolvimus, pilulis videlicet Martial. de quibus 3. j. quotidie accepit ad mensem. Medici loquaces, qui nesciunt applicare activa passivis, miseras mulieres in immensos gurgites præcipitant,

(*a*) *Leucophlegmatia &c.* Uti in nimia hæmorrhagia; sic quoque in nimio mensium profluvio obstructio & vitium quoddam est in abdominis visceribus, vel ad minimum spasmotice fortiores constrictiones in partibus interioribus sunt; unde liber & æqualis sanguinis commeatus impeditur, & motus æquilibrium tollitur; unde increscente motu in aliis partibus apertio ex nimia distensione vasorum & sanguinis eruptio fit. Quapropter pessime consuluimus talismodi ægris adstringentibus & opiatis, utpote quæ ut plurimum anxietates præcordiales, palpitationem cordis, calorem, dolores & hysterica pathemata augere solent. Revulsionis gratia vena in brachio bis eadem die aperienda est, vel etiam leniter evacuandæ sunt primæ viæ a sordibus biliosis: observavimus, sic post talem evacuationem remisisse statim cum doloribus lumborum & abdominis ipsum sanguineum profluvium. *Henricus Petræus in dissert. 47. & Riverius l. 9. prax. c. 5.* nec non *Mayerne in praxi p. 543.* lenia emetica commendant, quæ etiam bina experientia, ubi anxietas præcordialis maxima fuit juncta, deprehendi optima. Hoc certissimum est, sine evacuantibus raro tuto & citra recidivam hunc fluxum curari.

CAPUT XLIV.

De mensium suppressione, ventris dolore, ascite, lienteria, & respirandi difficultate.

ARs sæpe præstat ea, quæ rationis limites excedunt. Quædam honesta mulier, in via *di San Petronio vecchio*, natura delicata nimis, temperamento

to satis bono, annos 30. nata, uxor D.... nomine Franciſca, patiebatur longos, & acerbiſſimos dolores abdominis, quorum cauſa Medicorum duorum conſilio utitur, at incaſſum. Alter ex his mulierem eſſe prægnantem falſo prædixerat, ex eo quod abdomen inſigniter intumuerat. Cum veto (a) *venter in dies tumidior* fieret, ſitis augeretur, & univerſalis habitus collaberetur, ad nos, tanquam ad ultimum refugium, perducitur. Ad ventris tumorem, & lien eriam perſanandam, Electuario de Croc. Martis ad integrum menſem uſi ſumus. Propter vero flatus, & inſignem ventriculi imbecillitatem, de ſpecifico ſtomachico aliquot doſes dedimus: quibus gratiſſimis priſtinam recuperavit ſanitatem.

(a) *Venter in dies tumidior*. Non raro ſub ipſo hydrope latitat ingravidatio, hac cauſam ſæpius præbente ipſius hydropis: Nihil ſolennius eſſe ſolet gravidis fœminis plethoricis, quam quod nimium tumeant pedes, vel ipſe venter ab aqua: ab utero enim diſtento comprimuntur vaſa tam ſanguinea quam lymphatica, ſicque circulatio lymphæ impedita efficit tumores aquoſos. Poteſt hanc in rem videri Cl. *Dn. Albrecht in annot. ad Bontekoes Chirurg. p. 806.* Ulteri hydropem, quem fœtus comitabatur, obſervavit *Bartholinus in hiſt. cent. I. p. 9.*

CAPUT XLV.

De Menſium ſuppreſſione.

VIrginum myriades numerare poſſem, quas perfecte a menſium ſuppreſſione liberavimus. Tribus vero modis id præſtamus. Primo ubi adeſt Cachexia cum ipſa ſuppreſſione, ſpecificum Hyſtericum, cum croco Martis, maxime delicatulis exhibemus; aliis ſolum ſpecificum ſtomachicum; ſunt quibus (ut diximus) Apozemata aperientia, & hyſterica addimus. Hæc ſpeudomedici Empirica jactitant. Illi cum ſint ita vecordes, ut nihil ex ſe reperire poſſint, mirum non eſt ſi nihil boni præſtare poſſint: ſanguinem e pedibus frequenter detrahunt, purgationes ſæpiſſime celebrant; juſcula aperientia præſcribunt, frictiones inſtituunt, fonticulos in cruribus excitant, & (a) *ſexcenta alia* in vanum exhibent. Si quis ſine his tormentis quempiam ſanat, convitiis excipitur, & ut ſunt aſſueti nihil ſcire ſine commentario, a Gal. multa confixerunt, probos bonoſque Medicos varie traducentes, & quibus convitiis ſuo tempore Galenus, utuntur & ipſi. Vir vero cordatus, vaſtiſſimum pelagus iſtud ſulcare nihilominus nimis intrepide audet; ad unicam veritatis cynoſuram iter ſuum dirigit, quicquid in contrarium ruentibus ventis; immo ſi totus illabatur, orbis, impavidum ferient ruinæ.

(a) *Sexcenta alia*. Olim Empirici ad unumquemque morbum magna remediorum ſylva comparata, quodlibet nullo delectu ad curationem adhibebant. Id ſi forte parum profuiſſet, continuo ad alterius opem concurrebant, ſubinde facta mutatione, dum morbus vel ſponte, vel naturæ beneficio quam remediis potius ſaneſceret, poſtremo adhibitum totius curationis cauſam fuiſſe perſuaſi. Hæc ratio tantam remediorum ſylvam peperit, nihil ut toto obverſetur orbe, quod non in medicinæ uſum accommodetur. Medendi viam, quæ uni remedior. multitudini fidit parum tutam intelligens *Hippoc.* ipſo artis quaſi veſtibulo dixit, experimentum fallax; id nimirum, quod nec ratione, nec methodo nec judicio ſuffultum ſtabilitumq; ſit.

CAPUT

CAPUT XLVI.

De Uteri Tumore.

PLures in utero generari (*a*) *tumorum ſpecies* experimur quotidie. Carcinomata primas tenent, ut quæ omnium pernicioſiſſima, & curatu difficillima. In hac regione complurimas mulieres diro huic malo obnoxias comperimus. Nonnullas hac via ſanavimus. Primo, quando tumorem conſpicuum, aut ſaltem exiguo labore viſibilem nacti, uncino ferreo foras extrahimus, eumque tunc filo ſericeo fortiter ligamus, per filum extractum novacula ab utero præſcindo, citra ullum dolorem. Ad immodicam hæmorragiam, vitriolum, vel alumen uſurpamus, cum bombace; ſequenti die locum more ulcerum tractamus. Tempore quo hæc meditamur, occurrit nobis honeſta mulier, quæ duorum annorum intervallo ab infenſiſſimo carcinomate vexabatur. Hæc ut ſibi proſpiceret, multos conſuluerat Medicos. Ad extremum advocor, partem affectam manibus attrecto, tumorem extraho (digitis,) ipſumq; filo ſericeo duplicato circumligo; ligatum ad pudenda adduco, ubi facillime exſcindere potui. Ad hæmorrhagiam compeſcendam, alumine uſto uſus ſum. Quandam aliam mulierem annos 35. natam, ab eodem tumore, eadem methodo liberavimus; ſed nomina pudoris ergo taceo.

(*a*) *Tumorum ſpecies*. Chirurgus Halberſtadienſis ſatis felix, et expertus ante aliquot annos tumorem utero extrinſecus adnatum, tres libras ponderantem, ſecuit in virgine 24. annorum. Tumor cute firma obſeſſus erat, aſt nil niſi pinguedinem continebat et cardilaginoſa quædam dura fruſta. Valido cinxit filo tumorem, poſt novacula ſectionem cordate peregit; ſanguinis fluxum compeſcuit capite mortuo vitrioli, quo non datur excellentius externus ſtypticum. vid. de hoc *Heurn. in aphor. Hipp. lib. 1. aphor. 3.* vidi nuper tumorem durum, qui ipſum uteri orificium occupabat in infante 10. annorum.

CAPUT XLVII.

De Tumore raro, in mulierum pudendis oborto.

IN duabus nobiliſſimis mulieribus, (*a*) *tumores præduros*, ovi magnitudine, in exteriori cervice uteri ſanavimus. Longo tempore cum ſolo ponderis ſenſu iſti tumores nati erant. Ad hos curandos melioris notæ medicos adhibuerant, qui cum nihil opis eis attuliſſent, & tumores ſenſim ad inſignem molem creviſſent, me quoque accerſiri curant. Res in conſultationem venit: multa proponuntur, reiterantur purgationes, phlebotomiæ, cauteria, tandem decocta Guajaci, ſaſſæ, &c. Topica pariter diverſa, emollientia, diſcutientia, &c. Nos inciſionem cum novacula proponimus. Rejicitur remedium, tanquam crudele, & ſævum: quippe quæ ſunt communia potius amplectimur. Trimeſtri toto illo, aliorum arte utuntur, ſed infeliciter grandiores fiunt tumores, & remediorum multitudine obruuntur. Coactæ tandem mandatis noſtris obtemperant. Tumores in utraque aperiuntur, in quibus materia craſſa, viſcida, & vere albuginea, albumini ovi perſimilis; more vulnerum curantur, & perfecte ſanantur.

(*a*) *Tu-*

(*a*) *Tumores præduros*. Tota uteri ſubſtantia cum vagina & pudendis ſpongioſa, fibroſa & glanduloſa eſt, in qua varii generis humores ſtagnare & ſubſiſtere queunt; unde etiam tumores in partibus hiſce fœminarum frequentiores ſunt. Plurimas excreſcentias fungoſas fœtentes uteri prolapſum mentientes annotavit *Segerus in miſcellan. cur. dec. 1. ann. 2. obſervat. 81. fol. 200. it. dec. 1. annot. 2. obſervat. 186.* it. *Theodor. Kerckringerus obſerv. anatom. 53. pag. 113.* Item *Aqua pendens chirurg. cap. 85.* Tales tumores glanduloſi ingentis magnitudinis intrinſece etiam uteri fundo adnaſci ſolent, de quo legi meretur *dec. 2. ann. 7. obſerv. 9.*

CAPUT XLVIII.

De inaſſuetis doloribus Arthriticis in muliere.

MUlier quædam annos 30. nata, in via, quæ dicitur *il Campo de Bovi*, octo, aut decem diebus a nuptiis elapſis, acerbiſſime divexabatur doloribus arthriticis, utpote in coccyge, genibus, pedibus, & manibus propterea noctes inſomnes tranſigens, ne minimum quidem requiei experiebatur: hos febris comitabatur, ſitis, inappetentia, & maximus animi mœror. Tumor tamen nullibi aderat, nec inflammatio conſpicua, ut in Arthritide evenire ſolet. Primo intuitu mulierem haud ſatis menſtruali purgatione repurgatam falſo judicavi, hac in re Hippocr. ſecutus in Aphor. 29. lib. 6. dicentem, mulieres podagra non laborare, niſi menſtrua defecerint. Hinc morbum aliunde provenire ſtatuendum: propterea inquirens, ab ea ſciſcitor, num bibax ſit, an frequenter tentetur, & an coitum impenſe flagitet, eique nimiopere indulgeat? Bibacem ſe eſſe fatetur, itaque vehementer angi, nec minus ad coitum pronam, unde certiſſimum erat, materiam morbificam, ab uno ex his pendere, non ſane a vino ſolo, neque ab ira, cum a vino materia ſit calida & ſicca, inflammationes magnas pariens; ab ira item non fiunt dolores, citra inflammationem inſignem; ſupererat a retento ſemine: nam etſi ipſa ſit nupta marito, tamen raro ejus congreſſu gaudere fatebatur ipſa. His tamen nec acquieſcere volui, & ſatius exiſtimavi, cauſam eſſe materiam quandam tartaream, a nimia vini potatione ad articulos confluxiſſe. Hac de re ipſi proſpiciens, ſummo mane gran. iv. (*a*) *flor. ſtimmeos* exhibui, quibus ter evomuit, & nonnullas ſedes habuit. Sequenti nocte, doloribus adhuc vigentibus, pilulas de cynogloſſo ad gr. x. adhibuimus, & mane ſuccedente alia gr. iv. dictorum florum, a quibus probe convaluit.

(*a*) *Flores ſtimmeos*. Arthritidis cauſſa ſæpius latet in primis viis, hinc illis expurgatis, vel vomitorio, vel purgante, anodyna temperata, ad quæ referri merentur pilulæ de cynogloſſa, ſæpius protinus malum depulſant.

CAPUT XLIX.

De immodico, & continuo ſanguinis fluore ex utero, duobus annis durante, cum Cachexia, & Leucophlegmatia.

FRanciſca Martella, annos 30. nata, in via quæ dicitur *dell' inferno*, inſignem, & continuam hæmorrhagiam ex utero, ſupra duos annos patiebatur,

cum graviſſimis, & (*a*) *acerbiſſimis doloribus* in imo ventris, cui ſucceſſit leucophlegmatia, cum febre lenta, ſiti inexplebili, & mira inappetentia. Ad hunc contumaciſſimum affectum plures conſuluit Medicos, citra ullam opem. Nos feliciter curam abſolvimus (*b*) *vitrioli Martis uſu*, & pilulis laudinis.

(*a*) *Acerbiſſimis doloribus*. Obſervavimus in nimio menſium fluxu circa hypochondria tenſionem & quaſi compreſſionem, imo in toto externo habitu corporis aliquam conſtrictionem; unde pallor faciei, & horripilationis ſenſus contingit, uteri vero partes etiam exteriores manifeſto laxæ & magis turgidæ fiunt, dum nimirum ab externis partibus corporis movetur ipſe ſanguis ad uterum, quatenus nimirum illæ ſpaſmo quaſi leni quodam afficiuntur, qui ferme in omni graviori ſanguinis & humorum excretione obſervatur.

(*b*) *Vitrioli martis uſu*. Adſtringentibus ſi cito hæmorragias ſupprimamus, contingunt regurgitationes ad cor, & inde ſuffocationes pectorales: Quod non fit, ſi tarde & lento modo id fiat, nam cautiſſime ſemper cum adſtringentibus fortioribus mercandum eſt. Hæmorrhagiæ ab iracundia optime curantur anodynis: ſi a nimia ebullitione & impetu ſunt, acidis.

CAPUT L.

De uterinis affectibus rarum exemplum.

HOneſta mulier, annos 35. nata, nomine. . . . . uxor probi viri, duobus milliaribus a Civitate Bononiæ diſtans, prope Eccleſiam Sancti Raphaelis, in (*a*) *præfocationem uterinam* creberrime incidebat, cui febris lenta, ſyncopæ frequentiſſimæ, vigiliæ, ad hæc (*b*) *menſium ſuppreſſio*, tot malorum Lerna, cui ſitis, inappetentia, ventriculi morſus, cordis tremor, & capitis dolor adjungebantur. Ad tot mala radicitus evellenda, a menſium ſuppreſſione exordior: hac de re ſequentes pilulas ipſi præſcribo.

Rec. Aloes ſuccor. ʒ. ß. opopanacis, ſagapeni, an. ʒ. j. galbani, ammoniaci, an. ʒ. ij. Scammonii præpar. ϑ. j. croci Martis ʒ. vi. cum ſyrupo de arthemiſia formabantur Pilulæ, de quibus doſis erat ʒ. j. in tres pilulas. Ejuſmodi pilularum uſu intra menſem convaluit. Sanguis non fuit detractus, nec aliis uſa eſt medicamentis, ad tantam ſanitatem, qua nunc fruitur.

(*a*) *Præfocationem uterinam*. Paſſio hyſterica affectus eſt ſpaſmodicus graviſſimus, antepilepticis & fortiſſimis aperitivis curatur, purgantibus autem & decoctis impeditur. Vitent frigidum potum, nimium motum, moſcum, Zibethum, omniaque ſuaveolentia, quæ in diſpoſitis anxietates præcordiales & ſuffocationem inferunt. Poſt paroxyſmum ſæpius ex locis mulieribus delabuntur ſordes, etiam cruor in paroxyſmo: vomitus quandoque adeſt, & contumax alvi adſtrictio, quare ſi uno in morbo, ſane in hoc, alvus debet eſſe libera.

(*b*) *Menſium ſuppreſſio*. Si ab hac malum hyſtericum oritur, venæſectio in pede inſtituta juvat et mitigat ſymptomata.

CAPUT

CAPUT LI.

De Icteritia in ſeptuagenario.

ANnum agens 77. Dominus Antonius Bondius, in principio Autumni 1640. (*a*) *poſt inſignem laſſitudinem* in icteritiam incidit, cum febre lenta, inappetentia, laſſitudine, & aliis. Is autem cum valde debilis eſſet, conſueta methodo curari non poterat; ideo ad inaſſueta devenimus. In principio ad ventriculi robur conciliandum, ſpecificum ſtomachicum dedimus: ut vero jechoris, & cholidochi folliculi vias reſerarem, ſulphur.metall. ad nonnullos dies accepit cum conſerva roſarum, & convaluit.

(*a*) *Poſt inſignem laſſitudinem*. Ab acido & viſcido principio morbum hyſtericum naſci, probabile videtur. Vidimus ſæpe poſt julepos acidos in febribus ardentibus copioſius hauſtos, icterum ſubſequentem. Si ſanguini immiſceas oleum vitrioli, vel aquam fortem, exurgit talis color luteus, qualis eſt ictero. Quapropter martialia, amara, & quæ in ſanguine ſpirituaſcentiam excitant, optima ſunt anti icterica. In veſicula fellis plerumque poſt mortem humor ſereſus pallidiuſculus minime amareſcens, ſed fere inſipidus, dulcique ſapori proximus, reperitur. Vid. *Dn. Muys in Podalyrio redivivo pag.* 132. *Hippocrates* 7. *Epidem.* icterico commendat laborem & ſudorem. In graviori malo non ſolum partes externæ flavent, ſed & interna viſcera, hepar & inteſtina colore flavo infecta obſervantur. Vid. *Zacutus Luſitanus in praxi admirab. Lib.* 3. *pag.* 156.

CAPUT LII.

De Febre.

REcte Seneca monet nos, & ſapienter, *in Epiſt. Nihil eſſe tam bonum, quod non in contrarium vertat culpa*. Quod ſane veriſſimum quotidie experimur, & maxime in caſu Nobiliſſimi Domini Joannis de Torfaninis. In primis notandum venit, nos eum curaſſe ex deplorato morbo, annis 20. elapſis, ut patet in *ſecunda Centuria curationum noſtrarum*: Cum vero a cura ſanus decem annos vixiſſet, in febrem acutam incidit, ex qua ſub noſtris auſpiciis, poſt XIV. diem immunis evaſit, dum feiiciſſima ſanitate, reliquo tempore potiretur. Ecce tandem, decem aliis annis exactis, neſcio quo fato, in affectum hypochondriacum incurrit, cui ut ſuccurrerem, communia & uſualia dedi medicamenta, utpote melanagoga, & cholagoga, cum refrigerantibus & præparantibus julepis, & apozematibus; & ſanguis e venis ſedalibus copioſe detractus fuit. Pulverem Bezoardicum ad plures dies accepit: at nihil opis. Qua de re ad chalybis uſum devenimus, ex quo pariter nihil levaminis ſenſit. Bononia tandem Patavium petiit, ibi Medicos per annum contulit, eorumque juſſa eo tempore exequitur, ſed omnia incaſſum; proprios tandem lares repetit, & quum animi gratia ruri diverſaretur, duodecim miliaribus a civitate, acutiſſima febre corripitur. Tertia die ad eum perducor, ibi eum acuta febre correptum invenio, eum inſigni rubore in genis, calore in fronte, & ſicco; cum vero in veſperis eum inviſiſſem, & ſum-

mopere ingenti febre vexatum deprehendissem, Enema assumendum esse ipsi suadeo, ut paulo post de (*a*) *sanguinis missione* verba facerem. Enema recusans, asserebat sibi alvum satis lubricam esse. De sanguinis vero missione non est mihi quicquam dicendum, propter graviſſima errata. Vir autem cum esset valde morosus, nullis consiliis acquiescere voluit, ipsum tantum placuit in civitatem asportari. Lectica ad hoc parata, sequenti die asportatur, & ibi sequenti die præscribo ipsi infusionem ℥. ß. tamarind. cum mannæ calab. ℥. ij. ex qua potione (*b*) *leniſſime purgatus* fuit. Sequenti die julepum refrigerantem, & cardiacum præscribo. Vespertinis horis confectionem hyacinthinam, cum pulvere lapid. Bezoardici. Quarta die invalescit febris. Tunc propinquum mortis periculum significo. Quinta die melius se habere videtur. Sequenti nocte recruduit febris. Periculum mortis brevi instare inculco. Cuncta nobiliſſ. Patiens congrua, tam circa Confessionem, quam Communionem exequitur: Extremam unctionem pariter sibi dari petiit. Septima die tandem Creatori suo reddidit animam. Hic notandum est communibus, usualibus, selectiſſime blandis medicamentis nos fuisse usos, nullo pacto chymicis, ne æmulis nostris ansam maledicendi, in re dubia praberem, & maxime ubi ipsa inutilis cognoscerem: ubi enim est substantiæ corruptio, sola mors expectanda venit; quia a privatione ad habitum non datur regressus. Rabies, & furor nostros æmulos eo adegit; ut viperinam suam linguam exacuerent, contra ea quæ sic peregimus; at conscientiam rectam nemo lædit unquam: Vir prudens ad malevolorum cachinnum non movetur, consimilium moribus non invidet, ipsis potius compatitur, & vitæ rectitudinem, eamque magis tranquillam a Deo precatur.

(*a*) *De sanguinis missione*. De venæsectionis usu in febribus acutis mirum inter se certant Practici: ad meam mentem hæc nunquam accommodata videtur malignitati removendæ: Potest tamen admitti in Plethoricis, & qui assueti missioni & excretioni sanguinis sunt, venas habent majores, atque intemperies sanguinis biliosa magis peccat, quam pituitosa. Instituatur autem statim in principio, quando vires constant, & pulsus robur indicant.

(*b*) *Leniſſime purgatus*. Purgantia omnia fortiora in malignis tam in principio, quam in progressu morbi diffuadeo, utpote quæ vires consumunt, & sanguine ac humores ad majorem turbationem concitant. *vid. de hac re Platerum in prax. pag.* 209. Sudorifera fortiora & calida quod concernit, illa quantum noceant, & debilitent, practici optime norunt; vulgaris quidem, sed pessimus est mos, in principio vel progressu horum morborum sudorifera volatilia exhibere & ad sudorem ægrotos cogere. Methodus hæc revera omnes morbos malignos, & ubi exanthematum est eruptio, sic tractandi pessima est, utpote volatilia sanguinis elementa magis dissolvunt, & malignam acrimoniam augent.

CAPUT LIII.

De duplici tertiana.

ADmodum Rev. P. F. Joannes a Clerico Minorum Observantiæ, superioribus annis in duplicem tertianam incidit, hanc (*a*) *sex menses pertulerat*

invitis

invitis Medicis. Qui primi ejus curationem susceperant, febrem non tam formidabant, quam maciem, qua mirifice conficiebatur, propterea sceleto potius erat, quam homo; aderat inappetentia, ventriculi mira imbecillitas, vigiliæ, alvi stypticitas, & alia sæva symptomata. Eo tempore Medicos cœnobii ejus curæ adhibuerat; ubi vero amici salutem tanti viri in deterius ruere conspiciunt, me advocari curant. Initio ad vires instaurandas, & obstructiones reserandas. Aurum diaphoreticum dedimus, curam postea absolvimus solo specifici stomachici usu. Victus fuit plenior, more solito, humectans, & refrigerans, & sic gratissimis pristinam recuperavit sanitatem.

(a) *Sex menses pertulerat*. Tertiana duplex plus facessit Medicis negotii, quam simplex. Symptomatum diversitas a temporibus anni plurimum pendet. Invadunt nonnunquam cum lypothymiis, sed citra periculum. Quod vehementiores initio sunt insultus, hoc citius materia peccans consumitur, morbique periodus brevior evadit. Si non magnum prima in regione est vitium, unicum diaphoreticum & externum cataplasma ad pulsus jugulare post illam. Si vehementior est, & autumnalis, sine emeticis, martialibus, mercurialibus, & salibus absterſivis cura vix transigi potest feliciter. Arcanum hic practicum est, Diaphoretica salia combinare cum emeticis, hoc modo sordes partibus inferioribus & venis impactæ felicius ejiciuntur. Anodyna quoq; cum purgantibus & diaphoreticis, item emeticis, mercurialibus amica miscela conspirant in penetrantissima medicamenta, magnorum ac chronicorum morborum præsidia: Ex hoc censu est pulvis meus antifebrilis probatissimus. Notum habui in Anglia Empiricum, qui electuario, quod constabat ex theriaca, gummi guttæ & vitriolo martis, felicissime omnis generis profligabat febres summo cum applausu.

CAPUT LIV.

De duplici quartana.

SÆpe febres quartanas ex arte sanari posse, commonstravimus: exemplis id firmare superesset, ni pariter in aliis centuriis comprobassem; verum quæ juvant, repetita placent. Hic Bononiæ duo fratres Lugdunenses erant, ambo mercatores. Senior nomine Joannes Roma, (a) *trium, vel quatuor mensium spatio* duplicem quartanam patiebatur, cui Veronæ occurrens multa remedia irrita præstitit; huc tandem (b) *Bononiam venit*, ubi fratrem Michaelem adinvenit optima sanitate donatum: ambo in hospitio concubuerunt. Simul & qui sanus erat, derepente eadem quartana corripitur. Ad nos curandi veniunt. Junior primus curæ nostræ se subjecit; cui Antipyreton primum ter dedimus alternativis diebus, ex quo penitus liber evasit.

(a) *Trium vel quatuor mensium spatio*. Notandum est, circa quartanæ ingenium, aliam alia longe esse obstinatiorem, & differre eam plurimum pro humorum varia dispositione; nimirum ubi ex pravo victu vel diætæ vitio orta fuerit, idem occidit, si excitata fuerit ab affectibus animi, vel ab aeris vitio, quia sanguinis temperies ab aere non tam subito penitus vitiari & in discrasiam acido-viscidam mutari potest. Quod autem hæc febris adoritur corpora segniora, crassis & fæculentis succis infarcta, quæque obstructionibus pancreaticarum vel meseraicarum glan-

dularum laborant, durum lienem habent, ibi longe difficilioris sanationis & multo obstinatior existit, eludens etiam præsentissima alioquin præsidia.

CAPUT LV.

De duplici quartana.

ARtem & methodum, qua in curandis febribus utimur, repetere supervacaneum existimo. Felices eventus recensere juvat. Nuperrime dum hæc scriberem, duo nobis occurrerunt curandi, ambo medio mensis Septembris, præsentis anni 1640. Alter ex his magno horrore primo, calore postea ad duodecim horas vexatur (*a*) *Victus refrigerans, & humectans* præscribitur, & initio medicamenta usualia præscribimus, utpote (*b*) *infusionem Rhabarb.* ʒ*ij. & sennæ* cum aniso, in cujus colatura syrup. rosar. solut. ʒ. iij. dissolutæ fuerunt. Pro præparantibus syrupis ut ajunt, exhibitum fuit decoctum refrigerans cum syrup. limonum, ad novem dies. In principio post primam evacuationem (*c*) *detractus fuit sanguis ad* ʒ. vij. in fine portio purgans reiterata fuit, additis ʒ. ij. Elect. de succ. Rosar. Cum vero nihil opis, sed febris indies invalesceret, ad Antipyreton p. sol. devenimus, de quo duas doses alternative sumpsit, & his fœliciſſime curatus fuit: qua pariter methodo alter tractatus fuit, & convaluit.

(*a*) *Victus humectans.* Humidus victus teste *Hippocr. Sect. 4. aphor. 14.* Omnibus febricitantibus convenit. Victus autem crassus plenus, vel etiam copiosus potus ante accessionem, vel etiam ipsius in paroxysmi principio aut intermedio tempore oblatus, mirum quantum nocet. *Hippocr. Sect. 7. Aphorism. 62.* dudum id notavit, dum inquit: Si quis febricitanti dederit cibum, quem sano exhibet, valenti robur ægrotanti morbus fit. *It. in aphorism. 11. lib. 1.* In paroxysmis a cibo abstinendum est, nam ejus accessio damno est. Egregiam rationem tradit *Heurnius* in hunc *Aphorismum* inquiens: eo enim tempore reflui sunt cuncti succi ad centrum corporis, unde opprimitur, anxiaque evadit restrictio, ac alvina regio ab impuris succis incurritur. Si cibum tunc dederis, in impuritatem ille abit, ac distento hypochondrio pectus opprimitur: unde anxia respiratio ac calor cordis major; præprimis autem ova in febb. nunquam danda sunt, de quo vide *Montani Consultationem 77.* panis copiosus, ex hoc enim plenitudo, omnium pessima est, *vid. Mercurial. Sect. Imæ. l. de aere p. p. 46.* Quare etiam quartanarii illi semper citius convalescunt, quibus appetitus minor est.

(*b*) *Bononiam venit.* Aeris mutatio ad curam quartanæ multum confert; vid. *Solenander in Consil. p. 94.*

(*b*) *Infusionem rhabarbari & sennæ.* In quartana Medicus primam alvinamque regionem ante omnia expurget, & ibi residentem vitiosam materiam, correctam tamen expellat; non autem huc quadrat omne purgans, sed tale indicatur, quod humorem acido viscidum, qui alias difficilioris purgationis est, ad temperiem reducit, & ad purgandum aptum reddit; quo spectat *Hippocrati* tantopere commendata humorum coctio ante purgantis acceptionem; purgandus autem hic humor est per inferiora, quoniam eo crassus omnis viam affectat. Verissime enim scribit *Hippocrates in lib. 4. §. 9. melancholicus liberalius plerumq; per inferiora purgabis.* Hinc passim observationibus legitur, diarrheas imo dysenterias quartanis supervenientes illas solvere, de quibus legi meretur observatio *in M. N. C. anno 9. p. 373. Decad. Ildæ. item Schenckius p. 741.* Quartanam feliciter cum decocto aperiente & purgante curatam *vid. in lib. 1. observ. 1 Thonneri*; item pulvere purgante *lib. 1. obs. 11.* Securissima autem hic sunt purgantia leniora, corrigente simul qualitate prædita, v. g. folia sennæ,

næ, rhabarbarum, epithymum, polypodium &c. Solo infuso foliorum sennæ cum aqua & oleo tartari per deliquium instituto *Riverius* felicissime se curasse quartanas, plus viginti observationibus confirmat. *vid. in Cent. observ. pluries*. Oleum tartari per deliquium solutionem coloratiorem, & saturatiorem extractionem præstat; & acidum humorum simul mitigat. *Beatus Ettmullerus in Dissertatione de usu & abusu præcipitantium* identidem hujus infusi usum magnifacit; possunt autem pro re nata huic addi laudatissimum centaurium minus, antifebrilium excellentissimum, tam vi obstructa liberandi & evacuandi, quam corrigendi, item polypodium, rhabarbarinum, helleborus niger, epithymum, fumaria, &c. Si quis infusum antifebrile laxans in formula expetat, sequens fidum expertumque commendari meretur.

℞. *fibrar. hellebor. nigr.*
radic. polypod.
fol. sennæ ℥ ſtip. ana unc. j.
Herb. abſinth.
centaur. minor.
trifol. fibrin.
fumariæ ana M. j.
raſur. lign. colubrin.
cort. citri rec. ana drachm. iij.
Tartar. tartariſat. unc. j. ß.
Spir. ſal. ammon. drachm. iij.
quo irrorentur ſpecies.

Infundi hæc possunt duabus mensuris vini, quotidie hauriendo tempore intercalari, bonum haustum. Si potentius ad infarctus viscerum liberandos quis reddere velit, adjiciantur aliquot drachmæ limaturæ martis.

(c) *Detractus fuit sanguis.* Venæsectio, in illis, qui plethorici sunt, consuetas habuere evacuationes sanguineas, illasque forsan suppressas, quique sanguinis missionibus assueti, suadenda est, maxime in pede, & quidem morbi vel in principio, vel etiam in augmento, quod si autem quartanæ diutius duraverint, viribus fractis, & cachectico quasi redditio corpore, omnes omittendæ sunt. Præprimis autem si biliosa quartana fuerit, concedi potest; hanc autem indicant, si extrema non admodum longo tempore, ab initio in paroxysmis frigeant, vel horreant, si rubeat lotium, pulsus fit vehementior atque celerior: caloris æstus acrior, si æger irrequietior & bilis vomitus sequatur, sique accessio tota & paroxysmus brevior. In melancholica quartana contraria cuncta videntur, v. *Solenander in Consil. p. 94.*

CAPUT LVI.

De febre quartana (a) in muliere utero gerente *a sex mensibus.*

COmmunis medendi methodus tam in quartanis, quam in Arthritide, ab omnibus inutilis censetur, & communi adagio fertur: *en la fievre quarte, & en la goutte, la Medecin ny voit goutte:* Itali eodem proverbio utuntur, non sine maximo artis dedecore. Nos qui ab ineunte ætate veram Medicinam excolimus, aliorum commentariis minime contenti, abstrusa semper quæsivimus, inter quæ veram quartanæ curationem adinvenire non difficile. Duplex nobis est via: una simplex, ubi nulla sunt symptomata & simpliciter curanda est; altera est composita; ubi varia sunt symptomata, aut ubi morbi sunt plures invicem commixti. De simplici, inter infinita, nonnulla hic erunt exempla; de composita pariter. Ad compositam pertinet illa, quam non raro patiuntur gravidæ mulieres, sicuti superiori contigit D. Helenæ, uxori D Francisci de Paduanis, annos triginta natæ, cui principio Septembris pessima febris quartana advenit, quæ initio duplex fuit, postea simplex. Ad febrem escindendam solo (b) *Antipyreto* secundo usi sumus; de quo vix tribus dosibus assumptis, altera ex illis evanuit: ex reiteratis pariter aliis dosibus,

altera receſſit pariter, & ſana evaſit, abſque fœtus detrimento. Infinitos fere commemorarem, ſed hos amore brevitatis omittimus.

(*a*) *In muliere utero gerente*. Obſervavi gravidam quartana laborantem, quæ poſt partum ab illa evadebat libera. In gravidis propter circulationem humorum liberiorem impeditam magna ſordium viſcidarum accumulatio eſt, imprimis, ſi appetitui nimis indulgeant: poſt partum autem tranſpiratio & circulatio humorum liberior fit.

(*b*) *Antipyreto*. Antifebrilia præſtantiſſima ſunt mercurialia, martialia, antimonialia & ſalina, nominatim: mercurius dulcis, vel ſolus, vel cum auro fulminante, aut foliis auri, ſulphuriſque antimonialis particula bene trituratus ac mixtus: item mercurius dulcis aſſociatus mercurio vitæ, quod medicamentum Antiquartium celebratiſſimum *Riverii* eſt. Mercurius diaphoreticus jovialis, Regulus antimonii medicinalis, Panacea antimonii Glauberiana, ſal antimonii tartareum, antimonium martiale cachecticum, limatura martis, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, ſal abſynthii, tartari, ſal ammoniacum, flores ſal ammon. martiales, ſal digeſtivum ſylvii, & ſal enixum ex mixtura ſpiritus ſalis ammoniaci, & ſpiritus vitrioli proveniens.

CAPUT LVII.

De alia febre quartana.

LOngo uſu, experientia comprobatum eſt illud Hippocr. dictum, *lib. 3. Aphoriſm.* 19. nempe (*a*) *certis temporibus certi morbi fiunt*. Quod quidem nedum in genere, ſeu de univerſalibus temporibus, ſed & de particularibus intelligendum. Autumnali hac tempeſtate, febres non paucæ fuerunt, quæ principio tertianæ fuerunt, deinde in quartanas degenerarunt. Nonnullæ poſt decimam acceſſionem, aliæ poſt decimam quartam: & quæ tertianæ, ex communi Medicorum ſchola, quinque vel ſeptem circuitibus abſolvuntur, in his uſualia tantum, chymia raro uſurpamus, & ſæpe ſimplici victus regimine eſſemus contenti, niſi ægri, & aſſidentes aliud inſinuarent. Quantum valeat in morbis præjudicata opinio, ſcimus; in his enim primo curam per communia, uſualia aggredior, ni ſuperveniat aliquod ſævum ſymptoma, uti cardiogmos, ingens capitis dolor, nauſea, vomitus, &c. ut aliis in locis annotavimus. Nuperrime talem febrem contraxit mercator quidam, amicus noſter, annos 27. natus, nomine Philibertus Heracleus, natione Burgundus, nunc Bononiæ commorans. Primis diebus detractus fuit ſanguis & bis purgatus fuit infuſione Rhabarbari cum ſena, in qua ſoluta fuit manna. (*a*) *Julepos refrigerantes* & Apozemata per quindecim dies accepit. Ubi febres duplex cognita fuit quartana, Antipyreton accepit bis, ex quo confeſtim febris receſſit, ut in multis aliis, quos, ne prolixior videar, enarrare non placet.

(*a*) *Certis temporibus certi morbi*. Morbi epidemici dependent maxime ab aere, qui pabulum ſpirituum eſt, & vitales humores corporis noſtri varie movet & modificat; prout itaque ille varius eſt, ratione gravitatis & levitatis, raritatis, denſitatis, caloris & frigoris, diverſi quoque propullulant morbi. Quartana

præ-

præsertim autumni soboles est, & fit regione cœlique statu inæquali existente, quoniam tunc minus celer, qui omnia animat, vigorat, movet, ætheris circulatio est, adeoque tunc temporis humorum, lentior motio & evaporatio; unde copiosior excrementitiorum humorum collectio fit.

(*b*) *Julepos refrigerantes*. Hi copiosius hausti in quartana disponunt ad icterum, cachexiam & hydropem.

CAPUT LVIII.

De (*a*) repentina morte.

PRobo, sapientique viro fausta fœliciaque sequi semper, consilium non est, sed sæpe tristitia, & quæ animo ingrata sunt, evolvere mente opportunum est ad hoc maxime, ne ullo naturæ eventu ejus tranquillitas mutetur. Decet autem probum Medicum, ab ejuscemodi inquietudine esse alienum; suis enim oculis in summa pace fixis, vivit mente & corpore sanus. Paucis diebus elapsis, inter multa nobis parum gratia, immo conditioni nostræ valde infensa, ad invisendum Dom. Albertum Slonsum accersitus fui, Mercatorem Germanum, annorum 67. cumque ab eo sciscitarer, quid ipsi doleret, respondit, se in præsenti nihil mali sentire; nocte vero proxime exacta gravedinem, & tensionem quandam ventriculi passum fuisse, modo vero surrecturum, & bene valere; gravedinis vero, & tensionis rejiciebat in vinum vetus in proxima cœna ebibitum, quod ejus palato gratum, & optimum asserebat, quamobrem famulum in cellam vinariam mittit, ut merum mihi gustaturo hinc afferat, famulo illuc pergente, nobis jucunda narrat, facieque hilari pauca obmurmurans, animam efflat. Mors sane ipsi felix, cum doloris, & angustiæ expers; at nobis gravissima, cum ipsum, tum propter amicitiam, tum propter vitæ integritatem, plurimum adamaremus. Quod si syrupum de absinthio, aliave hujus generis leviuscula accepisset? Quid si chymica olfecisset? Nonne nostrorum æmulorum viperina lingua, invidiæ veneno armata, in nos, nostraque medicamenta obstrepuisset?

(*a*) *Repentina morte*. Polypus in cordis ventriculis, auriculis vel vasis ejus majoribus hærens, dum toti circulationi sanguinis obicem ponit, frequentissime subitæ mortis causa est, quod ego etiam expertus sum in milite juvene 20. annorum sanissimo, qui in lectum concedens bene pastus matutino tempore mortuus reperiebatur; ejus cordis auricula dextra firmo & longo polypo obturata erat; possunt etiam de hac evolvi *M.N.C. Dec.* 1. *ann.* 1. *pag.* 233. item *Dec.* 2. *ann.* 10. *pag.* 340. it. *Dec.* 2. *an.* 2. *pag.* 48. *& Dec.* 2. *ann.* 3. *pag.* 300.

CAPUT LIX.

De repentina morte.

QUidam juvenis annos 24. natus, ex arte figulus, cum pertransiret per viam, quæ dicitur, *de mascontenti*, ad ostium proximum pulsat, introgreditur, & de doloribus ventris vehementer conqueritur. Vix accersito Pharmacopola, cum sacerdote, qui ipsi postulanti Theriacam afferunt, animam agit

& de-

& derepente moritur. Hæsitant amici, an veneno potus fuerit; ideo ad judicem criminalem recurrunt, qui de more præcepit, ut a Medico, & Chirurgo cadaver visitaretur. Cadaver omnino lividum reperitur; plebs hac de re hominem fuisse veneno peremptum putat: qua de causa, ut cadaver a Chirurgo aperiatur, jubeo. Adaperto ergo cadavere, inventum est Omentum, semicorruptum, intestina mirum in modum distensa, jecur male coloratum, pulmones circa costas putridi, (a) *cor insuper flaccidum, & suppuratum*. In hoc casu satis mirari non possum, quo pacto vir iste sanus a cunctis haberetur, nec de ullo affectu conquereretur, imo nuptias brevi erat celebraturus.

(a) *Cor flaccidum & suppuratum*. Cor erosum a vermibus describunt *M. N. C. Dec. 1. ann. I. pag.* 147. - 128. Cor in viro, qui diuturno mœrore conficiebatur, repertus penitus exiccatum & instar pyri tosti contractum memoriæ mandavit *Thennerus Consilio 2. lib. 5.*

CAPUT LX.

De repentina morte.

PAulo ante conscriptum casum, contigit, ut quidam rusticus carceribus detineretur absque ulla mortis sulpicione, cumque optime cœnasset, & dormitum iviſſet, paucis habitis verbis cum socio, quicum decumbebat, perpetuo somno se tradit. Socius perterrefactus, carcerum custodes advocat; custos Judicem monet, qui cadaver aperiendum esse docet; cadavere a Chirurgo dissecto, aperto que, reperitur Omentum laceratum, & putridum, jecoris portio circa costas suppurata, pulmones putridi. In neutro horum tussis aderat, neque respirandi difficultas. Corpus pariter lividum erat, & potissimum ea in parte, in qua jacebat. Hujus tantum repentinæ mortis fuit causa, (a) *disruptio venæ* in ventriculo cordis.

(a) *Disruptio venæ*. Subitanea morte concidentes aperti a chirurgo Regio Philippo Hacquinet variam detexerunt fati præcipitis causam: In altero enim pinguedo nimia pulmones compresserat, Polypo cordis ventriculi finistri transitum sanguinis retardante: In altero fodiendi labore fatigato, vena cava prope cor disrupta, sanguine inundavit viscera. *vide obs.* 101. *Dec. 1. ann. M. N. C.*

CAPUT LXI.

De Paralysi, cum mira imbecillitate ventriculi.

PAucis annis elapsis Nobilissimus vir, Dominus . . . . annos agens 54. de capitis destillatione cum quodam doctissimo Medico conqueritur. Potionem purgantem Medicus ipsi statim præscripsit, altera die phlebotomiam, sequentibus diebus julepos, & sub fine aliam potionem purgantem, deinde cucurbitulas, & hirudines: & quia incusatur jecoris caliditas, succus cichoraceus cum sero lactis ipsi exhibetur, ad mensem; At nil opis, (a) *insig-*

gnem

gnem ventriculi imbecillitatem pro ſanitate reportat. Tandem alterius brachii motum amittit, cum oris tortura. Ad me tanquam ad Oraculum confugit, quem ſic brevi ſanitati reſtituimus. Ad ventriculi robur conciliandum, ſolo ſpecifico ſtomachico uſi ſumus. Ad capitis fluxionem Aquam hidroticam ad menſem præſtitimus; & his paucis non nauſeabundis convaluit.

(*a*) *Inſignem ventriculi imbecillitatem.* Magna eſt communio capitis ventriculi & inteſtinorum. Sic obſervamus in praxi, in graviori capitis dolore vel læſione ventriculum facile incitari ad vomitum: Atrox coli dolor in paralyſin frequentius terminatur. Infantum tormina abire in epilepſiam quotidie obſervamus: Idem quandoque accidit in adultis, ubi colica graviſſima tranſit in epilepſiam. *vid. Tonneri obſerv. 3. lib. 2.* A vermibus paralyſin, epilepſiam, alioſque affectus convulſivos fieri, quotidianæ experientiæ eſt.

CAPUT LXII.

De Paralyſi inveterata.

CUm puer adhuc eſſem, & e Gallia primo in Italiam veniſſem, militem quendam Gallum, Piſis me inveniſſe recordor, qui prope Liburnum in locum, qui dicitur, *il Stagno*, me duxit, hic enim Sereniſſ. Hetruriæ Ducis famulus erat, qui vocabatur Matthæus, annos 50. natus, a ſeſquianno jacens (*a*) *Paralyticus* ſiniſtr. lateris, ſceletos, non homo videbatur, ab omni ſpe humana deſtitutus. Ætatem noſtram puerilem deridet, vix enim vigeſimum annum attingebam; ſed quia ſatius ſibi duxerat e vita migrare, quam diutius vivere, ideo quicquid ipſi propino, hilariter ſumit. En tertia die, miraculi inſtar, e lecto ſurgit baculo incedens: in eodem medicamine pergit, & priſtinam recuperat ſanitatem. De quo Sereniſſimus Ferdinandus, Magnus Hetruriæ Dux monitus, qui tunc animi gratia Liburni hyemabat, hic enim nullos frigores ſentiunt habitatores. Qua de re me accerſiri fecit, & pluribus ſermonibus cum Sereniſſ. habitis, juventutem ſummopere inter ſe perpendens, Gubernatori, me præſente, imperat, ut mihi cuncta neceſſaria provideat, curetque ut infirmi omnes a Medicis conclamati, mihi curandi traderentur: quod factum minime fuit, quia hujuſmodi ſubſidii genere non indigens, alio, majora indagaturus, pergere volui.

(*a*) *Paralyticus*. Vir quadragenarius ſatis robuſtus, ſanguineæ complexionis ad iracundiam valde propenſus, appetitu gaudens ſatis vivido, a podagra omni anno ſemel vel bis infeſtabatur, nonnunquam etiam a catarrhalibus defluxionibus; ante annum impetigo ſiniſtrum pedem occupabat, quæ interdum iterum evaneſcebat, quoties autem aderat, ſemper melius ſeſe habebat: Podagra autem per tres annos non revertebatur, & impetigo illa penitus etiam ceſſabat. Tempore autumnali graviſſimo corripitur catarrho cum febricula quadam. Medicus præſcribit purgantia, & quidem unum ex gummi gutta concinnatum, mox ſubſequebatur paralyſis dextri lateris cum dolore in occipitio: Poſt duos menſes inſultu corripiebatur apoplectico & moriebatur. *Reinerus Solenander in ſuis conſiliis* refert, multos in uno latere reſolutos, ſi a principio fortiora exhibita purgantia fuerint, humoribus exagitatis etiam in altero paralyſi tentatos & tandem extinctos fuiſſe.

In

In omni paralysi omnes fructus horæi, lacticinia, caseus, leguminosa, allium ac cibi acidi vitandi sunt. Plerumque etiam a nimiis suaveolentibus læduntur. Nocent porro illis ipsis multum flatus austrini, & post ipsos ventus Aquilonaris, qui quasi ex spongia exprimit succos e capite. Aquæ liliorum convallium, lavendulæ, nuciſtæ, pœoniæ primulæ veris, roriſmarini, cubebarum cum vino abſtractæ, egregie nervos ſolantur & roborant, & in paralyſi optatiſſimam dant operam. Illud autem circa illarum uſum tenendum eſt, ut nunquam dentur, niſi prius alvus bene purgata fuerit, deinde, ut circa pleniluniun maxime aſſumantur, & tandem, ut vitentur in paralyſi ſanguinea.

CAPUT LXIII.

De Polypo.

PLlures enumerare poſſem curationes de (*a*) *Polypo*: & vere fateor ejuſmodi affectus non parum laboris nobis olim attuliſſe, in iis enim curandis, quem ſequerer plane ignorabam: & quos curari obſervaveram, infeliciter ſemper. Qui peritiores habebantur, (*b*) *ferro & igne* utebantur; nonnulli (*c*) *corrodentia*, ut æs uſtum, præcipitatum, ſublimitatum, &c. uſurpabant; nonnulli omnium peritiſſimi accipiebant Butyrum Antimonii, quod apponebant cannula argentea, ne vicinas partes tangeret. Sed iſta omnia cum magno dolore, & ſæpe tales Polypi in carcinomata vertebantur. Nos unica herbacula exſiccata, & in pulverem reducta facillime ſanavimus. Pulvis ipſe in nares immittitur, cum goſſypio, bis in die: carnes liquat, & diſſolvit citra morſum; in hoc, unguento nullo opus eſt, planta hæc verrucas, & quaſdam carnis excreſcentias tollit & abſumit; appellatur ſcorpioides, & (*d*) *helio. tropium*. Arbuſta eſt etiam conſimili virtute pollens. Hæc ignorant, qui nugis & cachinno delectantur. (*e*) *Plantarum cognitionem in Medico* tantopere exoptatam, Medicorum hodierna cohors ignorat, & ſiquis hanc ſibi arrogat, quod tamen rarum eſt, ſcias velim, extrinſecam tantum ipſos poſſidere, at intrinſecam faciem ne quidem a limine ſalutaſſe. Ejuſmodi ſcientiam longam eſſe, & difficilem ſcio, non tamen impoſſibilem; in ea etenim ſiquis ſe exerceret, & pro trivialibus & inutilibus quæſtiunculis eam amplecteretur, Medicinam certiorem, & uberiorem haberemus. At (ut inquit Plinius) gratius eſt cathedras aſcendere, quam per vaſtas ſolitudines herbas alias, aliis diebus colligere.

(*a*) *Polypo*. Polypi concretiones ſunt fibrarum ſive membranularum ita ſe mutuo excipientium, ut congeriem quandam ſuppoſitarum pellicularum ipſumque corpus polypi forment: Fibroſæ autem propagines in faſciculos plures vel pauciores ramos vel pedes referunt. Variis in locis maxime glanduloſis & in cavitatibus majoribus generantur, uti in corde, pulmonibus, ſinubus cerebri, & in ipſis vernis hypogaſtricis. Molæ muliebres nihil videntur aliud, quem polypoſæ concretiones ſucci nutritii, generatæ ex ſanguine acido, craſſo; hinc fœminæ ſcorbuticæ & hypochondriacæ tales facilius progenerant: Quod ſi enim ſuccus gelatinoſus nutritius ad partes ſpongioſas & glanduloſas plus juſto affluit, quam requiritur, et propter obſtructionem quandam vel craſſitiem refluere nequit, pori nimis

diſten

distenduntur, membranæ tenuissimæ valde incrassantur, & vasa sanguifera mirum in modum increscunt & dilatantur: uti etiam illud ipsum videmus in fungosa carne, partibus vulneratis accrescente: Sicque facile generari possunt concretiones carneæ membrana sua obtectæ. Tales concretiones carneas in ipsis intestinis quoque instar molarum muliebrium generari in viris posse, lege dissertationem *elegantem clarissimi Celleri Prof. Tubing. de molis virilibus mirabilium*.

(*b*) *Ferro & igne*. Qua ratione polypus exscindendus sit, *vid. Celsus lib. 7. cap. 10.* it. *Meckern. observ. chirurg. cap. 10. 11. & 13.* & *Petrus Marchette in observat. chirurg. 27.*

(*c*) *Corrodentia*. Post corpus probe purgatum tentandum est, an polypus tolli possit adstringentibus & escharoticis, v. gr. colcothare vitrioli, alumine usto, quæ in nares inflari possunt per aliquot dies: hæc simul resistunt hæmorrhagiæ, quæ sæpius jungitur polypo. Potest quoque in nares trahi aqua mercurii sublimati, quæ stanneo vasi prius infusa fuerit.

(*d*) *Heliotropium*. Multæ virtutes in plantis specifice latitantes nondum detectæ sunt, quas frustra in aliis regnis quærimus. Si enim dantur specifica, certo morbo vel certæ caussæ morbi accomodata, certe in regno vegetabili illa quærenda esse existimo: hic enim mechanismus naturæ est amplissimus. Heliotropium in Gallia Narbonensi & in Sicilia maxime luxuriat. Circa Moguntiam in Germania etiam crescit. Verrucas affricata hæc herba valenter adimere dicitur. Efficacissima est adversus carcinomata, ulcera gangrænosa & tumores strumosos. *vid. Matthiolus*.

(*e*) *Plantarum cognitionem in Medico*. Plantarum cognitio exacta non tantum quoad virtutes & usus, sed & quoad ipsum verum nomen & characteres suos essentiales, quibus facile una species ab altera discernitur, admodum jucunda est, & medico etiam necessaria, facilis tamen, si methodo recentiorum excellentissimorum Botanicorum *Morisonis, Raji, Ruthbeck: Hermanni, Turnefot, Rivini* tractetur & addiscatur.

CAPUT LXIV.

De Herpete inveterato, & incurabili habito.

MUltis annis exactis, Roma Bononiam venit Dominus Ferdinandus Ghisellus, cum (*a*) *pertinacissimo*, & ab omnibus deplorato Herpete in tibia, genu, & coccyge. Ad tantum expellendum hostem, plures consuluerat Apollines, & infinita fere assumpserat remedia; sed frustra: imo malum contumacius redditum vix medicabile censebatur. Ad nostras vero manus confugiens, Gal. decretis insisto, totum corpus primo ab omni terrestri saburra purgans Decocto Catholico; postea sanguinem renovans Tinctura Corallina, cum saccharo Rosato, quibus gratissimis rebus perfectissime convaluit. Qui Thoph. in *Chirurg. magna* consuluerit, omnia ulcera, & Herpetum genera sanare poterit.

(*a*) *Pertinicissime*. Obstinata scabies & herpes pertinacissimus sæpius est in personis siccæ & vulgo sic dictæ atrabilariæ constitutionis. Certum autem contumaciæ indicium est, si externe in partibus corporis, v. g. in brachiis, pedibus, collo glanduloſi renitentes tumores, quod sæpius accidit, deprehenduntur: Nisi tali in casu adhibeantur antimonialia & mercurialia, v. g. mercurius dulcis, regulus antimonii medicinalis, vix felix & constans cura subsequitur.

CAPUT

CAPUT LXIV.

De Herpete contumaciſſimo ab omnibus conclamato in facie, collo, & tibiis.

CONtumaciſſima, & efferata ulcera ſæpe in facie fieri obſervamus, hæc nonnunquam a lue venerea. Annis ſuperioribus fuit vir quidam nobilis Faventinus, nomine Carolus Bonacurſius de Tardotiis, annos 30. natus, qui poſtquam Medicos Bononienſes, & Patavinos in ſui curam adhibuiſſet; trium annorum ſpatio, nos quoque conſulere voluit. Bononienſes primo venit viſitatum, exponens luem veneream recenter contractam, cum puſtulis, capill. defluvio, & ſimillibus. Ipſum de more purgant, deinde Guajaci uſum ad menſem imperant: ex qua curatione meliuſcule ſe valere putat, & Faventiam revertitur, ubi nova ſymptomata reſurgunt. Tunc ut doctiores Medicos comprobaret, Patavium adiit. Patavii novas purgationes ipſis inſtituunt, exactiori diæta ſervata, ad quadraginta dies (a) *ligni Guajaci decoctum* iterum ebibit, ſudores in hypocauſto excitentur: ſervat cuncta, & pro ſanitate Telephia ulcera in facie excitantur, eaque profunda, fœtida, & maligna. Ad hæc perſananda nihil intactum relinquunt. In tibiis, ubi ſimilia ulcera aderant, ignitum ferrum in uſum advocatur; at nihil opis. Ubi vero multa de noſtra medendi methodo audiviſſet, ad nos Bononiam revertitur, tanquam ad tutius aſylum confugiens, & intra menſem priſtinæ ſanitati reſtituitur. Curam primo aggredior ſuaviſſimis, & delicatiſſimis, non tantum quod delicatus eſſet, ſed quia extrema imbecillitate erat confectus; nec tam morbi ſævitia, quam remediorum perperam adhibitorum varietate, & multitudine. Primis diebus aurum Diaphoreticum dedimus, cum extracto Antivenereo. Sæpe poſt cibum aliquid de ſpecifico ſtomachico. Ulceribus mumia mineralis admota fuit in principio, cum unguento digeſtivo, ſequentibus poſt diebus Calcinat. Maj. quibus gratiſſimis modis priſtinam recuperat ſanitatem.

(a) *Ligni guajaci decoctum*. In ſcabie ſicca, pſora & lepra Græcorum, acria & calida, uti ſunt lignoſa ſedulo devitanda ſunt. Ejus abuſum *Tonnerus in obſerv. 3. lib. 4.* annotavit ſequenti hiſtoria: Cum ante complures annos præfectus carceris Ulmenſis pſora perverſa ad lepram Græcorum inclinante, inquinatus, inſpectioni ſubjectus, in leproſorium relegatus, aliquandiu ibi detentus, ex gratia inclyti Senatus in domum Gallicam ad medicandum eſt translatus, ibi per medicamenta chymica ſæpius evacuatus, ſuccedente decocto ligni ſancti cum ſarſ. paril. in hauſtu ſudorifero, etiam antimonio diaphoretico mixto, ad copioſius ſudoris elicium. Sed qualis exin fructus? Non modo nihil levaminis ſubſecutum, quin malum triplo deterius redditum, magno in totius corporis cute ardore & rubore concitato, ut cancro elixo ſimilis appareret, idcirco denuo in leproſorium amandatur, & ibidem poſt trimeſtrem moram e vivis eſt ſublatus.

CAPUT LXVI.

De dolore articulari.

ARthritis non omnes æqualiter invadit. Nonnullos ſevere nimis diſaniat, viros ante XLV. longe vehementius, quam qui ſupra hanc ætatem.

Reve-

Reverendus D. Stephanus Sibanus, annos 30. natus, communis Argelatensis Plebanus, in Bononiensi comitatu, superioribus annis id maxime comprobavit, & tam atroci arthritide correptus fuit cum febre, (a) *doloribus sævissimis* in omnibus juncturis, inedia, ventriculi subversione, vigiliis, & aliis. Trimestri toto alterius Medici opem frustra implorat, imo maximo cum damno; unde pro salute ad extremum perducitur. Hic erat annorum triginta, temperamenti calidi, & humidi, staturæ mediocris, nigros & duros gerebat capillos, pedum & manuum articuli intumuerant parum, cum exiguo rubore. Vigiliis, & inedia propter ventriculi subversionem, confectus, nullum remedii genus ex usualibus admittere volebat. Ut illam ventriculi subversionem corrigerem, primis diebus specificum stomachicum dedimus: granis postea aliquot Auri Diaphor. curam absolvimus.

(a) *Doloribus sævissimis in omnibus juncturis*. In arthritide partes tendinosæ & nerveæ spasmo violento torquentur, qui sali corrosivo acido utplurimum debetur, hic, quo magis est volatilis, vel fixus, dolorem stabilem vel vagum producit: In melancholico sanguineis, & qui nervos habent debiles, & ad affectus animi vehementiores proclives sunt, frequentior est. Interdum mirum excruciat ægros, mox in pedem circa talum intolerabilem movet cruciatum; mox transilit in genu dextrum, illumque in tumorem sat grandem levat: Serpit quoque in oculos & lippitudinem gravissimam plures dies perseverantem concitat, exinde manante ichore velut sanioso: Quando in colli nervos materia vitiosa se insinuat, clamosum parit dolorem, ut per multum tempus ne minimum dimovere vel inflectere queant. Invadit quoque linguam, illamque motu convulsio exagitat: Quando intestina aggreditur, cruciatus enormes et vomitum excitat. Observatur interdum tali morbo conjunctus continuus ptyalismus. Per paroxysmos invadere solet. Præcedit arthritidem utplurimum horripilatio per dorsum et lumbos, lassitudo musculorum cervicis, et lumborum immobilitas, et in suris quasi convulsio et spasmus.

CAPUT LXVII.

De Arthritide, seu dolore articulorum.

ILlustrissimus Dominus Dominicus Vainus Equitum Turmæ Dux, annum trigesimum circiter agens, post inordinatam victus rationem, in sævissimum articulorum dolorem incidit, cum febre continua. Pedum articuli præcipue affecti erant, genua & manus. Ad hunc contumacissimum affectum ex arte exscindendum, aurum Diaphoreticum in principio dedimus, cujus usu febris evanuit, & dolores mitescunt: in eodem perseverat ad quindecim dies, intra quos perfectissime sanitatis restituitur. (a) *In potu aquam cum saccharo*, & cinnamomo dedimus. Victus erat communis plenus, ex carnibus vitulinis, & volatilibus, parum a consuetudine recedens. Medici ante nos ejus curæ incumbentes, solita sua stercoraria ter & quater ipsi præscripserant, totidem phlebotomiis celebratis, cum unctionibus, cataplasmat. & aliis inaniter celebratis in hoc morborum genere. Placeret plebeios nostræ ætatis Medicos monere, ne miselos ægros pro re facili mille tormentis sublevent.

(a) *In*

(*a*) *In potu aquam cum ſaccharo*. Arthritis, quæ conjuncta eſt cum phlogoſi & pulſu magno, non bene ferre poteſt calida, acria et ſalia volatilia, ſed magis refrigerantium acidulorum uſum expetit Commendationem maxime merentur loco potus ordinarii aquæ florum vi anodyna fulgentium, quales ſunt; primulæ veris, florum tiliæ, lil. convall. pœoniæ cum aqua pluviali vel rore majali deſtillatæ, hiſce addi poteſt Corn. Cerv. uſtum et parum ſacchari, item pro ratione circumſtantiarum tinctura roſarum: ſit autem modus in hiſce, alias inteſtina a nimis frigidis imbecillitatem quandam contrahunt. Multos ſcio curatos arthriticos ſolo aquæ frigidæ puriſſimæ tamen, frequentiori potu.

CAPUT LXVIII.

De Arthritide.

DOminus Leonardus Chiarenci, nobilis piſtorienſis, annos triginta natus, quindecim annis elapſis Bononiam venit, ut ab acerbiſſimis doloribus Arthriticis, quos a ſeſquimenſe patiebatur, ſe liberaret. Ejuſmodi dolores genua, & pedes primo vexare cœperunt, manus deinde. Ad morbi cauſam excidendam, (*a*) *pilulas catholicas* principio dedimus; deinde decoctum ſequens.

Rec. Rad. Acori vulg. ℥. j. ß. Rad. Garyophyll. ℥. j. in ſufficienti quantitat. aquæ commun. parabatur potus. Hoc uſus eſt in cibis ad quindecim dies, & his duobus priſtinam recuperavit ſanitatem.

(*a*) *Pilulas Catholicas*. *Pechlinius l. 2. obſ. 26.* refert, ſe noviſſe empiricum, qui medicamento chymico, ſive lunæ cryſtalli eſſent, ſeu martis aliquod vitriolum etiam inveterato jam morbo, poſtquam biduo ante paregoricum dediſſet, alvum magno cum fructu provocabat. Et eſt forte ab hac occaſione nata purgantium cum opiatis mixtura, et famigeratum illud ex pilulis aloephanginis et laudano opiato compoſitum, quod et dolores ſedare et alvum ducere poſſet: Res notabilis eſt, arthritidem nonnunquam diarrhœa vel etiam dyſenteria ſolvi *vid. Solenand. in conſil. & M. N. C. dec. 1. ann. 6. & 7. p. 220.* cum tamen et ipſam dyſenteriam arthritis vaga interdum ſubſequitur. *vid. Thonerus lib. 5. Conſult. 6.*

CAPUT LXIX.

De Icteritia flava, cum principio hydropis, inappetentia, ſumma virium jactura, vigiliis, & aliis, cujus cauſa a Medicis conclamatur.

MIrantur nonnulli, cur tam ſevere animadvertam in Medicos noſtræ ætatis, & ipſi (quod pejus eſt) putant, eodem, quo ipſi incedunt pede, nos iter peragere. Male ſeriati homines, artiſque Medicæ imperiti, & Chriſtianæ pietatis immemores, nos cum inani plebe potius delirare velle putant, quam cum probis & peritis viris, veram & legitimam medendi methodum ſectari. (*a*) *Larvatos Medicos* ubique inveniri non me latet, veros & legitimos raro. Sed o deliræ mentes! ex cachinno & garrulitate, quos bonos creditis, ſeligitis, ſpretis ex opere bonis. Congaudeo ſæpiſſime, ejuſcemodi cachinnis deludi, pro ſalute infelicem ſanitatem, nec raro mortem reportantes.

Per-

Perilluſt. Dominus .... annos 64. natus, ſub duorum Medicorum cura, multorum menſium intervallo perſeveraverat. Ubi eorum opem inaniter exploraviſſet, ad nos confugit, jam ad extremum adductus: pulſum imperceptibilem, urinam perpaucam, & aqueam inappetentiam, vigilias, & alia graviſſima perferebat. Ad ventriculum roborandum, ſpecificum ſtomachicum dedimus. Ad obſtructiones jecoris, (b) *Elect. de ſulphure metall.* Rec. Auri p. j. ferri limati p. ij. fuſa calcinantur ſimul duplo ſulph. poſtea ſolvuntur aceto, & eſſentia vini alkaliſata, in perfectionem reducitur opus.

(a) *Larvatos Medicos*. Non minus vere, quam ſcite ſcribit *Hippocrates Lib. de arte p. 2.* Omnium profecto artium medicina nobiliſſima. Verum propter eorum, qui eam exercent, ignorantiam, eorumque qui temere de his judicant, omnibus artibus jam longe inferior habetur. Cujus quidem erroris iſta mihi potiſſimum eſſe cauſſa videtur, quod ſoli arti medicæ nulla in urbibus, præterquam ignominiæ præfinita pœna eſt, quæ eos, qui ex ea conſtant, minime attingit. Qui quidem perſonarum, quæ in tragœdiis producuntur, maxime ſimiles eſſe videntur. Quemadmodum enim illi formam, habitum & perſonam hiſtrionis referunt, neque tamen hiſtriones ſunt: Sic & Medici nomine quidem multi, re ipſa perpauci. Judicium de medicorum meritis admodum fallax eſſe ſolet, quod per fraudes & alia artificia ſæpius redduntur famigeratiſſimi, & exiſtimatio eorum fortunæ magis, quam meritis adſcribenda eſt.

(b) *Electuarium de ſulphure metallico*. Ecce deſcriptionem ſulphuris metallorum, quod in ſananda hydrope tantopere extollit A. Et videtur nihil aliud eſſe, quam ſubtile ſal martis, de auro parum participat, quoniam tam ſulphur, quam acetum ejus repagula reſerare vix poteſt. Quantum autem martialia in depulſandis morbis chronicis faciant, res in foro medico notiſſima eſt.

CAPUT LXX.

De caſu raro, ab omnibus conclamato, & incurabili habito.

THomas Scribanarius, in via quæ dicitur, *de Malcontenti*, annos XL. natus, intra ſpatulam ſiniſtram & collum, punctim enſe vulneratus fuit, cui (a) *vulneri proſpiciens Medicus* quidam eum ſanitati fere reſtituit. Cum vero in fine curationis Enema præſcripſiſſet, eo vix rejecto, ingens dolor ipſi advenit in ſiniſtro pede, ex quo plures noctes tranſegit inſomnes. Novos propterea accerſit Medicos; at illi de more infinita præſcribunt remedia. Perſeverat tamen dolor, intumeſcit tota tibia cum genu, febris fit continua, vigiliæ perſeverant, inappetentia, & alia varia ſymptomata. Qui ejus curam gerunt, multa præſcribunt cataplaſmata, fotus, emplaſtra, & alia infinita exterius. Intrinſecus decocta ligni Guajaci, ſaſſæ, chinæ, ad juſtam doſim, bis in die ad quadraginta dies. Omitto potiones, pilulas, electuaria, conſervas, & multa hujus generis alia: item phlebotomias, cucurbilas, cauteria, & pleraque alia: ſed cuncta irrita fuerunt. Genu adapertum fuit cauſtico, & ferro, citra tamen ullum auxilium. Eo tandem devenit, ut ſceletos potius, quam vivens cenſeretur. Ad manus tandem noſtras curandus adducitur. Ad dolorem demulcendum, mumia minerali

utimur exterius, cum unguento ex vitellis ovorum, fotibus item utebamur cum baccis lauri, juniperi, foliis plantaginis, mille fol. hypericonis, cacom. meliloti, roriſmarini, & aliis. Sed curam omnem abſolvit (*b*) *Tinct. Antimonii* cum ſaccharo roſaceo bis exhibita eodem die. Quo medicamine aſſumpto mirum fuit quomodo evanuerit febris, & pus in totum brevi ſecretum, unde tibia, genu, & crus perfecte detumuerunt, dolor receſſit, & potiori ſanitate inde donatus perfectiſſime convaluit. Galenus ſi viveret, hanc medendi methodum realem, & rationalem appellaret, oppoſitam erroneam, & falſam, Empiricæ nomine dignam. Qui convitiis probos prudenteſque Medicos excipere ſolent, hanc non eſſe canonicam turpiſſime mentiuntur; ſed hos a fructibus cognoſcere, nos Sacra Scriptura docet.

(*a*) *Vulneri proſpiciens medicus*. Ut ulcus vel vulnus curetur, opus eſt benigno ac dulci ſanguine, ac partibus illi vicinis moderatis. Chirurgis itaque illud ſtudio ſemper ſit, ut partem firment, & humorum cacochymiam caſtigent; quo ſpectant omnia temperantia, edulcorantia & blandiora balſamica.

(*b*) *Tinctura antimonii*. Metallicorum & mineralium medicamentorum efficacia non ſolum conſiſtit in ſubtilitate particularum; ob hanc enim reflectuntur & avolant facile ex corpore, ſed in eo maxime, quod firmos & valde ſtabiles habeant & poros, qui certam, ſtabilem ac copioſam ſecum ferant materiam ſubtiliſſimam, amicam noſtri ſanguinis ætheri. Hac ſubtili materia fermentationes augentur, humores viſcidi attenuantur, obſtructiones tolluntur; hac ratione ſufficere poteſt minima quantitas alicujus medicamenti. Concludimus, poſſe dari medicamentum univerſale, ſi poſſet dari univerſale deobſtruens.

CAPUT LXXI.

De Pſora Lepra finitima.

NObilem mulierem Mutinenſem, annos 35. natam, nobili viri Franciſci de Cervello uxorem, huc Bononiam ad me curandam deduxit maritus, ut a fœdiſſima pſora mundaretur, a quâ tribus annis cruciata fuerat. Mutinæ Medicos primæ notæ toto illo triennio fruſtra conſuluerat: cujus cauſa purgationes, cum phlebotomiis, & ſanguiſugis pluries comprobaverat, ſuccos cichoraceos cum ſero lactis, ad nauſeam aſſumpſerat. Hinc remediorum multitudinis pertæſa, omne auxilii genus a nobis recuſabat. At cum audiviſſet nos ſolo ſaccharo roſaceo eam ſanare poſſe, confeſtim ſe ad noſtra juſſa paratam eſſe annuit. Qua de re ſaccharum roſaceum bis in die dabamus, cui exigua portio tincturæ antimonii miſcebatur. Vera antimonii tinctura palato eſt grata, (*a*) *ſanguinem purgat*, ſine manifeſta evacuatione. Deridendi plane ſunt, qui hac ſanandi methodo ſunt deſtituti.

(*a*) *Sanguinem purgat*. Antimonialia dicuntur ſanguinem depurantia, quatenus obſtructionem glandularum & vaſorum minimorum reſerant, quod efficiunt, partim dum particulis ſuis ſtabilibus ſolidiſſimis acutis fibras motrices vaſorum ac tubulorum corporis noſtri ſtimulent & uberiorem influxum ſpirituum invitent; unde promptius humores propellunt & ſtagnationi illorum reſiſtunt, partim quod rigidis & acutis ſuis partibus humorum viſcidorum tenacitatem fundant ac diſſolvant.

CAPUT

CAPUT LXXII.

De Calculo.

CONcretio lapilloſa non omnium minima eſt eorum, quæ in albo deſignant, communium Medicorum ſcientiam haud ſatis eſſe tutam. Quod calori, tanquam cauſæ efficienti tribuunt, jamdudum falſum fuiſſe convictum fuit, & iterum a nobis, ſi opus eſt, declarabitur. Ex curationibus, quas quotidie molimur, primo adaperiemus, rationibus poſtea certiſſimis id firmabimus, certumque faciemus.

Quid mehercle ab omni Philoſophia magis eſt alienum, quam concedere aliquid ſupra vires ſuas agere poſſe. Noſtri ævi Medicaſtri in calculi generatione nihil aliud frequentius habent in ore, quam calorem renum, & veſicæ. Concedo id ab aliis ſcriptoribus hauſiſſe; ſed quid ineptius, nil ſcire poſſe quam ex commentario? ſemper pueri ſumus, nihil a nobis diſcimus, quod ut utile & abjectum cenſemus, nihil e proprio pectore depromere poſſe. De craſſa & viſcida pituita rimari oporteret, unde illa craſſities & viſciditas; ſemper eodem hæremus luto; ſi iſthæc cruda ſunt, quomodo nimius calor adeſt? & duplicem inibi calorem, inſitum, & adventitium agnoſcunt, inſitum eſſe debilem, & adventitium ſolito validiorem, quo argumento rem acu tetigiſſe putant. Sed nænias iſtas infringere velle, pudet ſane; dum enim hæc aſſerunt, plura committunt abſurda. Caloris primo duplicem conſtituunt originem; ſecundo, ponunt accidens ſine ſubjecto; tertio, ſi adventitii aut extranei ſubjectum faciunt renes, ſequitur, renes ſui ipſius detrimenti ſubjectum fovere. Quid tandem? calculus ſubſtantia eſt: calor vero accidens. An mobilia, vimque habeant agendi accidentia, non eſt minus ridiculum. Recentiores, etſi ſcholaſtici non ſint, & huc uſque cathedras ignorent, veriorem viam, & certiorem tamen invenerunt. Et dicunt eandem eſſe calculi microcoſmi generationem, ac lapidum procreationem in macrocoſmo. Nec Ariſt. opinio obſtat, dicentis (*a*) *lapidum ortum* fieri per materiæ appoſitionem. At is cum lapillificandi vim nonnullis ſubſtantiis a primordis fuiſſe inditam non agnoverit, idco de illa, ac de pluribus aliis non eſt locutus. Sed de his alibi fuſius. Sint modo de eo curando nonnulla exempla.

(*a*) *Lapidum ortum*. Calculi generatio fit, quando particulæ viſcoſo-ramoſo-terreſtres ciborum a ſalibus ventriculi non rite dividuntur; unde poſtea ſerum tartari terreſtrioris copia onuſtum, alluens poros canaliculos renum, ibidem efficit ſtagnationem particularum. Eodem modo ut videmus in liquoribus calide filtrandis, v. g. lixiviis & aliis craſſioribus, ubi ſiltro magna copia limi onuſto, vel liquore frigido facto, hic diutius ſtagnans, vel plane non deſtillat, vel ſatis lente, aut multum de ſale iterum cryſtalliſato in filtro relinquit. Id quod manifeſto videmus in renibus calculoſorum, ubi circa pedem anſerinum dictum tartareæ lamellæ conſpiciuntur: Quæ poſtmodum ſeminium perpetuum calculi ſuggerunt. Acidum autem & terra elementa calculi ſunt, quæ invicem juncta, dura conſtituunt corpora. Cryſtallus pulveriſata cum aceto in priſtinam abit duritiem. Calcu-

lus humanus si destilletur, spirituum acidum acrem præbet, qui capiti mortuo super infusus pristinam duritiem acquirit. Præterea si destilletur, parum præbet olei, & putat *B.Dn. Waldschmidius in institutionibus pag.86.* calculos generari ex defectu particularum oleosarum, & ob id ratio in promptu est, quare omnia ferme se omnia oleosa, item oleum amygdalarum dulcium in copia haustum a calculo præservat. Oleosæ enim particulæ rimis ac tricis suis impediunt, quo minus recte coire queant in durum corpus spicula salina: Compertum enim ex Chymicis est, oleum resistere crystallisationi, hinc nonnulli, ut elegantes crystallos acquirant, addunt lixivio salino spiritum vini rectificatum, ut ille particulas pingues oleosas absorbeat.

CAPUT LXXIII.

De Calculo in vesica.

INter complurimos á calculo per me liberatos, mihi in mentem venit Illustriss. D. Gregorius Malvetius, qui viginti annis elapsis (*a*) *in calculum vesicæ* incurrit. Alios præter me consuluit Medicos, qui omnes calculo vesicam laborare asserunt. Hac de re medicamenta plurima frustra ipsi præscripserunt. Ad nos tandem venit, maxime cum ab illis intellexisset solam superesse incisionem, quam toto pectore reformidans, undique conquirere remedia statuit. Nos ipsi duo præscripsimus, in quibus ejus salutem repositam esse asservo, si in eorum usu persistat: primum fuit Herniaria, cum Betonica in jusculo carnium cocta, (*b*) *bibit quotidie* ejusmodi jusculum, ad tres, vel quatuor menses; at cum ipse Astrologiæ deditus esset, sub explorato, & benevolo siderum positu plantas eas colligi curavit. Secundum fuit (*c*) *Astacorum fluviatilium* lapis, de quo quotidie in vesperis 3. ß. accipiebat cum succo limonum. His duobus fœliciſſime convaluit. Quid mirum si quindecim annis a sanitate elapsis, sanguinem expuere cœperit? cujus occasione Patavinos Medicos consuluit; sed eum ad propriam civitatem remittunt, ubi post aliquod tempus in manifestam phthisim incidit: tuncque pluribus in hac re habitis consultationibus, extremum diem clausit, quamvis sexagesimum quintum annum ageret. Hic affectus raro senes adoritur. Unde quidam Medicus ad eminentem cathedram evectus, morbum hunc non esse Phthisim asserebat, quod ex Hippocr. intellexisset, post trigesimum quintum raro advenire.

(*a*) *In calculum vesicæ*. Calculorum generationem in vesica elegantissime tradit *Nuckius in Adenographia curiosa pag. 77. & 78.* Observatum sæpius, calculos ejusmodi, mole sua quidem parvos, sed ob materiæ unionem compactiorem, in vesica hærere, calculorum futurorum nucleum constituere, cui facile incrustationes lapideæ tanquam stratum supra stratum superveniunt. Hocque iterum facilius accidit vitam sedentariam agentibus, quorum urina tardius in renibus secreta; diutius in vesica moram nectit; dum particulæ ejus ex sale volatili urinoso, spiritu limpidissimo, oleo fœtido, & terra fatua compositæ, nucleoque dicto junctæ, molem calculi adaugent. Nucleus itaque talis, aut alius naturæ corpus aliquod terrestre plerumque adesse debuit, ejusmodi poris donatum & superficie, cui particulæ ab ipsa urina secretæ adhærere & calculi incrementum promovere possent. Ut autem hæcce certo

certo magis constarent, Experimentum aliquod instituendum erat. Inciso vivi animalis (canini v. gr.) hypogastrio, per vulnus inflictum vesicæ extrahatur, dein per ejusdem vesicæ membranas, secundum ductum fibrarum, instrumento acutiori in fundo læsas, globulus immittatur ligneus; mox contrahentibus se fibris, vesica per vulnus abdomini ante inflictum repellenda vulneriſque ratio habenda. Animal primo biduo tristius quidem, sed brevi post alacriter vivere & comedere incipit. Globulus autem vesicæ jam inclusus, vix aliam animali causſat molestiam, quam quod vesicam ad excernendam urinam frequentius stimulet. Hoc in statu animal per aliquot septimanas servetur; hinc inspecto abdomine & vesica, jucundo plane aspectu observamus, globulum dictum exiguis calculis, quasi totidem crystallis, esse incrustatum: Uti hisce diebus, felicissimo cum successu studiosis fuit propositum, demonstratumque. Dissimilis haud modo (si parva magnis comparare liceat) quo saccharum album bacillis suis adhærere videmus. Et hoc quidem modo calculus in renibus primum genitus, bacilli instar, nucleum constituit, postmodum vero in vesica particulis calculosis, cum urina alias excernendis, obducitur, & in monstrosam tractu temporis, non raro, magnitudinem excrescit. Ubi vero ejusmodi nuclei deficiunt, rarius calculi vesicæ formantur, quoniam corpora non adsunt, quibuscum particulæ hæ heterogeneæ jungi possunt. Hinc non tantum nucleus talis, aut globulus ligneus, sed varia alia, nucleorum instar se habentia, calculorum fundamentum constituere valent.

(*b*) *Bibit quotidie*. Multa numerosa lithontriptica Medicorum scholis proponuntur, quæ tamen, quando ad praxin venitur, raro fidem solvunt. Et si absque partium studio judicium feram, dico, omnia illa, quæ vesicæ calculo vulgo destinantur, prorsus evanida esse, quæ enim jam factum & duriter compositum lapidem compactumque, qualis vesicæ esse solet, solvere posse, non video. Certum est, liquores corrosivos, & maxime spiritum nitri dulcem pro mpta facilitate calculum humanum solvere, ex cujus poris etiam oleo tartari fundo præcipitari potest, sed quam parum a corrosivis illis expectari possit tali negotio, perpendat quisque secum, quantos cruciatus & vel ipso calculo certantes peregrinus in vesica acor conciliet. Posse autem injectione vesicæ calculum solvi, tum demum credam, sunt verba ingenioſi *Pechlini*, quando menstruum erit repertum, quod insipidum sit, & aurum aut aliud metallum solvat, cujus tamen expectatio hactenus nos fefellit, & forte semper fallet. Quo minus opinor verum esse, quod *editor Zodiaci Gallici de D. Brochardi* lythontriptico meminit, illud etiam ore assumptum lapidis tum renalis, tum vesicarii attritionem moliri. Hoc in universum censeo, a medicamentis tartareis, imprimis autem aquarum calidarum & thermarum inundatione, imo etiam naturæ quodam ductu, calculi mollioris elementa in partes tartarumque quendam viscosum resolvi posse, aut quod frequentius est, totos lapides & integros diluvio talismodi propulsos laxatis ante viis erumpere.

(*c*) *Aſtacorum fluviatilium*. Calculus pene siliceus in vesica pueri fractus & expulsus pulvere ex lapidibus nec non balsamo sulphuris & lapidibus cancrorum in *actis Haffnienſibus ann. 72. obſerv. 77.* legitur. Lythontriptica vera debent rigidis subtilibus, & puri calculi adaptatis constare particulis, quæ intus motæ possint dimovere vectis instar. Tale sal obtinet petroselinum. Aqua hujus, quamvis est insipida, effectum tamen dat calculosis, quoniam aculei sunt invisceati sulphuri, & hi, cum a motu in sanguine, & ab urinæ sale privantur suo sulphure, hinc priorem nacti figuram priores etiam edunt effectus. Tales aquæ stricto clauso vase sunt asservandæ diutius, tunc acquirunt aliquam acredinem excusso sulphure laxiori.

CAPUT LXXIV.

De *Calculo*.

ADmodum Rever. Pater, moribus, & vitæ integritate clarus P.F. Antonius Vernicus Franciscanus annos XLV. natus, post varia tormenta, & infinita remedia pro calculo in vesica atterendo, me accersiri curavit. Re citra spem habita, & potius de morte, quam de vita cogitans, ad extremum confugiendum esse statui, ne ipsum sine remediis periturum relinquerem: (*a*) *Salem itaque vitrioli* sublimatum, & ad extremam puritatem adductum ipsi statim exhibui cum jusculo carnium. Hora post ipsum assumptum vomuit, & excrevit calculum satis magnum, ex quo confestim ab omnibus dolore liber evasit.

(*a*) *Salem vitrioli*. Vomitus per accidens, si calculus non adeo grandis & in vesica est, ad ejus expulsionem faciunt. Vomitus enim fit cum constrictione partium, quæ in omni expulsione necessaria est. Observamus nonnunquam in praxi post maximos & intolerabiles ventris dolores, calculos ingentis magnitudinis præter omnem spem prosilire. *Joh. Theodorus Schenkius exercit. anatom. pag.* 554. meminit mulieris, quæ, post atroces perpessos dolores calculos duos cum fragore exploserat; quos ex vesica magno sanæ naturæ conatu ejecto fuisse notatæ ibi circumstantiæ persuadere volunt. Nec dissimilis admodum est historia, quam *observ.* 7. *ann.* 6. *dec.* 1. *M.N.C.* legendam exhibet.

CAPUT LXXV.

De Calculo.

VEtula quædam, annorum LX. in via quæ dicitur *il Borgo della Paglia*. longo tempore a calculo in vesica cruciabatur. Post multa remedia incassum adhibita, Lithotomus ad eam conducitur, qui (*a*) *catheterе calculo explorato*, de mercede pacisci tur. At illa non tam expensas timens, quam operis sævitiem, sic diu incurata manebat, ac vitam nimis infaustam ducebat. Quum vero minus de salute cogitaret, ecce calculus ad orificium externum vesicæ se profert. Ad eam perductus consului, ut sequenti mane pro viribus per civitatem deambularet, & ubi non sufficerent vires, aliquem secum perduceret, cui per viam inniteretur, & antequam egrederetur domo, pudenda bene inungeret (*b*) *oleo scorpionum*: quod ad unguem exequitur; unde vix domum reversa, calculum prædurum ovi gallinacei magnitudine excernit, non sine admiratione, a qua excretione libera penitus evasit.

(*a*) *Catheterе calculo explorato*. Maxima tormenta excitat violentia catheteris, ut ægri sectionis, quam catheteris molitionem æquiori animo ferre velint. Certum indicium calculi vesicarii esse dicitur, si cum sonitu repellatur emissus catheter, modo ante probe compertum sit, calculum adesse, non aliud forsan corpus, carneum scirrosum renitens. Potest de calculi exploratione *obs.* 2. *lib.* 1. *Dn. Pechlini*.

(*b*) *Oleo scorpionum*. Omnia emollientia, lubricantia intrinsece & extrinsece data, optime cruciatus calculi compescunt, dum vias emolliunt, nimis a spasmo constrictas

ſtrictas relaxant, ſicque partim dolori medentur, partim etiam vias ad expulſionem præparant. Hanc ob rem etiam calculoſi magnum ſolamen in balneis & fotibus inveniunt. Certe inconſulto illi agunt practici, qui antequam emolliant vias, nimio diureticorum fortium uſu calculos propellere annituntur; de quo lubeat legere *diſquiſitionem Matth. Unzeri lib. 1. de nephritide cap. 17.*

CAPUT LXXVI.

De calculo renum.

TAnta eſt (a) *nephritici doloris affinitas* cum dolore coli, ut non raro peritiſſimos Medicos ambo deludant. Talis fuit is, quem nuperrime patiebatur Admodum Rever. D.P.M. Joann. Evang. de Juncis, in celebrrimo cœnobio D. Franciſci, ipſe enim quindecim diebus atrociſſimo dolore ventris premebatur. Locus doloris erat circa regionem renum per ureteres ſe extendens, cum frequenti nauſea, & vomitu (b) *urinæ erant multæ, & tenues*. Curationem aggredimur per communia, tanto magis, cum tres eſſemus vocati ad curam. Prima die (c) *ſubducta alvo* cliſtere emolliente accepit pluries de ſpec. Eleſcoph. quod ſtatim evomuit. Sequenti die pulpa caſſiæ, cum Diaphœnic. adhibetur, quod pariter per os rejecit. Interea fotus cum carminativis, bacc. lauri, junip. menthæ, calament. majoranæ, abſinth. fœnug. lino, cymino, camomil. & melil. Poſt ejuſmodi fotus, oleis diſcutientibus, & aperientibus inungebatur. Clyſt. quoque diſcutientes, cum decocto carminat. elect. de bac. lauri benedict. laxat. terebint. & ſimilibus, frequenter reiterabantur. Cum dolor magis ſæviret, ſapientiſſime a ſeniore Medico balneum olei communis præſcribitur: ſtat per horam in dicto oleo, a quo cum nihil levaminis percepiſſet, imo dolor vehementior redditus videretur, conſultationem inter nos inire cœpimus, rem eſſe conclamatam videbamus. Vitrioli ſalem propono, & in his morbis verum eſſe rhizotomum. Abnuunt alii duo Medici, ſed ſagaciſſime; nam ab aſſumpto tribus horis ceſſat omnis dolor. In quo ſatis videre eſt, boni & legitimi Medici eſſe, chymica remedia non ſpernere, indocti ſoli vituperant, quæ ignorant.

(a) *Nephritici doloris affinitas*. Calculus ſæpe confunditur cum dolore Iſchiatico & dolore colico: quandoque cum calculo conjuncta eſt colica. Si gravidæ querantur de dolore in lumbis. it. febre ardente laborantes; non cogitandum de calculo: defluxiones catarrhales fingunt quoque calculum, non tam omnis dolor lumborum etiam gravior indicat calculum: bene enim diſtinguenda in praxi nephritis a calculo eſt, illa ſæpius a ſtagnatione ſanguinis circa renes provenit, & in calculum, niſi venæſectione & remediis nitroſis ſuccurramus, terminatur.

(b) *Urinæ multæ & tenues*. Hæ notant poros renum valde conſtrictos ſive ſpaſmo, ſive materia limoſa: viſuntur etiam urinæ in calculoſis interdum ſatis craſſæ, mucoſæ & turbidæ, quod bonum ſemper ſignum eſſe ſolet, teſtantur enim Obſervationes, in primis *D Jo. Henrici Brechtfeldii quæ volum. 3. Actis Medic. Haff. Obſerv. 70. proſtant.* ubi puella bimula materiam albam, mucilaginoſam emiſiſſe cum urina, ſcribitur, quæ ſtatim ab aere externo in ſubflavum oblongum riguerit, duritie quemvis alium calculum æquantem, a qua ſane muccagine albedinem & duritiem

calculorum derivare libuit *Helmontio tract. Aliment. tartar. infons.* §. 28. eandemque veræ calculi materiæ junctam, a semine Duelech petrescere, *cap. 2. de Lithias cap. 3.* concessit.

(c) *Subducta alvo.* *Galenus libro de venum affectibus* non solum pro præservatione, sed etiam curatione calculi nihil tantopere conducere scribit, quam alvum habere congrue apertam & lubricam.

CAPUT LXXVII.

De insigni alvi profluvio.

DOmina Antonia Domini Alberti Zambonii Aromatarii, annos XL. nata, quatuor mensibus insignem diarrhœam patiebatur, cui opem ferrent Medici, omnia usualia frustra ipsi præscripserant, cum vero minus de sanitate cogitaret, in manus nostras curanda venit. Rem etsi arduam, & periculo plenam, sic tamen felicissime absolvimus. (a) *Ad jecoris obstructiones* reserandas, ipsumque in officio detinendum, dabantur mane croci Martis gr. x. in vesperis de eodem croco gr. vj. cum conserva rosarum. Sub fine ad ventriculum roborandum, flatusque discutiendos miscebantur grana aliquot specifici stomachici, & his duobus pristinam recuperavit sanitatem.

(a) *Ad jecoris obstructiones.* Sectiones cadaverum, cholera, diarrœa, & dysenteria exstinctorum docuerunt integro pancreate causam morbi & mortis in folliculo fellis aliisque biliariis vasis latuisse: videatur *Dimerocii Anatomia p.* 115. Bilis enim humorum acrium vehiculum est, Anatomen diarrhœa defunctæ, ubi vesica fellis tota bile ex viridi nigricante repleta erat vide in *Actis Haffnienf. anno 76. Observat.* 21. Puer diarrhœa mortuus, sectus fuit a *Dn. Bierlingio* hepar & lien magnus & totius mesenterii glandulæ scirrosæ inventæ fuerunt. vide *M. N. C. ann.* 2. *Observ.* 153.

CAPUT LXXVIII.

De Hectica febre cum ulcusculis in faucibus.

DEcreveram silentio præterire ea, quæ acerba mors jam dudum ab oculis nostris præripuit, at quomodo commemorare desinam omnium mortalium Excellentiss. Clarissimum, eminentiss. & omnibus gratum litterarum Phœnicem, natali ortu vere Principem Romanum, in omni facultate primum doctorum recognitum, quem omnes fleverunt, de quo tot celebrata fuerunt encomia, luctus, & gemitus, tum lacrymarum fluctibus, per omnes Academias tanti exauditi fuerunt, ut omnis lætitia, tam curiæ Romanæ, quam universæ Italiæ in mœstitiam versa sit. Cum vero Excellentiss. P. annos tunc XXIV. natus, gravissima fluxione in fauces tentaretur, ac Romanos Medicos, qui tunc doctiores habebantur, frustra ad duos annos consuluisset, ad me Bononiam mittit, ut per litteras opem ipsi ferre vellem: quantum possum ipsi me offero. Agnoscit tanti morbi curam absente Medico perfici non posse, qua de causa itineri se commisit, & lectica iter faciens per Spoletum, in pessimam febrem incidit. Tunc Excellentiss. ejus parentes judicarunt, me

ad

ad eum potius convocandum esse, quam tanti Viri itineris periculo committere salutem. Lecticam ad hoc, cum litteris multorum Principum, & amicorum commendatitiis, quibus enixe me rogabant, ut ad eum curandum accederem, mittunt. Eminentiss. Princeps Cardinalis Sabellius tunc Bononiæ a Latere Legatus, non parum quoque me rogavit, ut hoc iter peragendum susciperem. Lecticam ergo ascendo, & Florentia Romam peto, & dum per Aquam pendentem pergo, nobis fuit obvius quidam, dicens Excellentiss. Principem, ab Eminentiss. & Reverendiss. ejus fratre Orvietæ expectari: tunc enim Illustriss. & Reverendiss. frater, modo Eminentiss. Cardin. Cæsarinus nuncupatus, illius civitatis Gubernator erat. Orvieta per asperrimos montes Umbriæ superata, ad Aquam Spartam deducimur, ubi dictum Principem febre lenta confectum invenio, cum ulcusculis in gutture. Cum vero marasmo totus esset consumptus, & (a) *febris* jamdudum *inveterata* cum quadam raucedine, & cute aspera; idcirco decreveram apud me nullo pacto hanc curam suscipere, videns Excellentiss. patientem omni humana spe destitutum. At multa interea mihi ob oculos versabantur, itineris labores, immodicæ expensæ, tam in lectica, equis, & famulis, quam in proprio honorario; item videre omnes, male de concepta in me opinione sentire; & quod magis urgebat, tantum virum omni humano auxilio orbatum relinquere, quibus non minimum impulsus, ei morem gerere non recusavi. Ad ardorem itaque febris compescendum, bis in die dabatur Antihecticum cum Antipyreto, quibus vix ad decem dies usus est, & evanuit omnino febris. Hac sedata deperditum appetitum recuperat, & vires sensim revertuntur. Sic qui omnibus, & mihi pariter incurabilis habebatur, sanus omnino evasit. Post ejusmodi curam, vixit fere decem annos; at sæva mors eum derepente e vivis sustulit, & eo tempore, quo Summus Pontifex Urbanus VIII. supremus honoribus eum prosequebatur. Non defuerunt, qui malæ dicentiæ venenum evomentes, culpam mortis in præfata remedia referre studerent; at mos est hujusmodi homuncionum, ut qui infami invidia correpti, omnia etsi limpidissima Lycambeo suæ ignorantiæ succo inficere, atque tetris nocturnisque dicteriis obnubilare.

(a) *Febris inveterata*. Distinguenda hectica est inter incipientem & confirmatam. In incipiente largissimus solet esse sudor, urina rubicunda, facies bene colorata. In confirmata tumor pedum, cutis aspera, alvi fluxus, urina tenuis, vocis raucitas. Si ex ventriculi vitio febris hectica vel potius lenta fit, vinum album, pauca tamen in quantitate convenit, quo videlicet ciborum coctio melius peragatur, & vires refocillentur. An vinum in hectica conveniat, *Exc. D. Phil. Jac. Sachsius lib. 2. Ampelograph. sect. 6 membr. 2. cap. 6. pag. 285. ex Lælio a Fonte, Mercuriali, Rhodio & Heurnio edocuit.*

CAPUT LXXIX.

De ulcere Chironio in facie.

OMnium ulcerum genus pessimum, & contumaciissimum istud est, quod faciem occupat. Qui Astrologiæ favent, ejusmodi ulcera Martialia appel-

appellant, non tam naturæ loci consideratione, quam ejus mala conditione. Inter multos superiori anno Ravenna Bononiam Illustriss. D. Luciana Ginani Bifolci, ad manus nostras curanda ex pessimo ulcere in facie circa aurem sinistram. Juvenis erat xxx. annorum, optimo temperamento, venusta facie, & statura mediocri; hæc enim cum optima sanitate frueretur, nesc io quo fato (a) *in ejus facie* obortum est malignum, & ferinum *ulcus*, quod ut superarent Ravennatenses Medici, multa tam intra, quam extra adhibuerunt remedia; sed frustra. Quamobrem ad me Bononiam curanda venit. Intrinsece decocto catholico uti sumus, ad saburram primæ regionis deturbandam. Ad salsedinem vero compescendam, eamque foras trudendam, (b) *tincturam Saturni Philosophici* per intervalla dabamus. Extra vero sola mumia minerali utebamur, cum unguento magistrali.

(a) *In ejus facies ulcus*. Ulcus præcedit semper inflammatio, quæ si conspicitur in cute, Erisypelas dicitur, causa est sal biliosum tenue & causticum, quod motu critico ex sanguine excutitur, & quoniam tenuitate & mobilitate sua viam facile invenit, superficiem partium carnosarum, crurum, uberum, faciei occupat, emunctoria passim in inguinibus sub axillis afficit, inque iis aliquid velut in via deponit, eodem modo uti in peste solet; atque a pestis invasione vix alio discrimine erysipelatis accessio differre videtur, quam solo contagio & venenositate. In principio talia, quæ naturæ motum adjuvant, & quod intus noxium est, ad cutem excutiunt, danda sunt, vulgo dicuntur die Rose vom Dergen treiben. Quod si autem hoc sal corrosivum crassioris & rigidioris texturæ est, minusque mobile, in carneis fibrillis firmiter hæret, ibique continue solutionem & ulcus efficit, idem accidit, si oleosorum & infrigidantium abusu evaporatio salis corrosivi subtilis impeditur. In Dieta abstinendum est ab omnibus pinguibus, oleosis, dulcibus, butyro, acidulis, salsis, acribus, synapi, cepis, porro, raphano.

(b) *Tincturam Saturni philosophici*. Est nihil aliud, quam Tinctura Antimonii, quod Saturnus philosophorum nuncupatur.

CAPUT LXXX.

De herpete maligno ulcere nares depascente.

PRovidentiam divinam in minimis relucere experimur. Quotidie veniunt ad nos Exteri ab aliis Medicis incurabiles habiti, ut de suis malis subleventur, & qui in vicino prostant, opem nostram sæpe negligunt. Concedo inter pares vigere invidiam, at quid invidia cum proximi dilectione. Si proxima laboribus levamen ullum ferre non possunt, quare convitiis putidisque suis mendaciis alios a salute deterrent? Juvenis erat quidam Mutinensis nobilis, (a) *Herpete* quodam pravo, prope nares depascente, male vexatus, cui occurrere non posse cognoscentes Medici Mutinenses, eum ad me miserunt curandum: pluris ipsi fecerunt proximi salutem, quam quemvis alium respectum humanum. Ipsi duobus modis pristinam salutem restituimus. Intra corpore repurgato, Melanagogo decocto, tincturam seu essentiam Marchesitæ Saturninæ dedimus. Extra sola Mumia Minerali contenti

tenti fuimus cum unguento roſaceo. Plures conſimili ulcere laborantes eadem facilitate ſanavimus.

(a) *Herpete*. Differt Herpes exedens a miliari majori & minori acrimonia, in herpete remiſſior, in exedente vehementior exiſtit, ita ut non tantum ad corporis peripheriam ſecedat, ſed & eandem cum vicinis partibus exulceret & depaſcat. *Celſo* Herpes hic dicitur, ſacer ignis *Lib. 5. de re Medica cap. 28* quod nomen poſtea eryſipelati impoſuerunt. *Hippocr. lib. 2. Porrhetic.* tale prognoſticum de hoc conſignavit: Omnis ſacer ignis, ut minimum periculi habet ex his, quæ ſerpunt; ſic prope difficillime tollitur. Quam difficultatem illi potiſſimum experiuntur, qui male diſpoſita viſcera habent, a quibus continuis Ichor tranſmittitur.

CAPUT LXXXI.

De Pſora antiqua, ſolo carnium, & juſculorum viperarum uſu ſanata.

NOn ſemper Chymica uſurpare novit verus & legitimus Medicus, ſed omnia habeat rite parata ad manus. Non raro herbula jugulat morbos. Gal. ſuis temporibus, ſimplicia potius quam compoſita uſurpat, quod nos idem non ſemel præſtitimus. Sed dicamus, quomodo Rever. Pater . . . . . de Tabia, totius ordinis Dominicanorum Provincialis per Lombardiam, ad nos venit curandus. Contraxerat ille Pater fœdam Pſoram per totum corpus a quinque vel ſex annis, pro quo affectu curando plures Medicos, infinitaque medicamenta fruſtra tentaverat. Nos in tam contumaci morbo (a) *ſola viperarum carne uſi* ſumus: eas modo coctas in aqua cum pauco ſale comedebat, juſculum deſuper bibens: eas aliquando torrefactas, & in pulverem verſas, quo pulvere utebatur in cibis, nunc cum ſaccharo, nunc cum cynnamomo & aliis. Tota æſtate pluſquam centum & quinquaginta viperas comedit. Quare renovata cute, totus alter factus eſt, & qui valde ſenex apparebat, quaſi juvenis factus eſt, robuſtior videlicet ſolito, ad cuncta obeunda aptior. Uſus viperarum vix eſt utilis, niſi ad longum tempus; hinc fides adhibenda ne ſit Gal. in duabus illis hiſtoriolis, judicent alii. Nos in lepra dictis viperis uſi ſumus citra ullam utilitatem, etſi ad longum tempus.

(a) *Sola viperarum carne*. Viperarum carni magna vis depurandi ſanguinem a priſcis medicorum aſſignata fuit, ita ut etiam ad vitam prolongandam commendaverint. Vulgo creditur in iis animalibus, quæ exuvias ſuas deponunt, uti ſunt Cervus, viperæ, araneæ, cancri, eximium vitæ balſamum delitescere. Mirabile eſt, quod ſcribit *Solenander Conſil. 25. pag. 110.* Quando ſerpentibus coctis nutriuntur pulli gallinacei per aliquot dies, implumes evadunt & tandem rurſus plumis veſtiuntur, hiſce elephantiacos nutriendos eſſe ſuadet. Noſtra opinione viperæ conſtant ſale volatili oleoſo, ſubtili, immerſo mucilagini; unde ad longum tempus, ſi caro aſſumitur, non poteſt non ſanguini blandam introducere ſpirituaſcentiam, & evacuatoria publica, a quibus obſtructis omnis impuritas in ſanguinem emanat, aperire.

CAPUT

CAPUT LXXXII.

De Tabe cum insigni ventriculi imbecillitate, vigiliis, &c.

MEdici officium non est semper sanare, id enim ad Deum Omnipotentem proprie spectat, sed apposite medicamenta ad hunc finem applicare. Atqui multi Medici putant se recte, & canonice mederi, si purgent, refrigerent, exsiccent, & humectent: finis, quales sint, demonstrat; ab operibus cognoscetis eos. Ad hoc quidam Medicus, nomine Guinus, probus & doctissimus, Ravenna Bononiam venit, ut a Tabe, seu potius insigni Marcore eum sublevarem. Hic annos 33. natus erat, & trium annorum spatio ab gravissimo affectu cruciatus fuerat: cui succurrendo, alii Medici Ravennatenses infinita prope remedia incassum adhibuerant. Consilio tandem inter eos inito, unanimes ipsi suaserunt, ut ad me curandus ipse veniret; se cuncta a scriptoribus enarrata pro similibus usurpasse, in his frustra triennium insumpsisse; & melius aliquid cum ancipiti fortuna tentare, quam ipsum misere sine remediis moriturum relinquere. His, & aliis impulsus, ad nos curandus advehitur. Explorato morbo, quippe visceribus sicca (ut ajunt) intemperie laborantibus, (a) *specificum* nostrum *stomachicum* ad sesquimensem dedimus, cum saccharo rosaceo; cujus beneficio in tantum convaluit, ut portione quadam data pro ejus usu, cum esset ad propriam domum reversus, hilariter postea vixerit, pinguis admodum factus sit, & ab hac cura quindecim annos in perfecta sanitate vixerit decimo sexto anno tandem ex Pleuritide occubuit.

(a) *Specificum stomachicum*: Nullum dubium est, parari hoc ex Regulo Antimonii Martialis & Nitro, & coincidere maximam partem cum Antimonio Diaphoretico. Regulus autem est purior & saltim Mercurialis Antimonii pars, utut cicurata sit cum Nitro, in resolvendo & deobstruendo laudabilem adhuc recondit efficaciam; unde jam dudum cerussam Antimonii magni Chimiatri in abscessibus internis, morbo venereo, scabie; pruritu, pustulis pertinacibus & ulceribus magni fecerunt. De specifico nostri Authoris conferri potest, *Bartholinus Volum. 3. Act. Med. Hafn. Observ. 26. Item Senertus cap. 18. de consensu & dissensu, & Christianus Winckler ann. 6. M.N.C. observ. 98. & Kerckringius Comment. in currum Triumphalem Basilii Valentini pag. 230.*

CAPUT LXXXIII.

De Hectica febre.

FEbrium observationes, & curationes in peculiari libro fusius tractandas decreveram, ne vero rei memoria in totum pereat, historiam hic referam de quodam Patre Jesuita annorum viginti septem, qui cum longo tempore lenta, & habituali febre laborasset, & ad sesquiannum multa e communibus Medicorum præscriptis subiisset remedia, ad me tandem venit curandus. Cum vero facie, & febre consumptus esset, medicamentorum pariter multitudinis pertæsus, solis (a) *restaurantibus & humectantibus* tractandus erat.

Qua-

Quapropter solo Antihectico usi sumus, cum saccharo rosaceo. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, æque, & bene. Reseratis obstructionibus, & roboratis visceribus, semper cessat calor extraneus, febrilis ille calor sensim humidum primigenium depascitur, unde putredines, & consumptio totius corporis. Ejusmodi medicamentum facili negotio paratur. (b) *Basis est stella* signata Regis, cui benigna Jovis præsentia adveniens, Balneo Maris medio, pura & amica naturæ fit: sic depurata, & optime defæcata hominem sibi reddit benevolum, non eo vexando, sed amica societate eum saturando; consopitis videlicet malevolis aspectibus, summam pacem vitalibus spiritibus tradit.

(a) *Restaurantibus & humectantibus*: Ranas, testudines, limaces, ir. ostreas, Jammoros, ad extinguendum calorem hecticorum & restituendum glutinosum alibilem succum, multi sunt, qui commendant, id quod etiam non est de nihilo. Illud tamen circa illorum usum tenendum est, ut nimirum decoctum & jusculum ex illis magis præbeatur ægris, maxime si ventriculus imbecillis, vires labefactatæ & morbi principium non amplius sit, ubi duriores cibi minus feliciter concoquuntur.

(b) *Basis est stella signata Regis*. Describitur hic Domini Authoris medium antihecticum, quod ex regulo antimonii martiali & stanno purissimo mediante nitro parari potest, *de quo vid. plura infra p. 600.*

CAPUT LXXXIV.

De dolore teterrimo in tibiis inveterato, & continuo.

IMplacabilis, & longo tempore (a) *pertinax dolor* in tibiis vexabat nobilem, & egregium patientem, Dominum Bernardum de Taschis Mediolanensem, tunc Mantuæ habitantem, ex qua ad nos Bononiam venit ipse curandus. Ejusmodi dolor, tam die, quam nocte mirifice patientem torquebat. Ibi nullus tumor, & a quo oriretur hic dolor, vix erat comprehensibile. Mantuani Medici dictum dolorem a lue venerea oriundum existimarunt, propterea ligni Guajaci, & salsæ decocta pluries ipsi dederunt, excitatis sudoribus in hypocausto ad 40. dies; cerata viperina cum Mercurio tibiis admota fuerunt, & hæc omnia incassum. Observato loco affecto, cum luis venereæ vestigium nullum deprehendissem, statui locum affectum caustico esse aperiendum; quod factum fuit. Inter ossa, & carnes inventa fuit materia quædam dura, subalbida, naturæ & consistentiæ nervi, cum alia materia sebacea. Hac sublata dolor penitus evanuit.

(a) *Pertinax dolor in tibiis*. Dolorem tibiarum venereum diuturnum sustulit *Riverius, vid. Cent. 1. obs.* 8. pilulis mercurialibus, quarum duæ horis matutinis, & totidem pomeridianis per mensem integrum datæ fuerunt. Quinto quoque die interpolatus est usus pilularum purgantium.

CAPUT LXXXV.

De dolore superiori simili, eadem methodo curato.

SUperioribus annis, antequam Pedemontana regio bellorum incursionibus vastaretur, e Casali Montisferrati ad nos Bononiam venit Illustriss.

Comes

Comes Isbertus Mantuanorum Ducum a consiliis primarius, annos tunc XL. natus. De utriusque tibiæ dolore maxime conqueritur, & cum decem multis annis esset inveteratus, & ab aliis Medicis, tam Pedemontanis, quam Mantuanis inutiliter curatus, tibias statim adaperiendas esse decrevi. Adapertis, non ossa carriosa, (ut arbitrabamur) inventa sunt, sed tantum (a) *materia gypsea*, qui sublata recessit omnis dolor.

(a) *Materia gypsea.* Tophacea materia ubique ferme reperitur, & facile adhæret membranis; hanc cum alvi excrementis ejectam recensent *miscellanea N. C. dec. 1. ann. 7. pag.* 349.

CAPUT LXXXVI.

De nasi, nariumque aucta magnitudine, cum ulcusculis erodentibus.

UT continua, & apta membrorum proportio hominis pulchritudinem perficit; ita inconcinna & inepta turpitudinem parit. Cuidam pistori nomine Petrus Caffonus, annum ætatis suæ 40. agenti, anni spatio nasus, & nares in insignem magnitudinem creverant, cum insigni livore, cui ulcuscula quædam erodentia accedebant; cumque ab omnibus notaretur, & ab aliis Medicis frustra curatus fuisset ad nos tandem venit. Curam exordior a decocto melanagogo, quod ebibit 40. diebus bis in die. (a) *Extrinsece* loco affecto mumiæ mineralis balsamum admoveri curavimus: quo medicamine repressa est turpis illa magnitudo, & sanata fuit ulcuscula. Rarus est ejusmodi affectus, & quibus contingit, membrum putrescit & excidit. Illi succedit (b) *teterrimum ulcus*, quod postea carnes & ossa vastat, & depascitur.

(a) *Extrinsece.* In gulla rosacea & in omni inflammatione glandularum subcutanearum faciei sequens mihi semper salutarem præstitit opem: ℞. aquæ flor. fabarum, sambuci, rosarum ana unciam 1. Magist. saturni, Wismuti, ana drachmam 1. mercurii præcipitati albi grana 10. essentiæ Benzoes drachm. 1. Camphoræ gran. 6. Hoc facies sæpius madefiat.

(b) *Teterrimus ulcus.* Differt inflammatio ab erysipelate, quod in hoc sanguis serosus acris ex capillaribus venis per poros in superficiem & cutem dispergatur: In inflammatione autem in musculorum cavitates spargatur, atque vacua spaciola ibi capessat; unde tensio, remissus & pulsatilis dolor, ex inflammatione in corporibus cachochymicis, & quando perperam tractatur, ulcus ferinum ex facili soboleſcit.

CAPUT LXXXVII.

De ulcere narium pessimo.

MEdicus qui Chirurgiam ignorat, proprii nominis inscitiam prodit, Gal. ipsi non observatur in primis quatuor libris methodi medend. Exteriora Medicum manuducuntur ad interiora. Jactabundi quidam gracculi, ut ignari nimis, profitentur hæc opera ad eos non pertinere, sed ubi Hippocrates, Gal. & omnis antiquitas? Demiramur sæpe, cur tam inglorii hodie vivant Medici:

Medici : jactitant se esse ejuscemodi antiquorum assectas; at vide quam turpissime mentiantur. Nobilis quidam Mutinensis, annos 35. natus, ad nos venit, (a) *nares præferens vastatas* & putridas, cum insigni fœtore. Ulcus illud sordidum, depascens, & ferinum brevi Mumia minerali curatum fuit. Intus ad causam antecedentem deturbandam, decocto catholico usi sumus; quibus duobus, ulcus in totum consanuit. Hoc medicamenti genus omnes indicationes explet, detergit, mundificat, incarnat, & cicatrice partem obducit.

(a) *Nares præferens vastatas*. Sunt hęc ulcera admodum familiaria lue venerea & scorbuto infectis, & non nisi salivatione mercuriali radicitus tolluntur.

CAPUT LXXXVIII.

De Palpitatione cordis, cum insigni anhelitus difficultate.

IN domo Illustriss. Comitis, Domini Hieronymi de Rannuiis, nobilis quidam Ferrariensis, nomine D. Joannes Poretta, annos 30. natus insignem (a) *cordis palpitationem* patiebatur, cum gravissima, & pernicioſissima respirandi difficultate ab anno integro. In eo curando alter Medicus totum illum annum frustra insumpserat, multitudine medicamentorum illum obruens, modo cardiacis, modo thoracicis, nunc his, nunc illis localibus, suis solitis purgationibus præmissis, phlebotomiis, & similibus. Nos (b) *ad morbi causam* respicientes curam paucis perficimus. Ad sanguinem sursum ad cor ascendentem, Elect. de Croc. Martis 3.j. ad complures dies dedimus. Ut vero saburra omnis terrestris, sulphurea Jatrochymicis dicta, per inferiora deturbaretur, decoct. lign. sassafras cum melanagogis, quindecim diebus dedimus, quibus optime convaluit.

(a) *Cordis palpitationem*. Hæc frequens est symptoma hypochondriacorum & hysthericarum, & nihil aliud, quam convulsio quædam cordis a materia quadam acri irritante vel sanguinis coagulo aut polyposa concretione exurgens, post pastum plerumque ingravescit, prout nimirum chylus a nova fermentatione acrior accedit, & salsior, pressioque major tunc efficitur. Omnia antihypochondriaca antispasmodica & mixturam sanguinis restituentia huic affectui sanando inserviunt.

(b) *Ad morbi causam*. Est acidum copiosum primis in viis hærens hypochondriacum, quod pene omnium morborum quoddam seminarium est. Nihil autem magis contrariatur huic sali, quam mars, qui vera panecæa hypochondriacorum existit.

CAPUT LXXXIX.

Apostema insigne in crure.

CAsum nec communem, nec consuetum commemoro. Dolor primo acer, & mordax sentitur pluribus diebus, cui exiguus, & prædurus tumor succedit; dolor immanis sensim invalescit, noctes ad plures menses ducit insomnes: tandem tumor grandior fit, & duorum mensium spatio augetur:

noctu

noctu dolores acerbitas magis ſentitur. Poſt multa inaniter ab alio Medico facta, ad eam advocor. Præſentibus, & peractis cauſis ad unguem expenſis (*a*) *cauterium potentiale* dolorifico tumori affigitur, ex quo pus, hinc dolor evanuit. Antequam infingeretur cauterium, varia cataplaſmata admota fuerant, tam ex farinis, quam herbis emollientibus.

(*a*) *Cauterium potentiale*. Securiſſimum & optimum eſt lapis infernalis, cujus deſcriptionem vide infra. Liquida, uti butyrum antimonii, ſpiritus vitrioli concentratus, propter inæqualem extenſionem minus feliciter operantur.

CAPUT XC.

De ulceribus contumaciſſimis in tibiis.

SIqui ſint morbi, in quibus eluceſcat Medici ars & ſolertia, maxime ſunt ulcera, in quibus non tempus, neque fortuna, ſed Medici peritia requiritur. Ad noſtras manus nuperrime venit curandus, Dominus Daniel Giupponi Ariminenſis, annos 35. natus. Is a duobus annis (*a*) *ulcera excedentia*, dolorifica, fœtida, calloſa, & profunda, in ambabus tibiis contraxerat. Ut his proſpiceret, Medicos Ariminenſes conſuluit ſex menſium ſpatio; at in vanum. Qua de re Patavinos adiit, qui cum non eſſent fœliciores aliis, ad nos Bononiam venit. Ad ejuſmodi curam perficiendam, a totius corporis habitu indicationes deſumpſimus: Is vero (*b*) *totus erat cacochymus*, a longo tempore in lecto decumbens. Propterea univerſam ſanguinis maſſam, ab omni ſaburra repurgandam eſſe ſtatuimus: qua de cauſa Tincturam Saturni Philoſophici in principio dedimus; decocto poſtea melanagogo repurgatus fuit. (*c*) *Extrinſecus* mumia minerali cum unguento magiſtrali d. n. Hæc vero medicamenta concedo non eſſe uſualia, communia tamen facimus, partim in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica*, & partim viva voce, prudentiſſimo Pharmacopolæ, noſtro Rev. Patri Hyacintho . . . Rev. P. Dominicanorum Aromatario.

(*a*) *Ulcera excedentia*. Notabile eſt in lue venerea vel menſium ſuppreſſione laborantibus, item in ſcorbuticis pauca vulnera in magna abire ulcera, & fœtorem ulcerum in mulieribus menſibus inſtantibus eſſe peſſimum.

(*b*) *Totus erat cacochymus*. Cacochymia fœcunda mater ulcerum eſt, quæ tali ſtatu feliciter curantur, & quando extrinſecus conſolidantur, funeſta exoriuntur ſymptomata, qua de re legi merentur *miſcellanea naturæ curioſ. dec. 2. ann. 5. pag. 318. it. dec. 2. ann. 8. p. 197.* Præſtat itaque medicamentis antimonialibus, & ſanguinis maſſam edulcorantibus nec non aperientibus ſpecificis cacochymiam tollere, quam ſolo externo uſui fidere.

(*c*) *Extrinſecus*. Externe ulceribus magno cum fructu inſpergi poſſunt varia fermentum ulceroſum imbibentia, v. gr. Lac lunæ, radix ari, ſuccinum, cineres tabaci, cinnabaris nativa, aurum fulminans; ceruſſa antimonii, crocus metallorum & ejuſdem generis alia. Suffitus ex cinnabari & gummatibus ad ulcerum ſanationem multum quoque faciunt.

CAPUT

CAPUT XCI.

De uteri prolapsu.

HOneste cuidam mulieri, cujus nomen pudoris gratia taceo, annorum 40. post nonnullos labores domesticos, derepente (*a*) *uterus totus inversus* e pudendis prolabitur. Ad eam invisendam accersitus, mulierem invenio trementem, & lachrymis totam perfusam: Blandis verbis a me recreatur, & ut supina jaceat ipsi suadeo, clunibus capite elatioribus. Partem oleo amygdalino perfricandam esse assero: tunc clunibus ex una parte compressis, ex altera manibus fortiter adductis intus uterus retropellitur, & in naturalem situm reducitur. (*b*) *Fotibus* postea *astringentibus* affecta pars fovebatur, bis & ter in die. Sequentibus diebus potu sequenti usa est.

Rec. Nucum cupressi, num. xij. Rad. symphit. major. ℥. ij. fol. polygoni, herniariæ, beton. pilosellæ, an. m. j. fiat decoct. in vino, & aqua. Dabantur ℥. vj. pro dosi, bis in die, cum syrup. limonum ℥. j. Fotus fuit.

Rec. Nucum cupressi, gallarum, cort. granat. balaust. sumach. an. unc. ij. fol. myrthi, olivæ, quercus, polygoni, an. m. j. florum rosarum p. ij. Bull. in vino rubro.

Quibus paucis brevi convaluit, nec simili affectu unquam cruciata fuit. Et quia flatus utplurimum causa sunt ejusmodi prolapsus, ideo seminibus anisi, & fœniculi, ut utatur ipsi suadeo, & ut ad complurimos menses victum attenuantem, & exsiccantem, suadeo, Galeni præceptorum memor, peculiari *libro de attenuanti, & exsiccante victus ratione*. Quod dictum sit propter eos, qui non sapiunt nisi ex commentariis: his consulerem, ut fontes non rivulos adirent.

(*a*) *Uterus totus inversus*. Non dari procidentiam uteri veram, multi negare conantur, certum tamen est per avtopsiam, procidisse eundem ita, ut spitamæ fere distantia ipsum orificium uteri internum extra corpus elatum, menses foras stillaret, quod observavit *Dn. Wedelius* in fœmina honesta *vid. M. N. C. dec. 2. ann. 6. observ. 9. Hervæus exercitatione de partu pag.* 518. testatur ita procidisse uterum, ut infans intus gestatus in prolapso hoc corpore visus fuerit. Jam dudum etiam id annotavit *divus Hippocrates Lib. de natura mulierum* §. 38. *Johannes Riolanus lib. 2. anthropogr.* 35. hæc nobis reliquit: Corpus uteri relaxatis ligamentis intra cervicem laxiorem & ampliorem, corpore uterino devolvitur, & extra orificium externum prominet, atque propendet, ut sæpe observavi. vid. reliq. Cui assentiuntur *Joh. Fernelius lib. 5. cap. 16. Et Daniel Sennertus lib. de morbis mulierum part. 1. Sect. 2. c. 14. Exemplo autem clarissimo id confirmat Dn. D. Peyerus in observ. 84. dec. 2. ann. 1. M. N. C.* Obstare quidem videntur huic experientiæ ratione, dum firmamus satis & ligamentis affixus uterus est, ut incarceratum manere oporteat: At vero magna in utero vis expansiva est, imo major ac in illa parte corporis alia, hinc etiam ipsa ligamenta accedente imprimis intemperie humida laxari & extendi mirum posse, verosimile videntur.

(*b*) *Fotibus adstringentibus*. Adstringentia fortiora evitanda hic sunt, magis conveniunt decocta ex ingredientibus terreo balsamico sulphure stipatis, quæ, uti leniora sunt, sic etiam securiora, v. gr. Myrrha, mastiche, cortex

thuris, nux moſchata, mentha, quinque folium, ſanicula, folia, myrthi, flores balauſtiorum, roſarum rubrarum, ſuccinum, quæ in vino rubro cocta egregium conſtituunt fotum: Intrinſecè autem ſuccinata & ex lignis parata medicamenta egregie conveniunt.

CAPUT XCII.

De Catarrho.

DE catarrho vere poſſumus dicere, quod olim Ovidius: *qua terra patet fera regnat Erynnis*. Hic non puero, non viro, non fœminæ parcit, ſed in omnes, & maxime in ſenes vires ſuas intendit. Eſt vero catarrhus, deſtillatio, ſeu defluxus præternaturalis humoris ſupervacanei a cerebro ad membra ſubjecta. Scholaſtici pro ratione cathedræ, multa de nomine, & poteſtate in medium proponunt. Nos qui mortalium utilitati conſulimus, neceſſaria tantum amplectimur; & cum Fernelio dicimus, catarrhum *deſtillationem humoris excrementitii e cerebro ad ſubjecta membra*. Excrementitius eſt, quia, omne quod comedimus, habet in ſe mucilaginoſum, & lutoſum tartarum, ſanitati humanæ noxium; quæ tartarea impuritas, cum in ventriculo a calore noſtro atterri, ſubigi, & ſeparari non poſſit, manet excrementum, quod per feceſſum, (*a*) *vel per urinas exire deberet*: at ubi ſimul cum puro ad membra tranſit, hæc prima baſis, primumque fundamentum catarrhorum. Unde vero catarrhus peculiares differentias ſortitur? non a calido, frigido, &c. ut aſſerit garrula plebs, ſed a natura excrementi, & a loci differentia. Quod ad loci differentiam, ſparſim in praxi facile quis obſervare poteſt. Excrementi differentiæ nonniſi longo tempore perdiſcuntur, uſu, & exercitio. Quare cerebrum ſupra omnia membra abundat catarrho? Non aliunde, quam quod cum ſit corpus molle & humidum, pariter magno, & conſimili alimento eget, nec tam ad corporis molem enutriendam, quam ad ſpirituum reparationem, & regenerationem. Ad omnem catarrhum præſcindendum, naturales partes primo roboramus, quæ in ea ſunt vitia removemus, atque ea ab omni ſaburra repurgatas ad naturalem ſtatum reducimus. (*b*) *Cur cerebrum exſiccare* non curamus? Quia ipſum alimento probo enutritum parum excrementi generat; proinde & ptyaliſmum, frequenſve expuitio, ſub catarrhi nomine ſupputatur, & perperam cenſetur a cerebro venire, quamvis a ventriculo, aut a pulmonibus. Verum, quia de morborum eſſentiis hic noſtrum inſtitutum non eſt tractare, ſed per hiſtoriolas curationem aperire; non ex convaſatis, & ex aliorum ſcriptis confictis, ſed propriis laboribus partis: propterea in ſequentibus de ſingulis dicere decrevimus.

(*a*) *Vel per urinas exire debere*. Sal excrementitium retentum in lympha & ſanguine fons & origo catarrhorum maxime eſt, cum autem renes congruum ſint ſalium evacuatorium, hinc felici cum ſucceſſu diuretica rheumatiſmos ſeu dolores ſpaſmodicos flatulentos muſculorum, a ſero acri ſalſo ſtagnante ortos, egregie ſanant, quatenus ſalia evehendo e corpore, operantur. Sudoriferorum

maxi-

maxime fortiorum uſus in catarrhis cautiſſimus ſit: Obſervavimus, paralyſin, imo dolores colicos præpoſterum illorum uſum ſubſecutos fuiſſe.

(*b*) *Cerebrum exiccare*. Staſes ſeri acris ſalinis in partibus muſculoſis vel nerveis potiſſimum fiunt a tono partium læſo, hic autem dependet a ſpirituum animalium & nervorum debilitate, hinc quicunque nervos imbecilles, cerebrum humidum poſſident, & ſpirituum animalium defectu laborant, facile incidunt in catarrhales defluxiones, arthritides; quapropter ſi velimus debite catarrhorum fontem reſcindere, oportet id efficere nervinis, ſale volatili oleoſo, & blando temperato ſulphure pollentibus remediis, inter quæ laudem merentur ſuccinum, ſerpillum, lignum ſaſſafras, majorana, ſalvia, betonica, lignum aloes, ambra & ex eo parata medicamenta.

CAPUT XCIII.

De *catarrho a longo tempore inveterato*.

PErilluſtris, & Rever. D. D. . . . Carpli Archipresbyter annos 35. natus, Bononiam ad nos venit, ut de (*a*) *contumaciſſimo catarrho*, in juncturas a longo tempore delapſo, curaretur. Carpii, & Mutinæ plures in vanum conſuluerat Medicos. Sub cura noſtra brevi ſic convaluit. Ad cachexiam, cujus cauſa ad hydropem propendebat, conſ. roſarum dedimus cum ſpecifico ſtomachico. Ad viſcerum obſtructiones, ſulphur. metall. Refocillatis viribus, & viſceribus novo robore donatis, fluxio tollitur, & priſtinæ ſaluti reſtituitur æger. Hæc via incedit vera medendi methodus, in qua animadvertere licet, quam a veritate ſint alieni, qui tota die nobis inculcant, cerebrum eſſe exſiccandum, jecur refrigerandum, & ventriculum excalefaciendum. Id non præſtant, quia contrarium incuſant, mira de ſuis male inventis indicationibus effutiunt: oculati diſtinctionum tenebris offunduntur.

(*a*) *Contumaciſſimo catarrho*. Catarrhi vel etiam rheumatiſmi in partibus muſculoſis oriuntur a læſo iſtarum partium tono, quod maxime fit ab inæqualitate aeris modo frigidi, modo calidi. Non autem ſemper a mutatione aeris calidi in frigidum & vice verſa, catarrhi epidemice graſſantes ortum ſuum ducunt, verum ſerena etiam cœli temperie & ad ſenſum æquali quoad calorem & frigus oboriuntur ſæpius graviſſimi catarrhi, quod adſcribendum venit aeris mutationi & inæqualitate ratione gravitatis & levitatis ſuæ, vel etiam humiditatis & ſiccitatis. Obſervamus in barometris tempore autumnali maximam mercurii quoad aſcenſum vel deſcenſum variationem, quæ omnis ab inæquali pondere aeris provenit, qui modo poros cutis nimis conſtringit, ſicque tonum ejus deſtruit, & tranſpirationem turbat & inæqualem efficit, mirum enim externus aer, prout variat ratione caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, moderatur ac modificat tranſpirationem, a qua prohibita ſtaſis lymphæ & catarrhi oriuntur.

CAPUT XCIV.

De Iſchiatide.

ISchias in omnibus non eodem modo curatur. Acutiſſimus eſt dolor in nonnullis cum inſigni pulſatione; tunc (*a*) *ſanguinis miſſio* e malleolo mirifi-

ce confert. In nonnullis est quidem acutus, sed non pulsatilis; tunc phlebotomia inutilis est. Est altera species, quæ in principio non est acuta, sed paulatim augetur; in hac neque purgationes, neque phlebotomiæ juvant: & hæc potissimum oritur a lue venerea. Est altera species Arthritidi communis, quippe quæ vel eam, tanquam ejus prodomus, præcedit, vel in ipsa Arthritide venit; hujus, vel illius curandi artem per exempla facilius tradere est, quam quibusvis aliis præceptis. Quidam Admodum Rever. P. F. Vincentius de Coccapannis ex Carpio, modo in finali Mutinensi cœnobio superior, annorum 35. ad Arthritidem, & Ischiadem erat valde propensus, modo in genuum, pedum, & manuum articulis acerrimos dolores patiebatur: cum vero juvenis esset (*b*) *natura biliosus*, & ad id mali genus nimiopere propensus, certum erat intra paucos annos ipsum in tanto affectu defecturum, aut saltem omnibus membris correptum iri, atque in lecto dolentem perpetuo decubiturum. Ad curationem, & præcautionem, pilulas ipsi dedimus catholicas, alternis diebus, quater aut quinquies; postea singulis mensibus, bis aut ter. Perseverat per quatuor annos; intra quos firmissimam recuperat sanitatem.

(*a*) *Sanguinis missio*. Venæ sectione sola ischiaticum dolorem se curasse, gloriatur *Galenus C.* 18. 24. Cura per venæ sectionem. Item *Celsus lib.* 4. *de re medica cap.* 24. Per cucurbitulas curatam ischiatidem referunt *M. N. C. dec.* 2. *ann.* 5. *p.* 338. Videmus hinc rationem, cur hæmorrhoidum fluxus juxta *aphor. Hippocratis*. Item cur dysenteria quandoque; utitalem observationem communicat *Solinander sect.* 5. *Consil.* 1. *p.* 431. tollant obstinatum ischiaticum morbum. Quare idem Author sanguinis detractionem & ad præservationem ab hoc malo & ad curationem istius suo tempore administratam utilem esse scribit. vid. p. 452.

(*b*) *Natura biliosus*. Nitrosa, maxime nitrum artificiale cum cinnabare nativa vel antimonii maritatum tali in casu omnium præstantissimum est. Ischiatici mali curationem tinctura refrigerante acidam & succo ribii peractam vid. *in M. N. C. dec.* 2. *ann.* 90. *observ.* 61.

CAPUT XCV.

De immodico mensium fluore.

MEnsium immodice fluentium varia esse symptomata jam supra tetigimus: invisa tamen, nec ab aliis memoriæ consignata observantur continuo. Honesta quædam mulier annos 40. nata, prope Divi Martini fanum commorans, a 4. annis in mensium inordinatissimum fluorem quolibet mense incurrebat, unde qui ad eam primo advocabatur Medicus, de phlebotomia in utroque brachio statim sollicitus erat; cathartica postea ad nauseam præscribens, nihil aliud præstabat, nisi intolerabilem cachexiam. Et revera dicta mulier, tam propter immodicam sanguinis fluxionem, quam propter inconcinnam medicamentorum applicationem in leucophlegmatiam inciderat. Ad 15. & 20. dies perseverabat sanguinis fluor, cui crebræ lipothymiæ, animive deliquia succedebant. Dorso ceratum comitissæ toties admovebatur quoties immodica fluxio adveniret: & pulver. adstringentes ipsi porrigebant, utpote ex coral-

lis,

lis, granis Kermes, lapide hæmatite, ſuccino, maſtiche, & ſimilibus; & tamen ſine fructu. Ad eam curandam, (a) *cachexia*, qua mirifice donata erat, proſpeximus. Qua de re Martis eſſentiam, cum tinctura coralliorum bis in die dabamus, cum conſerva roſarum, quibus mirifice ſanitati reſtituta fuit. Nugivenduli, qui nihil præter nugas, ex cortice commentariorum eductas norunt, clamitant iſthæc canonica non eſſe: ſtercora repoſcant, & conſimilia habeant.

(a) *Cachexiæ*. Cachectici, imo ipſi hydropici ad inordinatos & immodicos ſanguinis fluxus admodum proclives ſunt. Noſtra regula eſt, nullam hæmorrhagiam largiorem fieri obſtructione cujuſdam viſceris vel ſpaſmo quodam fortiori internæ partis cujuſdam: Notabile eſt, in ipſa hæmophthiſi, vel etiam menſium fluxu nimio, quando per paroxyſmos ſanguis cum impetu erumpit, cutem extrinſece corrugari, venas evaneſcere & anſerinam quaſi cutem fieri.

CAPUT XCVI.

De fame canina.

RArus eſt plane affectus in mulieribus ætate provectis: Erat tamen matrona quædam honeſtiſſima, ætatis ſupra 40. annos nata, quæ neſcio quo fato (a) *ingentem famem* contraxerat. Ad eam debellandam, pluries purgata fuit conſuetis remediis, cum ſanguinis miſſionibus. Hæc vero erat 40. annorum, nupta P. Albino Calceolario: Ad quam curandam accerſitus, mulierem invenio totam tumefactam, leucophlegmatia confectam, infinitorum propemodum remediorum pertælam. Sub cura noſtra brevi ſanitatem conſequuta eſt in hunc modum. Primis diebus pil. de hiera ſimpl. Gal. dedimus ad 3. ij. in v. pilulas. Sequentibus diebus decoctum infra ſcriptum. Rec. Ligni ſaſſafras, 3. ß. rad. rubiæ tinct. fœnic. apii, an. ℥. j. ß. fol. abſinthii, agrim. capill. omnium, an. m. j. ſem. aniſi, amcos, an. m. j. coqu. in aqua communis ſ. q. de colatura dabantur ℥. vj. pro doſi, cum ſyrup. limonum ℥. j. Decem diebus exactis ſaccharum roſaceum dedimus, cum eſſent ia chalybis, & guttulis aliquot liquoris ſulphuris per campanam educti: de quo capiebat ℥ ß. pro doſi, bis in die: quibus gratiſſimis priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

(a) *Ingentem famem*. Obſervamus ſæpius poſt morbos & febres nimiam famem, quæ tamen ut plurimum graviſſimos morbos producit. Spiritus etenim per jejunium nimis impetuoſi facti, impetuoſius alimenta aggrediuntur, chylum nondum ſpecificatum per totum corpus nimis feſtinanter diſſipant, qui crudus & immaturus obſtructiones, ſcirrhos in partibus, atrophias, hydropem inducit; hinc omnis paſtus largus poſt febres peſſimus. Præſtat ſucceſſive & paulatim virium refectionem inſtituere per alimenta, & quoad victus rationem regula hæc generalis attendenda eſt: Proportio ſemper debet eſſe inter vires & victum, ſi vires ſunt debiles & imbecilles, parca manu cibi, iiſque tenues dandi ſunt, ſi ſatis robuſtæ ſunt, plenior et largior concedendus.

CAPUT XCVII.

De hydrope (*a*) *poſt immodicam ſanguinis rejectionem per os.*

COncedo rara non eſſe artis, & ex multiplici rerum eventu artem conſtituere velle, imbecillis eſſe ingenii; nec minus culpandi ſunt, qui nihil ſciunt, niſi ab aliis dictum fuerit. Ingenioſum plane, cum Seneca *in Epiſtolis*, nihil ſciri poſſe a nobis, quod tamdiu vixerimus ſine ulla inventione; in aliorum dicteriis ſemimortuos, & quaſi conſepultos jacere. Vivit quidem qui ſibi ſapit; contra qui nihil niſi ex commentariolis, cum larvis perpetuo luctatur. Petrus Thieri Ambianenſis, annos 40. natus, hic Bononiæ commorans duobus annis elapſis pluſquam tres libras ſanguinis rubri, & ſpumoſi cum tuſſi rejecit: ſequenti die ſimilem quantitate evomuit. Tunc propinquior Medicus ad eum vocatus, ipſi ſanguinem eſſe detrahendum ſuadet. Præſcribit & rotulas cum bolo. Quinto die pariter novum ſanguinem fundit per os, cui abdominis, & crurum tumor ingens ſucceſſit. Tunc ad eum inviſendum accerſitus, conclamatum hominem, atque omni ſpe deſtitutum eſſe reputans, ipſi parum ſulphuris metall. propino: Croco tandem Martis bis in die exhibito perfecte convaluit, vivitque adeo ſanus, ac ſi nihil quicquam paſſus fuiſſet.

(*a*) *Poſt immodicam ſanguinis rejectionem per os.* Vomitus ſanguinis ex ruptis vaſis brevibus ventriculi originem ſuam habet. Vidimus id nuper in puella, quæ ex vomitu cruento & cordis palpitatione moriebatur, ubi hepar induratum ſcirrhoſum quaſi coctum apparuit. Lien prægrandis & tumidus, & venæ circa ventriculum tumidæ & apertæ in ipſius ſinu. Et quoniam noſtra ſententia hæmorrhagiæ ferme omnes enormes & crebriores ab inæqualitate motus ſanguinis propter obſtructas vias & venas viſcerum dependent, hinc facile videmus viſcerum labem & ſcirrhoſitatem, quæ cachecticos & hydropicos fere ſemper comitatur, excitare ſanguinis effuſiones per varia loca, quare hæmorrhagiæ tam per nares, quam per hæmorrhoides crebriores & præcedere & comitari ſolent hydropicos, ipſa praxi quotidiana id teſtante.

CAPUT XCVIII.

De calculo.

PRudens, & honeſta mulier, nomine Bianca, annos 60. nata, dilectiſſimi Domini noſtri, & Patroni pluribus de cauſis amantiſſimi, familiæ gubernatrix, poſt diuturnos ventris dolores in inſignem maraſmum, cum lenta febre, incidit. Trimeſtri toto, aut circiter alterius Medici opera uſus eſt. Brevitatis cauſa omitto, quæ illo tempore aſſumpſit medicamenta. In Civitatem reverſus, a qua diſceſſeram a menſe, mulierem invenio macie incredibili confectam, quæ ob virium imbecillitatem, vix dolorem ſentiebat. Ut tamen utrique affectui proſpicerem, (*a*) *lac caprinum* exhibeo

hibeo quotidie, cum ſaccharo albo pulveriſato. Primis diebus unciæ quatuor tantum exhibentur, ſenſim augetur quantitas, & ad uncias octo uſque. Sub fine dierum xv. excrevit nonnullos calculos oblongos, & præduros, a quo confeſtim ſana evaſit. Perſeverat in dicti lactis uſu ad menſem; quo tempore depellitur marcor, recedit febris, & appetitus rediit. Vivit ab hac cura ſana, & vegeta, agens modo 68. ætatis annum.

(a) *Lac caprinum*. Lac omne diureticam vim habet propter ejus ſerum ſale ſubtili abſterſivo gaudens, hinc obſervamus poſt copioſum lac aſſumtum non tantum urinas tenues & aquoſas, verum & largiores.

CAPUT XCIX.

De Arthritide inveterata a multo tempore, cum tophis, nodis, in quo ager impotens a multis annis, nonniſi fulcris, & ſcipionibus ambulabat.

DOminus Cæſar Levante in juventute peſſima arthritide vexabatur, cujus cauſa 5. & 6. menſes in lecto decumbebat. Primi dolorum inſultus adeo efferati erant, ut ad duos menſes nullo pacto quieſceret. Primis diebus ad eum vocatus, pilulas catholicas alternis diebus ipſi præſcripſi. Ubi contumax erat dolor, laudinas ipſis miſcuimus. Ad totalem curationem ipſi indicavimus, ut bis in menſe de dictis aſſumeret, & in potu loco vini (a) *biberet aquam perpetuo*, quod præſtitit ad decennium: quo tempore perfectam adeptus eſt ſanitatem. Scipiones, & cruces, quibus utebatur in ambulando, primo abjecit, baculum tandem, & modo rectus ſine auxiliis incedit. Modo agit 60. annum, optimo robore donatus, & optima valetudine fruens.

(a) *Biberet aquam perpetuo*. Cum arthriticorum natura ferme ſalſifica ſit, non melior potus ipſis conducit, quam pura aqua, ſincera tamen & levis, quæ facile invenit vias per ſudorem & urinam. Talis copioſius hauſta diluit & eluit ſalia peregrina microcoſmica, & fluidos ſuccos efficit. Vidimus hinc aquis dictis ſalubribus, quæ primum ſcaturire cæperunt, & ſæpius nil niſi aquæ fontanæ ſunt, leviores tamen & ſubtiliores, curatos perfecte arthriticos, & contractura ſpaſmodica partium laborantes, ſi in largiſſima quantitate hauſerint iſtas, & meretur hic recenſere ſingulare exemplum cujuſdam viri, qui per novem annos pedum & manuum laboravit contractura, ex febre tertiana diuturna perperam curata. Hic aquam noſtram ſalubrem, quæ optima aqua eſt & vitriolo volatili pauco tamen imbuta, hauſit quotidie ad ſedecim ferme menſuras, & quidem ultra menſem. Urinam excrevit copioſiſſimam, & ſucceſſive tam manus quam pedes reliquit contractura, ita ut commode ambulare & manibus prehendere potuerit, maxima cum hominum, quibus ejus ſtatus prior cognitus fuit, admiratione. Ut adeo ex hac hiſtoria pateat, copiam aquarum non nocere, ſed illam potius maximam vim preſſione ſua in deobſtruendis viis obtinere.

CAPUT C.

De arthritide cum lue venerea.

PLures novimus ex tenui fortuna ad ſublimia evectos, e paupertate ad divitias, arthritide miſerrime conflictatos, occubuiſſe; e contra, qui divites arthritidis doloribus infeliciter cruciarentur, ad pauperiem delapſos ab iiſdem liberos evaſiſſe. Crapulam, an otium, Venerem, an Bacchum incuſare velle, non eſt facile. Modo nobis eſt præ manibus quidam nobis amicus, qui nullis voluptatum illecebris parcens, ab arthritidis cruciatibus liber evaſit, ſolius aquæ potus uſu. Novimus quoſdam ab omnibus Venereorum ſpiculis alienos, & pariter ab omnibus ſeculi voluptatum blanditiis, præterquam a vini potu, & otiis, quibus ex dignitate officii, & profeſſionis indulgere tenebantur, arthritidis tyrannide ſummopere dilaniatos. Cur vinum tantopere arthritidi nocet? Non alia de cauſa, quam ejus tartaro, quo inter cætera alimenta copioſe abundat. In *prima Centuria* de ejus ortu, & eſſentia, paucis multa diximus, nunc de ipſa cum admixta lue dicendum. Circa utriuſque notitiam deſudet Medicus, non tam arcta eſt utriuſque affectus conjunctio, & affinitas, ut non raro Medicos etiam oculatos decipiat. Nuperrime quidam amicus noſter nobis ſeſe offerebat curandum. In principio, (*a*) *junctlurarum dolore* immaniter excruciabatur, ſuccedunt vigiliæ, capillorum effluvium, puſtulæ, nocturna febris, &c. Junctlurarum dolori advenit inflatio, rubor, & tumor: Non, ut in ſimplici arthritide, ceſſat dolor intra 19, aut 20. dies, aut (ut inquit Hippocr. 40.) ſed eodem modo divexerat hominem. Genua præſertim, & utrumque poplitem adoritur, nec raro manus, & pedes. Deſinit ſæpe in apoſtemata, in quibus humoris acrimonia oſſa erodit. (*b*) *Gonorrhœa* aliquando fit morbi prodromus, cum inſigni ophthalmia, aut ad minus oculi rubent, & prurigine moleſta vexantur. Iſchias nonnunquam incipit, & hæc nullis mitelcit remediis, præterquam peculiaribus alexipharmacis. Ejuſcemodi affectuum tam eſt efferata pernicies aliquando, ut ni opportunis occurrat mediis Medicus, membrum totum vaſtet, oſſium etiam robur, & craſſitiem perimat. Curam utriuſque affectus uno eodemque tempore aggredior. Ubi dolor magis premit, eſſentiam corallinam exhibeo. Ejus loco, accipio pilularum polychreſtarum, deſcriptionis noſtræ, ſcrupulos duos, pil. laudinæ gran. vij. miſce, fiant pil. tres: capiat duabus vel tribus horis ante cibum. Decoctum poſtea ex ligni Guajaci lib. ℔. falſæ paril. ℥.ij. Infundantur in lib.xv. aquæ communis, & coquantur ad medietat. Sub fine adde fol.ivæ artheticæ, bethonicæ, cichorii, an. m. j. ſenæ orient. ʒ.vj. hermodactyl. ʒ. ß. aniſi, ʒ. ij. liquiritiæ ℥. ß. fiat decoctum: de quo capiat ℥. vj. pro ſingula doſi, bis in die. Ex magmate cum lib. xij. aquæ communis, parabitur decoctum ſecundum, cujus uſus erit in cibis, loco vini. Diæta præſcribitur pro ratione temporis, & perſonarum conditione. Præter ejuſmodi decoctum, ſunt pleraque alia, ut extractum antivenereum,

Chaos

Chaos mercurii, &c. de quibus in noſtra *Pharmacopœa Spargyrica*. Sed revera certam, & determinatam medendi methodum inſtituere velle, omnino eſt impoſſibile.

(*a*) *Junctturarum dolore*. Scorbutus & arthritis ſi excellentior eſt, ſæpius habetur et curatur pro lue venerea, et hæc quoque ſub arthritidis vel ſcorbuti nomine plurimum ſuas tragœdias exercet, item ſub ſpecie catarrhi quandoque latet cum anhelitus difficultate et anorexia.

(*b*) *Gonorrhœa*. Scorbuticis, arthriticis, nephriticis ſæpiſſime accidit gonorrhœa: In ſcorbuticis ſemen ſæpe rubellum et arenoſum viſitur. Et gonorrhœa benigna plerumque eſt ſcorbutica ob ſal immixtum chylo, quod impedit coagulationem; hinc ſemen nimis fluidum eſt, et ſic tranſcendit capſulas: Adjuncti ſunt dolores capitis, ſtranguria, livor, tabes, dolor lumborum. Hanc ob rationem ſcorbutici ſunt ſputatores, et chylus bonus ſive lac non in copia generatur in illis. Præter purgantia lac cum terebinthina, item cum oſſe ſæpiæ ſumptum, arcanum eſt hoc in morbo.

CAPUT CI.

De lue venerea.

Lues venerea, quam Itali & Germani Gallicum morbum appellant, a variis varie deſcribitur. Cum vero ejuſcemodi deſcriptiones ad eum curandum nihil lucis afferant, eas merito ſpernimus. De ejus ortu, & cauſis quicquid deblaterant, itidem parum refert. Etenim merceſne ex India, an (*a*) *contagium in Neapolitana expeditione* contractum, vel, ut ſomniant nonnulli, Planetarum malevolus aſpectus, hucuſque profuit nihil. Mercatores in hoc Medicis longe peritiores obſervamus, qui attulerunt nobis arma, quibus debellare poſſimus tam dirum morbi genus. Indicationes ſi quæras, vel univerſum Medicinæ ordinem invertis, vel craſſam, & ſupinam ignorantiam multorum confiteri teneris. Etenim methodus, ſeu ars debellandi ejuſcemodi truculentum, & immaniſſimum hoſtem, abuſu, & experientia tota pendet. Uſus vero, & experientia longo tempore parta docet, non omnes eodem modo, iiſdemque mediis curandos. Inprimis videndum, an cum ipſo morbo alter affectus ſit ipſi complicatus; etenim ambo eodem curandi ſunt illis, qui unica methodo, unico decocto, unico unguento, ſuffumigio, cerato, pilulis, pulvere, & ſimilibus, unumquemque curare tentant. Hoc peculiare habet iſte affectus, ut ſæpe tartareis morbis ſe immiſceat; unde incautos Medicos non raro decipit: nonnunquam arthritidem in conſortium trahit: aliquando febrem habet comitem. Differentias, quas olim fecerunt per gradus, docti quidam viri, ad curationem pariter parum conducunt. Majoris ſunt conſiderationis, quæ ab ægrorum natura, & conditione deſumantur. Sunt nonnulli, in quibus longo tempore latet; in quibus uno, & quibus alio modo ſe prodit. In nonnullis ſtatim poſt contactum, vel carie in pene, vel gonorrhœa, vel bubonibus manifeſta fit. In quibuſdam ſine his poſt aliquod temporis ſpatium, vel per puſtulas, vel per tubercula, vel per capill. defluvium, vel tandem per dolores, modo in capite, modo in ſcapulis, brachiis,

chiis, pectore, pedibus, tibiis, &c. Aliquando adeo est obscura, ut arte versatissimos plerumque decipiat. Peculiaria, veriora, & certiora signa, per negativam facile inveniuntur, dicentes hoc non esse hujus, vel illius affectus, nocturnum magis, quam diurnum, & continuum. Non raro in principio veluti fervidus vapor per carnes serpit, ibique dolores acerrimos concitat. Mirum est, quomodo aura isthæc virulenta, horum magis, quam illorum commercio gaudeat. Item quomodo tam exigua, fiat tam ampla, & temporum brevitati minime subdita, & quomodo fertilitate mira se per regiones, & per secula propaget. Cura ejus cunctis innotescit. Non est Medicus, qui in hac re suam peritiam ad sidera non extollat. Quisnam est Barbitonsor in Gallia, qui propria arcana non prædicet? Unusquisque peculiarem methodum jactitat. Quatuor modi, quibus utuntur Medici, & Chirurgi, adhuc sunt in usu. Omnium hic in Italia communissimus est, præbere ligni Guajaci decoctum cum sudoribus, & sine ipsis purgationibus, qui modus in quibusdam est laudabilis. Secundus, sunt frictiones ex argento vivo. Tertius *sunt in suffimigia*. Quartus, emplastra, seu cerata. Mitto pilulas mercuriales, pulveres, vina, &c. Quod ad nos prædictas etsi inutiles haud censeamus, eas tamen minime usurpamus. Decoctis, tanquam iis, quæ naturæ nostræ magis conveniunt, frequenter utimur. Item extractis, electuariis, & confectionibus. Decocta in emaciatis in jusculis paramus. Hæc si ad Chymiæ normam parentur, communibus longe sunt efficaciora. Dantur & in minori quantitate. Parandi modus in nostra *Pharmacopœa Spagyrica* habetur.

Symptomatum varietas medicamentorum diversitatem constituit. Morbi vero essentia semper eadem Alexiteria proponit Matrimonium pariter, quod contraxit cum aliis morbis, medicamenta quoque discriminat.

Certam tradere regulam vix est possibile de isto affectu: peculiares observationes tibi tradere arbitramur; qua de re manum a tabula.

(a) *Contagium in Neapolitana expeditione*. Omnia omnium seculorum præter lepram mala superavit diritate et sui propagatione lues venerea, maxima vagæ libidinis pestis, quæ circa annum 1464. in obsidione Neapolis inter oppugnatores Gallos quasi furia ab inferis exorta in ultimas terras propagata est, & nisi hydrargyri et aliorum remediorum usus tempestive innotuisset, omnium fœdissimum detrimentum intulisset.

PETRI

PETRI POTERII

PHARMACOPŒÆ SPAGYRICÆ.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De secretioribus Medicamentorum præparationibus, & usu.

QUicquid sagax & inimitabilis Natura ad mortalium calamitates propulsandas, sanitatemque in suo robore stabiliendam excogitavit unquam, id (*a*) *e triplici penu*, eruendum optime censuit: vegetabili nimirum, animali, & minerali. Nec ipsi satis fuit, tantam plantarum copiam adinvenisse, quæ nostris superandis morbis sufficeret, ni animalia simul, & mineralia in usum advocarentur: Unde haud exigua suspicio, num morbi pariter e triplici illo penu depromerentur. Vegetabilium atque animalium quotidiano usu humana corpora manifeste alterari, nemo est qui ambigat, quandoquidem hæc duo in nostri alimoniam cedant. At mineralibus non adeo aperte, sed occulto quodam modo vescimur, nimirum cæteris eduliis naturæ industria cum his admixtis; uti vini exemplo liquido constat, quod in suo tartaro naturam quandam metallicam e terræ visceribus haustam continet. (*b*) *Omitto aquam*, qua quotidie utimur, varia salium, & mineralium genera in se coercere. Qua de horum trium naturam, vires, & facultates jamdudum contemplari, præcipuas, & quas potissimum in Medicina factitanda usurpamus, seligere, atque commodo publico tradere cupientes, præfatum naturæ ordinem sequi, optimum duximus.

ANNOTATIONES.

(*a*) *E triplici penu*. Res dubia est, ad quod regnum naturæ spectet aer, qui magnum jus habet corpora nostra afficiendi, vel etiam morbida sanandi; aer quippe mutatus magnis sæpe morbis remedio est; Et qualis aer, tales sunt spiritus rectores machinæ nostræ; unde in ipso ingens momentum sanitatis nostræ ponitur.

(*b*) *Omitto aquam*. Aqua sicuti est menstruum macrocosmi: ita quoque microcosmicum, et quo purior, atque heterogeneis partibus magis privata, eo moliores et sinceriores generantur succi corporis, quo circa ab hujus salubritate magna pars sanitatis nostræ pendet. Rarius aqua purissima invenitur, ut plurimum de soli natura ejusque contentis participat.

CAPUT

CAPUT II.

De Medicamentorum præparatione in genere, deque hujus partis præstantia, subjecto, & officio.

EAm Medicinæ partem, quæ medicamentorum præparationem docet, (a) *olim unicam*, nunc vero duplicem agnoscimus: antiquam Pharmaciam; & recentem licet antiquissimam, quæ Spagyrica & Chymica dicitur. Si ad hanc legitimi ejus usus cognitio accedat, vere Physica praxis dicetur, omnium scientiarum nobilissima, utilissima, & præstantissima, cujus finis & intentio ad sanitatem perpetuo dirigitur, sibique pro subjecto vendicat rem omnem, ad humani regis commodum primitus comparatam. Hujus partis tanta est dignitas, & præstantia, ut nihil sit, quod tam de repente Medicum exornet, nobilitet, & clarum, famosumque reddat. Hæc firmissima Naturæ claustra reserat, corpora in sua elementa, & elementa in sua principia resolvit. Qui in ea claruerunt olim, apud Indos Gymnosophistæ, apud Persas Magi, apud Gallos Druidæ vocabantur. Ei quandoquidem virtutum omnium terrestrium, cœlestium, animalium, vegetabilium, & mineralium clavis concreditur. In ea non modo rerum essentiæ perpenduntur, verum & in lucem conspectumque hominum adducuntur, purum ab impuro segregatur, cortex a nucleo, contrarium a contrario; multa denique miranda præstat, & multo majora, quam quæ humanus intellectus excogitare possit.

(a) *Olim unicam*. Pharmacia seu præparatio medicamentorum Galenica est, vel chymica, Galenicam amplexi sunt veteres, chymica selectior quasi recentioribus magis arridet. Antiqui olim vegetabilibus contenti erant, et ex herbis medicinas suas parabant; Verum nostro tempore ex animali et minerali magna accessere augmenta, ut jam chymicis pharmacopolia mirum splendeant. Unica tamen est ars præparandi medicamenta ex omnibus regnis, quæ pharmacia est, et utraque methodus tam simpliciter Galenice et diffusius, quam concisius, subtilius et chymice parandi medicinas hodienum valet, nec sua laude caret utraque, sed ambæ amice conspirare debent. Innoxia et securissima remedia chymica sunt, magnæque activitatis, modo prudenter nanciscantur medicum. Certe indignus est Medici nomine, qui chymiam ignorat, miserior, qui illam odit; Remedia Galenica satis quoque tuta, imo necessaria sunt, ubi imbecilia adsunt subjecta, et lento gradu procedendum; tunc sæpe plus juvat simplicis herbæ decoctum, quam famosum quoddam elixir, quinta essentia, aut panacæa magni cujusdam Chymiatri.

CAPUT III.

De secretioribus medicamentorum vegetabilium præparationibus.

VEgetabilia, ex quibus prima morbis accommodata remedia educimus, multiplicia sunt: vel enim exotica, & e distantissimis maris tractibus allata; vel nostratia, sub cœlo, soloque nostro nata. Inter hæc, sunt herbæ, frutices, subfrutices, arbores, & similia, quæ integra vel eorum partes sumi-

ſumimus, ut radices, cortices, ligna, folia, flores, fructus, ſemina, gummi, reſinas, & alia: his aliquando cum aliis mixtis, nunc in formam decoctionis, julepi, ſyrupi, pulveris, confectionis, electuarii, opiatæ, pilularum, & ſimilium; nunc in formam aquæ, olei, ſalis extracti, Clyſſi, magiſterii, &c. chymice paratorum. Et quia Illuſtriſſimo D. Equiti CASSIANO A PUTEO, cui hæc primo dicata ſunt, tantum polliciti ſumus (a) *ſelectiora*, & ea quæ ſæpius apud Chymiatros in uſum veniunt, una & hæc, quibus paſſim incurandis morbis utimur, deſcribere: Ideo communibus & vulgatis omiſſis, ad prædicta recto tramite nos transferimus, initium ducentes a decoctis, ut a levioribus, omnium paratu facillimis, & nobis uſitatiſſimis.

(a) *Selectiora*. Quivis medicus, uti miles contra hoſtem inſtructus armis optimis, ſeu medicamentis præſtantiſſimis ſit oportet, quibus adverſus naturæ hoſtes inſurgat. Non huc quadrant vulgaria vage conſarcinata, ſed probatiora & ſelectiora, quorum experientia fida & tuta eſt: hæc enim medicum decorant, illumque nobilitant, ac ægros juvant; quare horum diſpenſatio Medicis proprie convenit; Qui in ſanatione morborum magna præſtare vult, utique præparare ipſe medicamenta ſelectiora euporiſta pauca, illiſque prudenter uti debet, ſic certior de illorum modo agendi & operandi fit, quod non facile contingit in diffuſo remediorum apparatu.

SECTIO I.

CAPUT I.

De decoctis in genere.

IN noſtris decoctionibus parandis plerumque a vulgari methodo minime recedimus, in his præſertim, quas Pharmacopœis quotidie parandas concedimus, & eo magis quando morbus non eſt admodum pertinax, ſimplicique medicamenti præparatione ſubigi & everti queat. Inſuper tædioſum nimis foret, unumquemque ad noſtri libitum docere velle. Fateor equidem (a) *in diuturnis graviſſimiſque morbis*, in delicatulis, & his, quibus ventriculus nauſea premitur, & qui ſolum aſpectum medicamentorum, odorem, & ſaporem perhorreſcunt, longiori artificio oportere uti, nam tunc crebris coctionibus, filtrationibus, clarificationibus, & deſtillationibus, ea adeo guſtui, palatove grata reddimus, ut ipſis ægris in deliciis ſint.

Vis, & facultas decoctionum in tinctura, ſaleque tartareo potiſſimum conſiſtit; & ſic in multis parum intereſt, an in clauſo vel aperto, duplici vel ſimplici vaſe fiant. Vaſa autem ſumimus, vel terrea vitreata, vel vitra ipſa, item vaſa ænea ſtanno interius obducta, cum ſuis cooperculis ejuſdem materiæ. Pro humiditate aquas deſtillatas non raro uſurpamus, aliquando vinum, hydromel, aquam communem, & alia intentioni noſtræ convenientia. Quantitas

titas humiditatis pro ratione rei coquendæ ſumitur, in duris, & ſiccis, plus; in raris, & humidis minus,

Item, (*b*) *dura, & ſicca* longam ſuſtinent coctionem, contra rara, & humida, aromata quoque, & ea quorum vis, & facultas in ſuperficie conſiſtit, exiguam admodum requirunt coctionem: in his ſæpius ſola infuſione contenti ſumus; in aliis, mediocri, vel tertiæ, vel quartæ partis conſumptione; in aliis fortiſſima, & tunc ad medietatem, vel duorum tert. conſumpt.

(*c*) *Doſis* eſt ʒ. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. pro viribus ægri, & rei natura. Decoctis utimur multis de cauſis: & primo, ubi medicamenta actu humida requiruntur, veluti in aliquibus morbis ſiccis, item in arefactis, & attenuatis corporibus, ubi longa humorum præparatione opus eſt. Quando ſiccorum, & ſolidorum lignorum, radicum, & ſimilium, virtutes & facultates elicere, eaſque in formam potabilem deducere volumus, medicamenta quoque actu humida æſtivis diebus magnopere conveniunt, eo quod calori noſtro, extrinſeco æſtu depreſſo, & dejecto, facile humida ſuccurrant. Utimur & decoctis, quando temporis brevitas longiorem præparationem non fert.

Uſus decoctionum nobis eſt longe a paſtu, poſt paſtum, in cibis ipſis loco potus, ſemel, bis, & ter in die.

Hic contra Staticæ Medicinæ præcepta obſervavimus, decocta tuto dari poſſe, (*d*) *horis majoris tranſpirationis*, intro forte revocato calore, quo natura ſimul cum medicamine ſtipata & roborata, noxios humores expeditius ſubit, extrudit, foraſque propellit.

In his adhibendis apprime videmus, ut utrumque viſcus, lien, & jecur naturali robore ſint donata, & ventriculus minime nauſeabundus, & imbecillis.

(*a*) *In diuturnis graviſſimiſque morbis &c.* Decocta requirunt integrum ac firmum ſtomachum, qui liber eſt, nec copia vitioſorum humorum obſeſſus, nec nauſea premitur; item vias primas lubricas, patulas nec obſtructas; denique tranſpirationem & motionem ſanguinis liberiorem, tonumque viſcerum, maxime hepatis & lienis, ſalvum alioquin majus damnum, quam juvamen adferunt. Horum uſus ad menſes duos vel tres minimum continuandos, in chronicis: alias parum perficiunt.

(*b*) *Dura & ſicca.* Quæ duriora ſunt, uti partes animalium oſſa, radices, ligna, diuturniori egent coctione, minori aromata, ſale volatili prædita, omniaque purgantia, quæ melius infunduntur, quam decoctione tractantur.

(*c*) *Doſis.* Variat doſis pro diverſitate ingredientium. Temperans & diluens decoctum ad libram unam vel duas, purgans ad uncias duas vel tres, aperiens ad uncias ſex aſſumendum eſt.

(*d*) *Horis majoris tranſpirationis.* Optime adhibentur liquida & diffuſa, uti ſunt decocta & infuſiones, horis matutinis, quando coctio ventriculi eſt peracta, circulatio & motio ſanguinis ac tranſpiratio liberior, tunc longe citius pervadunt in ſanguinem, quem diluunt, ſalia ejus morboſa imbibunt, ac per debita evacuatuoria proſcribunt; Ex adverſo ſi circulatio cum perſpiratione minus ſecundum naturam ſunt, ut in pluribus morbis, vel etiam ſtatim poſt paſtum, exulent dicta.

CAPUT

CAPUT II.

De Decoctis in ſpecie.

QUi huc uſque decoctorum formulas in ſpecies diſtraxerunt, eas præcipuè ad ſingulas corporis partes contraxere, hinc cephalica, thoracica, cardiaca, jecoraria, & ſimilia inventa ſunt quæ poſtea minutius concidenda duxerunt, veluti in multiplicem intemperiem. Sunt propterea decocta cephalica calida, frigida & ſicca; ſic de ſingulis partibus: cui & addere poſſem excalefacientia & exſiccantia, excalefacientia humectantia, & alia, in quæ ultro non progredimur, ne ejuſmodi inanis prolixitas inſtituti noſtri ſcopum evertat. Nos in medendo non ad ſolam intemperiem reſpicimus, verum magis ad partium conformationem, & compoſitionem; non qualitatum, ſed principiorum, cauſam morborum efficientem. Rurſus decocta ſunt vel ſimplicia vel compoſita; laxativa, vel alterantia, de quibus fuſius apud VVeckerum, Quercetanum, & alios. Inſuper quædam ſunt particularibus morbis expugnandis deſtinata: ut Epileptica, apoplectica, &c. Nos paucis exemplis contenti proponimus noſtra.

(*a*) *Decocta Cephalica.*

PArantur ejuſmodi decocta ex ſimplicibus capiti deditis: Ut Ligno viſci quercini, rad. pæoniæ, betonicæ foliis, capil. ven. &c. floribus ſtœchados, violarum, lilii, pap. rub. ſem. aniſi, fœniculi, carui, &c.

Quibus addere, & demere pro natura morbi, ægri conditione, & tempeſtatis qualitate, unuſquiſque poterit, hæc roborantia, & alterantia dicuntur, ſi his immiſcemus agaricum, turbith, ſennam, polypodium, hermodact. eſulam, & ſimilia.

Quæ poſtmodum phlegmagoga, cholagoga, & melanagoga dici poſſunt.

(*a*) *Decocta cephalica*. Non dantur remedia ſpecifica hoc nimirum ſenſu, quæ ſaltem uni parti medeantur, inque aliis nihil efficiant. Medicamenta ſunt nihil aliud, quam menſtrua, quæ ſi prius rite fuerint ſubacta a liquore gaſtrico ſalivali, agunt imprægnatione humorum, quos in quoddam menſtrui quaſi genus convertunt, vel ſi intemperie laborant, ad temperamentum reducunt, ut deinde obſtructa reſerare & excretoria blande ſtimulare queant. Prout autem principium in ſanguine, humoribus, vel partibus peccans varium eſt; ita quoque medicamentum requiritur peculiare, vel ſalinum ſulphureum, vel reſinoſum, vel aqueum, volatile, mucilaginoſum, aut acre; adeo ut qualitatibus manifeſtis agant remedia, vel mechanica quadam ratione explicari debeat horum virtus. Morbis capitis, qui vel ex diſcurſivo ſpirituum motu, vel ex obſtructis anguſtiſſimis nervorum & cerebri tubulis, naſcuntur, duplicis generis potiſſimum conveniunt. Prioris ſunt anodyna, blanda ἀπαθυμαίνοντα ſpirituum impetum ſiſtentia, qualia ſunt nominatim: flores primulæ veris, tiliæ, pœoniæ, acaciæ, ſambuci, roſarum, violarum, papaveris, rhœados, liliorum convallium, &c. item vaporoſa: moſchus, caſtoreum, ambra, crocus; Ad poſteriorem pertinent claſſem ſale oleoſo ſubtili imbuta, cujuſmodi ſunt omnia ex animalibus oleoſa & ſpiritus volatiles, ex herbis majorana, ruta, lavendula, valeriana, lignum aloes album

bum, roſmarinus tam hortenſis, quam ſylveſtris, cardamomum, cubebæ, ſerpillum, baſilicum, ſuccinum, ambra, balſamum peruvianum, quæ omnia cum aqua vel vino decocta, aut infuſa cum apto menſtruo ad vitia capitis præbent laudatiſſimam medicinam.

(*b*) *Decocta pectori inſervientia.*

ASthmati potiſſimum ſequens decoctum conducit.

Rec. Radicum enulæ campanæ, ireos, liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, an. 3. j. ficuum pinguium Num. xij. cap. ven. praſſii albi, ſcabioſæ, boraginis, tuſſilaginis, peti, (alias herbæ reginæ) hyſſopi, an. m. j. Flor. violar. boraginis, an. p. j. Coquantur in ſ. q. aq. communis ad tertiæ partis conſumptionem: clarificetur, aromatizetur cinnamomo, & dulcoretur ſaccharo, & melle. Si ejuſmodi decoctum coquatur ad craſſitiem mellis cum tantillo ſacchari, efficiet ſyrupum præſtantiſſimum; cujus dantur cochlearia 2. & 3. pro doſi, cum juſculo carnis, vel ſimplici vel alterato. Eadem iterum in alterantia, & purgantia ſubdividuntur. Verum purgantia nunquam uſurpamus, eo quod eadem pectori vim ſemper inferant.

(*b*) *Decocta pectori inſervientia.* Morbi pectoris ſicuti proveniunt vel a ſtaſi tenacium humorum, vel a nimia illorum acrimonia pendent: ita quoque pectoralia ſic dicta medicis, agunt vel incidendo ac reſolvendo humorum craſſitiem, uti ſunt helenium, ſquilla, hyſſopus, myrrha, radix iridis, ros ſolis, ſcordium, leviſticum, cherifolium, epithymum, naſturtium, gummi ammoniacum, ſulphur, benzoe: vel operantur deliniendo humorum acredinem, qualia ſunt liquiritia, ficus pingues, dactyli, uvæ paſſæ, herbæ emollientes, tuſſilago, flores violarum, boraginis, ſemen papaveris, pulmo vulpis, & ejus generis alia.

Decoctum ad phthiſim.

Rec. Fol. gnaphalii montani, (Gallis *pied de chat*) Roris, ſive ſophiæ herbæ, Bugulæ boraginis, an. m. j. Florum violarum p. j. Liquirit. raſæ, Uvarum paſſarum, p. ij. Fiat decoct. ut ſupra in juſculo carnis, vel decocto hordei integri. Cum ſaccharo commode in ſyrupum coquitur, evaditque medicamentum phthiſi utiliſſimum; coctio vero fiat in Balneo Mariæ, vel vaporoſo, vel ſimili.

Ad Pleuritidem.

Ex floribus papaveris rub. ad pugilli quantitatem in aqua communi more ſolito, & ſimplici ebullitione, fit optimum decoctum ad pleuritidem.

(*a*) *De Cardiacis Decoctis.*

TEmpore pectis ejuſmodi decoctis opportune utimur, tum etiam in putridis malignique febribus. Adverſus venena quoque eadem non raro uſurpamus. Inter hæc calida ſunt, frigida, & temperata.

(*c*) *De cardiacis decoctis.* Hæc adhiberi ſolent ad malignitatem in morbis diſcutiendum. Optima ſunt, quæ parantur ex radice ſcorzoneræ, acetoſæ, raſura Cornu cervi, ſcordio. Guſtui & palato reddunturgratiora ſyrupo acetoſitatis citri recenti, granatorum, aqua cinamomi, ſpiritu nitri dulci.

Decoctum Cardiacum temperatum.

Rec. Fol. agripalmæ, cicerbitæ, Reginæ pratenſis, (alias ulmariæ) boraginis, bugloſſi, an. m. j. Florum cordialium, an. p. j. Cum aquis cordialibus melliſſæ, boraginis, ſcabioſæ, ſcorzoneræ, vel etiam juſculis carnis, fiat decoct. ſecundum vulgatam methodum,

Aliud

Aliud.

Rec. Fol. meliſſæ, ſcabioſæ, ulmariæ, ſcorzoneræ cum rad. cardui bened. cicerbitæ, borag. an. m. j. fiat decoctum, ut ſupra.

Aliud Peſtilentibus morbis inſerviens.

Rec. Santall. albi, ʒ. ß. rad. Scorzoneræ, tormentillæ, biſtort. an. unc. j. fol. rut. caprariæ, pimpinellæ, ſcabioſę, cardui bened. boraginis, an. m. j. fiat decoctum, ut ſupra.

Aliud.

Rec. Radicis ſcorzoneræ lib. ß. rad. tormentill. biſtortæ, in unc. j. fol. ulmariæ, pimpinell. meliſſ. boraginis, an. m. j. fiat decoctum, ut ſupra. Reddunturguſtui palatoque grata cum ſaccharo, & eadem cinnamomo, ſchœnantho, ſantalo, aut aliis ſimilibus prius aromatizata.

De decoctis (d) reſpicientibus hepar.

Decoctiones, & juſcula, quibus utimur in affectibus jecoris medendis, multiplices ſunt: propterea ſolita brevitate, cui ſtudemus, ſeriem rerum, quas in his parandis uſurpamus, hic inſerere tantum decrevimus: Ut

Radices apii, graminis, ruſci, aſparagi, fœniculi, } calid.

Radices acetoſæ, cichorii, taraxaci, } frigid.

Ligna ſantal. omnium, Folia chorii, Herb. endiviæ, cicerbitæ, lactucæ ſat. lactucæ ſilv. } frigid.

portulacæ.) frigid.

Hepaticæ, agrimoniæ, fumariæ, lupuli, capill. ven. ſcolopend. } temp.

Fol. Abſinth. utriuſq; abrotani, chamædryos, &c. } calid.

Flores Violarum, roſarum. } temp.

borraginis,

Semina 4. frigid. ma. &c.

(d) *Reſpicientibus hepar.* Ad hepatis obſtructionem conſiſtentem in poris & glandulis biliariis decocta ex herbis amaris, ſale abſterſivo imbutis, cum vino vel aqua egregia ſunt, ſi autem ſcirrhoſum minatur leucophlegmatiam, vel hydropem, minus conferunt. Principatum ex hepaticis habent centaurium minus, chelidonium majus, cichorium, fumaria, hepatica, agrimonia, capilli veneris, taraxacum, rhabarbarum, & radices quinque aperientes. Si additur tartarus tartariſatus, vel vinum martiale, majorem acquirunt efficaciam exinde decocta.

(c) *Splenetica Decocta.*

Ratione haud abſimili decocta ſplenetica paramus. Inter præcipua ſunt cortices tamariſci, cort. capparum, radices ſilicis maris; Herbæ, aſplenium, ſcolopendrium, piloſella, pimpinella, betonica, & ſimilia. Sæpe ea incoquimus in aqua chalybeata, in juſculis, aquis graminis, hydromelite, & aliis. In his parandis tribus vel quatuor rebus contenti ſumus, uno videlicet, vel duobus, quæ diſſolvant, & attenuent; altero roborante, & tertio, vel quarto purgante, aut alterante, vel aliud ſimile reſpiciente. Qui

ſecus agunt, & in uno decocto omnia ſingula corporis partes reſpicientia ſimul miſcent, Empiricos ſe præbet, & artis præcepta evertunt.

Agrimonium in ſimplici aqua decoctum, ad duos, vel tres menſes, pro omni potu fœliciter cuidam hepatico, & maximo cum fructu, dedimus.

Iva artetica item in potu per aliquot dies exhibita cruentam mictionem ſanavimus.

Plantagine ſola in juſculo vervecis cocta ad diarrhœam, & lienteriam fœliciter utimur. Poſſem multa alia ſimplicia recenſere, quorum morbis medendis, nobis multiplex experientia conſtat. At paſſim in *curationibus noſtris* eadem obſervare haud difficile erit. Decoctum bugulæ in juſculo vervecis factum, his prætermittere nolo, maxime in phthiſi, atque in intrinſecis ulceribus: parum, & clementer ventrem laxat, contra naturam conſolidarum, inter quas ipſa ab Herbariis reponitur: hepati mirifice confert, & aliis ſuccurrit.

(*a*) *Splenetica decocta*. Lien ut plurimum infarctus eſt craſſo et copioſo ſanguine, quare quæ blande ipſum reſolvunt, ſpleni dicata ſunt, qua facultate pollent ſcolopendrium, fumaria, piloſella, epithymium, agrimonia, radix filicis, cortices tamariſci, cappari, maxime ſi coquuntur ex aqua chalybeata, quæ lenem conſtrictionem ac tonum ſpleni reſtituit.

(*f*) *Decoctum Nephriticum*.

Rec. Radicum apii, ononidis, althæe, an. ℥.j. ß fol. argentinæ, betonicæ, piloſellæ, herbæ Turcicæ, an. m.j. liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, ʒ.v. ſem. milii ſolis, fœniculi, an. ℥.j. Bulliant in ſ.q. Aquæ communis: colaturæ dantur ℥.vj. cum ʒ.j. ſyrupi limonum, & guttis iij. ol. vitrioli. Calculum in renibus potenter diſſolvit, e veſia pellit & ejecit, & urinam copioſe movet.

Argentina in juſculo per ſe data mira præſtat, Piloſella item ſola exhibita non minima præſtat. Prætereo lubens in infinita alia renibus dicata, ut quæ paſſim aliis in locis ad nauſeam uſque reperiantur.

(*f*) *Decoctum nephriticum*. Nephritica dicuntur, quæ ſubtiliſſimo oleo, vel nitroſo quodam ſale ſiphunculos & glandulas renales aperiunt, talia ſunt: petroſelinum, chærefolium, fœniculum, geniſta, equiſetum, virga aurea, feſeli, althæa, ſaxifragia, baccæ alkekengi, juniperi, ſemen milii ſolis, amygdalæ amaræ, liquiritia &c. quæ decocta cum aqua ſimplici addito ſpiritu ſalis dulci & ſyrupo limonum, potu calculos diſcutiunt. Argentina, piloſella, hedera terreſtris mira præſtant in læſione renum, ſeu illorum continui ſolutione, ulcere &c. Ad avertendos calculos non poſſum ſatis dilaudare uſum amygdalarum amararum, ſi tres vel quatuor ſingulis diebus mane ſumantur. Dici vix poteſt, quantum hæ juvent in diſpoſitione calculoſa, dum urinam movent, & arenam, quæ calculi elementum eſt, educunt, quod frequenti experimento ſum edoctus.

Decoctum pro gingivis roborandis.

Rec. Fol. Roriſmar. ſalviæ, myrti, an. m.j. corticum granatorum, ℥.v. aluminis crudi ℥.j. Bulliant in ſufficienti quantitate aquæ & vini. Ejuſmodi decocto colluaturos bis, & ter in die. Gingivarum ſuperfluam humiditatem exſiccat, atque dentes roborat, firmatque.

Aliud dentes conservans.

Rec. pol. olivæ, myrti, roriſmarini, an. m. j. garyophyl. contuſorum, ʒ. j. fol. roſarum, p. j. Bul. in vino, ſub fine adde ſalis communis p. j.

(g) *Decoctum pro ulceribus ſordidis.*

Rec. Fol. plantaginis, anagallidis, quercus, an. m. j. radicum ariſtoloch. rot. ʒ. j. baccarum juniperi, florum chamomillæ, an. p. j. aluminis crudi, ʒ. ij. coquantur parum in ſufficienti quantitate aquæ fabrorum

(a) *Pro ulceribus ſordidis.* Myrrha, aloe, maſtiche, radix ariſtolochiæ rotundæ, flores hyperici, roſarum, cocta in vino cum alumine, item unguento Ægyptiaco, ad ulcera mundanda, et luxuriantem carnem removendam utiliſſima ſunt.

Aliud.

Rec. Fol. abſinthii, anagallidis, hypericonis, an. p. j. flor. camomill. roſarum, an m. j. coquantur in vino, & aqua.

Aliud.

Rec. Bacc. juniperi, p. j. rad. ariſtoloch. rotund. ʒ. j. ſummit. hypericonis, camomillæ, an. p. ij. myrrhæ eleſt. ʒ. ß. ſublimati, ʒ. ij. fiat decoctum in ſuffic. quant. aquæ & vini. In hujuſmodi decoctionibus non raro incoquimus Filipendulam, millefolium, vincam pervincam, plantaginem, ſolatrum, prunellam, & alia pro ulcerum natura, & temporis conditione. Item his ſæpe addimus oleum ſulphuris, vitrioli, & alia.

(h) *Decoctum purgans, nobis catholicum dictum.*

Rec. Radicum polypodii quercini, ʒ. j. ß. rad. ellebori nigri, ʒ. ß. fol. ſennæ mundat. unc. ſ. ſem. carthami contuſi, unc. ij. florum violarum, p. ij. prunorum Damaſcenorum, Num. 20. aniſi, fœniculi, an. ʒ. j. Macerentur triduo in ſ. q. aquæ endiviæ, cum ℈. j. ol. ſulphuris: dein parum bulliant, & colentur. Colatura clarificetur, dulcoretur, & aromatizetur, more vulgarium apozematum, Doſi eſt unc. iij. & iv.

(h) *Decoctum purgans.* Foliæ ſennæ, rhabarbarum, flores violarum, acaciæ, perſicorum, polypodium infuſionem ferunt melius, quam coctionem, quia illorum vis, quæ in ſubtili ſale conſiſtit, diſſipatur; Decoctione rurſus partes terreſtres vim purgantis obtundentes extrahuntur: unde plerumque horum decocta flatus & tormina provocant, quod infuſa non efficiunt. Stimulo tartareo acuata addito eleoſacharo carminativo felicius operantur.

Decoctum melanagogum, cholagogum, & phlegmagogum.

Parantur ejuſmodi decocta ad libitum. Sumimur ex his ſimplicibus, alterum humorum purgantibus, eaque incoquimus, vel in juſculis carnis, vel aquis deſtillatis. Conſimilia remedia nobis ſunt extemporanea; nam cito ſitum, & putredinem acquirunt. Melanagoga nobis familiaria ſunt.

Melanagoga	Sena, Epithym., Cuſcuta, Ellebor. niger, Polypodium, &c.	Caſſia, Tamarindi, Rhabarb. Violæ, Pruna, &c.	cholagoga.

Multa alia ſtudio præterimus, ut quæ ubique cuilibet obvia ſint. Superſunt adhuc

huc decocta, quæ ab affectu Antivenerea dicuntur, quorum aliquot descriptiones, usu & multiplici experientia comprobatas hic annectere placuit.

De Decoctis Antivenereis.

DEcocta Antivenerea multiplicia sunt, vel simplicia, vel composita; alterantia, vel purgantia. Simplicia sunt.

Lignum Guajacum, Salsa parilla, Chinæ radix, Sassafras, Buxus, Juniperi, Quercus, Saponaria, & alia.

(c) *De decoctis antivenereis.* Lignum Guajacum propter copiam resinæ acris calidæ, decoctum præbet nimium exsiccans, quare emollientia, ut radix altheæ, glycyrrhizæ, herbæ malvæ, flores sambuci, ficus, passulæ consulto adduntur, quo ejus acrimonia paululum demulceatur; Sibi relictum & copiose potum siccis magnum damnum adfert; Decoctum chinæ, scorzoneræ, sassafras, si cum passulis temperatum est, acres humores temperat, & per urinam evehit; In praxi frequentior horum usus est, rarior ligni guajaci ob ejus caliditatem.

Decoctum ligni Guajaci.

Rec. Rasuræ ligni guajaci, lib. j. corticis ejusdem contus. unc. iv. macerentur octiduo in lib. viij. aquæ, cum ʒ. j. ol. sulphuris, in fimo equino, & vase vitreo capaci, cera & sulphure prius bene obturato. Coletur, & in colatura novum lignum reaffunde, ut supra in eodem vase, & fimo macera triduo, & cola ut prius. Colatura ad libitum per cohobationem purificatur, item edulcoratur, & aromatizatur, prout postulat necessitas, & ægri natura. De simplici colatura, neque purificata, neque edulcorata, & aromatizata, dantur unc. 2. 3. & 4. pro viribus ægri. Hujus decoct. lib. j. convenit picrocholis, & lienosis. Isthæc decocti formula tuta est: hydrope, & gallico morbo confectis medetur, apoplecticis, & aliis graviſſimis capitis morbis succurrit.

Aqua, quæ inter coquendum elici potest, optima erit ad novam infusionem parandam.

Ex magmate, secundum decoctum potest parari, addita aquæ quantitate sufficienti: ejus usus erit in mensa loco vini, aut pro nova infusione paranda.

Aliud decoctum.

Æstivis diebus aliud decoctum paramus, cum majori quantitate aquæ, & minori ligni guajaci: hunc modum.

Rec. Ligni Indici recenter limati, lib. j. aquæ fontis, lib. 12. infund. per 24. horas, & coquantur, vase aperto, & valido, ad duarum tert. consumptionem. Hujus decocti damus 6. 8. & 10. uncias. Ex magmate secundum decoctum paramus, additis aquæ communis lib. 20. ad tert. vel 4. partis consumptionem.

Salsæ, Chinæ, Sassafras, Juniperi Decoctum.

Eodem fere modo parantur decocta salsæ, Chinæ, Sassafras, Juniperi, & aliorum, quibus alia addere, vel demere non est absurdum, dummodo a perito, & docto Medico id fiat. Pro unaquaque, unica summimus aquæ vel alterius, liquoris lib. j. ij. & iij. pro ratione morbi, & ægri natura, ut

Rec. Salsæ parillæ minutim incisæ, unc. iij. Aquæ commun. lib. 9. macerentur

per

per 24. horas ſuper cineribus calidis: coquantur in vaſe terreo vitriato, vel vitro, ſive urinali, aut alio ad medietatem, vel ad duarum tert. conſumpt. Sub fine adde parum liquiritiæ, & cinnamomi. Damus hujus decocti unc. vj. pro doſi.

Decocta Chinæ, &c.

Parantur & eo modo, quo diximus de guajaco, & ut ea, quæ ex his mixtis fiunt compoſita, quorum vires & uſus experientia docuit. Inter hæc quædam ſunt purgantia, quædam alterantia. Purgantia multis non placent, quod variis modis corpora eodem tempore exerceant: & tamen quidquid dicant; experientia, certiſſimum rerum criterium, rationes quaſcunque in contrarium adductas enervat, nullaſque reddit. Inter multa, a multis excogitata, quædam damus uſu & experientia clara: ut

Decoctum antivenereum compoſitum purgans.

Rec. Radic. chinæ in taleolas diſſectæ, ʒ. xviij. Salſæ parillæ itidem minutim inciſæ, & parum contuſæ, unc. xxiv. cort. ligni Indici, ligni ſaſſafras, an. unc. iv. Hermodactyl. Turbith, an. unc. ij. Aniſi ʒ. ij. Liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, unc. j. cinnamomi ʒ. ß. radicis Cyperi ſicci, ʒ. iv. contundantur contundenda, & infundantur ligna, radices chinæ, & ſalſæ in lib. xxiv. aquæ Communis. Coquantur lento igne ad medietatis conſumptionem. Factæ colaturæ exbibeantur bis in die unc. ix. pro doſi. Hujus deſcriptio tota eſt empirica, doſis fortuita & temeraria; attamen famoſiſſimus quidam agyrta, hinc magnas opes corraſit, multis deploratis ejus medio ſanitatem aſſerens; verum ultra dictum decoctum, cinnabaris ſuffimigiis eodem tempore ſæpius utebatur. Utrumque tamen minime probavimus, uti nec alia temere ab hujuſmodi homuncionibus patrata.

Aliud ex ſuperiori correctum.

Rec. Radicum chinæ in taleolas inciſæ, unc. j. Salſæ parillæ, unc. iv. cort. ligni Indici, ligni Saſſafras, an. unc. j. Hermodactyl. turbith, an. ʒ. ß. florum violarum: p. j. Liquiritiæ raſæ, & parum cont. ʒ. ß. Infundantur infandenda in lib. 12. aquæ communis, per 14. horas, coquantur poſtea ad duarum tert. conſumptionem. De colatura dentur unc. vj. bis in die. Robuſtis, & inveteratis morbis tuto exhiberi poteſt, cæteris minime.

Aliud purgans præſtantiſſimum.

Rec. Corticis ligni Indici unc. j. Salſæ parillæ minutim inciſæ, unc. ij. Chinæ electæ, ʒ. ß. Polipodii quercini parum contuſi, unc. j. macerentur per 24. horas in lib. viij. aquæ communis, & coquantur lento igne ad medietatem. ſub fine adde fol. ſennæ, unc. j. Epithym. ʒ. vj. Liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, ʒ. ß. Aniſi, ʒ. ii. fiat omnium decoctum: cujus colaturæ exhibeantur unc. v. aut vj.

Decoct. Antivenereum non purgans.

Rec. Raſuræ ligni Indici unc. iij. Chinæ electæ unc. j. Salſæ parillæ, unc. j. ß. Infundantur in lib. viij. aquæ communis per 24. horas, & coquantur ad medietatem. Sub fine addatur cinnamomi, & Sacchari parum, ſaporis gratia. Doſis erit unc. v. vj. & viij. ſero & mane.

Aliud non purgans omnium præstantissimum.

Rec. Sallæ parillæ, unc. vj. Cort. ligni Indici unc. iv. Chinæ electæ in taleolas dissectæ, unc. v. Ligni Sassafras, unc. iii. macerentur triduo in ℔. xij. aquæ fontis, cum 3.j. ol. sulphuris dulcoacidi. Facta ebullitione colentur, & in culatura nova medicamenta iterum triduo macerentur, atque ut prius colentur. Sub finem adde Liquiritiæ rasæ, & parum contusę, unc. ß. anisi 3.j. cinnamomi, 3.ij. coletur, & secundum artem purificetur, variis videlicet reiteratis cohobationibus, & filtrationibus, sine quibus vix adhiberi potest. Dosis est ʒ.ij. ad summum. Fæces serventur ad salis confectionem, ut inferius dicemus.

Qui ex ejusmodi decocto extractum parare voluerit, methodum, atque ordinem loco de extractis præscriptam servet, qua etiam via aquam elicere non erit difficile: Alembico videlicet rostrato vasi coctioni inservienti appositio, cum suo recipiente. Delicatioribus, & his, qui ægre medicamenta assumunt, aquam & decoctum damus: cæteris decoctum, & extractum, & sal, quæ ultima deploratis, robustisque exhibere solemus. Dosis certa & legitima, nonnisi longo usu, & experientia cognoscitur. Usus itidem non unicuiq; æqualis, & uniformis tradi potest. Variæ sunt naturæ, morbi quoque varii, symptomata multiplicia, ideo dosis, & usus multiplex, & inæqualis erit.

Quantum ad victus rationem, nec quoque omnibus similem tradere licet. Nobis utplurimum siccam, & tenuem illam ab omnibus acceptam diætam usurpare non est consuetum: sed apprime videmus, ne ordinaria, & longo usu comparata vivendi habitudo temere mutetur; tantum interea subtrahimus potus, quantum decocti in die porrigimus, ni alia subsit contraria causa.

Hucusque de decoctis antivenereis pro instituti nostri ratione, satis superque dictum est; supersunt alia, aliis morbis dicata, ut Epileptica, arthritica, &c. Ea autem arthritidi convenientia reddimus, his arthritidi appropriata immiscentes: uti & Epileptica, nec non aliis morbis accommodata, ut radices hellebori utriusque hermodactylorum, esulæ, acori, &c. herbas chamædryos, chamæpityos, primulæ veris, & similes. Sed his omissis ad vulneraria nobis usitata deveniendum.

(k) *De Decoctis vulnerariis.*

Rec. Radicis asclepiadis, ʒ.j. rhabarbari electi 3.j. fol. bugulæ, alchimillæ, borraginis, agrimoniæ, an. m.j. coquantur in vino & aqua, ut artis est colaturæ, dentur ʒ.sex aut septem bis in die.

(k) *De decoctis vulnerariis.* Vulneraria agunt salia acria edulcorando, illaque per urinam ac sudorem educendo, vel etiam balsamum temperatum sanguini & humoribus fœnerando. Ex horum censu maxime eminent radix symphyti majoris, sanicula, veronica, virga aurea, scabiosa, pulmonaria, maculosa, plantago, alchimilla, betonica, agrimonia, hypericum, nuciſta, succus cancrorum fluviatilium, lapides cancrorum, & quæ sunt generis alia; hæc debite cocta in aqua aut jusculo carnis, extrinsecus non minus, quam intrinsecus vulneribus medentur cum passulis & ficubus.

Aliud.

Rec. Fol. coronopi, saniculæ, betonicę, agrimoniæ, Capillorum vener. baccarum juniperi, an. p.j, liquiritiæ parum, fiat decoctum ut supra.

Aliud

Aliud intrinsecus & extrinsecus adhibendum.

Rec. Astacorum fluviatilium, (vulgo, *gambari*) Num. xx. aristolochiæ rot. ʒ.ß. radicis symphyt. majoris, ʒ. j. fol. bugulæ, alchimillæ, saniculæ, agrimoniæ, betonicæ, an. m. j. Bulliant in s. q. aquæ communis, & vini, ut supra. Extrinsecus vulneri apponitur cum plagulis in eo madefactus. Intrinsecus hauritur ad ʒ. vj. in die 4. horis ante pastum, cui additur ʒ. j. syrupi capill. ven. Quod si sitis adsit, tantundem syrupi limonum addimus: non raro guttulas 3. vel 4. olei Vitrioli dulcoacidi. Extrinsecus si ulcus cruentum sit, salis communis p. j. addimus; myrrhæ aliquando ʒ. ß. alia etiam pro natura symptomatum vulneri supervenientium.

Mira est hujus decocti vis, & energia; per se enim cuicunque vulneri etiam deplorato extra & intra exhibitum medetur. In articulorum vulneribus, nervis, & ossibus in totum præcisis, superiori anno, in duobus ægris, id certissimum & tutissimum experti sumus; quare non immerito cæteris decoctis vulnerariis anteferendum ducimus.

Decoctum coronopi, piloselle, roris solis, ivæ arthetice, &c.

(*l*) EX *simplicibus* decoctiones simplices sæpe paramus, & more solito, simplicibus videlicet in aqua, vino, vel jusculo coctis, aut infusis. Ut

Rec. Coronopi cum radicibus, m. iv. coquantur in sufficienti quantitate jusculis carnis; colaturæ adde olei sulphuris tantillum. Hoc decoctum vulnera pectoris intus haustum sanat.

Dedoctum aliorum simplicium eodem modo fit.

Piloselle decoctum, renum calculum frangit, & lienem imminuit.

Roris solis decoctum cruentis vulneribus medetur, phthisi succurrit, &c.

Ivæ arthetice decoctio cruentæ mictioni mirifice confert.

Agrimoniæ, urinæ ardorem reprimit. Multa alia, quibus frequenter utimur, consulto omittimus, & eo magis, quod in *nostris curationibus reperiatur*

(*l*) *Ex simplicibus*. Non promiscue ex variis generis herbis decoctiones fiant, sed sæpius unum bonum simplex decenti coctione cum debito suo liquore plus valet, quam compositum. Sic decoctum equiseti, item radicis eryngii, nec non hederæ terrestris adversus calculum egregium est. Decoctum veronicæ vel fumariæ scabiem & impuritates sanguinis tollit, urticæ mortuæ contra læsiones pulmonum valet: papaveris rhœados ad tussim & acrimoniam temperandam adhibent, Chamomilla Romana, vel etiam simplex tormina sedat. Artemisia vel etiam sabina cocta & pota movet menstrua; florum cyani & geniste ad hydropem expertissimum decoctum est. Fœniculi in lactis defectu replet mammas. Infusum chinæ expugnat intermittentes, visci quercini epilepsiam.

De Decoctis, ex animalibus desumptis.

PRæmissis vegetabilium decoctis, nunc de his, quæ (*m*) *ex animalibus* parantur, dicendum.

Cum autem ejusmodi decocta cuivis innotescant, vulgari modo proprie juscula vocentur, eaque mulieribus, & coquis potissimum conficienda jubeamus, superest, ut ab his, unico exemplo, nos expediamus.

Decoctum lienis.

Rec. Lienis castrati, vituli, aut alterius animalis, hos minutim incide,

vasisque vitreo stricti orificii indantur, vinum generosum super affundendo, tantum, ut quatuor digitos superemineat: coquantur vase prius suo operculo probe obturato, ad calorem balnei maris, donec lienes satis cocti apparuerint: huic principio adduntur cortices tamarisci, capparum, sub fine ceterach, lingua cervina, pilosella, & alia splenetica, si pro liene. Si vero pro ciendis mensibus, radices valerianæ, fœniculi, apii, folia arthemisiæ, calendulæ, matricariæ, & similia: colatura pauco cinnamomi, & croco aromatizetur. Saccharo etiam edulcoretur. Hujus decocti dosis est ʒ. iv. mane jejuno stomacho. Sic ranarum, vermium terrestrium, testudinum, astacorum, limacum, viperarum, & aliorum animalium decocta, & jusculà parari possunt.

De Decoctis, seu (n) infusionibus mineralium.

QUanquam novum, & forte inauditum dogma, in medicamentorum præparatione, introducere videar, mineralia utpote elixationem sustinere posse docendo; at ratione, & multiplici experientia edocti, magnas vires e mineralibus hac via elicimus, atque in nostri usum transferimus. Quid aqua chalybeata in decoctione ferri? Si de ferro, cur non de cæteris? Agnovimus virum ictericum, epoto vino, in quo pluries aurum extinctum fuerat, convaluisse; aquam, in qua plumbum fusum, pluries extinctum fuerit, ferrum emollire, & ventrem, atque artus refrigerare, alvum laxando.

Antimonium crudum, & coctum, in aqua qualibet infusum, maceratum, & ebullitum, corpus supra & infra purgat; ut qui voluerit eo uti medicamine, accipiat antimonii crudi subtilissime triti, ʒ. ß. maceretur in 3. vel 4. aquæ, vel vini: detur cuilibet, egregie purgat supra & infra.

Fit vero alia infusio, sive decoctio antimonii, antimonium primo præparatum, sive in flores, sive in calcem, sive in vitrum usurpando. Pulvis ille, qui Venetiis vulgo vocatur, *La polvere de l'Algarot*, ea ratione usurpatur. Eum enim prius per noctem infundunt in vino, mane vinum percolatum exhibetur.

Sic & de regulo antimonii infusio fit, & datur. Pulverem illum Algutetum antimonii vires & facultates de se promere, lippis, & tonsoribus notum est: cur ergo tam enixe auri essentiæ nomine indigitabitur.

De mercurio quoque infusio fit & datur. Argentum vivum ad scrupulum, in vino vel aqua infusum, pueruli exhibitum, vermes enecat. Ex eo more nostro calcinato, per coctionem, liquorem educimus, multiplici usui accommodatum.

Sublimatum multi hodie Empirici in aquis rosarum, vel alterius generis ebulliunt, qua decoctione sæpe non infeliciter utuntur, tam in fœda scabie curanda, quam in aliis gravissimis morbis propulsandis. Quidam nunc Bononiæ degit, suæ professionis desertor, uti sunt omnes hujusce farinæ homines, qui ea aqua, in qua bullierit sublimatum, ausus est multos sanare velle, junctúras, & alias partes inungendo. Non desunt & alii, qui ea ulcera sanare aggrediuntur, non citra sævissima symptomata; non raro etiam cum aliquo prospero eventum: unde Empiricorum turbæ elatiores fiunt, & in Medicos gravissima convitia evomunt, non sine maximo eorum dedecore.

Item

Item ex ſublimato in convenienti liquore elixato, fit ſuffumigium, medicamentum rarum, & ad multos uſus utile. Poſſem pluries decoctiones, & infuſiones Mercurii addere: At perito, & ingenioſo Medico his longe præſtantiores ſibi effingere non erit difficile.

Chaos Mercurii a Paracelſo ſic dictum, decoctionis ſpecies eſt, de qua dum in particulari metallorum tractatu verſabimur, aliquid dicemus.

Sulphur in ſimplici aqua coctum, præſtantiſſimum quoque medicamentum eſt. Aqua enim, in qua ipſum tota nocte maduerit, vel excoctum fuerit, intus ſumpta hepar refrigerat, febres juvat, & alia præſtat. Extra, inflammationi cuicunque medetur, ſcabiem ſanat, & rubores faciei tollit.

Vitriolum album in aqua communi, vel in juſculo carnis diſſolutum ad ʒ.ſ. & ʒ.j. ſupra & infra valide purgat, quo remedio crebro utuntur ruſtici in agro Nemauſenſi, & Uticenſi degentes, montani præſertim, & maxime in pleuritide, & doloribus quibuſcunque lateralibus, nec ſine fructu.

Alumen in gargariſmate pro gingivis roborandis, ulcuſculis in ore obortis, & aliis utilitatibus, commode coquitur.

Auripigmentum item coctionem ſuſtinet. Ærugo æris itidem, ut & pleraque alia, quę brevitate omittimus. Placet tantum collyrium iſtud viride, multis in locis uſitatum, hic apponere pro coronide. Igitur pro collyrio viridi.

Rec. Æruginis, ʒ. ij. auripigmenti citrini, ʒ. j. aquæ roſarum, plantagin. vini albi, an. ʒ. iij. miſce, Bulliant ſimul parum. Maneat decoctio ſupra fęces, nam ab his novam vim continuo elicit.

(a) *Infuſionibus mineralium*. Aqua ſpiritu ſubtiliſſimo æthereo abundat, hinc menſtruum, ut ut inſipidum, ſatis tamen eſt efficax; Ex vegetabilibus & animalibus partes ſalinas, oleoſas, terreſtres item & mucilaginoſas extrahit, & rurſus ex metallis & mineralibus ſubtiliores in ſinum capit. Comperimus id aqua, in qua calybs ignitus ſæpe extinctus eſt, quæ ſapore & virtute non parum alteratur. Veteres in aquis cordialibus aurum plus centum vicibus extinguebant, pro confortandi ſcopo; Aquæ, quæ in mineris ſaturninis reperiuntur, alvum fortiter cohibent, nec ſecundum *D Authoris* mentem ipſam ducunt ac ſolvunt, potius ad contracturam & paralyſin diſponunt. Fallunt, qui antimonium crudum coctum vel maceratum in aqua ſupra & infra purgare, ſibi & aliis perſuadent. Vitrum antimonii vel ejus regulus aquam pluvialem coctione imbuit ſalivante & nauſeam movente vi. Regulus ſive mercurius vitæ, aut crocus metallorum, vel ejus ſulphur, flores, aut vitrum, in minima quantitate, ſi vino infunduntur, aliquot horis vis emeticà tranſit in ipſum, quod ſi eſt acidum, eo quod magis ad ſolvendas arſenicales antimonii partes aptum exiſtit. Mercurius cum aqua ſimplici infuſus imbuitur virtute anthelmintica, nobis cum ſentiente experientia. Neque exiſtimandum hic eſt, aquam ſpiritu mercurii lucido gravidam fieri, ſed revera particulæ mercuriales ſubtiliores recipiuntur in ejus poros, quæ etiam ſucceſſu temporis ad fundum ſecedunt, & nigro ſe manifeſtant colore. Notum eſt mihi artificium, amalgama mercurii & auri ſola aqua inſipida, beneficio triturę ſufficienti penitus diſſolvendi, ita, ut totum in aquæ poros tranſeat, ex qua deinde pulvis ſi igni paululum tradatur, eleganter purpureus magnæque in morbis efficaciæ extrahatur; Sublimatum propter ſalia adjuncta facile cedit in aquam, quæ ab empiricis mirifice prædicatur, ad malignam ſcabiem ſanandam. Si humores rite ſubacti & depurati fuerint, tranſpiratione ſimul libera confert, alias paralyſin & contracturam excitare aptum eſt. Si in vas

ſtan-

ſtanneum aqua ſublimati infunditur, remittit multum de vehementia ſua propter mercurialium præcipitationem; & corroſivarum a jovis conjugio temperatam. In ſpiritu vini rectificato ſublimatus leni coctione tractatus, reſolventem tophos acquirit ſpiritus efficaciam.

SECTIO II.

De Infuſionibus.

(a) INfuſio, quæ & maceratio dicitur, ut perfacilis, & trita, ita non paucis, vel unicuique innoteſcit. Fit vero infuſio in aliquo liquore, nam nonniſi ſicca, dura, aut ſimilia, quæ aliquo homore indigent, ad tranſmittendam ſuam facultatem infunduntur: & hæc vel integra, vel trita, aut minutim conciſa. Vaſa ad id opportuna non ſunt a vaſis decoctionum diſſimilia.

Tempus, quo id fit, varium eſt, quod paſſim in decoctis, extractis, deſtillationibus, & operationibus obſervare licet.

Per ejuſmodi operationem tincturas florum elicimus, ut ex roſis rubr. ſiccis, violis, &c.

(a) *Infuſio*, Infuſum eſt medicamentum liquidum, ex ſpeciebus concentrationibus, aromatibus, ſiccis mediante liquore accommodato factum, ſola maceratione & extractione per lenem calorem, item ſtimulo ad extrahendum idoneo. Animalium oſſeæ partes melius decoquuntur, quam infunduntur; Aromata, purgantia, radices, ſale volatili turgida, melius infuſioni auſcultant.

Tinctura roſarum.

SIc fit, Rec. roſarum rubr. ſicc. ℥ij. has impone in ℔ vj. aquæ tepidæ, cum ſpiritus vitrioli, vel ol. ſulphuris, vel ol. ſac. ʒiij. maceratio poſt ʒ. vel 4. horas, filtrato tranſcoletur, & ad uſum ſervetur. Guſtui, palatove grata redditur, addendo ſacchari albi ſeſquilibram. Ejus uſus eſt in febribus putridis; cor exhilarat, ardorem febrium compeſcit; ſitim etiam extinguit, &c.

(b) *Tinctura violarum.*

EOdem modo ex violis tincturam habebis; at melius ex recentibus, quam ex ſiccis, ſuccum parant pharmacopolæ ex recentibus, his prius a virore quocunque liberatis: ejuſmodi ſuccus cum tantillo ſpiritus vitrioli depuratus, & ad perfectionem adductus, cum ſaccharo pariter optime depurato, ſyrupum efficit, & præſtantiſſimum, & pulcherrimum. Hoc interea animadvertendum venit, ne coquatur igne; nam coctionem minime ſuſtinet. Cardiaca eſt ejuſmodi tinctura, atque thoracica.

(b) *Tinctura violarum*. Flores violarum recentium in aqua acetoſellæ infuſi, addito ſpiritu vitrioli philoſophico, leni calore tincturam dant elegantiſſime rubicundum. Si ſyrupum violarum expetis pulchre purpureum, infuſionis violatum terna vice cum recentibus factę tres libræ ſumantur, & ſacchari depurati libra una, leniſſimo calore fiat ſolutio, intenſiori color facillime invertitur, quod etiam accidit fermentatione, a qua ſyrupus hic ſollicite defendendus. Optimum arcanum eſt ſervandi hunc ſyrupum a corruptione liberum, per ſuperfuſum ſpiritum vini rectificatum, qui in ſuperficie detineatur.

(c) Cre-

(a) *Croci Tinctura.*

EOdem plane modo paratur, quo de Rosis diximus. Spiritum vitrioli non addimus, non enim hic liquidam servamus, sed sole, vel stupha ad instar mellis addensata servatur, ad laudanum, vel aliud simile concinandum. Liquida tamen potâ calculis renum mirifice conducit, cardiacis etiam affectionibus non parum confert; at dolores capitis in nonnullis excitat.

(a) *Tinctura croci.* Ex uncia croci & spiritus vini libra una fit tinctura: rectificato non opus est, quoniam crocus & subtili oleo, & mucilaginosa substantia gaudet; In extractum tinctura facile redigi potest, per evaporationem, quod tinctura longe posterius, propter particularum subtilium discessum. Si cum tincturæ tartari æqua portione miscetur, nephriticis, hydropicis, & pectore affectis mirifice conferre dicitur.

Tinctura floris papaveris rhœadis.

Æstivis diebus tincturam florum papaveris rubri per infusionem paramus, absque additione spiritus vitrioli: ea saccharo in formam syrupi condita, medicamentum evadit anodynum optimum. Ejus dosis est ad ʒ j. & ʒ. ij. & iij.

Rhabarbari Tinctura.

(d) *Ex rhabarbaro infusio* fit, & tinctura clementissime purgans. Modus, loco de extractis clarus est.

(d) *Ex rhabarbaro infusio.* Rhabarum tincturam suam facile dimittit, leni calore in aquam vel spiritum vini: parum salis alcalini adjecti pulchre colorem & virtutem exaltat.

(e) *Senna infrigida infusa* & mane colata, melanagogum efficitur præstantissimum: in vino facta corrigitur. Bis, & ter repetita infusio super ipsismet foliis, eandem efficaciam obtinet. Foliorum tithymali, laureolæ, peplii, lathyridis, &c. infusio, idem quoque præstat, sed non adeo clementer.

(e) *Senna infrigida infusa.* Optime placet infusio sennæ in frigida: sumuntur drachmæ duæ foliorum sennæ sine stipitibus, radicis glycyrrizæ drachma semis, florum rosarum rubrarum pugilli duo, nitri, coriandri, scrupuli duo. Hæc mixta infunduntur aquæ frigidæ per noctem stent, & mane colentur: sic tutissimum, blandum, satis tamen efficax obtinemus laxans, quod hecticis, phthisicis, summo cum fructu a nobis sæpius datum fuit.

(f) *Mineralium infusione.*

NEc frugiferæ sunt mineralium infusiones, quinimo summis virtutibus præditæ.

Stibii infusio, etiam crudi, & cocti, mira præstat; calcinati, melius & commodius; vitri, & reguli, vehementissime.

Mercurii infusio, crudi, & cocti, mira quoque præstat, cujuscunque generis enecando, eosque foras propellendo. Infusio utriusque fit in aqua, vel vino, ab ʒ. ß. ad ʒ. j. pro ʒ. vj. & viij. liquoris. Aqua fit, vel communis, vel scopo accommodata.

Sulphuris infusio in frigida facta per noctem, Erysipelati medetur, ac cutaneis affectibus facillime succurrit.

Vitrioli infusio Cyprini potissimum, oculis medetur: fit in aqua euphrasiæ, rosarum, fœniculi, etiam in aqua communi.

Tuthiæ magistrales præparatæ infusio, in aqua vel vino albo austero facta, oculis tuto medetur.

(f) Me-

(f) *Mineralium infusiones*. Antimonium crudum infusum vel coctum in aqua commendatur ad diaphoresin excitandam, & obstructiones veteres solvendas in hydrope, lue venerea, scorbuto. Infusio sulphuris in frigida facta, vel metallica ejus decoctio subcutaneis affectibus succurrit, si in balneo vel fotu cum aliis adhibeatur. Unum granum Cyprii vitrioli ad unciam unam aquæ rosaceæ oculorum partes egregie firmat, illorumque vitia tollit.

(g) *Metallorum infusiones*:

SAturnus calcinatus in aceto infusus inflammationi cito succurrit, & oculorum ophthalmiæ medetur.

Jupiter, sive stannum calcinatum, & in vino infusum, mira præstat in affectibus uterinis.

Martis, seu ferri calcinati infusio in vino, mulierum obstructiones reserat; menses movet, & lienis tumores dissolvit.

Solis terrestris præparationes, & infusiones distulimus.

Veneris calcinatæ, & lotæ, ut *in secunda parte* dicturi sumus infusio, in renum affectibus mirabiles edit effectus, & extrinsece oculorum vitiis omnibus succurrit.

Lunæ, seu argenti calcinati infusio, in aqua communi facta, oculis pariter succurrit, multaque alia præstat, de quibus *in secunda parte*.

(g) *Metallorum infusiones*. Saturnus quacunque sub forma cum aceto vini sal dulce præbet, quod inflammationibus præsertim oculorum resistit. Stannum in vino infusum & intrinsecus datum luxantem vim habet; in affectibus uterinis singulare quid præstare, haud immerito dubitamus. Mars in vino acidulo, vel acero vini infusus, vitriolum subtile largitur, quod fibras motrices excretoriorum constringendo, succos in motum promptiorem concitat, colliquat (quod manifeste videmus, si granum unum vitrioli albi indamus naribus) in infarctu & obstructionibus viscerum summe efficax est. Venerea medicamenta in renum affectibus vix singulare quid præstant, uti & luna extrinsecus in oculorum vitiis, nisi ubi venus immixta fuerit.

SECTIO III.

(a) *De vinis medicatis.*

VIna medicata quotannis in chronicis morbis præscribere solemus, & maxime vindemiarum tempore, musto adhuc fervente, cum adhuc subtilis ejus essentia in fæcibus sæparandis nondum fracta, simul mixtorum simplicium corpora permeat, & ab his congenerem substantiam educere potens est. Qua ratione veteres ejusmodi vina pararent, nondum satis exploratum habemus, & de his, atque de multis aliis solam experientiam ducem agnoscimus. Qui ad communes qualitates respiciunt: multa calida simul miscent, peculiaribus qualitatibus non neglectis, ut ubi excalefacere caput lavent, non tantum calida, sed & cephalica ea esse oportere judicarunt: qui idem purgare simul & excalefacere desiderant, calidis purgantia simul miscuerunt. Sic & per 4. humorum discrimina facta est componendi ratio. Singulæ item corporis

partes varias quoque vinorum medicatorum ſpecies connotant, de quibus VVecherum in ſuo Antidotario poſt Dioſcoridem, Columellam, Arnal. Villanovan. & alios multos recitat Quercetanus, omnium noviſſimus, qui in *ſua Pharmacopœa reſtit.* elegantiſſimas & optimas vinorum Medicorum formulas proponit, ad quem libere lectorem remittimus. Nonnulla interim exemplum adducemus, quædam præſertim nobis uſitata.

(*a*) *De vinis medicatis*. Vina dum ſunt in fermentatione, vegetabilia, aromata conciſa, optime extrahunt illorum texturam reſolvendo; Aſſumi ſolent, quæ ſaporem, odorem, & virtutem ſingularem ipſis conciliant. Ex cochlearia, roſmarino, ligno ſaſſafras, corticibus citri acceptiſſima ſolent parari. Compendioſe cum eleoſaccharo corticum citri, vinum citratum, cinamomi, cinamomiſatum, cochleariæ, vinum cochleariæ, et ſic porro parantur; Idem fit, ſi eſſentiæ aromaticæ cum clarificato ſaccharo vino addantur.

Fiunt quoque vinoſi liquores ex ſuccis v. g. ceraſorum, rubi idæi, ſi ipſi ſucci vinis addantur cum ſaccharo. Componuntur etiam eſſentiæ ſuccorum ſpirituoſæ, v. g. ceraſorum, fragorum, per fermentationem mediante ſaccharo, longiſſimo tempore durantes, quæ ſi debita proportione adduntur vinis, ſaluberrima ſuaviſſimaque fiunt. Notabile eſt ex omni ſucco vegetabilium et maxime fructuum dulcium per fermentationem mediante ſaccharo, vel melle, ac fæcibus cereviſiæ minus amaræ parari poſſe inebriantem vinoſum liquorem, item ſpiritum vini ardentiſſimum. Ex melle quoque cum aqua ſecundum præſcriptum Authoris confit liquor, inſtar vini generoſi.

Vinum ex herbis, floribus, ſeminibus, radicibus, & aliis.

Vina pro quotidiano uſu paranda adverſus chronicos morbos, ſunt vel ex radicibus, vel ex lignis, corticibus, foliis, floribus, fructibus, & ex ſeminibus, vel ex eorum eſſentiis extractis, ſuccis, &c. vel tandem ex mineralibus.

Vinum ex lignis, & radicibus.

Radices & ligna prius ſicca tundantur, vel incidantur, vel limentur, ut Guajacum. Quantitas pro ægri natura & radicis, vel ligni conditione deſumitur. Hæc (ut dixi) tuſa vel inciſa, vini dolio indantur, ac deſuper muſtum vini affundatur, nulla coctione præmiſſa. Sic eos non leviter errare arbitror, qui prius radices vel herbas cum muſto coquunt. Vas abhinc tres vel quatuor dies optime obturare oportet, ea tamen lege, ne fervore nimio, muſto videlicet æſtuante, diſrumpatur vas. Superiori foramini ſoleo aptare alembicum vitreum, quo ſubtiliſſimum, & fragrantiſſimum ſpiritum educo, quem ſeorſum ſerva ſi velis, aut deferveſcenti muſto reaffunde, ut medicamenti integra vis remaneat in vino.

Vinum Elleboratum.

Radices ellebori nigri, aqua communi lotas, & ab omni terreſtreitate liberas, ad ℈ j. accipio: has in umbra paululum exſiccatas incido forficibus, & citra aliam præparationem in lib. 90. muſti infundo. Exacto tempore 40. dierum vinum poteſt uſurpari ad libitum, ℥.vj. mane jejuno ſtomacho. Ejus uſus mirabilis eſt in morbis lienis, capitis, & uteri. Sanguinem in liene rectificat, cordis palpitationes inde ortas tollit, melancholiam abigit, Epilepſiæ, & Apoplexiæ maximopere conducit. Ejus uſus ſit ad menſem integrum, & duos menſes.

Vinum

Vinum Guajaci.

In vino Guajaci parando a communi consuetudine minime recedo, excepto in ebullitione, quam nonnulli præmittunt. Sæpius ligni limaturæ cortices ipsius ligni addo, vasis orificium superius obturo cum alembico vitreo, & per ipsum elegantissimum spiritum prolicio, quem vini dolio reaffundo, exacto fermentationis tempore. Interea alternis diebus novum mustum superaffundo, quo vas fere semper plenum remaneat, fere inquam, ut facilius ferveat, & commodius alembici os vasis orificio aptetur. Usus ipsius est in cibis loco vini, pro potu ordinario, ut moris est.

Ex Corticibus ejusdem Guajaci, tamarisci, &c. vina medicata fieri possunt.

Ex foliis item siccis, floribus, & seminibus, &c.

Ex fructibus succus extrahitur, ipsis prius contusis, ac prælo, vel torculari expressis. Ejusmodi succus si vinosus per se, vinum exhibet, & palato gratum, & usui medico peropportunum. In frigidis regionibus, maxime in Brittania, & Normandia, ubi vitis ob frigoris inclementiam minime adolescit, vinum ex pomis conficiunt, item ex pyris, sorbis, & aliis fructibus vinosis.

In nonnullis Italiæ locis vina parant pro febricitantibus ex cerasis, dulco acidis, vulgo *marentis*, aut ex magis acidis, vulgo *marasche*, atque ex malis granatis. Sed hæc ut trita, & ab instituto aliena missa facimus.

Hydromel vinosum.

Vinum proxime æmulatur liquor ille, quem ex melle conficiunt, Hydromel vinosum a Medicis appellatum. Id a nobis non alia ratione conficitur, quam ea, quæ habetur penes Bern. Penotus, & Joseph. Quercet. Fit vero ex lib. xv. mellis Hispanici, & aquæ communis lib. 75. facta coctione ad unius tertiæ partis consumptionem, reponitur in doliolo ligneo, vinum album & generosum, malvaticum, vel aliud simile jamdudum continente. Inter coquendum, spuma continuo exsurgit, quæ cochleari apto assidue removeatur, & ut crassiores fæces mellis certius segregentur, in principio cola totum per pannum laneum, manicæ instar constructum, & eo modo quo mustum recens in nonnullis locis Italiæ percolant, vel ut Galli sua vina Hippocratica, & ubique aromatarii suos julepos. Vas plenum in loco calido, uti in stupha repone; etiam æstivis diebus Solis radiis exponatur, & vas quotidie, vel alternis diebus hydromelite plenum convertatur, sicque melius fermentatur, & quæ supersunt fæces, tam crassæ, quam subtiles, segregantur. Sesquimense peracto, quo tempore hydromel fit vinosum, & plane generosum, ad instar vini generosi, malvatici, vel alterius generis, vas in cella vinaria ad usum servetur. Nos quidem sæpe intra duos menses eo usi sumus, verum post trimestre potentius est, & melius.

Interea mirum videre est, quomodo id liquoris genus aquam vitæ, & flagrantissimam, & excellentem exhibeat; item & acetum generosissimum, & fortissimum.

Verum magis miremur, quomodo ex frumento, fermentationis medio, fiat vinum pariter generosum, & gustui gratum, & quo pacto ex eodem liquore, aquam vitæ, & acetum elicere possimus. Sed hæc nostrum excedunt institutum.

Hy-

Hydromelitis vinosi vires sunt multiplices, in podagra calculo, asthmate, tremore membror. Epilepsia, alvi siccitate inveterata, & in nonnullis febribus.

Vina ex mineralibus composita.

Ferreo hoc nostro seculo, ubi morbi plusquam Martiales, imo & Saturnini maxime vigent, durum videre non est, si sæpius cogamur metallis ipsis uti in eduliis, pro salutiferis remediis. Etenim in quibus vegetabilia, & animalia non valent, valeant saltem mineralia. Nec obstat, quod contrarium sentiat ignarum vulgus, scimus hos sciolos invidentiæ, & ignorantiæ plus habere, quam eruditionis, & doctrinæ: si mineralia explodenda, explodantur & ipsi, qui ægros ad minerales aquas remittunt, qui chalybem quotidie usurpant, qui hydrargyrium, qui auri, & argenti foliola, qui sulphur, vitriolum, & diversa salium genera, sed de his alibi.

Sulphur sublimatum in doliis vini ad sufficientem quantitatem infusum, vinum mirabile reddit, ad diversa morborum genera, imprimis adversus mercuriales morbos. Sic qui casu, vel arte fumum mercurii exceperunt, vel qui mercuriali unctione peruncti sunt, consimile vinum assiduo bibant. Pulmonicis, asthmaticis, scabie infectis, lue venerea contaminatis, mirifice confert.

Si attente Medici notarent, cur sulphuris vapor (quod artificium fit hic Bononiæ, & in aliis Italiæ locis,) vinum ne pendulum fiat, cohibeat, scirent, qua vi polleat ipsum, in arcenda putredine e corpore humano. Possem de ejuscemodi vino plura dicere; at vereor ne ultra dicendo, invitus cogerer in inveteratum errorem de abusu mineralium incidere.

Vitrioli Balsamum vino adjectum, id ipsum vinum reddit præstantissimum, & ad multos morbos utilissimum.

Antimonii Tinctura vinum reddit omnium præstantissimum: id vero sanguinem renovat, cutis infectiones, lepram ipsam sanare creditur, erraticis febribus medetur, cacochymiam tollit, arthritidem, & omnes tartareos morbos e vestigio delet, roborat & confortat cor, & cerebrum & multa alia miranda præstat, quæ nonnisi usu & experientia cognoscuntur.

Ipsummet Antimonium crudum, & citra ullam præparationem vino continenter detentum, imprimit mirabilem proprietatem contra concretionem calculosam.

Excoctum tamen, & a mercuriali parte illa volatili liberum, magis probo; nam crudum flatus multos parit, & nonnunquam ventriculi subversionem. Ejus quantitas perexigua sit.

Non desunt, qui & mercurium crudum in dolioli fundo detinent. Ferunt vinum ne acescat, aut vaporem contrahat, aut pendulum fiat, & ea ratione fieri. Nos tale vinum ad ventris lumbricos plurimos valere certo scimus, item e capite per os multum pituitæ educere, & inveteratis coli doloribus mederi. In ejusmodi vini recensendis brevior, & Laconicus nimis sum, & forte plusquam rei natura exigat; at tyronibus res est periculo plena, artis vero peritis notissima, & facillima.

Ex Metallis.

Omnium metallorum, solum ferrum vina medicata efficit. Quidam idem fer-

ferrum limatum accipiunt, idque doliolo imponunt, vel sacculo incluſum; vel sic seorsim; sit vero prius a sordibus repurgatum.

Nos chalybem vel ferrum optime limatum accipimus, idque cum duplo pondere sulphuris calcinamus, uti in *secunda parte hujus operis* dicemus, speciali *capite de ferro*. Præparatum ex eo vitriolum vini cado infusum, & dissolutum, vinum reddit efficaciſſimum, & nobiliſſimum: vitrioli vero parandi ratio in *secunda parte* habetur.

Item cum simplici limatura chalybis, in hanc formam.

Rec. Limaturæ Chalybis sine ulla præparatione, ʒ. iv. Cinnamomi parum contusi, ʒ. ß. Vini albi dulcis, lib. viij. Stent triduo in infusionem in cella vinaria, & in vase vitreo. De colatura bibat æger ʒ. iv. vel mane jejuno stomacho, vel in prandio, & cœna.

Hoc vinum sanguinem repurgat a crassis, & viscidis humoribus, crassos & terrestres solvit, alvum subducit, uterum ab omni fluore exsiccat, & fertilem reddit.

Ex metallorum tincturis, & essentiis vina complurima excogitari possunt; at hæc nec nobis in usum veniunt, nec a quopiam usurpata fuisse existimo.

SECTIO IV.

(a) *De Aquis destillandis.*

AQuis frequentiſſime utuntur Chymici, estque earum destillatio prima operatio, qua ipsi primo in arte medica vulgo innotuerunt. Verum ejusmodi operatio hodie adeo nota est, ut ne lippos quidem, & barbitonsores lateat. Vulgaria illa methodus, qui herbæ per vas plumbeum destillantur, merito exploditur; in aquis tamen plantaginis, solatri, & aliis extrinsece admovendis, ea non omnino rejicienda est: sic aqua rosarum pro inflammationibus oculorum sedandis pulchre per plumbum destillatur. Aqua item illa a nostris Chirurgis aluminosa dicta non sine occasione per id vas destillatur. At ad intrinsecus usus, eam cum cæteris plane condemnamus. Vasa terrea vitreata, vitra ipsa optima sunt. Formæ eorum omnibus notæ sunt; vas, quod refrigeratorium dicitur, hodie ubique locorum innotescit. Estque æneum, ut plurimum interius stanno obductum, cujus pars inferior ampla est admodum, res distillandas continens: superior tribus partibus constat, cannula pro vasis proportione, ampla, & alta, Alembico cum rostro, & cacabo æneo. Nos loco hujus vasis assumimus vas rotundum terreum devitreatum, stricti & anguſti orificii; rotundum inquam, pilæ instar, cujus orificio, crassioris digiti amplitudine, cannula stannea, vel ferrea, vel ænea, stanno obducta, inseritur. Ejusmodi cannula vasi alteri aqua pleno immergitur, hocque pacto essentiæ herbarum sine odoris, & saporis jactura educuntur. Item aquæ vitæ mirum in modum excellentes, & pretiosæ.

Per

Per ſimplex vas vitreum, vel terreum, fiunt etiam ejuſmodi aquæ, at non tanti valoris.

Supradicta vaſa igni multiplici aptantur; etenim quidam ipſis ſupponunt ignem lucernæ, alii ignem carbonum, lignorum, cinere, ſcoria ferri, arena, vel aliis interjectis; alii ſtupham, balneum Mariæ, & balneum vaporoſum. Calor fimi equini hæ omnia longe ſuperat, at mitis eſt admodum, & quo ægre, aut non niſi longo tempore aqua exſtillari poſſit. Nos ejus medio aquam vitæ fragrantiſſimam e vino elicimus.

Aquas vulgato more deſtillatas raro uſurpamus, eo quod parum efficaces, ne dicam nullius facultatis participes. Ea de cauſa, quæ in noſtri uſum veniunt, eas ſic parandas jubemus: ſi herbæ ſint recentes, & ſucculentæ, eas primum inciſas cultro, vel forficibus, in mortariolo contundimus, contuſas cum novo ſucco, vaſi vitreo, vel terreo vitreato, ſtricti orificii indimus, dictum vas in loco frigido per aliquot dies reconditur, donec herbæ, & ſuccus acorem quendam contraxerint, tunc per refrigerationem diſtilla, vel per vas noſtrum rotundum, cum ſua cannula aquæ frigidæ immerſa: cannula contorta ſit, ea maxime pars, quæ aquæ immergitur; ſerpentes & hoc modo ipſi poſſunt inſeri.

Item & aliæ formæ, de quibus plura apud artifices. Hac via prodibit mercurialis ille liquor cœleſtis; qui ſi non ſatis vim plantæ redoleat, recentem herbam iterum accipe, cui tuſæ in mortariolo, ut prius, extractam aquam reaffunde, quam denuo diſtilla, ſic ſecundo præſtantiſſimam aquam excipies: quam denuo ad majorem perfectionis gradum deduces, ſi tertia vice aqua recente herbæ reaffundatur, atque diſtilletur. Ex multis, floribus & ſeminibus hac via aquam vitæ ſuaviſſimam elicies.

Si herbæ ſint ſiccæ, aut parum ſucculentæ, inciſis, & tuſis aquam communem affundimus, vaſaque, eo modo quo diximus, in loco frigido per aliquot dies aſſervamus; ei etiam addimus parum fermenti, ad hoc præſertim, ut citius acorem, ſeu fermentationem nanciſcantur, tunc procede ut ſupra.

Aquæ aromatum ejuſmodi fermentatione non ſemper indigent, eorum maxime, quorum odor in ſuperficie conſiſtit: ut florum caryophyllorum, jaſmini, & aliorum, ſecus odor in auras abit; ſed cum primum collectis floribus, & vaſis inditis, educitur aqua per balneum vaporoſum, quæ novis floribus reaffuſa, & iterum extillata, floris odorem elegantiſſime redolet. Aqua fragrans, & odorifera in ſuperficie conſiſtit, ideo pauca admodum e floribus educitur, & ea quæ ſtatim primam inſequitur, ingrati eſt odoris.

Aquæ cinnamomi, caryophyl. Indorum, macis, piperis, & aliorum aromatum exoticorum, maceratione duorum vel trium dierum tantum indigent.

Cæterum in aquis deſtillandis, nihil quod non ſit cognitum, habemus dicendum; quapropter qui de his plura deſiderat, aliorum libros evolvat, inter neoreticos Quercetanum, VVeck. Portam, Ulſtadium, Euonymum, &c. Superſunt nobis quædam compoſitæ, proprio uſu, multiplicique experientia cognitæ, quas hic cum aliis noſtris appendere volumus.

(a) *De aquis destillandis*. Destillatio aquarum est evaporatio, & clausa quasi coctio, requirens sufficientem aeris quantitatem & vacuum spatium satis amplum, quare quæcunque coqui possunt, & evaporabiles possident particulas, bene etiam destillantur; & contra, quorum particulæ ab evaporationem sunt ineptæ, absurde destillantur. Hinc salia fixa & media, omnia dulcia, saccharum, mel, manna, item styptica terrea, mucilaginosa, nec non purgantia resinosa, item amara non auscultant destillationi, unde aquæ adstringentes proprio sensu non dantur. Consistit enim illorum energia neutiquam in evaporabili, sed in terrestri, item resinosa portione. Amara omnia aquas præbent dulces, manifesto documento, amaritiem in sale quodam terreo acido residere. Omnes aquæ destillari debent, si bonas desideramus, in mariæ balneo, & sufficiens herbæ quantitas, pauca autem aqua sumatur. Quo autem aqua est purior, subtilior, levior, eo utilior, Probantur quæ profluunt, cursu enim percussuque ipso extenuantur atque proficiunt; item pluvialis, quæ solis vi destillata est, melior & subtilior ros majalis, qui ad herbarum vim medicamentosam extrahendam ac perficiendam aptissimus. Memorabile est, rorem majalem citissime incalescere leni calore & instar Spiritus vini avolare, nec non in evacuo emittere bullulas instar liquorum spirituosorum, indicio, plures spirituosas sulphureas partes ipsi inesse. Aquæ ante annum destillatæ denuo reaffundantur vegetabilibus recentibus, sic virtus earum concentratior fit. Ex fructibus sine additione destillari debent aquæ rubi idæi, fragorum, ceraforum nigrorum. Item cydoniorum cinnamomisata, cordialis *Herculis Saxoneæ* frigida ex succis: nonnulli loco aquæ affundunt cerevisiam v. g. Breuhanium vel Wettinensem præstantem, sic prævia maceratione prodit aqua temperate spirituosa, quæ denuo destillata spiritum φλογιστὸν largitur, indicio infallibili: cerevisias etiam abundare spiritu ardente: fiunt sic excellentissimæ aquæ, menthæ, veronicæ, melissæ, cardui benedicti, florum primulæ veris & similes. Optime conservantur in loco frigido, minus recte in calido; ex facili enim sic dissipatis partibus tenuioribus, vires suas deperdunt & mutantur.

Aqua Cardiaca adversus venena, & contagium.

Recip. vincetoxici, valerianæ, gentianæ, scorzoneræ, anthoræ, an. ℔. j. ʃʒ. fol. galegæ, scabiosæ, succisæ, card. bened. ulmariæ, cicerbit. pimpinellæ, borag. an. m. iij. (b) *Macerentur triduo* in ℔. iij. scorzoneræ, veronicæ, ℔. j. vini albi. Distillentur in balneo Mariæ, & fiat aqua. Dosis erit ab unc. 3. & 4.

(b) *Macerentur triduo*. Quoniam plantarum vires arctioribus quasi clausris irretiuntur, & ab illis non tam facile sese extricari patiuntur: hinc maceratione & additione clavis nimirum salis aut tartari egent, vel fermentatio lenis præcedat in doliolo querno, v. g. quinque libris herbæ duodecim libræ aquæ addantur, una cum fæcibus cerevisiæ, elapsis duobus diebus, destillationi committantur. Quæcunque autem vegetabilia varioris texturæ sunt, & ubi virtus quasi in superficie hærent, uti sunt flores, herbæ antiscorbuticæ, acidæ, fructus, maceratione non indigent; quæ magis autem sunt compacta & dura, uti ligna, radices, cortices, diuturniorem requirunt digestionem.

Alia.

Recip. Radix Angelicæ, ʒ. iij. scorzoneræ, valerianæ, imperatoriæ, an. ʒ. ij. fol. scordii, veronicæ maris, ulmariæ, agripalmæ, melissæ, borag. an. m. iij. Infund. per 4. dies, in suff. quantitate vini albi: deinde destillentur in balneo Mariæ. In distillata aqua item, infundet. Confect. Hyacint. Alexermes, Damargar. frig. an. ʒ. iij. Theriacæ antiq. lib ʃʒ. Destillentur rursus, & fiat aqua. Dosis ʒ. iij. ante bubonum eruptionem.

(c) *Aqua*

(a) *Aqua Nephritica.*

Rec. Radicum ononidis, ℥. iv. apii, raphani, an. ℥. ij. Herbarum argentinæ, Turcicæ, (alias herniariæ, betonicæ, pimpinellæ, piloſellæ, ceterach, an. m. iij. fructuum roſarum ſilveſtrium, alkekengi, ſem. milii ſolis hyperic. carui, dauci, an. ℥. j. ſucci limonum lib. j. vini albi generoſi, lib. v. Macerentur hæc omnia parum trita, in fimo equino in vaſe vitreo per ſex dies: demum calore cinerum eliciatur aqua, quæ ſecundo novis, & recentibus reaffundatur; eaque triduo macerentur atque deſtillentur, ut prius. Fæces crementur in vaſe fictili; & a cineribus ſal extrahatur, quod aquæ immiſcere poteris, vel ſeorſum ſervare. Hujus aquæ doſis eſt ℥. ii. & iij. Calculum in renibus, & veſica comminuit, & urinam potenter movet: Extant apud Querceranum aquæ hujuſmodi virtutes, quas qui deſiderat, ſuum authorem conſulat.

(c) *Aqua nephritica.* Baccæ alkekengi, juniperi, flores acaciæ, petroſelinum, herba ſeleri, nuclei ceraſorum, fraga in ſero lactis vel vino quam poſſit excellenti, digeruntur & deſtillantur, fundunt aquam diureticam; infuſa autem illorum ſunt utiliora.

(d) *Aquæ Antepileptica, apopleticæ, & ſimiles.*

Habentur ejuſmodi aquarum perpulchræ deſcriptiones apud eundem Quercetanum, quas tamen minime uſurpamus, minus aliis uſurpandas ſuademus; nobis enim ſemper diſplicuit tanta rerum farrago. Pro Theriacali aquam ſequentem uſurpamus, qua in prædictis affectibus uti poteris.

Rec. Radicum imperatoriæ, angelicæ, gentianæ, biſtortæ, zedoariæ, an. ℥. iij. foliorum meliſſæ, ulmariæ, agripalmæ, ſcabioſæ, acetoſæ, card. ben. an. m. iij. cort. citrii, ligni aloes, ſchœnantos, ſantali albi, & rub. cinnamomi, caryophyll. macis, an. ℥. ß. Infundantur omnia triduo in lib. vj. vini albi, & lib. j. ſucci borraginis: deſtillentur poſtmodum per balneum Mariæ. Affectibus cordis ſummopere confert; hinc in peſte præſtantiſſima eſt. Valet & ad ferarum venenatarum morſum, &c.

Uſurpamus etiam ſæpe aquam ſequentem pro affectibus uterinis, ut & in multis affectibus capitis, in his maxime, in quibus vis roborans, & narcotica deſideratur.

(d) *Aqua antepileptica.* Merito illæ dipeſcuntur in calidas & frigidas. Frigidæ ex anodynis & maxime floribus parantur ſola aqua ſimplici v. g. ex floribus liliorum convallium, tiliæ, primulæ veris, pœoniæ, liliis albis: Calidæ cum vino vel ſpiritu vini maxime Gallici ex aromatibus & herbis cephalicis, hujus generis eſt epileptica Langii, Hæ magis præſervant, illæ curant.

(a) *Aqua Hiſterica.*

Recip. Radicis Valerianæ maj. ſiccæ, ℥. iv. fol. matricariæ, tanaceti, arthemiſiæ, abſinthii, menthæ, majoranæ, puleg. an. m. iij. Infundantur per 24. horas, in ſuffic. quantitate vini albi generoſi, in loco calido, tum forti expreſſione in prælo ſubigantur. In colatura infunde galangæ, zinziberis, macis, piperis longi, an. ℥. j. ſpicæ Indicæ, croci, ſchœnanthos, calami aromat. an. ℥. ß. Opii Theb. ℥. iij. ſem. papaveris albi, ʒ. j. ß. camphoræ, ℥. ij. Macerentur triduo in fimo equino, & iterum torculari exprimantur. Fæcibus

aquam vitæ affunde, & reliquum tincturæ ab his abstrahe. A colaturis simul commixtis, urinali vitreo cum suo capitello aquam prolicito, quam ad usus multiplices servabis. Uterinis affectibus potentissime succurrit, ejusdem suffocationibus cito medetur: cuicunque flatulento affectui prompte levamen affert; vertigines sanat, quemcunque capitis dolorem sedat, articulorum doloribus non minimum conducit. Magma a destillatione in fundo vasis relictum, extracti species est, laudani illius opiatici tantopere laudati, vires & facultates obtinens, cujus dosis est gr.ij.iij.iv. & v. De aqua datur unc. ß. & unc.j.ad duas usque.

(e) *Aqua hysterica*. Melissa, pulegium, arthemisia, mentha & omnia carminativa aromatica vino albo generoso infusa, præbent optimam aquam hystericam. *Auctor* addit opium item semen papaveris albi, huc quidem parum anodyni spargit in aquam per destillationem, opium autem propter volatile sulphur aquam reddit, vel spiritum vini abstractum super id, longe magis soporiferam, tam intrinseco, quam extrinseco usu probatissimam laudatissimamque. Interim aqua opii destillata mea sententia longe consultius datur, quam essentia aut extractum ejus, quod resina firmiter adhæret membranis & nervis, ipsisque stuporem inducit; Aqua vel spiritus opii sedato spirituum tumultu facilius subigitur & dissipatur. Aqua florum papaveris rhœados vi anodyna nobilissima pollet tam extrinsecus, quam intrinsecus, longe tutior, quam ex ipsis extractum.

(f) *Aqua Hydrotica*.

Rec. Limaturæ ligni Indici, ß.j.ß. cortices ejusdem ligni, unc.vj.Salsaparillæ, Chin.elect.an.unc.ix.lem.cardui bened.bacc.juniperi,zingiberis, an ʒ.j. ß.Macerentur octiduo in s.q.vini albi generosi, cum ol.vitrioli ʒ.ß. & calore cinerum, vel arena aquam prolicito, quæ recentibus reaffusa,& destillata usui reponatur: Dentur iij. iv. v. unciæ pro dosi. Sudores movet, luem veneream sanat, & aliis gravissimis affectibus succurrit, uti apoplexiæ, paralysi, hydropi, & asthmati.

(f) *Aqua hydrotica*. Ex lignis nihil pene exstillat, nisi sint admodum recentia, vel fermentatio præcedat. Ex ligno aloes suaveolente bene triturato, beneficio aquæ pluvialis, addita quantitate debita salis communis, præviaque digestione obtinui aquam odoratissimam, cui supernatabat oleum crassum, quod instar camphoræ in frigido coagolabatur suavissimi odoris. Hoc prompte solvebatur in spiritu vini rectificato, qui cum ipso transibat in essentiam, saluberrimam in capitis vitiis, nervorumque debilitate eximiæ virtutis atque odoris & saporis gratissimi.

(g) *Aqua Febrifuga*.

Rec. Hederæ terrestris cum foliis, & radicibus, apii item integri, fol. cichorii, acetosæ, centaurii minoris, an. m. vj. Macerentur triduo herbæ omnes contusæ, & per balneum Mariæ proliciatur aqua, quæ recentibus herbis reaffusa, iterum extilletur, ut prius. In dictæ aquæ unc. iv. si per noctem infundatur Magnesiæ Saturninæ bis calcinatæ, unc. ß. & mane coletur, fit aqua vere febrifuga, cujus dosis erit unc. iv. v. & vi. paulo ante paroxysmum.

(g) *Febrifuga*. Centaurium minus & carduus benedictus neutiquam fundunt aquam amaricantem, quæ tamen non est expers omnis acredinis indicio, sal quoddam tenue, penetrans, quod in sublime fertur, in ipsis contineri, sudoriferum deobstruens.

(h) *Aqua*

(*h*) *Aqua Zingiberis.*

Rec. Zingiberis integri, q.ſ. infunde in q.ſ. vini generoſi per 8. dies: dein deſtilletur, & fiat Aqua, quæ ventriculum excalefacit, roborat, & exſiccat, Appetitum excitat, & ſudorem movet. Datur ab ʒ ß. ad ʒ. ij.

(*b*) *Aqua Zingiberis.* Zingiber ſive cum aqua, ſive cum vino aut ſpiritu vini infundatur & deſtilletur, nullum ſaporem vel odorem liquoris adfert, quod indicat evaporabilem ſubſtantiam ipſi non exiſtere. Ejuſdem indolis eſt piper, quod tamen pauxillum olei fundit. Quo circa minus recte zingiber additur aquis ſtomachicis: decoctum ac errimum ſapore eſt.

Aqua Cinnamomi.

Aquam cinnamomi ſæpius cum ſola aqua communi prolicimus, præmiſſa maceratione trium vel quatuor dierum. Utimur ad hoc vaſe refrigerante, vel alio ſimili, item urinali vitreo cum ſuo capitello, cujus recipiens aquæ immergitur. Alio modo, at cum vino albo, ut ſic, accipimus, cinnamomi ℔. j. eam parum contundimus, atque in urinali vitreo cum ſufficienti quantitate vini per tres dies infundimus: vaſa autem probe obturato cum ſuo recipiente balneo Mariæ committitur, igneque adacto elicitur aqua. Huic aquæ oleum innatat in exigua quantitate. Prima aqua, quæ lactea cernitur, recenti cinnamomo reaffunditur, atque deſtillatur, ut prius: ter ejuſmodi operatio reiteratur, qua via multum olei elicitur, & aquam odoratiſſimam, & ſuaviſſimam percipies.

(*i*) *Aqua Cinnamomi.*

Rec. Cinnamomi electi ℔. j. Spiritus vini, ℔. iv. Aquæ roſarum, ℔. ß macerentur triduo in fimo equino, demum per balneum Mariæ educitur aqua fragrantiſſima.

(*i*) *Aqua cinnamomi. Author* ſpiritus vini libras tres aſſumit & aquæ roſarum libram ſemis, ſic diſtillatione ſpiritus potius ardens obtinetur, qui de cinnamomo odore ſaporeque parum participat, ſed oleoſæ ſapidæ cinnamomi partes gravitate ſua remanent in phlegmate; Felicius res ſuccedit, ſi libras tres aquæ roſarum, vel alterius, & libram ſemis ſpiritus vini rectificati aſſumamus, in quo cinnamomum bene tuſum per aliquot dies probe maceratum eſt. Laudatiſſima, quę proxima eſt odore ac ſapore cinnamomo, fit cum generoſo vino malvatico aut Hiſpanico; Indicium generoſæ cinnamomi aquæ eſt, ſi lactea, quoniam tunc oleoſæ partes intimę immerſæ aqueis ſunt. Cum ſucco cydoniorum elegans paratur; quæ ad fluxiones ventris & ubi ſine magno calore confortandum eſt, valde ſalubris datur.

Aqua Cinnamomi.

Rec. Cinnamomi electi parum contuſi, ℔. j. ß. ſchœnanthos, folii Indici, an. unc. j. caryophyll. unc. j. vini malvatici, ℔. iv. aq. roſarum ℔. j. triduo maceratis in urinali vitreo, lento calore projicitur aqua præſtantiſſima. Epilepſię confert, animales ſpiritus recreat, auget memoriam, & refrigerato ventriculo ſuccurrit.

(*k*) *De Aquis odoriferis.*

Ex omnibus odoratis floribus, fragrantiſſimas, & odoratiſſimas aquas elicere poſſumus: ut ex roſis, jaſmino, violis purpureis, caryophyllis, floribus arantiorum, & aliis; modum autem ſupra tetigimus. Interimcolligantur

gantur flores, tempore quo Solis calor ipsorum virtutem non resolverit, eòsque statim urinali vitreo reconde, atque blando calore proliciatur aqua : cave ne ignis vehemens sit, paucaque eliciatur, & ea quæ a primo vapore resolvitur, servetur; secus quæ a toto composito prodiit, ingrati est odoris, & alteri mixta odorem illius evertit omnino. Augebis odorem, primam aquam novis floribus reaffundendo; quod si ter reiteretur hujusmodi operatio, aqua fit præstantissima.

Ex rosis aqua eodem modo paratur, & quia odor fixius inhæret substantiæ, longiorem sustinet evaporationem. Patiuntur & macerationem, ut in principio diximus. Flores vero, qui in sola superficie continent odorem, maxima cautella extillantur; primi enim vaporis in rostrato capitello tantummodo excipiantur, contrarium agentes oleum & operam perdunt. Usus ejusmodi aquarum maxime est in spiritibus roborandis, & exhilarandis. Vires earum multiplices sunt, etiam in peste morbisque contagiosis.

(k) *De aquis odoriferis*. Non dubitamus ex floribus odoratis fragrantissimis, rosis, jasmino, violis purpureis, caryophyllis, floribus citri & aurantiorum odoriferam aquam destillari posse, modo sufficientes & recentes assumantur, ac leniss imo calore in balneo tractentur; Custodiunt revera hi flores oleum quoddam volatile subtile, quamvis pauciss imum, a quo etiam rosæ odoratissimam dant aquam *Tacuenius* refert, quod ex octuaginta quatuor libris rosarum tantummodo olei unciam unam Dominicani Florentiæ separaverint. Styrax, benzoe, balsam. peruvian. si recentia destillantur cum aquis, concedunt quoddam odoriferum oleum. Ex balsamo peruviano cum sale tartari probe trito ac digesto cum spiritu vini purissimo, elicitur essentia, quæ si destilletur ad siccitatem, spiritus prolicitur balsamicus fragrantissimus præstantissimæ virtutis ad roborandos nervos, medicamentum, quod omnes Medici commendatum sibi habeant; Dubito, an nullus de hoc spiritu vel etiam prædicto oleo ligni aloes, utroque remedio excellentissimo, unquam ante me mentionem injecerit.

Aqua odorata composita.

Rec. Santali citrini, unc. j. ℔. radicis cyperi, ligni aloes, calam. aromat. corticis citri, an. unc. ℔. rosarum rubr. sicc. benioini, styracis calamit. an. ʒ. x. terantur terenda, & octiduo macerentur in sufficienti quantitate aquæ rosarum: demum aqua proliciatur calore balnei vaporosi, & servetur ad usum. In dicta aqua nodulus ambræ griseæ & moschi orientalis, an. ʒ. j. plenus continuo immergatur.

Alia.

Rec. Radices ligni rhodii, santali citrini, cyperi, ireos an. unc. j. ℔. calami aromatici, styracis calamitæ, benioini, caryophyll. an. unc. ℔. macerentur triduo in s. q. aquæ florum arantiorum, vel rosarum: postmodum balneo, vel refrigeratorio distilletur:

(l) *Aqua Soporifera.*

Recip. Seminis cicutæ, ʒ. j. ℔. sem. papaveris albi, ʒ. vj. hyoscyami, lactucæ an. unc. iij. fructuum maturorum mandragoræ, an. unc. j. stramonii cum semine, opii Thebaici, an ʒ. j. ℔. succorum lactucæ silvestris, aquæ vitæ optimæ an. ℔. j. ℔. Hæc omnia tusa macerentur triduo in urinali vitreo, postmodum lentus ignis ipsis subjiciatur. Dosis aquæ erit unc. j. & ij.

(l) *Aqua*

(*l*) *Aquæ soporiferæ*. Talis aqua paratur optime ex floribus papaveris hortensis, & tota planta cum capite & semine: addi potest crocus integer, item nuciſta, & cum aqua vel cereviſia bonæ notæ deſtillatio adornetur, & ubi anodyna vis in morbis requiritur, certe majorem utilitatem talis aqua præſtat, quam omnia extracta & laudana ad cœlum uſque elata. Illud notari meretur, ex papavere ſativo verum opium confici poſſe, quod longe ſubtilius & efficacius eſt exotico, exſtillat e maturis capitibus inciſis, medio æſtatis, lacteus liquor, qui ſolis operatione in reſinam nigricantem indureſcit, quæ in omnibus ab exotico non diſtinguitur, & ſi verum facere judicium voluerimus, minus noxia.

Alia.

Rec. Succorum hyoſcyami albi, fol. papaveris albi, & nigri, mandragoræ, hederæ, cicutæ, an. ℔. ß.

Alia.

Rec. Daturæ, ſeu ſem. ſtramonii albi, ℔. j. macerentur triduo in ſufficienti quantitate vini albi: deſtilletur poſtea, & ad uſum ſervetur. Doſis erit unc. j. In his ſuccis infunde lolii, ſem. lactucæ, opii, an. ʒ. j. ß. Hæc aqua ter a magmate abſtrahatur, atque ſic potentiſſima educitur.

(*m*) *De Aquis animalium*.

Animalium, ut ſtirpium aquas præparare, uſuique noſtro reponere nobis moris eſt. Itaque aquas animalium, vel integrorum, vel eorum partium, variis modis, variiſque inſtrumentis elicimus: quaſdam putrefactione, ſubſtantiarum ſegregatione, heterogenerarum videlicet, quibus conſtant præmiſſa; quaſdam nulla, ſed eas ab integris ſeparamus. Nonnullas balneo vaporoſo, atque calore aquæ tepidæ. Quaſdam igne cinerum, arenæ, igneque ipſo aperto. Quædam ſine alterius mixtione, ſeu ex ſolis animalibus, aut eorum partibus; quædam vero cum mixtione alterius, vel alicujus additione aquæ commodius educuntur, & nobilitantur.

(*m*) *De Aquis animalium*. Menſtrua aquea ex animalium partibus per coctionem extrahunt gelatinoſi quippiam, & quo duriores partes animalium ſunt, adhuc integræ, nulla putredine infectæ, eo præſtantior acquiritur gelatina. Commodiſſime & celerrime extrahitur gelatinoſa ſubſtantia ex oſſibus vel partibus durioribus machina Papiniana omnibus Pharmacopœis commendanda. Decocta animalium ob gelatinam hanc nutritiva pollent virtute, hinc tabidis a morbis longis extenuatis & deploratis in phthiſi proſunt, præcipue cum aqua cinnamomi & pauxillo ſucci citri acidi exhibita, juſcula talia plus præſtant, quam aquæ deſtillatæ caponum, aliorumque animalium, quamvis non negandum ſit, etiam aquas illas non pure elementares eſſe, ſed re vera differre ab alia aqua ſimplici, ſapore, odore, virtute & ſedimento, quod dimittunt; ſiquidem gelatinæ ex particulis oleoſis ſalinis conſtant, verum ſubtiliores aquas in poros abripit & ſecum in altum attollit. Aqua cerebri animalium in epilepſia magnopere laudatur, & *Burrho*, famigeratiſſimo illi Chymico in uſu fuit. Notabile autem hic eſt, cerebrum animalium fere totum in aquam liqueſcere, & ſubtiliſſimum largiri oleum, paucum tamen, ſal volatile plane exiguum.

De Aquis Caponum, & aliarum viribus reparandis dicatarum.

Duplici modo fiunt ejuſmodi aquæ, vel enim per balneum Mariæ, carne prius inciſa, & urinali vitreo indita, pauco vini malvatici adjecto, ut irrorentur carnes, & tantillo cinnamomi ſaporis gratia; vel prius capones bene coquunt, & juſculum caponum balneo rorido diſtillant; qui modus hodie ſatiſſi-

ſitatiſſimus eſt. Alio modo: Carnium portio filis alembico appenditur, exhalanteque vapore e ſubjecto urinali caro excoquitur, eaque aquam, ſive juſculum fundit gratiſſimum. In urinale vinum, vel aqua roſarum, boraginis, aut alterius generis liquor prius immittitur. Urinale ſit cæcum, & fere in modum circulatorii. Si cinnamomum, ut aliud aromaticum ſuperaddatur, ſuaviorem reddet liquorem.

Aqua cancrorum fluviatilium, vermium terreſtr. &c.

Aquæ cancrorum fluviatilium, Gallis *Eſcreviſſe*, Italis *gambari*, per balneum Mariæ, vel etiam calore cinerum excipiuntur. Integri ſumuntur, iique bene loti urinali vitreo induntur, cum pileo roſtrato, ſine additione alterius liquoris. Ejuſmodi aqua uſus eſt mirabilis inflammationibus ſedandis, urinam pellit, & rabidorum canum morſibus ſuccurrit, vulneribus pectoris continuo ſumpta mirifice opitulatur, ſitim extinguit, & renum calculum comminuit. Aqua vermium terreſtrium eodem plane modo fit, ipſis prius vino albo probo a terreſtreitate lotis, & repurgatis. Hæc aqua phthiſicis auxiliatur, ſanguinem ſiſtit, menſes provocat, obſtructiones reſerat, vermes puerorum enecat, intrinſecis vulneribus confert, & alia præſtat adhuc incomperta.

Aqua Ranarum.

Ranæ capiuntur ſub fine menſis Martii, vel initio Aprilis (omnibus etiam temporibus, neceſſitate cogente, ſed tunc minus efficaces) vivæ domi triduo in aqua ſervantur; tuncque lotæ, urinali vitreo integræ & vivæ immittuntur, atque pileo roſtrato ipſi impoſito per calorem balnei maris exſtillatur aqua. Ejus uſus eſt mane jejuno ſtomacho, unc. ij. pro Doſi. Diuturnas hæmorrhagias reprimit, muliebres fluxus, quos flores albos appellant, mirifice juvat. Quod ſi ulla ſubſit prava cacoethia, radicitus ſanat.

(*n*) *Spermatis ranarum aquam*, eo quo diximus, modo elicimus. Colligitur ejuſmodi ſperma menſe Aprilis, nullaque lotione præmiſſa, balneo vaporoſo aqua educitur. Et quia iſthæc aqua cito corrumpitur, ejus ſuccum linteaminum fruſtulis combibimus, eaque umbra, vel ſole exſiccantur.

His utimur, aqua ranarum prius madefactis, in omni ſanguinis fluore, in eryſipelate, in arthriticis doloribus, & in ambuſtis. Eæ etiam cancro ulcerato non parum proſunt, nam ab eo enatos dolores ſedant.

Quidam ranarum partem inferiorem, rejecto pectore, & capite, cum pelle, tantum accipiunt. Nos eas integras deſtillamus, & eæ in vaſe poſt extractionem remanent, quæ poſtea lento igne exſiccantur, atque in pulverem reducuntur: cujus ʒ. ſß. & ʒ. j. quotidie exhibemus. Pulvere dicto utimur in fluxionibus ſiſtendis, maxime uterinis.

(*n*) *Aqua ranarum ſpermatis*. In inflammationibus foras egregiam fert opem, nec non intrinſecus in omni ſanguinis fluxione, utpote ſale ſuo ſubtili reſolvit & temporat igneum ſanguinis motum; ex tenellis cervorum cornibus recentibus in balneo, quæ prodit aqua, non inefficax eſt, ubi humidum reparandum & vires reſtaurandis in malignis.

Aqua ſanguinis humani.

In oleo ſanguinis humani extrahendo aquam ſimul extrahimus, de qua eo

in

in loco ſermonem habebimus. Hac aqua raro utimur, & non niſi in extrinſecis. Roborat artus, quominus fluxiones excipiant, & arthriticis doloribus confert. Ex ſanguine hirci, & aliorum animalium, aqua, modo non diſſimili educitur.

(o) *Aqua ſtercoris animalium.*

Multa animalium ſtercora mirabiles, & præſtantes obtinent virtutes, & ut interim humanum ſtercus taceam, (res profecto indigna, ut a quopiam in uſum advocetur) gallinarum ſtercus nonnunquam uſurpavimus in doloribus coli. Id in pulverem exſiccatum furno, vel ſtupha, commode abſque alia præparatione exhibetur adverſus colicos dolores. Stercora cujuſque animalis in aliquod animalculi genus vertuntur, quod per alembicum vitreum deſtillatum, aquam & oleum exhibet mirandæ virtutis. Ad hoc opus eſt magna ſtercoris copia, longumque tempus requiritur. Sed hæc tantum per tranſennam annotare placuit; non enim arbitramur, fœda ejuſmodi remedia ad humanum uſum comparata eſſe. Non propterea nos latet, ſtercus bubulum menſe Maii collectum, miram præbere aquam, ſi per alembicum diſtilletur, adverſus nephritidem, calculos enim cito ſolvit, & urinam copioſe movet, quam & nigram prima die pellit, forte calculis vehementer attritis.

(o) *Aqua ſtercoris animalium.* Excrementa alvina activo principio ſalino nimirum ſulphureo (quod ex reſolutione ingeſtorum & commixtione variorum liquorum, bilis, ſalivæ, ſucci pancreatici, emergit) copioſo conſtant, & hujus reſpectu magnam vim poſſident, uſu exteriori ſedandi inflammationes: nec non per ſudorem vehementer dimovendi ſalia inflammantia. Aqua ſtercoris hirundinum vires antepilepticas recondit: præſertim ſi cum floribus vegetabilium anodynis deſtilletur. Infuſum pavonis ſtercoris cum ſimplici ſpiritu vini adverſus capitis morbos, vertiginem, epilepſiam probatæ & ſpecificæ virtutis ſemper exſtitit. Maximi olim habita fuit aqua omnium florum, quæ in ipſa gangræna, peſte, inflammationibus, arthriticis, & ſpaſmodicis affectibus: tam intra quam extra divinam præſtitit opem: Dignum notatu eſt, ex ſtercoribus cujuſcumque animalis non ſecus ac ex urina inſpiſſata, flammæ tortura phoſphorum lucidiſſimum confici poſſe. Videntur ſtercora aliquid ſingulare fovere, quod ſale ſuo ſubtili facilius penetrent, & ex ſymboliſmo quaſi ingreſſum in anguſtiſſima partium inveniunt, cum alia ſalia volatilia ignis vi elicita non tam blande agant, ſed vehementius afficiant.

(p) *De Aquis mineralium.*

Sub foſſilium atque mineralium nomine metalla quæque complectimur, mineralia, lapides, gemmas, terras, bitumina, omnium ſalium genera, & quæ in imo maris, & intimis terræ viſceribus denſata ſunt, & in ſubſtantiam lapideam verſa.

Ab his aquam ægre excipimus, & nonniſi artificio, & labore: ſic ejuſmodi aquas vulgus Medicorum plane ignorat, eo quod nimis delicatuli, labores ad ſe non pertinere dicant.

Tanta eſt hujuſmodi aquarum neceſſitas, & utilitas, ut his ignotis, tota chymica ars corruat. Ex enim denſiſſima metallorum corpora penetrant; ſic in momento firmiſſimam auri, & argenti compagem ſolvunt. Taceo miranda, quæ invicem præſtant. In Medicina uſus ſunt multiplices & admirabiles:

les: ut a vilioribus, & minus compositis exordiar, paramus aqua vitrioli, aluminis; & quorundam salium, hunc in modum.

(p) *De Aquis mineralium*. Antiqui pretiosos lapides, aurum, miscuerunt suis destillatis, exspectantes singularem vim roborantem ab illis, in quo valde elusi, siquidem nihil ab ipsis ascendit; alia autem est res salium & vitriolorum, quæ destillata leni igne fundunt aquam odoris sulphurei, saporis acciduli, ut phlegma vitrioli est, quod ob sulphur minerale resolutum subtenue obstructiones capitis egregie dissipat, hinc motus sedat epilepticos, sanguinisque ebullitiones compescit, & hecticis lentoque calore confectis solamen adfert. Phlegma hoc efficacius evadit, si cohobetur sæpius super caput mortuum, vel spiritus vitrioli summe volatilis accessione augmentum virtutis acquirat. Notari meretur phlegma vitrioli recens majoris esse virtutis, quam quod spiritu sulphureo & materia subtiliori successu temporis defraudatum & effœtum est.

Aqua Vitrioli & aluminis.

Vitriolum, vel alumen accipimus, eaque integræ retortæ, vel etiam urinali, aut alteri vasi terreo devitreato indimus; pileum rostratum excipiendo idoneum imponimus: vas in communi fornace collocamus, & levi igne adhibito aquam exigimus, recipiente ad hoc capaci vasi adhibito, ejusmodi aqua vocatur phlegma, ob insipidum ejus saporem. Eo tramite ab utroque spiritum elicere solemus, igne validiori adacto, & retortæ collo cum recipiente luto firmiter obturato, & loricato. Hæ atque summopere refrigerant, sine ulla mordacitate, ideo ophthalmiæ haud parum conferunt.

(q) *De Aquis fortibus.*

Inter simplices & magis communes, hæ maxime reponuntur. Omnium simplicissima ea est, quæ ex solo sale educitur, sive sale nitro, gemma, armoniaco, communi, vel alio.

Sal nitrum duplo boli, cretæ, terræ argillaceæ siccæ, aut alius corporis mixtum, aquam fundit fortissimam, maximum in Lunam, & alia inferiora corpora imperium obtinens. Vocatur ejusmodi aqua spiritus, ob subtilem, tenuem, & raram suam substantiam: quæ tanta est, ut continuo in auras abeat, atque facile densa & dura penetret corpora.

Item cum duplici pondere aluminis usti mixtum, aquam omnium vehementissimam de se promit. Pariter cum duplici pondere vitrioli calcinati, aquam etiam efficacissimam exhibet.

(q) *De Aquis fortibus*. Aqua fortis nil nisi spiritus nitri est, magis exaltatus & sulphureus per reactionem cum vitrioli terra factus, compendiose illico parari potest, si spiritus nitri abstrahatur, super limaturam martis, igne vehementiori. De spiritu vitrioli aqua fortis nihil participat, & si ipso prægnans est, solutioni lunæ non quadrat, quoniam statim calx lunæ in tali aqua forti fundum petit, quare aurifabri, & qui puram aquam insontem a contagio vitrioli desiderant, tali ratione depurare solent; solutionem lunæ parva tamen dosi injiciunt ipsi, sic spiritus vitrioli aggreditur lunam & præcipitat ipsam, si quidem spiritus vitrioli non solvit ipsam lunam, præcipitat autem solutam in aqua forti. Ulterius circa aquam fortem tenendum, esse nimirum illam ipsam insontissimam, etiam intrinsecus loco nitri spiritus, adhibendam, sive in substantia cum spiritu vini ad affectum colicum, sive cum spiritu vini rectificatissimo quis velit spiritum nitri dulcem efficere, qui propter sulphur explicatum in suavioris longe odoris, & majoris virtutis esse solet, quam si cum vulgari spiritu nitri paratus fuerit. Consi-

citur

citur alias optima aqua fortis ex nitri & vitrioli aquis exactissime mixtis, destillatio peragitur in olla ferrea, alembico terreo capacis rostri imposito: Spiritus prodit flammei coloris plerumque tanta in quantitate, quantum nitri assumtum fuit: Fortior obtinetur, si cum calcinato vitriolo, vel cum usto alumine instituitur negotium. Fundamentum processus hoc est; vitrioli sal, ceu potentius terram aggreditur nitri, quæ vinculum spiritus nitri est, sic liberatus hic facile secedit, & ignis motu in altum ascendit. Simile quid observatur, si vitriolum cum sale communi mixtum destilletur, obtinemus tunc purum spiritum salis, qui solvens mercurium vivum una additum constituit sublimatum. Ad compendium spiritus salis igne arenæ elicitur, si oleum vitrioli addatur sali communi vel ammoniaco, relinquitur in retorta celebratissimum sal *Glauberianum*.

Communis aqua fortis.

Rec. Salis nitri, Aluminis usti, Vitrioli usti, an. ℔. ij. Indantur retortæ luto firmiter loricatæ, & recipiente amplo, ac capaci, igne per gradus adhibito, excipiatur aqua. Qui minus fortem desiderant, alterum horum crudum ponatur, & melius aqua communis in recipiens immittatur.

Alia.

Extant passim apud artifices aliæ aquarum fortium descriptiones; at omnes illegitimæ, & parum fidæ. Quidam flores æruginis æris, alii salem communem, gemmeum, cinnabarim, sublimatum; nonnulli salis nitri legitimam dosim omittunt; alii exsiccationem, & præparationem corporum.

Aqua fortis tertia.

Rec. Salis nitri, ℔. j. Aluminis usti, ℔. ij. Cinnabr. unc. iij. stibii, unc. j. misce.

Aqua fortis quarta.

Rec. Salis nitri; ℔. j. Salis gemmæ, unc. iv. Sandarachæ, unc. ij. Aluminis, vitrioli, an. ℔ j. misce.

Aqua fortis quinta.

Rec. Salis Armoniaci fixi, unc. iij. Salis nitri, ℔. j. Aluminis usti, ℔. ij. ß. Arsenici, unc. ij. misce.

(r) *Aqua Regia.*

Aqua Regia sic vocatur, ob vim dissolvendi aurum. Fit autem ejusmodi aqua, ut cæteræ Aquæ fortes. Efficitur talis salis armoniaci interventu, quod additur vel in recipiente, vel in retorta. In recipiente, ob nimiam ejus naturam fugacem. Sic retortæ indatur, ignis principio admodum levis sit; secus ad collum retortæ ipsum sublimabitur, & aquæ exsuctionem inhibebit. Fixatur etiam dictum sal, quominus fugax sit, ut in speciali *tractatu de mineralibus* docetur. Mitto pleraque alia brevitatis causa.

(r) *Aqua regia.* Paratur hæc, si in libram unam aquæ fortis, unciæ quatuor salis ammoniaci solvantur: liquor flavescens a fæcibus decantatus, usui servandus est. Penetrantior magis fit dicta aqua, si mixta hæc destillentur. Ex nitro & sale ammoniaco anatica portione junctis, identidem provocatur aqua Regis præpotens, ex arena in retorta vitrea amplæ capacitatis. Negotio peracto, si rite operatus fueris, & concentrariora salia fuerint, vel spiritus nitri fortissimus a sale ammoniaco abstrahatur, aqua regis fumans, aurum illico solvens acquiritur. Fundamentum in eo consistit: nitrum potentius sal est ipso culinari, vel sale ammoniaco, & ideo in ipsius terram agit, ac spiritum salis a compedibus suis liberat & carcere emancipat. Quod remanet in capite sic appellato mortuo, sal est nitrosum.

(f) *Aqua*

(ſ) *Aqua Metallorum.*

Metallorum aquę varię ſunt, variiſque modis a perito artifice educi poſſunt. Et quoniam earum methodus varietatem ſortitur a natura uniuſcujuſque metalli, ideo earum præparationem rejicimus in peculiarem noſtrum tractatum *de mineral. & metal. Præparatione*, ubi non modo aquas, verum & ſingula quæque remediorum genera e metallis educta, conficere docebimus.

(ſ) *Aquæ metallorum.* Ex metallis per deſtillationem cum aqua nullas particulas metallicas in ſubſtantia evehi dictum eſt, nihilominus concreta metallica particulas ſui quaſdam & cum his virtutem medicamentoſam ſimplici aquæ etiam concedunt, ſi candefacta ſæpius in ipſa extinguantur. *Burrhus in Epiſtola ad Bartholinum* 4. ad ſedandam diarrhœam & cordis palpitationem aquam extinctionis auri mirifice dilaudat, quamvis compactior hujus textura amolliore taliſmodi aqua parum deradipatiatur. Certum tamen eſt, folia auri aqueo menſtruo ſimpliciſſimo in mortariis vitreis per aliquot dies pertuſa ac trita, tandem ipſo penitus diſſolvi. Præparaſſe, ſuccurrit menſtruum aqueum plane inſipidum, quod ſolo tritu interveniente mercurium vivum plane abſorbebat, & in poros recipiebat, ex quibus tamen ſucceſſu temporis forma nigri pulveris dejiciebatur. Ut adeo fateri cogamur, inſipida etiam maxima pollere efficacia, prout magis vel minus materia ſubtiliori fluidiſſima ſive ætherea turgida ſunt, & minus de heterogeneis terreniſque partibus (quæ etiam ex limpidiſſima per repetitas ſemper deſtillationes evocari poſſunt) participant. Limatura martis cum aqua diutius decocta ipſi martialem & vitriolicum lenem ſaporem fœnerat.

SECTIO V.

(a) *De Succis, & Extractis.*

PRæmiſſis jam decoctis, & aquis, tanquam his, quibus in ſequentibus parandis crebro utimur; ad ea, quæ extracta dicuntur, deveniendum, ſub quorum denominatione ſuccos rerum ſimplices complectemur, & primum de his, ut paratu facillimis.

Æſtivis temporibus plantarum ſuccos uſurpamus, nam tunc earum virtus in ſucculento, & madido humore conſiſtit, quem non raro ſponte, aut exigua vi facta, fundunt.

Parantur etiam dicti ſucci, ut hyeme loco plantarum, ex quibus eliciuntur haberi poſſint: tunc enim ſunt mortuæ, effœtę, & languentes, unde nullam, aut exiguam vim de ſe promunt.

Parantur & aliis de cauſis, ut ab his ex arte fermentatis, ſpiritus, quinta eſſentia, vel liquor mercurialis educatur.

Item ut ſal eſſentiale, ſive tartarum inde parari poſſit.

Succos autem elicimus e viridi ſtirpe, ejus radice, foliis, floribus, & fructibus. Itaque ex his minutim conciſis, tuſiſque ſuccus exprimitur. Aliquando ex his prius probe tuſis, & ad nonnullos dies in vaſe vitreo, atque in fimo equino maceratis, in linteum rarum conjectis, vel manibus, vel prælo torcularii ſuccus exprimitur.

Suc-

Succi ſæpe per nos in extracti formam perducuntur, ut hi in pilulas devorari poſſint. Non raro in mellis vel ſyrupi craſſitiem, nullo etiam addito melle aut ſaccharo, ipſis tamen prius defæcatis, & probe depuratis. Depurantur vero ipſis antea inſolatis, quo ritu vinum poſtquam efferbuerit, fæces deponere ſolet; ſed quicquid leviorum fæcum continebunt, in ſpumam ſubſidebit, quæ depurandi methodus potiſſimum valet in vinoſis ſuccis.

Nonnulli, ut craſſi, terreſtres, fæculenti viſcidi, prius coctionem ſuſtinet, vel ad ignem, vel ad fimum equinum fervidum. Depurationes, & clarificationes, quæ acidorum medio fiunt, item per albumen ovi non ſemper improbamus, neceſſitate temporis ad id ſæpius compellente.

(*a*) *De ſuccis & extractis*. Succi vegetabilium optime depurantur per ſolam ſubſidentiam, poſtea filtratio inſtituitur. Ex quo intelligitur, vix dari ſuccum plantæ alicujus, qui non terræ aliquantulum contineat, & fæces quaſdam deponat. Ex facili vegetabilium ſucci vappeſcunt, ſitum contrahunt, & corrumpuntur propter aeris fluidum, quod continua actione texturam illorum permutat, vinculaque mixti ac unionem ſolvit. Videmus ſuccos plantarum a putrefactione ſervari immunes in vaſis, ex quibus aer evacuatus eſt. Quapropter vitris clauſis anguſti orificii indantur, quo aeris fluidum arceatur. Eandem rationem afferunt Pharmacopœi, dum ſuccis ſuperfundunt oleum. Olei quippe particulæ contiguæ ſibimet ipſis ac permanenter cohærentes tranſitum aeris non admittunt. Inſuper fumus ſulphuris in clauſo vaſe detentus, obnoxios putredini ſuccos diu conſervat. Acidum quippe poros illorum occupando impedit, quominus introeat aer, præterea & texturam particularum mixti coagulando firmat. Putrefactio enim conſiſtit in deſtructione unionis partium, quam certum mixtum poſſidet.

Succorum evaporatio commodiſſime procedit leni igne, & ideo in balneo, vel etiam in vaſis ſtanneis, libero aere vel leniori vento accedente: ſic enim humiditas citius conſumitur. Fortis enim calor motu intenſiori texturam, quæ fons virtutum eſt, alterat, adeo ut leni inſpiſſatione extracta vegetabilium fiant laudatiſſima; quæ in conſiſtentiam pilularum redigi queunt.

(*b*) *Succi exotici, ut ſcammonea*, opium, aloe, & ſimilia, quia impuri, non minima purificatione indigent: male tamen in officinis tales immiſcentur pilulis. Satius eſſet hac de re ſcammoneam purgare, quam malo cotoneo coquere, meliorque eſſet correctio. Ea vero depuratur, atque ab omni prava, malignaque qualitate corrigitur, ſi trita ex aqua vitæ lento igne diſſolvatur, diſſoluta per inclinationem a fæcibus ſegregetur, demum ab ea aqua vitæ abſtrahatur, quoad ſicca remaneat, pura, clara, & pellucida. Hujus correctæ ſcammoneæ ℈.j. tuto exhiberi poteſt.

Aloe hepatica, ſuccis, vel aquis ſtillatitiis diſſolvitur, & eodem modo a ſordibus repurgatur. Succotrina, quæ pura, nitida, & pellucida eſt, a nobis ſic abſque alia præparatione uſurpatur.

Succos probe depuratos, ad mellis vel ſyrupi craſſitiem coctos, ſacchari tantillo adjecto, plerumque uſurpamus, raroque crudos, ni temporis neceſſitas, vel ægri conditio alio nos avocent.

Doſis ejuſmodi ſuccorum coctorum, erit ab unc. 1. 2. & 3. Horum unc. 1. plus pollet tribus, quam uſitatorum unc. 8. & 10.

Qui hujuſce rei periculum facere cupit, ſuccos limonum accipiat, vel cydoniorum ad ℔.ij. Remaneant poſt evaporationem in balneo Mariæ factam,

℥, iv. quarum ſingula uncia plus virium habebit, quam integra libra. Nos parum ſacchari ipſi addimus, non tam ad ſaporis gratiam, quam ad formæ elegantiam; ut pro una ℔. ſucci, ℥.ij. vel iij. ſacchari.

Succos cichorii, meliſſæ, borraginis, cicerbitæ, lupuli, endiviæ, fumariæ, agrimoniæ, acetoſæ, ſcorzoneræ, & ſimiles, hac via paratos, ad ℥.j. & ℥. ij. uſurpamus, citra nauſeam, & ægri moleſtiam.

In Italia frequentiſſimus eſt ſucci cichorii crudi, & impuri uſus, menſibus præſertim Maii, & Junii, quem ſæpe cum ſero lactis miſceat. Quæ conſuetudo a nobis minime probatur, maxime in his, qui ventriculum frigidum, & natura imbecillum nacti ſunt: lienioſis etiam, & his, quibus jecur obduruerit, non minimum obeſt, hos enim frequenter in hydropem præcipitat, obſtructiones auget, totum genus venoſum refrigerat, naturales tandem functiones ſummopere pervertit irritat, & dejecit; inde apoplexia, colici dolores, & alia graviſſima mala, nec raro mors ipſa: ſic qui jecur temperare ſtudebant immaturam mortem ſibi concitarunt.

Hic in acutis febribus oxalidis ſuccus promiſcue exhibetur, & horis, & diebus, quibus natura ſæpius criſes movere ſolet. Quam conſuetudinem probare minime poſſumus; tunc enim adhibenda ſunt pauca, & cocta, ne ab officio natura avocetur. Sic ſi unica tantum uncia, aut ſemuncia, adhiberetur dicti ſucci probe cocti, & per ſe purificati, cito in actum deduceretur, & natura tantopere ab his minime læderetur, nec eos averſaretur. Sed his amore brevitatis omiſſis, quod Cicerbitæ ſuccus adverſus venenatorum morſus valeat, aperiendum: Narravit mihi amicus fide dignus, ſe eo ſucco a viperis demorſos curaſſe.

Scorzoneræ ſuccum idem præſtare, palam eſt. Succi præterea omnes plantarum, e quibus educuntur, facultatibus, & viribus pollent. Addam inter extrinſecos uſus, & familiaria experimenta noſtra.

Heliotropii ſuccum manuum verrucas brevi tollere abſque dolore; equorum item, & multorum poros pariter emollire, & abſumere; certas etiam carnis excreſcentias, & ſuperfluitas reprimere & reſolvere, ad quæ & non parum conducit ſuccus ſabinæ, & qui carcinomata maxime ulcerata mirifice juvat. Idem ſuccus in pilulas coctus, & prius depuratus, in ciendis menſibus mira præſtat.

Succum hederæ narium fœtorem reprimere, pluribus experimentis cognovimus.

Succus anagallidis floribus purpureis cum herba trita, ulceribus malignis impoſitus medetur, ipſaque perfecte ſanat.

(*b*) *Succi exotici* concreti, uti ſcammonium, opium, aloe, catechu, acacię, glycyrrhizæ, ſæpiuſcule ſordibus impuris terreſtribus ſcatent, hinc menſtruo aqueo vel leviter ſpirituoſo ſolventi levi evaporatione inſpiſſantur. Succi herbarum, quæ ſanguinem depurare dicuntur e.g. cicochorei, fumariæ, acetoſæ, agrimoniæ, ſcorzoneræ, hederæ terreſtris, Veronicæ, ſcabioſæ, ſcordii, pimpinellæ, recenter expreſſi & in juſta quantitate calide poti in morbis, ubi dilutione ſalium acriorum opus eſt, eximiam quandoque locant operam. Circa illorum uſum obſervetur, ne dentur illis, qui flatibus obnoxii ſunt, ex imbeciſſo calore ven-

ventriculi, vel nauſea facile premuntur, ubi melius eſt illorum extracta propinare vel calide eos offerre. Succus anagallidis floribus purpureis per ſalſuum nitroſum abſterſivum mirifice opitulatur maniacis & melancholicis alvumque fluidam tenet.

SECTIO VI.

(a) *De Extractis.*

EXtracta non multum a ſuccis differunt, ſuccorum ſiquidem ſpecies ſunt, utplurimum alieno liquore facta. Herbæ recentes, & ſuccolentæ ſine alieno liquore ſuccum fundunt, quem & extractum nominare poſſumus. Itaque ad hæc paranda accipimus herbarum recentium ſufficientem quantitatem, eæ minutim inciſæ, & contuſæ urinali induntur, atque in fimo equino diu macerantur: eximuntur dein, & per pannum lineum ſub prælo valde ſubiguntur, quoad omnem ſuccum deponant: in eodem liquore recentes herbæ reponuntur, macerantur, & exprimuntur, ut prius, iſque labor ter, & quater repetitur, prout validum & efficax requirimus medicamentum. Liquor tandem diſtillatur, & aqua optima educitur, ad multos uſus neceſſaria. Quod in fundo vaſis remanet mellis ad inſtar craſſeſcit, vocaturque Extractum.

Succorum corporum, lignorum, corticum, radicum, foliorum, ſeminum, & ſimilium extractum cum convenienti liquore, longaque maceratione, paratur: macerationes, infuſiones, & filtrationes, ſæpe reiterantur, & ut ſupra monuimus, ad mellis craſſitiem exſiccantur. Ejuſmodi extracta paulo tenuiora relinqui poſſunt, quibus etiam addere licet pauxillum ſacchari, ſic habebitur ſyrupus excellentiſſimus, cujus ʒ.ij. pro doſi, plus viribus pollent, quam multæ unciæ ſyruporum, in officinis pharmacopolarum paratorum. Tuto ejuſmodi ſyrupi citra nauſeam, & ventriculi ſubverſionem exhiberi poſſunt, etiam delicatulis, & his, qui non modo ſaporem, ſed & conſpectum medicamentorum perhorreſcunt.

Eſt inſuper extractorum alia parandi formula, qua in pulverem nobiliſſimum perducuntur, quorum quantitas exigua mira præſtat. Fit autem hoc modo: Ab herbis propria aqua elicitur, fermentatione prius præmiſſa, hac colorem ſive tincturam elicimus, quam in exſiccando aquam, per alembicum exſugimus, & toties craſſeſcente materia, aquam reddimus, quoad dicta materia omnem humiditatem abſorpſerit; atque vaſis juncturis luto probe munitis lento calore ſenſim in pulverem exſiccetur. Si inter exſiccandum, herbæ ex aqua extractum parare intendis, ſalem immiſceas, extractum omnibus ſuis numeris abſolutum conficies. Liquores ſive menſtrua, quorum medio extracta conficere nobis eſt animus, ſint pura, clara, & omni aliena qualitate orbata, ut aqua communis ſtillata, aqua propria. Spiritus vini, licet aliena qualitate præditus ſit, attamen propter ejus naturam volatilem & ſulphuream, ab extracto plane totus recedit.

Sæpe

Sæpe dum perficitur humidi abſtractio per alembicum, guttulæ quam exiguæ olei, ſub aqua natantes, conſpiciuntur, quas ſi volueris, ſeorſum ſervabis; ſin minus, una cum aqua ſerventur, vel in reiteratis cohobationibus extracto reddantur.

Uſus extractorum multiplex eſt: ſolida in pilulas devorentur, liquida cum appropriato liquore diſſolvantur, in pulverem reducta; vel cum juſculis, vel in pilulis, confectionibus, pulveribus, conditis, & aliis formulis dentur.

Compoſita extracta eodem modo, quo ſimplicia, parantur, ex quibus alia ſunt alterantia, alia purgantia, utraque ex lignis, radicibus, foliis, floribus, & ſeminibus. Nobis uſitata, longoque uſu comprobata, hic tantummodo interſerere placuit, alia apud alios authores, qui deſiderat, inveniet.

(*a*) *De Extractis*. Extracta vegetabilium parantur, ſi ſucci illorum aut decocta, mediante menſtruo fluido parata, inſpiſſantur. Et ſunt vel ſolidiora, vel liquidiora. Solidiora magis accommodata ſunt pilularum formæ, illa admixtioni liquorum inſerviunt. Complectuntur extracta vegetabilium leviores ſalino terrenas ſulphureas partes, quæ ab impurioribus magis craſſis & terreſtribus ſeparatę ſunt. Vegetabilia, quorum virtus conſiſtit in principio volatili oleoſo ſalino, minus opportune extrahuntur, rectius, quorum virtus eſt in ſale fixo tartareo aut reſinoſo amaro. Stupida res eſt, ex Moſcho vel ex aromatibus parare velle extracta. Crocus & Caſtoreum in extractum redigi poſſunt, at vero quoniam partes ſulphureæ anodynæ per coctionem avolant, languidioris virtutis ſunt; quam data in ſubſtantia. Extracta purgantium efficaciora eſſe ſolent, ſi parantur cum menſtruo aqueo, vel ſpiritu vini ſaltim leviori, quam cum rectificatiſſimo. Obſervamus ſcamonium, item aloetica, colycynthidem, cum aqua ſimplici extracta, in unico grano plus præſtare, quam grana quinque reſinoſorum extractorum. Reſidet enim vis purgandi in ſale ſubtili acri, quod debilitat & contemperat Spiritus vini ramoſis ſubtilioribus ſuis particulis: Et ſalia quoque, quæ maxime latitant in parte viſcoſa ac gummoſa purgantium, facilius ſolvuntur in aqueo quam ſpirituoſo menſtruo.

(*b*) *Extractum adverſus peſtem*.

Rec. Rad. tormentillæ, ſcorzoneræ, ana unc. iv. fol. galegæ, ſcabioſæ, ſuccifæ, cardui bened. an. m. iij. ſem. echii, unc. j. florum borag. p. ij. flor. ſulphuris, ℥ j. ß. Theriacæ, unc. ij. aquæ vitę ter rectificatæ, q. ſ. fiat extractum ad mellis craſſitiem, cujus doſis ſit a ʒ j. ad ij. cum ſ. q. aq. card. ben. ſudorem movet, corroborat, & omnem putredinem abjicit, venenis reſiſtit, & contag. morb. ſuccurrit.

(*b*) *Extractum adverſam peſtem*. Ex omnibus compoſitionibus clariſſimum ſub. texemus ſequentes, nimirum ſpecies alexipharmacæ, varia remedia ſolida & liquida compendioſe ſuggerunt. Recipe Radicis angelicæ, vincetoxici, leviſtici, Zedoariæ, contrajervæ, tormentillæ, valerianæ, ana unciam unam; gentianæ unciam ſemis, herbæ ſcordii manipulos quatuor, florum ſambuci pugillos ſex, myrræ electæ unciam unam ſemis, croci drachmas quinque, corticum citri uncias duas, ſuccini, ligni aloes ana drachmas ſex, camphoræ drachmas tres, opii drachmas duas. Hæc tuſa cribrataque permiſceantur melli, ita, ut libra una hujus capiat uncias quatuor, fiat electuarium inſtar diaſcordii; Si infundantur aceto vini, oritur acetum theriacale bezoardicum in peſte valentiſſimum, quod fortiſſime movet ſudorem: ſi cum aqua deſtillantur vel aceto, exſurgit aqua bezoardica ſeu theriacalis; ſi ſpiritus florum ſambuci vel baccarum juniperi menſura una ad unc. quatuor ſpecierum addatur, & extractio decenti calore

lore fiat, profluit exinde dioscordium liquidum, Essentia theriacalis vel liquor bezoardicus, qui ad guttas 50. 60. sudorem movet. Hæc essentia si leniſſimo calore evaporetur, extractum remanet bezoardicum, quod fundi potest vice theriacæ cęlestis. Si recipiuntur essentiæ hujus theriacalis unciæ octo, spiritus tartari volatilis alkalini unciæ tres, spiritus vitrioli volatilis uncia una, santali rubri drachmæ duæ, camphoræ drachma una, mixtione debita constituitur, tinctura rubicunda, quæ dicitur Bezoardica, quæ medicamentorum unum omni virtute semper exstitit præstantissimum.

Aliud.

Rec. Rad. vincetoxici, valerianæ, scorzoneræ, an. unc. iij fol. veronicæ maris, scabiosæ, succisæ, melissæ, galegæ, Pimpinellæ, agripalmæ, cardui benedicti, cicerbit. borag. an. m. j. rad. anthoræ, imperatorię, angelicæ sicc. an. unc. ij. flor. sulphuris, unc. j. flor. antimonii per 8. dies reverberati, unc. ß. Theriacæ, unc. j. ß. cum spiritu vini rectificati tincturam extrahe, & in crassitiem mellis coque. Omnibus contagiosis morbis medetur, veneni mirifice succurrit, febribus etiam malignis loco confect. de hyacint. & theriacæ tutissime adhibetur.

(c) *Ligni Guajaci extractum.*

Rec. Ligni Guajaci limati, vel in scobem minutim inciſi, q. s. ad minus ℔. x. macerentur 12. vel 15. dies, in s. quant. aquæ communis, in vase vitreo probe obturato, & in loco calido, fimo, vel stupha. Principio adde oleo sulphuris, circiter unc. ij. aqua ligni colore & odore imbuta coletur: fæcibus nova aqua reaffundatur, macerentur iterum ad tres vel quatuor dies, quoad aqua denuo coletur, atque sapore ligni imbuatur; hæcque per filtrum trajiciatur, urinalique vitreo indatur, atque pileo rostrato ipsi impositio, per lentum calorem humiditas omnis proliciatur a calore, qui in vasis fundo mellis ad instar remanet. Interea a fæcibus per retortam, valido igne adhibito, duplicem liquorem extrahes, primum aqueum, secundum oleagineum. Qui primus exit, fere insipidus, seorsum servetur pro nova extractione paranda; secundus est subacidus, & est præstantissimus, hic cum oleo subrubro egreditur. Oleum nunquam intrinsecus usurpamus; liquorem vero subacidum extracto reddimus, vel per se damus, qui est potentissimus. Si hæc agnoscerent Medici, consultius agerent erga infirmos, nec eos in tot tormenta facile conjicerent.

(c) *Ligni Guajaci extractum*. Hoc lignum resina exsuperat, quæ extrahi potest spiritu vini rectificato. Si lignum hoc coquitur in aqua per aliquot horas, spissatione extractum etiam fit resinosum, magis tamen salinæ acredinis particeps. Inest enim copiosum sal acidum; uti palam est, omnibus lignis, maxime resinosis, quare spiritus acidi ex omnibus resinis omnibus liquorum partibus destillantur, nam resina nisi oleum subtile, acido sale coagulatum est. Quinimo quodvis destillatum oleum spiritui concentrato nitri mixtum, leni calore abit in concretum resinosum stabile, quod promptissime ardet, & in spiritu vini rectificato dissolvitur.

Rhabarbarum, agaricus, folia sennæ consultius extrahuntur aqua calida, quam spiritu vini, illorum extracta languidiora sunt, quam infusiones, quæ blande primam regionem expurgant, modo sit infusio prima, non secunda vel tertia, & sine magno calore facta. Salia hisce infusis addita valde augent purgantem vim.

Extractum antivenereum.

Rec. Corticis ligni Indici parum contusi, unc. vj. rasuræ ejusdem ligni, ℔ iij. chinæ electę in taleolas dissectę, Salsę parillę minutim incisæ, an. ℔ ij. baccarum juniperi, ℔ ß. sem. cardui benedicti, carui, an. unc. iij. fol. succisę, scabiosę, an. m. iij. radicum cyperi, vincetoxici, an. unc. ij. Infundantur omnia parum contusa octiduo in sufficienti quantitate vini albi generosi, fiatque extractum, ut supra monuimus, cui salem ex fęcibus factum adde. Oleum a dictis fęcibus facile educitur per retortam, a quo empyreuma aqua communi destillata, per varias cohobationes. Dosis est ʒ. ij. & unc. iij.

Extractum aliud antivenereum purgans.

Rec. Rasuræ ligni Guajaci, ℔ vj. Salsæ parillę minutim incisę, ℔ iv. Chinę electę ℔ ij. radicum mechioac. unc. vj. fol. sennæ, unc. ix. ligni sassafras, baccarum juniperi, an. ℔ ß. Infundantur ligna & radices in sufficienti quantitate aquę communis, cum unc. ij. olei vitrioli vel sulphuris, in loco calido, per octo dies: coquantur postea in urinali vitreo, vel terreo vitreato cum suo capitello, ad consumptionem duorum tertiorum, quæ humiditas in recipiente servetur pro nova infusione paranda. Coletur decoctum, & in colatura macerentur fol. sennæ, radices mechioac. per tres dies: Bulliant parum, & denuo colentur. Dum hęc fiunt, prima aqua a decocto educta fęcibus reaffundatur cum nova humiditate, si tanta opus fuerit; novaque infusio paretur, quæ priori unita simul per urinale cum suo alembico in extracti formam adducuntur. Saccharum nonnunquam ad selibram addimus, & ut solidius reddatur, pulverem sequentem ei commiscemus.

Rec. Salsę parillę, unc. j. ß. fol. sennæ, unc. j. caryophill. unc. j. salis suprascriptorum ʒ. ß. Misce, fiat massa. Dosis est ʒ. ij. & iij. bis in die.

Extractum hystericum.

Rec. Extracti bryoniæ, extr. viscі quercini, extr. granorum ebuli, an. unc. j. aloes Succotrinæ repurgatę, unc. ij. ext. hellebori, unc. ij. pul. croci, myrrhæ, macis, sem. apii, an. ʒ. j. Salis Jovis, vel ejus loco, Jovis calcinati cum sale nitro, Vitrioli martis, an. ʒ. iij. Liquentur, & misceantur extracta simul, demum pulveres adjiciantur. Dosis a ʒ. ß. ad ʒ. j.

Aliud.

Rec. Extracti bryoniæ, extr. ellebori nigri, unc. j. croci martis, ʒ. iij. pulv. macis, mastiches, spodii, an. ℈. j. misceantur, ut artis est, & fiat Extractum.

Aliud quo frequenter utimur in uterinis affectibus, cum albo fluore uterino.

Rec. Extracti ellebori nigri, unc. j. scammoneæ more nostro repurgatæ, ʒ. iij. aloes Succotrinæ pellucidę, unc. j. ß. croci martis, ʒ iij. sem. lapidis hęmatitis, ʒ. j. olei succini, ℈. j. olei macis, ℈. sem. Misceantur omnia pauco melle rosato addito. Ejusmodi extractis utimur, quando purgatione longa opus est, atque mulieres sunt validæ; secus extracta roborantia, & exsiccantia tantum usurpamus, ut:

Ex-

Extractum hystericum roborans & exsiccans.

Rec. Arthemisię siccę, absinthii utriusque an. fasc. iv. menthę, fasc. ij. ab ot. fasc. j. zingiberis, galangę, an. unc. iv. macis, myrrhę, succini, an. ʒ j. cum aqua vitæ optima, more artis fiat extractum. Adde sub fine, liquoris succini, ʒ. j. vitrioli martis, ʒ. iij. sachari albi ʒ. iij. Dosis erit ʒ. j. & iv. ϑ. mane jejuno stomacho.

Extractum aliud, sive confectio uterina minus composita, forte a quodam Empirico chymico reperta.

Rec. Conservę rosarum, unc. iij. salis betonicę, ʒ. j. olei sulphuris cum crystallo facti, gr. xij. Misce, dantur ʒ. ij. mane. Ejusmodi compositio certissime uterinos meatus obstructos reserat, lienis, & jecoris durities emollit, item massam sanguineam ab omni crassa, & luculenta materia repurgat. Quid? deperditum colorem juvenibus restituit: quibus nihil profuerat tota ars medica, invincibili Marte etiam pluries adhibito, & reiterato, profuit hęc simplex compositio, casu & fortuna reperta.

Extractum Sennæ.

Ex foliis, & follicolis sennę, cum aqua communi modo, quo supra diximus, fit extractum. Secunda infusio non magis quam prima, flatus concitat, estque prima & secunda ejusdem efficaciæ, tertia paulo debilior est. Prima infusio cum parva quantitate aquæ communis facta, si cum pauco sacchari pulvarisati misceatur, & canicularibus diebus Soli exponatur, formam excellentissimam nanciscitur: cujus dosis erit, cochlear integrum & semicochlear. Blande purgat, & citra ullam molestiam.

Extractum rosarum.

Infusiones illę, quę vulgo in Officinis Pharmacopœorum fiunt, probe purgatę, in urinalis fundo post humiditatis eductionem extractum relinquunt purgationibus peraccommodatum. Datus ϑ. j. ad ʒ. j. alvum & urinas blande movet, & eadem ac syrupos rosarum officinarum prętstat, licet in longe minori quantitate. Datur aliquando ad unc. ij. In eo parando magna est habenda cautela; secus non purgat.

(*d*) *Extractum rosarum*. Rosis & violis laxativa vis insidet, maxime, si recentes fuerint. Et tota planta violarum laxativæ virtutis est, quæ in excessu etiam observatur in semine, quod ad drachmam unam sive in pulverem, sive emulsionem redactum & potum egregie humores serosos educit.

Rectissime notat *Author ipse*, pulverem etiam rosarum siccarum alvum lubricam reddere, vulgo adscribitur rosis siccis vis adstringens & recentibus laxans; Et experientiæ respondet, etiam siccas majori dosi datas alvum fluidam ac mollem reddere. Est enim in rosis sal quoddam subtile acre, cujus ratione etiam rosarum pulvis nares stimulat, & errhinum laudabile existit.

Extractum violarum.

Violarum, ut & aliorum florum complurium vis in suprema superficie consistit, roborans prętsertim; nam laxativa vis in toto corpore resident; etenim si violarum siccarum pulverem exhibeas, alvum concitabis, quod & ipsarummet florum semen validius prętstat. Non credendum his, qui contrarium putant. Rosarum item siccarum pulvis non minus purgat, ad ϑ. j. exhibitus.

hibitus. Experientia rationes, & authoritates contrarias enervat, vanasque reddit. Itaque violarum extractum si purgans desideras, procede ut de rosis dictum est: Si vero roborans, & purgans simul exoptas, ab his recentibus aquam odoriferam prolice, ut suo loco diximus. Colorem item habebis tantillo spiritus vitrioli adjecto, vel succum ex recentibus violis exprimendo. Ex dicto succo syrupum excellentissimum conficiunt Parisienses, quam methodum pulchre docet Quercetanus in sua *Pharmacopœa restituta*. Hi miscent unam partem dicti succi, cum duabus partibus sacchari, pene in formam electuarii solidi cocti: mixtio fit extra ignem, secus periret color, & odor. Hujus vis est thoracica, & cardiaca. Ejus usus est ad libitum. Syrupum potius usurpamus, quam Extractum.

Extractum (e) florum papaveris rhœadis.

Concinnamus syrupum ex dictis floribus excellentissimum, cujus usus nobis est admodum frequens in magnis febribus, ventriculi ardoribus, & vigiliis continuis. Ex dictis floribus mediocriter in umbra siccatis, fit infusio cum sufficienti quantitate aquæ communis, eaque infusio probe per digestionem clarificata, cum pauco sacchari in syrupi consistentiam ducitur, cujus unc.ß. ad 3.vj.exhibetur. Flores in pulverem sæpe dedimus in pleuritide, & phrenitide, maximo cum fructu. Eadem ratione succos, & extracta cæterorum florum, seminum conficere possumus, ex quibus vina, jusculà, syrupos, in promptu parare unusquisque poterit.

(e) *Extracto florum papaveris rhœados* prævalet ejus syrupus excellentissimus, volatile enim vaporosum principium, quod hic expetitur, avolat. In affectibus ventriculi spasmodicis, vomitu, ardore nimio, item in inflammationibus, febribus & insultibus quoque epilepticis maximo cum fructu datur, præcipue si cum volatilibus amicum & optabile ineat conjugium. Præparatur alias ex dictis floribus recentibus liquor anodynus, maximarum virium, sequenti ratione. Recipiuntur florum horum manipuli sex, croci orientalis integri uncia una, induntur cucurbitæ vitreæ, affunditur spiritus vini rectificatus saltem ad macerationem, stent hæc in digestione per aliquot septimanas, postea totum mixtum linteo involutum exprimatur, exsurgit liquor rubicundus anodynæ simul & resolventis virtutis in tussi sicca, pectoris affectibus, catarrho suffocativo probatissimæ.

Extractum Cholagogum, Phlegmagogum, & Melanagogum.

Qui extracta tam cholagoga, quam phlegmagoga, & melanagoga parare desiderat, ea quæ hujusmodi humoribus educendis dicata sunt, accipiat, & cum his procedat, ut supra diximus. Ex his efformabit pilulas, si in solidam formam reducantur: vel syrupos, confectiones, electuaria, tabellas, & alia ad libitum. A fœcibus sal facillime extrahitur, eisque immiscetur, quo efficaciora reddantur. Rursus dextre in pulverem reducantur, in admodum parva quantitate vires suas exerunt; at modus non est omnibus obvius.

Extractum Catholicum

Rec. Extractorum elleb. nigri, esulæ, bryoniæ, senæ, aa.ʒ.j.ß. His simul calide mixtis, adduntur pulverem macis, cinnamomi, mastiches, spodii, aa. ℈.ij. Datur a ʒ. . ad ʒ.j. Purgat infra omnes humores.

Esula

Esulæ Extractum.

Esulæ extractum, eodem modo, quo extractum Ellebori paratur. Easdem plane vires, ac scammonea possidet. Pro Esula usurpamus eam herbulam, quæ communiter tithymalus cyparissias appellatur: vocetur autem esula, vel tithymalus, vel hoc, vel illo nomine, parum laboramus; dummodo ejus virtus experientia certa nobis innotescat. Hoc dictum sit, propter loquaces quosdam, verborum cortici inhærentes. Dubitant adhuc Medici, & Pharmacopolæ, quid sit vera esula: unaquæque provincia peculiarem retinet esulam, & quæ vera sit, plane ignoratur.

(f) *Aliud extractum catholicum nobis usitatissimum.*

Rec. Aloes Succotrinæ clarę, & nitidę, unc.j. myrrhę Trogloditicæ cum spiritu vini optime correctæ, unc.ß. extracti fol. sennæ ʒ.vj. extract. colocynthidos, vel ejus loco gummi cathartici vegetabilis, ʒ.j. extracti croci ∋.j. sulpur. magnetici meteorizati, ʒ.j. ß. misce cum syrupo rosarum, si liquore opus fuerit, fiat massa. Dosis est gr. xv. & xvj. & xviij. in delicatulis x. & xij. Cum solo (g) *sulphure magnetico meteorizato* pilulas efformamus omnium præstantissimas, quas vere catholicas nuncupare licet, ob insignem, & mirabilem earum virtutem in corpore æqualiter, purgando. Hęc vera radix purgationum omnium humorum microcosmi. Blanda est, & tuta, & nonnisi noxios purgat humores: repurgato etenim corpore (quod sit, ea ter, vel quatuor adhibita) non amplius movet alvum. Fugat pravos humores, non tam sensibiliter, quam insensibiliter.

(f) *Adponam* igitur exempli causa, extractum catholicum purgans, quod nobis in usum probatum est: Extracti aloes succotrinę unciam unam, extracti colocynthidis, resinæ jalappæ, scammonii, gummi guttæ ana drachmas tres, florum martis drachmas duas; exactissima hæc tusa misceantur. Pilulæ hoc modo paratæ præter vim purgantem etiam sudoriferam custodiunt, quam sæpius observavimus. Huic extracto adjici potest, pro circumstantiarum & indicationum ratione gummi ammoniacum, myrrha, crocus, sic suspiriosis & hypochondriacis jucunde medentur, castoreum ad hystericum, ad fotum, mercurius dulcis in lymphæ malignæ & benignæ coagulo, sal succini ad renes purgandos, oleum sabinæ, succini ad profluvium fœminarum suscitandum.

(g) *Sulphur magneticum meteorisatum Dn. Authoris*, quantum colligere licet, flores hæmatitis cum sale ammoniaco sublimati sunt, qui ad scrupulum semis vel alterius dati humorum tenacem saburram non tantum incidunt, sed & sæpius felicissimo cum successu educunt. Commodissime hi flores adjiciuntur purgantium extractis, nam latitat in his etiam singularis virtus corrigendi acre illorum principum, quod nonnunquam in dispositis sævos spasmos torminaque ciet. Ex floribus bellidis, hædera terrestri, veronica, agrimonia, chamæpythi, absynthio, carduo benedicto, centaurio minoris, scabiosa, scordio, extra parantur virtutis admirandæ ad morborum chronicorum expugnationem, modo dictarum herbarum infusa magis quam decocta leni calore siccentur. Possunt ejusmodi extractis admisceri aloe, ammoniacum, benzoe, styrax, myrrha, sic extractum pilularum alterans catholicum fit, quod fundamentum etiam est pilularum *Becherianarum*, quæ in spirituascentia sanguinis, & humorum blande promovenda & viscerum obstructionibus reserandis admirabiles vires produnt, ast continuetur illarum usus

per aliquot dies opus est, & plethoricis corporibus nisi vena prius secta, minime offerantur: Hoc circa illarum usum maxime in memoria tenendum est, quod fluxiones sanguinis ordinarias suppressas præsentissime revocent & nimias quoque cohibeant, quoniam & nimiæ hæmorrhagiæ & sanguinis excretiones ordinariæ suppressæ ab eadem causa foventur nimirum obstructione visceris cujusdam, vel etiam spasmo partium notabiliori.

Vulgaris est sententia, ex herbis antiscorbuticis non commode parari posse extracta, quoniam illarum virtus sub elemento quodam volatili latet: ast contradicit experientia, ut pote ex cochlearia extractum confit satis mordax & acre, virtutis antiscorbuticæ non expers, argumentum luculento: non solum in cochlearia salem volatilem sed & fixioris indolis quendam hospitari.

Extractum Nephriticum.

Non semper eodem modo consimilia extracta paramus: sæpe pro ratione temporis, & ægri natura. Aliquando simplicia, & ex unica herbula; aliquando ex tribus, & quatuor. Diversificantur etiam occasione symptomatum. Inter præcipua sequens non raro usurpamus.

Rec. Radicum Ononidos, ℔.iij. radicum 5. aperientium, raphani, an. ℔. j. ß. seminum hyperic. milii solis, ameos, an. unc. iv. fol. pimpinellæ, betonicæ, ceterach, arthemisiæ, argentinæ, pilosellæ, an. m. iij. fructuum alkekengi, ℔. j. Infundantur omnia minutim incisa in sufficienti quantitate aquæ graminis, cum ℔. j. succi limonum depurati, fiatque extractum, ut supra diximus. Antequam perfecte crassescat; adde sacchari albi, circiter ℔. j. ß. & efficies extractum ventriculo gratum. Sine saccharo reducitur in formam pilularum. Utrumque per se, vel cum liquore convenienti, de simplici 3. ß. & 3. j. exhibetur; cum saccharo, unc. ß. & unc. j.

Ex Iva arthetica præstantissimum efficitur extractum: Item ex herniaria, pilosella, & aliis.

(*b*) *De Extractis Animalium.*

Animalium extracta, sive Magisteria, semper cum alieno liquore parantur, & potissimum cum aqua vitæ, & aceto destillato. Fiunt autem ratione haud dissimili ab ea, quæ de vegetabilibus dicta est.

Itaque si ex mumia sicca, aut alia carne extractum conficere volumus, mumiam probe selectam accipimus, eamque trita cucurbitæ vitreæ cum sufficienti quantitate aquæ vitę, quę quatuor digitos superemineat, indimus. Ex fimo equino per octo dies reconditur, atque tunc tincta aqua, virtuteque mumiæ imbuta, per filtrum educitur: Fęcibusque nova superaffunditur aqua, quæ denuo colorata, ut prima, abstrahitur. Ter nova aqua reaffunditur, si opus est. Has omnes aquas per balneum Mariæ destillamus. Prima aqua pro nova extractione paranda servatur; secunda fere insipida rejicitur; tertia graviori odore perfusa, fæcibus toties reaffunditur, quoad dictam aquam, extractum in fundo vasis remanens mellis instar, totam combiberit.

(*b*) *Extracta ex animalibus* certe invalida sunt, & amplius in usu vix esse solent: probantur magis illorum decocta vel gelatinæ; Deinde spiritus vini, quem ossibus, carnibus, sanguini exsiccato affundere solent nihil ferme extrahit, particulæ enim oleosæ salinæ, ramosis & viscosis admodum implicitæ sunt, ideo spiritus vini nullum jus in oleosas habet; Extractum mumiæ, nil nisi aloes & bitumino-

minoſorum corporum eſt, de carne humana nihil participat. Si tale quid deſideratur, ſanguis florentis juvenis lento calore ſiccandus eſt, qui deinde cum ſpiritu nitri vel ſalis dulci mixtus eſſentiam ſuppeditat non contemnendam. Animalium fel inſpiſſari ſolet in extractum, quod ſpiritu vini tartariſato ſolutum & præcipitatum cum aqua ſpermatis ranarum coſmedicum evadit.

Extractum ſerpentum, viperarum, vermium, ranarum, &c.

Quanquam viperarum, vermium, ranarum, & ſimilium vis in tota eorum ſubſtantia demerſa ſit, atque ſolitaria, & per ſe ſatis efficax, adeo ut ſuperfluum videatur aliam præparationis ſpeciem meditari, tamen quia magis atque magis præparatione attenuantur, exaltantur, & in nobiliorem formam reducuntur, ea de re in præſens ſicco pede tranſeunda non ſunt. Cum ergo facturi ſumus extractum viperarum, ranarum, vermium, vel hujuſce generis, eo primo furno, vel ſtupha exſiccamus; vel melius urinali vitreo ipſa integra, & viva indimus, atque per balneum roris, ab his omnem humiditatem abſtrahimus. A viperis caput, & cauda præſcinditur, tanquam exanguia, & inutilia, cæterum neque in cauda, neque in capite venenum conſiſtit, ſed in dentis extremitate. Liberantur etiam a cute, & omnibus interaneis. Ranæ vero, & vermes integri ſumuntur; & hi tantum abluti, & ab omni terreſtreitate purgati, vel per alembicum exſiccantur, vel in furno, vel ſtupha, vel etiam tigello terreo vitreato ad lentum ignem. Quocunque modo ſint exiccata, parum terimus, & in pulverem reducta, cucurbitæ, cum ſufficienti quantitate ſpiritus vini induntur; atque cucurbita fimo equino per octo dies reconditur: aqua, ſive ſpiritus vini tinctus, per inclinationem a pulvere effunditur; eidem pulveri novus ſpiritus additur, atque ut ſupra, poſt octiduum abſtrahitur. Sicque ultra progredimur, ut de mumia proxime diximus.

Serpentum extractum, viperarum præſertim, plurimum adverſus peſtem, pſoram, lepram, & venena omnia valere, experientia conſtat. Vermium, ad pthiſim, mulierum menſes, lienis, atque jecoris obſtructiones. Ranarum ad hæmorrhagias præcipue, & pthiſim. Sic de cæteris animantium generibus extracta facile parari poſſunt.

Juſcula gelatinæ, ſucci carnium, & ſimilia a mulierculis pro ægris parata, ſpeciem extracti quodammodo referunt. Ab excrementis animalium, extracta haud ignobilia parari poſſunt, cujuſmodi moſchus eſt: modus non erit a ſuperioribus diverſus. At quia ea in operatione multi ſpiritus pereunt, & ipſum moſchum, veluti alteram quintam eſſentiam habemus, merito eo, tantummodo a ſordibus repurgato, utimur.

A vilioribus excrementis extracta parari omnino debent, & præſertim ſpiritu vitæ, qui fœtorem, & graveolentiam corrigit: inter quæ caſtoreum uſurpamus, verrucas equarum, & alia multa.

Labdanum excrementi ſpecies, id quidem eodem modo, qui de ſcammonea dictus eſt, repurgatur, & in extractum reducitur. Aquæ vitæ, cum qua diſſolvitur, ab eo penitus recedit. Cæterum diſſolventis extractio fiat in vaſe bene clauſo, & non perfecte ad ſiccitatem abſtrahatur, ſed adhuc liquidum

relictum, aeri expositum per se exsiccatur. Huc usque de extractis dictum sit: nunc ad oleorum extractionem, seu destillationem transeundum.

SECTIO VII.

(4) De oleorum præparatione.

PArs hęc, sulphur Hermeticus dicta, communiter Oleum appellatur, sulphur analogice, eo quod more sulphuris ignem suscipiat, flagransque fit pars rebus naturaliter indita. Miranda sane isthæc sulphurea substantia, cui rerum præcipue vires, & facultates insident: quo quidem contrario argumento dicere possumus; præcipua humani corporis mala huic potissimum inhærere, sicque naturam in pari gradu substantiæ, morbum, & remedium collocasse. Vis roborans, anodyna, tum cephalica, tum cardiaca in ea potissimum consistit. Odoris etiam sedes est, & basis. Plura insuper de ea circumferuntur, utpote quod sit subjectum pulchritudinis, lucis, ignis, & vitæ pabulum, quæ, ut a scopo aliena, omittimus. Nunc ergo ad eorum extractionem.

Antiquitus dum adhuc rudis & inculta erat ars medica, dum inquam balbutiens; & fere a cunabulis expergiscereturr, ea fieri per solam rerum infusionem, & expressionem, agnoscebat, nunc vero comptior, vitiligineque omni sepositа, viam longe sublimiorem adinvenit, qua via ab aliis jamdudum tradita, nobis tantum supereſt, aliorum vestigiis insistere, exempla aliquot rerum, medicamentorumve proprio labore comprobatorum, in medium afferentes.

Methodus itaque, qua hodie olea ex rebus educuntur, multiplex est. Quædam enim fiunt per infusionem, postmodum destillantur; quædam per destillationem tantum: quæ distillatio vel fit per descensum, vel per ascensum, quædam per calorem ignis fortissimum, scoriam ferri, arenam, cineres, & balneum Mariæ. Ex his nonnulla sunt composita, nonnulla ex simplicibus tantummodo fiunt. In nonnullis longa maceratio præmittitur, in aliis nulla. Rursus & differentiam possunt suscipere, pro ratione vasorum per quæ fiunt; item pro varietate menstruorum, quorum medio educuntur: nam nonnulla nisi menstrui beneficio educi non possunt; multa vero citra quemcunque medii interventum. Exordiemur autem ab his, quæ solam infusionem, & expressionem reposcunt; a scopo tamen minime recedentes, pauca & selectiora breviter complectemur. Inter præstantissima, & paratu facillima, ea inquam a vegetabilibus educta, sunt olea florum, ut hyperici, thapsi barbati, rorismarini, salviæ, &c. in quorum præparatione, nihil a consuetudine recedimus, nisi quod bis & ter infusionem reiteramus, atque e loco insolationis, qua tantum Pharmacopolæ contenti sunt, fimo equino utimur, vel balneo Mariæ; sed illo notissimum, in quo tuto infusiones possunt

ſunt fieri, cum apto, æquali, & naturæ analogo calore.

(a) *De oleorum præparatione*. Olea quæ infuſione fiunt, præcipua ſunt, liliorum alborum, hyperici egregia traumatica, ſi oleum olivarum recens ipſis ſuper fundatur, & æſtivo ſole maceratio fiat, negotium inſtituendo ter ad minimum recentibus floribus ac foliis. Ex floribus odoratis, violarum, roſarum, aurantiorum, citri, jeſmini, cum oleo fructuum Been, vel nucum juglandum recentium crebriori infuſione & expreſſione, fragrantiſſima parantur olea, quæ ex Italiæ locis ad nos adferuntur, ut ut etiam in noſtris regionibus, modo ſufficientem florum copiam poſſideamus, ſimili modo confici queant.

De Oleo Hypericonis.

In hoc oleo parando ſumimus tam flores, quam ſemina: ea parum contuſa infundimus in ſuff. quantitate olei communis, per octo dies, ad calorem fimi equini, & in vaſe vitreo; coletur calide, & in colatura novi flores reponantur per idem temporis ſpatium, quo peracto iterum colentur ejuſmodi flores; atque tertia vice novi flores denuo in fimo equino recondantur per totidem dies. Peracta hac tertia colatura, oleum ad uſum ſervetur. Pro liquore, loco vini, quo cæteri addere ſolent, libram unam circiter ſucci totius plantæ accipimus, ſicque ad oleum redditur præſtantiſſimum. Ex ſiccis floribus, atque tota ſummitate cum floribus, & ſeminibus, dictum oleum parari, at non adeo efficax. Quod in Officinis componitur, terebinthinam excipit, quam hic habens omittimus, experientia edocti, quod oleum cum terebinthina factum minus ſit exſiccans, atque vulneribus minus univerſale. Noſtro ita parato terebinthinam, vel aliud ſimile pro re nata addere poſſumus. Hoc tantum te monere volumus, omnium balſamorum, & oleorum cruentis vulneribus dicatorum, præſtantiſſimum eſſe. Ipſi non raro addimus parum olei picis navalis per retortam educti, ut & terebinthinæ. Ex hoc denique nonnulla balſama, & olea conficere, nobis moris eſt: ut

(b) *Balſamum præſtantiſſimum, ſive Oleum vulnerarium compoſitum.*

Rec. Radicum aſclepiadis, (alias vincetoxici) ℔.ß. Valerianæ pratenſis, unc.iv. ſymphyti majoris, unc. iij. flor. verbaſci maris maj. hypericonis, an. ℔.ß. foliorum plantaginis, prunellæ, filipendulæ, an. m.iij. Contundantur hæc omnia in mortariolo lapideo, & in ſufficienti quantitate olei ſupraſcripti hypericonis, macerentur octiduo in fimo equino: colentur poſtea, & in colatura forti prælo facta nova infuſio, ut prius: In qua iterum infunde myrrhæ elect. unc.ij. thuris, maſtiches, mumiæ, an. unc.j. terebinth. ℔.ß. ramentorum rhabarbari, rad. ariſtolochię rot. an. unc. j.ß. Coletur iterum valida expreſſione, quæ ſeorſum ad uſum reponatur. Tenuioris ſubſtantiæ, magiſque penetrans redditur, ſi per retortam impellatur: feces tunc in fundo vaſis remanentes, cerati ſive emplaſtri ad inſtar, craſſæ ſunt, eodemque modo cuti inhæreſcunt: qua de re vulneribus ſuperficialibus ſufficientes eſſe remedium experti ſumus.

(b) *Oleum ſeu balſamum vulnerarium* liquidum nobiliſſimum ſequenti modo concinantur: Recipe florum hyperici, millefolii, liliorum alborum ana pugillos ſex, myrrhæ, maſtiches, thuris, ſtoracis ana drachmas duas, aloes drachmam unam, balſami Peruviani ſcrupulos quatuor, olei olivarum vel lini libram ſemis,

mis, ſpiritus vini, terebinthinæ ana unciam, ſachari ſaturni drachmas duas, camphoræ drachmam unam. Hæc invicem accurate mixta balneo mariæ vel vaporoſo extrahantur, & valide exprimantur, ſic emergit balſamum vulnerarium uſu interno & externo præſtantiſſimum, poteſt ſi placet etiam addi cera flava, ad meliorem conſiſtentiam. Rurſus *Pharmacopææ Holmenſis Scriptores* p. 32. e. gregiam deſcriptionem vulnerarii balſami inſinuant. Modus eſt talis; accipitur oleum abietis & terebinthinæ, quibus oculi populi albi recentes infuſi, poſtea adjicitur limatura martis, & deſuper inſtillatur ſpiritus vitrioli per vices, agitetur mixtura ſæpius, ſic ſolvitur limatura & eſſentiam ſuam affuſo oleo communicat idque reddit rubicundiſſimum, quod deinde ſejungendum a limatura omnique humiditate.

Aliud minus compoſitum.

Rec. Summitatum hypericonis cum floribus, & ſemin, q. ſ. olei olivarum, q. ſ. ſucci hypericonis parum, macerentur in loco calido per aliquot dies. Factæ colaturæ recentes flores, & ſummitates indantur, novaque fiat infuſio, in cujus colatura diſſolve terebinthinæ Venetæ, ℔ ß. thuris, machices, vernicis, unc. iij. fiat oleum ut ſupra.

Aliud Oleum Balſamicum omnium præſtantiſſimum.

Rec. Radicum aſclepiadis, lib. ß. ariſtolochiæ rot. valerianæ maj. ſiccæ, an. unc. ij. fol. ſymphyti maj. plantaginis, ophiogloſſi, filipendulæ, ſaniculæ, alchimillæ, bugulæ, an. m. ij. bac. juniperi, p. j. ſummitatum hypericon. cum floribus & ſemin. m. vj. flor. camomillæ, ſpicæ, an. m. j. vermium terreſtrium lib. j. olei hypericonis cum duabus ſaltem infuſionibus parati, olei lumbricorum, an. q. ſ. Macerentur octiduo in fimo equino, eximantur, deinde forti prælo ſubigantur, quoad omnem humiditatem profundant. Factæ colaturæ adde myrrhæ unc. j ß. maſtiches, thuris, vernicis, an. unc. iij. terebint. claræ, picis navalis, an. ℔ ß. colentur poſtremo, & uſui reponantur. Hoc oleum ſi per retortam pellatur, magis penetrans reddetur, atque tunc altis profundiſque vulneribus maxime efficax. Sine ulla deſtillatione optimum eſt, eoque multoties uſi ſumus maxima cum utilitate. Hic Bononiæ cuidam amico artis medicæ penitus ignaro, hujuſmodi olei conficiendi methodum aperuimus, quo ruſticos pleroſque, dum ruri diverſaretur, ſanitati reſtituit. Inter hos duos cognovi, quorum alter tali juncturam ad malleolos fortuito ſibi præciderat, is amicus ſolis plagulis hoc oleo imbutis, abſque Chirurgiæ peritia, vulneri compoſito, magno, & perdifficili, in quo nervi cæſi manifeſto apparebant, perfecte medetur. Alter vulnus profundum ſub genu ſiniſtro accepit, in quo pariter nervi præciſi erant, eodem modo ab amico ſanitatem reportavit. Miro eſt quam cito vulnerum doloribus ſuccurrat.

(*c*) *De oleis deſtillatis.*

Supra breviter attigimus olea, quæ fieri ſolent per infuſionem, ad quorum exemplum quævis oleorum genera facillime fieri poſſint. Nunc quæ per deſtillationem parantur olea, eadem brevitate complectemur. Sunt vero ejuſmodi olea præſtantiſſima, & quibus potiſſimum rerum vires, & proprietates inſunt, earum videlicet, quæ ſubſtantia ſulphurea referta ſunt, prout ſunt aromata.

Extractio ejuſmodi oleorum duplici modo fit, per deſcenſum, & per aſcenſum.

ſcenſum. Omittemus, brevitatis cauſa, ea quæ per deſcenſum. Quæ autem per aſcenſum fiunt, ſunt vel ex lignis, reſinis, adipibus, liquoribus, gummis, &c. vel ex foliis, floribus, ſeminibus, & aromatis.

Primæ claſſis, ut ligna, reſina, &c. fiunt potiſſimum per retortam. Secundæ, ex foliis, floribus, &c. per vas refrigeratorium.

Totum ſecretum conſiſtit in vaſis forma, ignis regimine, rei fermentatione, & herbarum collectione.

Quædam vas collo oblongum expoſcunt; alia brevius. Aqua refrigeratorii crebro mutetur. Ignis mitis, & æqualis perſiſtat duris & ſiccis, item his, quæ ægre ſuam ſulphuream ſubſtantiam fundunt, longiori fermentatione opus eſt; ſic pleraque olea tum aromatum, tum aliarum rerum deſtillamus, ut caryophyllorum, piperis, macis, cinnamomi, zingiberis, lavendulæ, thymi, majoranæ, menthæ, ſalviæ, roriſmarini, multorumque aliorum inodoratorum, herbarum frigidarum, aut ſaltem temperatarum, & aliarum nihil aut parum odoris redolentium: illarum brevi, etiam nulla præmiſſa fermentatione; harum vero longa, & tædioſa maceratione; & putrefatione prius facta. Sine ulla infuſione, vel maceratione, & per retortam fiunt olea lignorum, lignis ipſis in ſcobem prius conciſis, & retortæ inditis: veluti lignum guajacum accipimus, vel in ſcobem diſciſſum, vel limatum; hoc retortæ capaci indimus, atque igne cinerum, vel arenæ adacto, oleum elicitur ſubrubrum & craſſum, cum aqua ſubacida. Eodem modo ex buxo limato oleum fit excellentiſſimum. Poſtremo herbæ plenilunio collectæ, & ſiccæ, plus olei fundunt, quam virente, & alio tempore excerptæ.

Olea lignorum per retortam facta, empyreuma gravemque odorem ſæpius redolent, igne quantumvis blando, & æquali adhibito. Tollitur ejuſmodi empyreuma variis, & repetitis cohobationibus cum aqua communi deſtillata, aqua roſacea, ſpiritu vini, & aliis. Temporis etiam diuturnitate, citra ullam cohobationem, ejuſmodi graveolentia non parum imminuitur. Præterea oleum non eſt pellendum ad extremos ſpiritus. Rurſus ſi per multum temporis cum aliquo liquore, vino, vel alio, loco frigido maceretur, oleum minus graveolens redditur, & copioſis extillatur.

Guajaci olei vires, & facultates omnibus notæ ſunt: eo libentius extra quam intra utimur, ob ejus graveolentiam. Buxi oleum a Quercetano ſummopere commendatur in Epilepſia; nos ſolum ad dentium dolores, ipſoſque eroſos & perforatos, idipſum mirabile comperimus.

Reſinarum, & gummi cujuſcunque generis olea, & balſama, eodem modo, eadem via per retortam paramus, ut terebinthinæ, reſinæ pini, picis, thuris, maſtiches, vernicis, & ſimilium. His nonnulli arenam, vel pulverem terræ coctæ immiſcent. Nos terebinthinam ſolam retortæ inditam, per ignem arenæ deſtillamus. Bocciæ etiam ad hoc optimæ ſunt. Vas quoque quodvis terreum vitreatum. Aqua quæ prima exit, acetum nuncupatur, ſolvit coralla, uniones, & alia corpuſcula dura. Secunda, clara eſt fere ut aqua. Tertia citrina, & craſſa. Quarta, rubra, & ſubnigra. Poſt ſecundi olei extractionem, quod in fundo remanet, colophonia ab aromatariis dicitur,

citur, quæ nihil aliud eſt quam terebinthina cocta. Raro in intrinſecis affectibus hoc oleo utimur, ob gravem ejus odorem. Diu deſtillatum, nonnihil de ſuo odore valido amittit.

Succinum etiam per ſe, aut pauco ſpiritus vini addito, diſtillati curamus, attenuatur reiteratis diſtillationibus, quibus purior, & clarior etiam redditur. In affectibus uterinis maxime conducit, & in albo fluore matricis.

Pix nigra oleum balſamicum fundit per ſe præſtantiſſimum, maxime ad vulnera capitis.

Maſtiche, & thus, ut ſuccinum per retortam pelluntur. Vertuntur & per ſe in oleum citra ullam diſtillationem, medio aquæ vitæ, a vino ad acorem vergente diſtillato, quæ etiam aqua vitæ, vindemiarum tempore, ex racemis uviſque torculari poſt vini eductionem preſſis, diſtillatur. Camphora validiori diſſolvente in oleum mutatur; at ejuſmodi olei uſus ferre nullus, eo quod exulceret, corrodat, & vim eſcharoticam poſſideat: cum aqua vitę ægre admodum diſſolvitur. Per retortam impellitur, ut cætera reſinarum genera.

Secundæ claſſis olea, per aſcenſum facta, diximus fieri per vas refrigeratorium: ſicque olea ex floribus, ſeminibus, fructibus, & aromatis exoticis, per id vaſis genus extillantur. Ejuſmodi autem vas ſatis notum eſt, & licet multiplicis figuræ ſit, tamen ſemper idem eſt. Id vero quod forma alembici vitrei effigiem repræſentat, nobis magis probatur, dummodo cacabus æneus ipſi probe annexus ſit. Per vaſa etiam vitrea, quorum cannulæ frigidæ aquę continuo immerguntur, commode fieri poſſunt. Veſicę ęneę optime aptatur alembicus vitreus, ſive plenus roſtratus) cum refrigeratorio. Glutine ad hoc utimur ex gypſo, & oleo lini, vitrum eo enim glutine fortiter hęret ęneis vaſis. Prętera glutine ejuſmodi diu in aqua perſiſtit integrum.

(e) *De oleis deſtill.* Olea ſalia ſubtilia ſunt, ſphæricis, globoſis, conglobatis ac ramoſis terreis particulis, nec non æthereis intime intertexta; Et ſpiritus φλόγιστοι ſeu inflammabiles nihil aliud ſunt, quam olea per fermentationem intime diſſoluta, quare etiam ſpiritus vini rectificatus experimento *Glauberiano* cum ſpiritu ſalis concentrato ita condenſari poteſt, ut notabilem partem de ſe dimittat. Prout ſalia, oleorum deſtillatorum craſin conſtituentia, differunt, ita diſtant etiam olea, quæ magis acido acria ſunt, uti ſtomachica vel blanda alkalina, uti carminativa, vel fortiora, uti ſalia animalium, vel acida magis ſunt, uti oleum ſuccini, lignorum, differunt quoque vires & illorum facultates. Notabile eſt, olea deſtillata, quæ copioſo taliſmodi ſale imbuta, uti pleraque carminativa, item oleum cinnamomi, caryophyllorum, in aquam injecta, fundum petere, contra oleorum naturam. Ex ſeminibus, v. g. fœniculi, angelicæ, erucæ, aniſi, cochleariæ, rutæ, petroſelini, nigellæ, copioſius elicitur oleum, quam ex aliis plantarum partibus; largiorem copiam præbent humida & recentia ſi fuerint, quando per veſicam deſtillantur, ac ſi exſiccata ſint.

Ad deſtillationem oleorum, tam ex aromatibus, quam ex aliis vegetabilium partibus, opus eſt maxime clave, nimirum ſale communi, tartaro, vel etiam ſpiritu ſalis, quæ in debita quantitate extrahendis addenda ſunt. Deinceps longiori maceratione opus eſt cum aqua, & quo res duriores, eo longior debet eſſe

ma-

maceratio. Salia hæc ramoſas & oleoſas partes intime terreis immerſas ſeparant, & liberas efficiunt, partim motu & actione ſua in partes terrenas, partim etiam quod leviores ſulphureas invicem coaduniant. Olea deſtillata duplicis ſunt generis, vel craſſiora & graviora. Illa facilius avolant, & ſeparari ſunt apta; hinc per alembicum, rectius per veſicam, bullente tamen calore deſtillantur, graviora ſublimitatem illam renuunt, adeoq; per retortam potius deſtillantur. Prioris generis ſunt ſemina, & herbæ aromaticæ, aromata, cortices, reſinæ ſubtiliores, terebinthina, ex quibus, prævia debita præparatione & maceratione, olea magis ſui juris, libera, nec terreis, piceis & mucoſis partibus irretita unica deſtillatione promptiſſime evolvuntur. Poſterioris exempla ſunt, gummata, reſinæ compactiores, ligna, ſuccinum, cera, ſapæ, pinguedines, & quæ ſunt ejuſdem generis. Olea horum magis empyreuma ſpirant, graviora ſunt & in aqua fundum petunt. Memorabile autem hoc loco eſt, quædam ex his duplex fundere oleum, unum magis ſub illius ſuaveolentius per veſicam deſtillandam: alterum per retortam compactius eſt & magis fœtidum, quod obſervamus in raſura ligni aloes, rhodii, cortice ligni ſaſſafras, maſtiche, benzoe, ſtyrace, balſamo peruviano, quia rite tractata fragrantiſſima olea ſuppeditant.

Tollitur oleorum deſtillatorum empyreuma per rectificationem ſuper calcem vivam, cornu cervi uſtum, vel affuſione aquæ, ſi per veſicam denuo deſtillentur. Sic evadunt ſubtiliora uti oleum ſuccini, quod prius ex retorta deſtillatur, aquæ autem affuſione & per veſicam rectificatione ſubtilius & odoratius fit. Melius res ſuccedit, ſi loco aquæ communis aqua roſacea ſumatur. Spiritus vini tartariſatus fœtidis oleis, uti cornu cervi, tartari affuſus, illa ipſa ſolvit & in eſſentias penetrantes diaphoreticas convertit, unaque ipſis ſuavem odorem fœnerat; Temporis etiam diuturnitate particulæ male olentes expirant.

Buxus, teſte ejus graveolentia, narcoticam vim habet, hinc oleum ejus a *Quercetano* in epilepſia commendatur, a *Rulando* dicitur Heraclinum, dolorem dentium non ſecus ac tabaci, quod ſimili gaudet virtute, mirabiliter emendat. Nonnulla uti gummata, reſinæ, bituminoſa, pinguedines per ſe oleum non facile fundunt, niſi additis terreis, ex. gr. bolo, arena, ſilicibus calcinatis, ſale communi, calce viva. Hæc namque fluorem moderantur, & ut magis evaporent partes oleoſæ, quam fluant, efficiunt. Ex galbano, ammoniaco, myrrha, alibano, maſtiche, ſtyrace, benzoe, ſuccino, ſequenti modo oleum elicitur commodiſſime, v. gr. recipitur galbani libra una, ſilicum calcinatorum libra una ſemis, ſalis communis unciæ ſex. Deſtillatio fiat per arenam ex retorta vitrea, ſic prodit liquor albus cum oleo flavo: ſuccedit tandem rubicundum, quod poſtea rectificandum. Oleum camphoræ genuinum ex camphora deſtillari minime poteſt. Difficillime hoc concretum deſtruitur igne: ſed potius in clauſis vaſis aſcendit & ſublimatur in flores: per combuſtionem in fuliginem atram vertitur. Verum cum terra certa crebrius igne tractanda tandem parum olei ſinceri elargitur. Nota genuini olei camphoræ eſt, quando aquæ affuſione non præcipitatur ſive irreducibile eſt, quod alias facile accidit, ſi per olea expreſſa, vel addita corroſiva in olei formam redigitur. Verum oleum camphoræ ſuaviſſimi odoris, propter admixtas cinamomi partes, deſtillatur ex cortice radicis cinamomi per retortam, & affertur ad nos ex Indiis. Ex eodem cortice camphora elegantiſſima per ſublimationem conficitur.

(*d*) *De Oleis florum.*

Flores debito tempore collecti, vaſi æneo intus ſtanno obducto integri indantur, cui tantum aquæ communis affunde, ut quatuor digitos aut ſemipalmam emineat; tum pileum roſtratum cum ſuo refrigeratorio vaſi impoſito junc-

turis

curis ad hoc glutine ex farina probe munitis: sic vas fornaci imponitur cum flagrantibus prunis, & in subjecto vase, recipiente dicto, aqua, & oleum excipitur.

(d) *De oleis florum*. Ex floribus per destillationem parcissimum oleum paratur. Particulæ enim sulphureæ magis resoluto & incoercibili constant principio. Ita ex rosarum centum libris vix ac ne vix quidem uncia una olei acquiritur, quod tamen odoratissimum, & consistentia butyrosum est. Ex floribus chamomillæ vulgaris paucum quidem, sed præstantissimum propter virtutem anodynam ad spasmodicos morbos doloremque levandos destillatur. Hujus genuini character est color cœruleus, qui huic oleo quasi proprius, nec uti quidam putant, adscribendus est destillationi per ænea vasa, cum etiam per alembicum vitreum similis cœrulei perpulchri coloris oleum obtineamus.

De Oleis herbarum.

Ex thymo, roremarino, salvia, mentha, majorana, spica, abrotano, & similibus herbis odoratis olea facillime educuntur. Eæ inciduntur, atque vasi æneo supradicto cum sufficienti quantitate aquæ communis induntur: imposito postmodum pileo rostrato cum suo refrigeratorio, & flagrantibus prunis suppositis, oleum cum aqua odoratissimum funditur. Si vinum loco aquę imponas, aquam vitę in principio educes odoratissimam & suavissimam. Legantur herbæ in plenilunio, dum floridę, virentes, proprioque odore magis perfunduntur; ab his, si placet, solam comam accipe, & eo tempore, quo maxime floribus, & seminibus coma direscit.

(e) *Olea seminum*.

Eodem plano modo, ut de supradictis, olea seminum destillantur. Tonduntur nonnulla grosso modo; alia integra in vase æneo, & in aqua communi per aliquot dies immerguntur. Sic ex fœniculo, anisо, & aliis oleum exugimus, ut & ex baccis juniperi, lauri, & similibus, baccis prius in sufficienti quantitate aquę maceratis. Aqua, quæ cum oleo copiose educitur, ad novam destillationem servetur; eo enim medio plus olei elicies. Ex anisо vix pro unaquaque libra, ʒ.ij. ex fœniculo minus; copiosius vero ex baccis juniperi hac etiam via producuntur.

(e) *Olea seminum*. Semen rutæ, erucæ, per retortam si destillentur, penetrantissimi odoris oleum cum liquore oleoso volatili elicitur. Ex reliquiis seminis erucæ validissimo igne exprimitur substantia lucida, quæ phosphori nomine gaudet. Si sal tartari hisce seminibus additur, per retortam destillatione acquiritur liquor salinus, volatilis. Ex seminibus alias oleosis, maceratis aqua, cum clave, tartaro & sale, per vesicam obtinetur oleum, & longe abundantius, quam si per balneum Mariæ vel cucurbitam in arena destillatio procedat: Ignis enim immediatus, qualis vesicæ est, longe exsuperat arenæ calorem. Oleum anisi & fœniculi a frigore facile concrescit, spermatis ceti, ob abundans sal volatile ramosis sulphureis partibus intime nuptum, quod etiam media æstate nunquam accidit. Ex semine anisi, cochleariæ, per expressionem obtinemus quoque oleum subtile, non tam calidum quam si destillatum fuerit.

(f) Olea aromatum, *Cariophyllorum*, *macis*, *cinnamomi*, *piperis*, *zingiberis*, *&c.*

Sunt qui in ejusmodi oleis eliciendis amygdalas, tartarum, aut alia addunt, ut inde majorem olei copiam proliciant, quę fraus omnino rejicienda venit.

venit. Caryophylli Indici multum olei per se fundunt. Piper parum admodum; parum etiam zingiber; nec major quantitas elicitur e cinnamomo. Inter ejusmodi olea distillanda, præstantissimæ aquę educuntur, quibus, olei penuria, haud inconcinne uti possumus.

(f) *Olea aromatum*. Simplicia, quæ acerrimo sale volatili imbuta sunt, paucum dant oleum, uti piper, cochlearia, legitimo tempore collecta, ex qua penetrantissimum prolicitur oleum, utpote unica guttula totam mensuram vini ejusdem plantæ sapore, odore & virtute implet, nec non Spiritum cochleariæ languidum corroborat. Arum, sedum minus, zinziber, identidem paucum fundunt oleum. *Glauberus lib. 1. furno philosoph. cap. 7. pag. 15.* commendat affusionem spiritus salis ad pretiosa aromata, pro acquirendo meliori & copiosiori oleo ita ut unciæ uni spiritus salis communis addatur libra una aromatum, non tamen neglecta prius in aqua maceratione. Traditur, spiritum salis separationem olei adjuvare, & odorem empyreumaticum præcavere. Quando macis assumuntur, duplex oleum prodit, nimirum unum limpidum & tenue, quod exstillat cum aqua, alterum, quod ex fecibus residuis calide & fortiter per prelum exprimitur. Ex cubebis & cardamomo præstantissima parantur.

(g) *Cinnamomi oleum*.

Quia nobis in frequentissimum usum venit oleum cinnamomi, ideo quid de eo nobis experientia constet, dicendum. Extillamus ejusmodi oleum per balneum Mariæ, infundendo prius cinnamomo parum tritum in sufficienti quantitate vini albi, per 3. vel 4. dies. Pro pileo æneo cum suo refrigeratorio, vitreum alembicum sumimus gypso incrustatum, cujus frigore vapores in apice densantur; pro recipiente sumimus per vitreum amplum, & rotundum, collo satis longo. Prima aqua lactea est, quæ novo cinnamomo reaffundenda venit, hęcque operatio iterum pro tertia vice reiteratur; & in hac ultima destillatione habebis oleum subalbidum, aquę primo innatans, at quod tractu temporis in imo subsidebit, & substantia illa subalbida per totam aquam diffusa in oleum cogetur. In tertia destillatione, prima aqua est fragrantissima, cujus vix semicochlear exhiberi potest, ob ingentem ejus subtilitatem, hinc miscetur cum alio liquore, per se enim maximæ est activitatis. Menses mulierum potenter provocat, partum facilitat, cor exhilarat, memoriam auget, ventriculo confert, venerem stimulat, &c.

Oleum, cordis & cerebri robori maxime dicatum, exhilarat animum, mœstitiamque & omnem timorem pellit.

Nec solum intus sumptum, sed & extrinsecus admotum; sic epilepticis, apoplecticis, & syncope correptis mirifice confert, eo naribus tantum admoto.

A zingibere oleum, & aquam, eo quo diximus modo, exugimus. Aquæ damus cochlear integrum cum jusculo carnis in coli doloribus. Confert etiam mirifice ventriculi affectibus; sic apepsiam tollit, apetitum concitat, flatus mirifice disentit, & alia præstat. Oleum vires suas in longe minori quantitate exerit; sic guttula integra pro dosi sufficit.

Oleum & aqua caryophyllorum mirum est quam facile intus, extra & exhibita, nostram naturam labentem sublevent, fessaque membra juvent. O-

lei

lei guttula erosis dentibus cum gossipio immissa, dolorem adimit, fœtorem reprimit, & ad sensum integros servat.

Macis, piperis, cubebarum, granorum paradisi olea, vires easdem, quas obtinent simplicia, e quibus eliciuntur, possident: tamen in minori quantitate effectus suos producunt. Sed ne nostrum excedere institutum videamur, ad ea, quæ ex animalibus educuntur, transeundum.

(g) *Cinamomi oleum*. Cinamomi acuti libra vix drachmam olei refundit, quocirca vilius emitur, quam præparatur, quoniam ex insula zeilan, ubi arbores, cinamomum ferentes, magna in copia proveniunt, ad nostras oras affertur, ibi facili negotio parari potest. Adulterari utplurimum solet a mercatoribus, vel pharmacopœis additione pinguium, v.g. oleum amygdalarum, cinnabarini, unde odorem ac saporem suscipit. Fraus hęc facillime detegitur, modo spiritus vini tartarisatus summe rectificatus superfundatur; Sic oleum cinamomi transit in spiritum, & expressum petit fundum. Ast longe pejor dolor est, qui non facile dignoscitur, si olea destillata cum spiritu vini rectificatissimo, singulari encheirisi parato aqua in potione miscentur. Spiritus hic tam fortius est, ut drachma una ejus integram olei drachmam capiat & solvat. Adeo citra ullam explorationem non facile mercatoribus fide habenda. Oleum porro cinamomi genuinum in aqua fundum petit, quod alia renuunt. Rursus ex caryophyllis, ligno sassafras parata gravia sunt, & in aqua subsident. Ex zinzibere nullum oleum vel aqua zinziberis virtute imbuta prolici potest, in quo *ipse Author* fallitur.

(h) *De oleis Animalium*.

Ex animalibus varia quoque oleorum genera conficiuntur, variis item modis, ut de superioribus diximus: hinc varia ad hæc requiruntur instrumenta. Fiunt quædam vulgato more per infusionem, qui mos, ut valde popularis, a nobis omittitur. Nec propterea propriis carere laudibus arbitramur, maxime si triplici infusione parentur, & in fimo equino, ut de oleis vegetabilium per infusionem paratis annotavimus. Sic lumbricorum olea, vulpis, & similia in officinis parata, vires haud ignobiles obtinent. Ea vero distillatione subtilisata, præstantiori & efficaciori virtute pollent. Non raro etiam ejusmodi subtilisatione vim propriam amittunt, & loco olei optati, commune oleum distillatum reportas, in fundo retortæ remanente extracto, in quo animalis vis consistit. Hoc a nobis dictum sit, ne quis putet majorem vim in magno labore consistere semper.

(h) *De oleis animalium*. Infunduntur animalcula v.g. lumbrici, scorpiones, vermes majales, oleis, & debita maceratione & digestione expressio instituitur. Parata sic olea virtute sua præferenda destillatis, quoniam ejusmodi subtilisatione viam suam specificam & propriam amittunt.

(i) *De oleo sanguinis humani*.

Rec. Sanguinis humani adhuc calidi, partem unam, aquæ vitæ optime, sive spiritus vini, partes quinque. Reponantur ambo in vase circulatorio satis amplo, & in modum, ut tres partes vacuæ permaneant. Dictum vas reconde sub fimo equino ad 20. dies, quo tempore materia in magnam molem assurget, duploque aucta conspicietur; (hinc genuino Philosophico Medico multa præclara de aliquot morborum origine liceat contemplari.) Hac vero fit, crassioris partis sanguinis rarefactione, uti in hæmorrhagiis sponte per nares, & alias partes factis. Tum per urinale vitreum cum suo pileo rostrato,

ſtrato, ad balneum Mariæ aquam vitæ primo prolice, ſerum poſtea ſanguinis, quod guſtu facile deprehendes, fæcibus, ſive ſanguinis magiſterio, in vaſis fundo relictis, novum vini ſpiritum reaffunde, iterumque per 12. dies in fimo equino, ut prius, reconde. Tunc calore balnei vaporoſi, aut Mariæ, vini ſpiritum prius evoca; ſubſtantiam tandem oleagineam, calore vegetiore adacto, habebis ad multos uſus mirabilem, apprime ad arthritic os dolores, ad epilepſiam, phthiſim, & alios morbos nobis adhuc incompertos. Datur a ℈ ß. ad ℈ j.

Alio modo paratur dictum oleum, accipiendo ſanguinem ſiccum a ſero purgatum, & in ſole exſiccatum: Is craſſo modo teritur, & retortæ inditur, cui prunis ardentibus adjectis, vel calore arenæ, vel ſcoriæ ferri, educitur oleum, quo in arthritide illinantur artus. A ſanguine hirci, cervi, & aliorum olea educi poſſunt. Oleum cervi in arthritide maxime commendatur, hirci in calculo.

(*i*) *De oleo ſanguinis humani*. Ex omnium animantium ſanguine eorumque partibus non modo oleum duplex grave & ſubtile, ſed & volatile ſal conficitur. Commodiſſimus autem modus tam pro obtinendo oleo ſubtili quam ſale volatili hic eſt. Lumbrici ſiccati, vel ſanguis aut partes animalium exſiccatæ miſcentur cum anatica portione calcis vivæ, & deſtillatio in retorta vitrea igne vehementiſſimo fit. Memorabile hic eſt, formicas majotes duplex poſſidere ſal, utrumque volatile, unum acidum penetrantiſſimum, alterum urinoſum, quod exſiccatæ & mixtæ cum calce viva, deſtillatione elargiuntur.

Oleum Mumiæ.

Extat apud Paracelſum triplex Mumiæ ſpecies, recens, ſicca, & liquida. Recens cum oleo olivarum triginta dies in fimo equino putrefacta, per retortam pellitur. Ad articulorum dolores ab eodem maxime commendatur. Siccam cum aqua vitæ diu prius maceratam, more dicto diſtillamus. Liquidam ſupra tetigimus, cum de ſanguinis oleo verba faceremus.

(*k*) *De Oleo Excrement.*

In animalium excrementis arcana latere plurima, experientia multiplici conſtat. Eſtercore humano mirabile exugitur oleum: ad quod exequendum magna ejus copia requiritur, quod fit immixtum, & ex homine ſano. Prius autem per ſe corrumpitur, atque in exigua quædam animalcula vertitur; hinc fere in pulverem abit, qui retortæ inditus, calore blando primum adacto, mox validiori, oleum reddit ſimul cum aqua, ambo non ſine aliqua graveolentia, quæ rectificationibus, & cohobationibus plane tollitur. Valet ejuſmodi oleum ad complurimos affectus, & præſertim adverſus icterum, arquatumque morbum. Creditur a nonnullis ejuſmodi oleum eſſe perpetuo duraturum. Placet ejuſmodi figmentum ad vitri malleabilis confectores relegare, ad motus perpetui cultores, & ad illos famatiſſimi lapidis chimerici perſcrutatores.

(*k*) *De oleo excrementorum*. Notabile eſt, urinam humanam deſtillatam ſpiritum volatilem ſed maxime urinoſum ſuppeditare. Unde etiam illo, qui ex ſale ammoniaco deſtillatur, ingratior eſt, propterea malum odorem, majoremque

joremque nauſeam concitat. Et ob hanc rationem ſpiritus urinæ commaritatus cum ſpiritu vini dephlegmato, in coagulum ab id facillimum, ad quod haud facile proclivis eſt ſpiritus ſali ammoniaci, qui ramoſo tali ſulphure deſtituitur. Ex ſtercoribus, quod paratur, oleum ingratiſſimum eſt, nec facile intrinſecus adhibendum. Putant vulgo in medicinis ſtercoreis latitare magna arcana ſanandi affectus, ab incantatione ortos: Obſervatum eſt inflammationibus & tumoribus tam benignis, quam malignis, inque bubonibus peſtilentialibus, pro ardore temperando cataplaſmata ex ſtercore humano, vel vaccino inſignem vim fovere. Attentione dignum curioſumque eſt, quod moſchus odore ſuo privatus, in latrina ſi ſuſpendatur, ſuavem ſuum odorem iterum acquirat.

(*l*) *Oleum adipis, medullæ, & axungiæ, &c.*

Axungiæ, adipis, medullæ olea per retortam bis, & terpelluntur, modo ſupradicto. Ipſis prius immiſcetur duplum arenæ, quidam ſalem arenæ loco addunt. Diſtillantur autem ea ratione, ut citius corpora permeent, & quo pluries diſtillantur, ſubtiliora evadunt. Ejuſmodi oleorum uſus notiſſimus eſt: nos ſemel pleuritide correpti, humani adipis olei, cum duplo olei adipis taxi illitu, miraculi inſtar convaluimus. In paralyſi contractiſque membris, maximæ ſunt utilitatis.

(*l*) *Oleum adipis &c.* Axungiæ omnes, medullæ & expreſſa olea magnam ſubtilitatem & tenuitatem acquirunt, ſi ſuper cineres, vel melius calcem vivam deſtillantur. Tali ratione axungia fatiſcit in oleum nervinum admirandæ virtutis, in paralyſi & contractura. Hyoſcyami oleum expreſſum ſuper calcem vivam facta deſtillatione ſumme penetrans evadit, in quo ſi ſolvitur camphora, medicina emergit, quæ extrinſecus inſtar incantamenti dolores podagricos ſiſtit ac mulcet.

(*m*) *Oleum ceræ.*

Populare eſt nimis ejuſmodi oleum, maxime inter Chymicos. Quidam ceram multoties aqua communi calida lavant; quidam eam fundunt, ipſique arenæ duplum immiſcent, ſalem nonnulli loco arenæ, ſunt qui alumen uſtum, laterum pulverem, plumbum uſtum, tandem qui aquam vitæ. Qui modi omnes a nobis probantur: nihil enim in cera perit, redditur ſubtilior, & iterum bis, & ter hac de re extillatur ſola, in quibus deſtillationibus ſi quam qualitatem a commixtis reportarit, penitus amittit. Hoc apprime ſervandum, ut vas ſit amplum, vixque tertiam partem occupet materia; ea enim excalefacta nimis dilatatur, & ſæpe integra in ſubjectum recipiens effunditur.

(*m*) *Oleum ceræ.* Paratur hoc optime ſequenti modo. Recipe ceræ flavæ uncias octo, fiuat in terreo vaſe, cui duas partes arenæ miſce; Maſſa refrigerata in partes minutim fracta indatur retortæ vitreæ, exſtillat liquor, qui appellatur oleum ceræ limpidum: Ultimum ſubſequitur fluor ſubcraſſus, qui refrigerans inſtar butyri concreſcit; unde etiam oleum ceræ butyraceum nuncupatur. Utrumque in affectibus & vulneribus nervorum valet:

De Oleis Oſſium.

Ejuſmodi multiplici modo parantur. Primo recentia adhuc & ſucculenta, fracta parum, & comminuta, per retortam vitream, vel terream etiam, per duas ollas luto ſapientiæ probe munitas, ad ignem apertum oleum fundunt, virtutis haud ſpernendæ.

Secun-

Secundo eadem limata, diuque in aqua vitæ, & in fimo equino macerata, tum per retortam deſtillantur, qua in deſtillatione exſugitur aqua cum oleo, aqua (inquam) virtute dictorum oſſium imbuta, & ad multa per neceſſaria.

Tertio ignita, & oleo communis imbuta more olei laterum, qui tertius modus licet non omnino ſpernendus, attamen cæteris duobus longe inferior eſt.

(n) *De Oleo Caſtorei, vermium, ſerpentum, &c.*

Caſtoreum, prius in ſpiritu vini per aliquot dies infuſum, per retortam, ut ſupra pellitur.

Vermes terreſtres per ſe in fimo equino putrefacti, in oleum vertuntur.

Serpentum adipes igne purificatæ, & excolatæ cum pauco ſpiritu vini per retortam, ſubtiliores evadunt. Ipſis per ſe, & citra omnem diſtillationem utimur, colatis tantum, & a membranulis ſuis liberatis. Earum vires, & facultates ad extrinſecos uſus mirifice conducunt.

(n) *Oleum caſtorei &c.* Serpentum adeps igne purificatus, & pauco ſpiritu vini exaltatus, & ſubtilior redditus, ob penetrantiam ſuam commendari meretur, in ſpaſmodicis partium tendoſinarum ac nervoſarum contractionibus. Eximium quoque uſum ophthalmicum habet, de quo videri poſſunt *Ephemerides Germanorum dec. 1. p. 208. Avicenna* tradit adipem alephe remedium eſſe efficax contra oculorum hebetudinem.

(o) *De oleis Mineralium.*

Vulgus hoc olei nomine in mineralibus maxime abutitur; etenim ſpiritus aliquot ſalium oleum nuncupat, ut de vitriolo, & ſulphure liquido conſtat. Vocat etiam oleum, mineralium, & metallorum ſalem in liquorem per humidum reſolutum, uti apparet de oleo Saturni, & aliorum metallorum. In tartari oleo item notum eſt, quam facile eo abutantur nomine, qui cum ſal reſolutus ſit, olei tamen ſibi vendicat appellationem.

Spagyrici veri, qui ſulphureæ ſubſtantiæ naturam probe norunt, oleum id tantum appellant, quod eſt natura inflammabile, ignemque ſuſcipit, atque non miſcetur aquæ: ſicque ex mineralibus, & metallis olea vera elicienda docent. Verum cum ejuſmodi præparationem ad *tractatulum de mineralibus* ſervaverimus, ab his hoc loco abſtinebimus: ne tamen hoc caput vacuum penitus remaneat, perpauca vulgo nota, in tyronum gratiam paucis complectar.

(o) *De oleis mineralium.* Mineralia pauciſſima olea ſuppeditant. Carbones foſſiles deſtillati copioſum promunt ſulphurei odoris, quod etiam argentea vaſa non ſecus ac balſamum ſulphuris, ſive hujus ſolutio, in oleo facta nigro colore inficit. Et memorabile eſt, carbones hos omni abſtracto per deſtillationem oleo nullam flammam ulterius concipere. Dantur quoque & hic loci terræ bituminoſæ, quæ carbonibus injectæ, odorem ſuccini ſpargunt, & oleum copioſum ſuppeditant. Deſtillavi aliquoties ex terreis fontium ſalubrium, quales aliquot ab hinc annis fuerunt Hornhuſani, non tantum oleum, ſed ſpiritum volatilem, quod etiam circa alias terras nitroſas valet. Ad mineralium claſſem ſpectant quoque petroleum oleum ex aſphalto, & ejuſdem generis alia.

(p) *De Tartari Oleo.*

Tartarum, etſi e vegetabilium familia erutum, tamen tantam habet cum

mineralibus affinitatem, & ſympathiam, ut merito in eprum ordine reponendam videatur. Duplex autem ab eo ducitur oleum; unum vero inflammabile, & aquæ immixtum, alterum abuſive ſic dictum ob ejus craſſam conſiſtentiam, quod quidem nihil aliud eſt, quam ſal reſolutus. Primum educitur per retortam, ipſo prius in pulverem redacto; extrahitur autem valido igne retorta ad hoc luto probe munita: in qua operatione oleum cum aqua educitur: oleum eſt ſubrubrum cum quadam graveolentia, quæ cohobationibus variis, ut de aliis diximus, facile tollitur; vel ſi cum capite mortuo iterum diſtilletur. Calculum in renibus denſatum ſolvere traditur; jecoris obſtructiones reſerat, &c. Reſolutio ſalis tartari, quod abuſive oleum communiter dicitur, fit ex tartaro ſimpliter calcinato, vel uſto, demum in cella vinaria reſoluto: ſi ad albedinem comburatur, facilius in liquorem reſolvitur. Rurſus ſi dictum oleum exſiccatur, & reſolvatur bis & ter; redditur potentiſſimum & efficaciſſimum. Comburitur autem in igne aperto, in fornace quavis, ſive in his in quibus terræ coquuntur, ſive in his, in quibus vitrum, & metalla funduntur. A calcinato tartaro ſal poteſt extrahi, qui in fornace vehementer calcinatus, in oleum dictum reſolvitur totus.

(p) *De tartari oleo.* Circa tartari oleum fœtidum hoc curioſum eſt, quod ſingulari encheireſi accedente ipſo volatile reddi poſſit fixiſſimum ſal tartari, ita ut in ſublime attolli queat, verum urinoſo odore deſtitutum eſt. Conſiſtit hoc maxime in beneficio aeris, qui virtute diſſolvente fixa facile volatiliſat, it. in exactiſſimo & creberrimo tritu, quo textura intricata olei diſcedit, & volatilem indolem induit.

(q) *Oleum Sulphuris.*

Multiplici modo paratur Sulphuris oleum. Quod vulgo dicitur oleum, liquor eſt aquoſus ex reſolutione ſpiritus ſulphuris: hic enim ſpiritus a ſale in ſulphure contento progreditur, cujus natura ad ſpiritum vitrioli proxime accedit; ideo vires haud paucas communes cum oleo vitrioli obtinet. Ejus præparatio maxime nota eſt. Sulphuris, dum comburitur, vapor, campana vitrea, vel cyatho magno ad latus parum inclinato excipitur, qui frigore reſolutus in vaſe aliquo vitreo extillatur: vix ſingula libra ſulphuris, ʒ. ij. exhibet olei.

Sæpe cum tribus, vel quatuor cyathis vitreis amplis, filo ferreo in aere ſuſpenſis, vaporem excipimus, & cyathis paulum inclinatis oleum in vitrum ſuppoſitum delabitur. Per ſe flagrat ſulphur, ſi purum ſit, & prius tritum. Subjectum vas ſulphur continens ſit terreum, & parvum, ad proportionem vitri, vel campanulæ, ut pro ſingulo cyatho libram ſulphuris contineat, aut paulo minus. Vaſis inferioris pars ſuperior, fit duplo minor oriſicio vaſis ſuperioris. Aliquando cum igne ejuſmodi oleum elicuimus optimum, & in majori quantitate. Per retortam etiam elicitur. Parabis & hoc modo oleum, ſive liquorem multiplicabilem, & cujus uncia una intra menſem alteram unciam dabit, pro ratione tempeſtatis: nam ſi auſtralis ſit tempeſtas & humida, plus; ſi ſeptentionalis & ſicca, minus. Ad ejuſmodi oleum, ſive liquorem conficiendum, addantur pro ſingulo

vaſe

vaſe ſulphur tontinente, ʒ. ij. cryſtalli calcinati. Calcinatur autem cryſtallus; eo prius ignito, & in aqua frigida extincto, quod bis, & ter reiteratur, donec ſponte in pulverem abeat cryſtallus; qua ratione gemmæ multæ calcinantur, ex quibus poſtea varia poſſunt confici remedia. Pro liquore noſtro multiplicabili, cryſtalli pulvis in vaſis fundum prius immittitur, ſecus deflagrationem ſulphuris cohibet. Virtus hujus olei mirabilis eſt, nam continuo augetur, & quod ab eo prodit, eſt veluti aqua diſtillata ſubacida: hæc cum aliquo liquore data litim extinguit, obſtructiones, & infarctus renum, & jecoris ſolvit, menſes movet, & alia egregia præſtat.

(q) *Oleum ſulphuris*. Oleum ſulphuris ſpiritus ſulphuris eſt, ſive ſal acidum ſulphuris flamma aereque humido colliquatum. Aer potiſſimum momentum præparationi affert. Hic enim ſal ſulphuris acidum fixus ſubtiliſat, ideoque tota enchireſis ſpiritum copioſum parandi conſiſtit in hoc ut (1) ſulphuris tribus partibus admiſceatur nitri una, ſic facilius ſulphur accenditur, largioremque ſpiritus præbet quantitatem. Alias ſolum ſi aſſumitur, flores ſurgunt (2) In retorta tubulata optime negotium inſtituitur, vel etiam ſub campana vitrea lata, in parte ſuperiori perforata: Sic fumus ab externo aere frigido & humido quaſi in deliquium abit. (3) Utile eſt campanam prius madefacere, & in loco ac tempore humido deſtillationem adornare. Spiritus ſulphuris longe purior eſt ipſo ſpiritu vitrioli, qui magis terreis metallicis impurioribus partibus conſtat: quare etiam vitriola cum ſpiritu ejus parata auſteri & magis adſtringentis ſunt ſaporis, dulcis autem, quæ cum ſpiritu ſulphuris fiunt. Meminiſſe vero hic etiam oportet, aliquoties ſpiritum vitrioli mixtum ſpiritui ſalis ammoniaci evaſiſſe cæruleum, quod non obſervavimus cum ſpiritu ſulphuris, forſan quod adhuc particulæ quædam venereæ in ſpiritu vitrioli reconditæ fuerint, quæ præcipitatæ poſtmodum a volatili ſale ſolvuntur. Cæterum ſpiritus ſulphuris longe etiam volatilior eſt ſpiritu vitrioli vulgari, quare in doloribus capitis & nervorum affectibus, præ illo ejus uſus commendatior eſt. Probe conſervari debet hic ſpiritus, alias facile volatilis ejus portio vitri orificia pertranſit.

(r) *De Oleo Talci, & aliorum Mineralium*.

Oleum Talci pro mulierum mangonio vehementer exoptatum, adhuc nos latet legitimum; & quicquid jactent circumforanei diſtillatores, purum eſt mendacium: vel enim eſt liquor ſalis ejus reſolutus, vel oleum rei mixtæ. Siquidem, vel ipſum per ſe, vel cum alio calcinant, & a calcinato ſalem extrahunt, quem poſtea in loco humido reſolvunt, vel aliis rebus idipſum commiſcent, tumque retortæ indunt, vel denique varia alia figmenta nobis obtruduut, quibus ſæpe credulos decipiunt. Verum cum hujuſmodi oleum in arte Medica nullum habeat uſum, quid uſu & experientia in eo tractando cognoverim, alium in locum rejicimus.

Oleum de lateribus, quod & Philoſophorum dicitur, notum eſt, ideo ab eo, atque a multis aliis hic abſtinebimus. Sub qua etiam conſideratione oleum gagatis, ſuccini, & aliorum multorum, hic conſulto omittimus, & magis, quod ſimilia in *tractatum mineralium* diſtulerim.

Olea quoque metallorum Saturni, Jovis, & aliorum eademmet cauſa in eum locum reſervavi. Nunc ad ſalium extractionem, & præparationem deveniendum.

(r) *De oleo talci*. Merito hoc ad non entia refertur. Talcum lapidis ſpecularis

ſpecies eſt fixiſſima, extremum ignis gradum ſuſtinens, vitro tamen cauſtico prægrandi, quod ex munificentia Sereniſs. Electoris noſtri poſſideo, cedit, & in vitrum gryſei coloris colliquatur. Redigi tamen ipſum talcum in liquorem poteſt, ſicut ſilex, quando ignitum ſæpius aquæ frigidæ immittitur, poſtmodum pulveriſatur, & cum nitri partibus duabus calcinatur. Maſſa frigefacta in humido aere facile deliqueſcit, & ad præcipitationes chymicas, calculumque frangendum vim non contemnendam poſſidet. Coſmetica vero virtus vix propter corroſivitatem & acredinem inveniri poteſt.

SECTIO VIII.

(4) *De Salium extractione, & præparatione in genere.*

SAl, tertium Hermeticorum principium, ab omni antiquitate miris laudibus extollitur. Ab Homero Divinus appellatur. Plato in Timæo, amicum Dei corpus nuncupat. Antiquitus nullum dabatur ſacrificium ſine ſale. *Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: In omni oblatione offeres ſal.* Levit. c. 2. A ſupremo numine exaltatur, dicente Apoſt. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultra, niſi mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Tribus literis ejus nomen deſignatur, apud Hebræos *Sala*, quaſi Rex, Græcos *Sele*, Latinos ſal: forte a ſignificatinne ἅλς, pacificare, & quieſcere, item perficere, etenim ſine ſale nihil perfectum eſt. Mitto alias linguas ab his derivatas eandem ſervare harmoniam. Tanta eſt ejuſmodi ſalis neceſſitas, ut etiam referente Plinio *lib.* 31. *c.* 7. ſine ſale vita perſiſtere nequeat, a putredine tutus eſt, & alia ab ea ſervat & tutatur: propterea in ſacris æternitatis ſignum habetur. Sal ventriculum excalefacit, venerem ſtimulat, prolificumque ſemen reddit, ob id Ægyptii canes ad coitum inertes ſalſamentis carnibuſque ſale maceratis ad venerem alacriores reddebant: hinc Veneri dediti ſalaces dicuntur; propterea Venerem e ſalo natam finxerunt. Aves prolificæ, ut columbæ, ſale haud parum oblectantur. Paſtores apud Plutarchum de cauſ. nat. pabula pecorum ſale conſpergebant. Sed his miſſis, ad inſtitutum revertamur. Sal, qui ex vegetabilibus educitur, a Theophraſt. Parac. per metonymiam Alcali dicitur, ex eo, quod ſal quilibet plantæ fiat per incinerationem; qui vero per incineratione fit, proprie eſt tartarum, ſale, ſulphure, & tinctura plantæ conſtans; ejuſmodi ſal, eſſentialis a recentioribus nuncupatur. Fit autem ſal ex vegetabilibus uno eodemque modo, eorum videlicet cineribus in ſufficienti quantitate aquæ communis infuſis, & percolatis, ut commune fit lixivium, quod exſiccatur in vaſe terreo devitreato, aut in alembico cum ſuo capitello: in imo vaſis ſubſidebit ſal impurus, qui reiteratis ſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus purificatur; bis terque repetitur dicta operatio, ſi admodum pellucidus deſideretur: caventes, ne in fine omnimoda humiditas evaneſcat, ſed ſenſim, & per ſe in ſtupha, vel in

acre

aere calido exsiccetur. In hujusmodi extractione triplex salis species potest considerari, volatilis, fixus, & utriusque naturæ particeps, quas vocant, vegetabilem, animalem, & mineralem. Vegetabilis facile in auras abit, atque cum aqua vitæ illius plantæ, ex qua salem educturus es, elicitur, ipsique perpetuo commiscetur. In tinctura etiam volatilis servatur, si recte operatus fueris. In tinctura tamen, utriusque naturæ particeps, qui & animalis dicitur, proprie residet. Fixus, qui & mineralis, cineribus arcte hæret, hisque firmiter consident. In succorum anatome cuncta hæc rimari liceat; in vino nonnihil apertius & certius.

(a) *De Salium extractione & præparatione.*

Salia universalia rerum quasi fundamenta & instrumenta naturæ sunt, quibus plurimæ mutationes ac rerum alterationes perficiuntur. Vestigia salium circumquaque conspiciuntur, & tota rerum oeconomia illis abundat. Nulla ferme in arte chymica & docimastica peragitur operatio, ubi non salia bases & fundamenta sunt. Medicamentorum activitas potissimum est a sale. Verbo: tota quasi natura seu universalis rerum motus, & concentus in salium genesin nititur, salinasq; particulas principaliores corporum mixtorum esse partes, illorum resolutio artificialis, sive fermentatione, sive igne peracta, satis superque arguit. Ostensum a nobis in peculiari *dissertatione de generatione salium*, omnis generis salia ab uno seu primogenito simpliciſſimo acido ortum trahere. Commode dispescitur sal in acidum & alkali. Acidum est, quod particulas rigidiores oblongas & graviores, constantioresque poros habet, & cum alkali quovis conflictum edit. Alkali sive lixivioſum constat particulis levibus & copiosis poris, in quibus plurimus æther delitescit, & si cum acido misceatur, ebullitionem concitat. Sal neutrum est illud, quod ex acido & alkali compositum est, ut sal commune, nitrum, ammoniacum. Cœterum est sal, vel volatile, quod partibus subtilioribus constat, & facile ignis contactu in altum elevatur, vel fixum, quod ex crassioribus vorticoso ætheris motui neutiquam obtemperantibus compositum est. Hæc dicta omnia salia debentur ætheris motui & sali universali acido, nec non peculiari terræ. Prout itaque terra dissidet, vel actio ætheris in terram debilior, & vehementior est, atque sal universale magis vel minus concentratur, magna illa varietas salium tam volatilium quam fixorum dependet. Sic in terris sulphureis coagulatur nitrum; in bituminosis alumen; in martialibus vitriolum, uti id palam est in marcasithis, quæ si aeri exponuntur, vitrioleſcunt & in liquorem acidum penetrantem abeunt; Omnes mineræ, silices, crystalli, & ex subterraneis locis recenter eruta fortiori igne dant spiritum acidum, de quo consule *Glauberium forn. phil. p. 84. Beccherus in minera arenaria p. 7. 8.* perhibet, ex arena & silicibus vehementi igne se destillasse spiritum acidum in febribus ardentibus summe salubrem. Vapores subterranei vulgo die Wutterung sulphurei & acidi sunt, ipsos lapides penetrant, & mineras jam perfectas in calcem corrodunt. Est enim in regno minerali acidum magis purum, simplex, sibi relictum, propter ætheris actionem languidiorem. In regno vegetabili, propter motiones ibi particularum ætherearum magis efficaciores, sal illud universale mediam indolem, uti tartarus est, obtinet. In animalibus ob vividissimam & celerrimam ibi actionem & reactionem ætheris, volatile & urinosum magis invenitur.

(b) *De Speciali salium vegetabil. præparatione.*

In uniuscujusque plantæ sale conficiendo, si herba recens sit, & succulenta, prius aquam ab ea abstrahe, eamque seorsum serva, siccatam herbam in olla terrea vitriata combure ad justam incinerationem: cineribus in vase vi-

treo, urinari, aut simili, affunde aquæ supradictæ tantum, ut quatuor digitos superemineat, bulliant parum & colentur. Relictis cineribus novam aquam reaffunde, quæ iterum bulliat & coletur. Tum istas aquas, sive lixivium utrumque filtra, & per alembicum omnem humiditatem abstrahe, in fine parum humiditatis relinque, ne volatiles spiritus evanescant, quod facile per incuriam contingere solet: propterea melius erit in fine vas in stupha collocare, vel calido aeri exponere, quam subtiliorem partem perdere, ob nimiam & festinatam exsiccationem. Sal, ut purior evadat, cum extracta aqua dissolvatur, filtro percoletur, & ut supra, exsiccetur.

(b) De speciali salium vegetabil. præparatione.

Insignis inter Chymicos fuit dissensio circa genesin salis fixi, dum quidam formaliter existere in vegetabilibus hoc sal persuasum sibi habuerunt, alii vero ex intima unione partium terrestrium cum urinosis volatilibus in ipso concretionis actu illud resurgere arbitrati sunt. Nonnulli ex terra cum acido mixta & per flammam juncta originem deduxerunt. Nostra sententia hæc est: ipsa nihil aliud esse, quam salia plantarum tartarea ex acido & terra constantia, cum principio phlogisto oleoso, ministerio flammæ intime unita atque copulata. Evincere id possunt sequentia: utpote omnia vegetabilia, quæ sal sic dictum Tartareum essentiale copiosum continent, & hujus ratione Martem aggrediuntur, mediante concremationc copiosum sal fixum elargiuntur: & ex adverso quæcunque vegetabilia sale ejusmodi tartareo acido instructa non sunt, parum vel nihil salis fixi concedunt. Quod autem aciditransitus sit expeditus in sal fixum mediante oleoso principio, clarissime edocemur sequenti experimento: dum ex cremore tartari acido & sale acetosellæ essentiali acido sola fusione in igne vel destillatione in aperto igne copiosum sal alkali fixum fit, quoniam oleum mediante igne ex cremore tartari elicitum intime miscetur cum terra alkalina & acido tartari. In majori autem copia fit, si pulvis carbonum addatur; hac ratione etiam ex sale communi, sale Digestivo Sylvii, tartaro Vitriolato, sale Glauberi, nitro solo vel cum oleo Vitrioli mixto, magna quantitas salis pure alkalini haberi potest. Quod autem porro fixa salia nihil aliud sint, quam salia media Tartarea, mediante phlogisto principio unita & metoschematismum passa, exinde etiam convincitur, quoniam, quando hæc terra sulphurea successive separatur atque exhalat, sal alkalinam suam naturam deponat & iterum transeat in sal neutrum.

Salia vegetabilium fixa virtute medicamentosa inter se non dissident, dum quodvis in destructione acidi egregie se gerit. Variare tamen ipsa quoad compositionem, terreumque ipsorum elementum, non habeo nunc pluries ostendere. In vitrificatione diversimode se exerunt, & unum pre altero nitidius largitur vitrum. Sic sal filicis elegantissimum omnium crystallinum facere vitrum retulit *Kunckelius in arte vitriaria p. 17. In miscellaneis curiosis ann. 6. observ. 199.* extat singularis casus, dum civi, qui absynthium plane adversabatur, pharmacopœus salis absynthii fixi aliquot grana propinavit, quibus assumtis non minus consueta symptomata, deliquium, stomachi subversionem passus est. Porro notum est in arte docimastica, sal fixum unum præ altero longe eximiores præstare effectus. Sic massa illa, quam dicunt, plagma, ex mixtura sulphuris & lunæ constans, non bene sale tartari, optime autem nitro fixo reducitur.

De sale sine incineratione parando, quem essentialem vocant.

Quædam herbæ sale, & tartaro magis refertæ, sine incineratione, succo earum expresso, colato, filtrato, & coagulato, atque per aliquot dies asservato, speciem salis colorem, & saporem plantæ quoquo pacto referentis,

de

de se promunt. Quædam etiam integræ, contusæ & in amplo vase cum sufficienti quantitate aquæ excoctæ, salem, sive tartarum, aut cremorem exhibent. Justa est danda coctio, alias totum perit negotium. Ex siccis plantis, & lignis, tum nostratibus, tum exoticis, salem hac via paravimus, res prius per aliquot dies macerantes, deinde excoquentes; atque colatura ad justam crassitiem perducta sensim tartarum deponit. In aliquibus reiteratæ infusiones sufficiunt. Quæ omnia manualis operatio expresse docet.

De viribus, & facultatibus salium, atque de eorum usu, &c.

Facultas salium, non semper plantæ, ex qua sal educitur, respondet, nec propterea ejusmodi dissimilitudo ab igne provenit, quis enim tam hebes, & philosophiæ rudis, ut credat accidens de subjecto in subjectum migrare, caliditatem ignis in cineres, & salem? Empedoclei, seu potius materiales ejusmodi medicastri de Empyreumate adversus Jatrochymicos multa quotidie deblaterant, & quid dicant, plane ignorant. In sale vis laxativa potissimum residet, & maxime in volatili: Vis etiam aperitiva, attenuans, & incidens, vis quoque diaphoretica. Ea de causa, ubi purgatione opus est, nulla commodior fit, quam per salem cum sua tinctura. Sic extracta, quæ quoquo pacto salis species sunt, commodissime purgant, si cum suo sale exhibeantur. Aperitiva item: ob id ciendis mensibus, salibus frequentissime utimur, sicut & atterendis, ac rejiciendis calculis. Pollent denique vi diaphoretica, prout est principium ex quo eliciuntur. Particulares salium facultates sæpe plantis, ex quibus eliciuntur, respondent: ut capiti, sal betonicæ, qui & mulierum menses movet; salligini visci quercini, radicum pœoniæ, sem. fœniculi, & similium. Conferunt oculis sal fœniculi, verbenæ, euphrasiæ, &c. Pectori, sal scabiosæ, hypericonis, polypodii, &c. Cordi, sal melissæ, borraginis, & aliorum cardiacorum. Ventriculo sal absinthii, menthæ, &c. Renibus, sal oninodos, argentinæ, pimpinellæ, camomillæ, genistæ, &c. Utero medentur, sal tanaceti, matricariæ, arthemisiæ, melissæ, chelidoniæ, &c. Juncturis, tum purgando, dum alterando, ut salivæ, arthriticæ, chamædryos, primulæ veris; purgando, ut sal hellebori, hermodactylorum, turbith, agarici, & similium. Et eorum usus plerumque est in cibariis, alterantium præsertim, purgantium mane, & sero, cum jusculo carnis, vel alio liquore, vel cum conservis, 4. vel 5. horis ante cibum. Dosis est pro natura salis, ægri conditione, & morbi magnitudine,

(c) *De Salis animalium præparatione.*

Si antiqui tanti fecerunt crassam illam salium theriacalium præparationem, quæ tantummodo incineratio erat, quanti & nos præsentem elegantiorem, & illorum longe præstantiorem, quæ non solum incineratio, verum substantiæ vivificæ salis a cineribus segregatio est, qualis hodie ab artificibus excolitur, & sola in usu habetur. In animantibus parum salis fixi reperitur; qui vero mediam naturam obtinet, copiosus uti & volatilis. Raro ejusmodi salium species in usum advocantur, sed eorum loco magisteria, aut ipsa integra in pulverem tantum reducta. Ex vipera neque salem, neque magiste-

rium

rium uſurpamus, ſed eam integram, & ſolum in pulverem reductam; etenim tędioſas, & prolixas præparationes plane rejicimus, inutiles præſertim: ſic vermes terreſtres, quos lumbricos vocant, aſellos, & alia pleraque; ſecus ad eorum ſalia paranda, viperæ plurium regionum non ſufficerent. Rurſus in his vis eſt quædam alimentalis, quæ incineratione perit. Ex oſſibus, & ſanguine, in quibus ſalis haud parum continetur, ſalem elicimus: quie ſanguine, excrementitius, & volatilis; ex oſſibus, alimentarius, & magis fixus. Extrahendis modus non multum diſcrepat a modo ſupra allato, de ſalium vegetabilium præparatione.

(c) *De ſalis animalium præparatione.* Animalia copioſiſſimo gaudent ſale volatili, alkalinæ indolis, unde hoc proveniat, res eſt non levibus difficultatibus expoſita. Ad illorum prompte accedimus ſententiam, qui deberi horum generationem circulationi globulorum æthereorum celerrime, quæ in viventium ſuccis peragitur, exiſtimant. Motu enim, attritu & pertuſu ætheris partes corporis craſſiores & rigidiores actuantur, dividuntur, & ſubtiliſantur, ut faciliorem motum ac naturam tenuiorem ſubeant. Acidum, ſcribit *Carteſ. princ. part.* 3. §. 50. quod conſtantioribus poris gaudet, & irregulare ac rigidum corpus eſt, motu diviſum, magis fit obtuſum, poroſum, & majores ſuperficies acquirit. Ex quo jam facile conſtat ratio, cur fermentatione, & putrefactione (quæ conſiſtit in vehementiſſima ætheris trajectione per poros irregulares corporum fluidorum) ex partibus terreſtribus, fixioribus, acidis, ſalinæ volatiles ſpirituoſæ fiant? Tartarus crudus, qui nunquam dabit ſal volatile, in motum autem fermentativum cum ipſo ſale tartari fixo adactus & deſtillatus, ſpiritum prębebit ſale alkalino volatili abundantiſſimum. Sic quoque per putrefactionem ſalia acida, v.g. tartarus ſolutus abit in ſal volatile. Hinc tartari putrefacti meminit *Helmontius tract. progym.* Aqua pluvialis in vaſe quercino diutius detenta, aere exiſtente calido, putreſcit, & dejecit materiam putridam in fundum, quæ deſtillata ſpiritum alkalinum volatilem fundit. Genuinus quoque ſalis tartari volatiliſationis modus latitat hoc in experimento: ſal tartari aquæ pluviali immittatur, & in vaſe querno inſtituatur putrefactio, debita adhibita diligentia, facile ſal tartari volatile obtineri poterit. Aqua communis, ſola deſtillatione ſæpius repetita, eo penetrantiæ redigi poteſt, ut metalla adoriatur. Spectat huc quoque experimentum egregium, dum nimirum lixivio alkalini ſolvitur ſulphur commune, & in vaſe ligneo quercino diutius digeſtioni exponitur, fit præcipitatio particularum ſulphurearum, rubicundarum, & enaſcitur inſignis fœtor urinoſus: liquor deſtillatus præbet perfecte alkalinum volatilem ſulphureum ſpiritum, qui omnes effectus communes habet cum ſale volatili urinoſo. Uno verbo omnis putrefactio & fermentatio ſalia volatiliſat & ex acido alkali & fixo volatile facit. Salia autem volatilia in ſe non differunt, niſi ratione ipſius olei ſulphurei principii, quod intime illorum poris adhæret, facileque per ſublimationem cum corporibus terreſtribus ſeparari poteſt.

Sal ſanguinis humani.

Sal ſanguinis humani præparatur ex fæcibus poſt olei extractionem relictis. Extracto ſiquidem oleo, ignis augetur: tunc ſal volatilis ad retortæ, vel capitelli latera ſublimatur. Fęcibus concrematis, & in cinerem verſis, vel in eodem vaſe, vel alio, aqua prius e ſanguine educta, vel alia ſtillatitia affunditur, atque per filtrum trajicitur, tandem per alembicum diſtillatur, & in fundo vaſis ſal remanet, repurgatur ſal, & pellucidus redditur, ut de variis ſalium vegetab. præparationibus dictum eſt. Hac in re parum intereſt, an

cum

cum aqua vitæ, vel per se distillatus fuerit. Illas vero præparationes, quæ cum sale, aut ejus spiritus fiunt, omnino ab hac operatione rejicimus; secus non simplex, sed compositum haberetur.

Sal Carnium, Ossium, & aliarum partium.

Carnes, ossa, & aliæ partes animalium, eo quo diximus modo, ut salis formam reducimus, verum his parce utimur. Ea de causa brevi hac explicatione contentus, ejus loco torrefactionem, longo usu & experientia nobis comprobatam, subjiciemus. Assumimus itaque viperas, capite, & cauda abscissis, eo loco ubi exangues, & sine carne sunt, non autem quatuor digitis a capite, ut falso putat vulgaris opinio; etenim earum vires in sola dentium extremitate consistit: eas pelle, & interaneis liberamus, atque triplici aqua lotas in partes septem, vel octo scindimus; tum demum urinali vitreo capaci ejusmodi partes induntur, quibus pauxillum aquæ vitæ affunde; tandem per arenam lento calore destillationem institue, prolecta omni humiditate. Caro in vasis fundo sicca remanet, quæ facillime teritur. *Hoc pulvere* crebro utimur in cutaneis affectibus, & maxime in cibis, quod gratissimi saporis sit: mane etiam jejuno stomacho, ad ʒ ß. & ʒ. j. cum conserva, vel vino. Sunt qui putant, ejusmodi pulveres nullius esse efficaciæ: at errant toto cœlo, ut e sequentibus millies experientia nobis constitit.

(*d*) *Hoc pulvere*. Viperarum caro cum corde, hepate, felle, vino malvatico bene lavanda, & in balneo mariæ siccanda est, postmodum in pulverem redigatur, qui mane jejuno stomacho per aliquot menses ad drachmam unam sumtus creditur affectus sanandos, nec non ad hydropem, & morbos chronicos, etiam a veteribus mirum commendatur. Sunt etiam qui ad vitam longam ejus usum magnifaciunt. Indi frequenter ipso utuntur. Ejus operandi ratio consistere videretur in blanda sanguinis & humorum resolutione sive spirituascentia promovenda propter sal subtile volatile particulis ramosis intime immersum.

Pulvis Ranarum.

Rec. Ranas integras, & viventes, ad numerum quinquaginta: eæ urinali vitreo induntur, atque per balneum Mariæ, vel vaporosum extillantur. Quę primo exit aqua, seorsum servetur: exhibita hæmorrhagias sistit, febres hecticas mitigat; omnem inflammationem ortis doloribus confert. Exhibetur ad ʒ. ij. & iij. De pulvere datur ʒ. ß. & ʒ. j. Fluores albos mulierum summopere juvat, hæmorrhagias, quoque sistit, & gonorrhœam sanat, densat tandem, & coagulat humores, quos dissolvit.

(*e*) *Pulvis Vermium terrestrium.*

Exsiccantur Vermes sive lumbrici, vel eo quo supra diximus modo, vel in furno post panis extractionem. Hic pulvis mane per se, vel cum pauco cinnamomi exhibitus, obstructiones jecoris, & lienis reserat, mulierum menses movet, urinam pellit, hydropicis non parum confert, vermes enecat, & alia præstat adhuc incomperta.

(*e*) *Pulvis vermium terrestrium*. Lumbrici terrestres eodem modo uti viperæ exsiccantur, præbent pulverem, qui facultatem admirandam possidet ad depulsandam epilepsiam etiam chronicam. In omnibus nervorum vitii, spasmodicis affectibus, atque articulorum doloribus mirificæ virtutis est. Præter vim

ano-

anodynam alit diureticam & diaphoreticam, propter ſal nitroſum volatile abſterſivum. Hoc ſaltim tenendum, quod menſe Majo collecti longe inſignioris virtutis ſint, quam alio tempore.

(f) Pulvis Cancrorum fluviatilium.

Innotuit antiquis vis, & facultas ejuſmodi pulveris, ut ex Gal. & aliis habetur, adverſus rabidorum canum morſus. Nos in concepto fœtu retinendo ejus uſum pluries experti ſumus. Mulier cujuſdam phrygii ſepties abortum paſſa, hoc pulvere ad duos menſes accepto, partum ad finem fœliciter tulit. Eos vivos, ut ranas, in olla vitreata, poſt panis extractionem exſiccamus. De pulvere datur ad libitum in cibis, ſero, & mane. Si rite non exſiccentur, gravem odorem nanciſcuntur; ideo caute agendum, calor ſit mitis admodum, & æqualis. Doſis excedat ʒ.ſs. in diem.

(f) Pulvis cancrorum fluviatilium. Ejus uſum expertus eſt *ipſe Author* in conceptu fœtuque retinendo. Subſtitui poſſunt cancrorum lapides. Omnia quippe, quæ acidum primarum viarum corrigunt, ſanguinem & humores, nec non tranſpirationem movent, abortum præcavent, & fœtum roborant.

Halecis Pulvis.

Hoc pulvere utimur in calculis renum & veſicæ atterendis. Exſiccantur modo ſupradicto. Accipitur hujuſce pulveris ʒ.j. Sanguinis hirci vulgariter parati, ʒ.ij. Lapidum oculorum cancrorum fluviatilium, ʒ.iij. Hujus pulveris datur cum conſerva aliqua, ſingulis diebus mane, pro calculo comminuendo, ʒ.j. pro doſi. Qui ex his tincturas, eſſentias, magiſteria, & conſimilia parare cupiunt, hoc ipſis per nos liceat: noſtra proferimus, difficilia aſſerimus, & impoſſibilia rejicimus.

De excrementorum animalium præparat.

In animalium excrementis, mirum dictu quam rara, & perfecta re media reperiantur; & ut ab homine omnium principe exordiar, in humano ſtercore mira vis latet, in viſcerum obſtructionibus aperiendis. Tritum eſt, ipſum tumoribus admodum eos emollire, & ad ſuppurationem perducere: unde in tumoribus peſtis ſummopere celebratur. Intus adhibendum Galenus non perhorreſcit, *lib. de his, quæ facile parantur ad Solonem*: etenim ipſe inquit, *humanum ſtercus in panniculo deligatum, & crematum potui dato, hoc jam ſuffocatis opem fert*. Apud eundem Gal. videre eſt, quid præſtet idem ſtercus adverſus anginam *lib.* 10. *de ſimpl. med. facult.* ubi dicit fuiſſe arcanum ab alio, pretio coemptum, cujus ope omnes angina detenti convaluerunt. Extat recentiſſimum experimentum adverſus epilepſiam, de primo ſtercore infantium, quod vulgo apud Italos dicitur *paganina*, id dicunt ſiccum, & in tenuem pollinem reductum, atque ad complures dies exhibitum, caducum morbum radicitus evellere. Salem ex eo confici poſſe, modo a nobis ſupra allato de aliis in cinerem verſis, facile eſt cognitu, ad quod magna quantitas requiritur. Verum ejuſmodi remedii genus nobis huc uſque non fuit in uſu, ideo ab ipſo libenter ſuadeo. Quidam nobis notus, poſt olei eductionem, ut ſupra notavimus, ſalem ex eo paravit, ut proprio oleo mixtus, materiam præberet igni inextinguibilem; at propria opinione deluſus, ut alii pſeudochymici oleum & operam perdidit: quod propter incautos annotare placuit.

In-

Insuper in stercoribus magnas latere virtutes minime diffido, at nobis haud satis cognitas, ideo ne cramben recoquere videamur, ab his abstinemus. Qui plura desiderat, videat Galenum *de simpl. med. facult. lib.* 10. *sub fine*. Ab eo prętermissa, ipsique incognita referam. Stercus Lacertæ viridis oculorum suffusionibus mederi, experimento constat: multum reperitur in Provincia Galliæ, ubi ejusmodi animalcula copiosa, & magna reperiuntur.

Ex sterquiliniis magna salis copia habetur; hinc agrorum fœcunditas, olei etiam non minima quantitas; substantiæ vero mercurialis, seu veræ, spiritualisque materiæ aqueæ, quam minima.

Reliqua excrementorum genera, ut urina, sudor, sordes, strigmenta, pili, & ungues raro nobis in usum veniunt, idcirco ea consulto prætermimus. Equorum verrucæ, cornua cervi, & ungues alcis, vulgato more ob eorum penuriam, (secus enim in nobiliorem formam essent reducenda,) usui nostro subjiciuntur integra, & per se.

SECTIO IX.

(a) *De Magisteriis.*

MAgisterium tam plantarum, quam animalium, & mineralium, & præparatio est quædam citra substantiæ separationem, cum additione alicujus rei, propter quam rei parandæ vis, & facultas augetur, exaltatur, & conservatur. Hujusce rei Hydromel nobis sit rude exemplum, quod quidem virtutem longe diversam a melle, & aqua nanciscitur. Contemplare & acetum, quod ex optimo vino fere in momento fit, additione unius rei. De virtute, & præstantia magisteriorum, ita scribit Theophrast. Paracell. *Herbarum itidem magisteria adeo efficacia sunt, ut eorum uncia semis plus operetur, quam ipsorum corporis unciæ centum, ideo quod vix centesima pars essentia quinta sit. Quare cum istius tam pauca sit quantitas, illius major foret adhibenda moles, quod in magisteriis non requiritur; nam in istis integra quantitas herbarum in magisterium reducitur: hujus una pars adhibita plus prodest, quam partes centum similis corporis, ea ratione quia præparata sunt magisteria, tum ad summum acuta facta. In eis est penetrabilitas, & vis integri corporis mixtione orta, &c.* Horum conficiendi methodus apud eundem reperitur, *lib. sexto Archidoxorum*, cujus verba sunt hæc. Author perobscurus est: Nos hanc sequimur methodum. Herbas virentes accipimus, easque tusas in mortariolo lapideo exprimimus, eisque permiscemus succum aliquem vinosum; tunc addend. aliquando portionem aliquam fermenti, ut ejus medio vinosam substantiam acquirat, per balneum Mariæ spiritus educitur, qui novæ materiæ reaffusus novam inducit fermentationem; ter, & quater eadem repetitur operatio, & sic major elicitur spiritus, seu Magisterii quantitas.

(a) Magisteria Herbarum sequenti ratione confici solent. Recipiunt herbam cujuscunque generis, illam in sufficiente quantitate aquæ communis leviter oleo tarta-

tartari per deliquium alkalisatæ coquunt leni igne, ut saturatum liquor nanciscatur colorem: solutio aluminis crudi infunditur, sic in fundum descendit pulvis elu endus & exsiccandus. Curiosi lapidem bezoarticum factitium ex herbarum alexipharmacarum magisteriis, nimirum scordii, cardui benedicti, scabiosæ &c. conficiunt. Hæc nimirum gelatinæ cornu cervi purissimæ intime immergunt, & primum minimam pilulam efformant, quam exsiccant, & deinde gelatinæ tepidæ immergunt, sic per successivam accretionem cortex cortici semper inducitur, uti in lapide bezoardico genuino & in omnium animalium calculis id cernitur.

Magisterium lignorum.

Rec. Lignum minutim incisum, quod in ollam vitreatam, & in igne constantem, ac optime coopertam positum, igne carbonum horis quatuor aduratur; exemptumque putrificetur in vitro per mensem; post super cineres urgeatur, usque ad ultimos spiritus, quibus perceptis mox cessa, ne magisterium fœtorem ab igne concipiat. Fateor equidem ejusmodi methodum esse admodum obscuram, nec omnes authoris mentem assequi posse; hoc vero consulto ab eo factum est, ne sacra profanis, & margaritas porcis projiceret, quod & in aliis præstantissimis Medicinæ arcanis exactæ servavit. Nos præsentem sequimur viam. Ligna minutim incidimus primo, atque tum ea in vase vitreo capaci maceramus in suff. quantitate aquæ communis, per 15. vel 20. dies in cella vinaria. In ea maceratione, quod intus latebat manifestum fit: tunc per balneum Mariæ elicitur spiritus fragrans, & vinosus, qui novo reaffunditur ligno, & ut prius præmissa maceratione, liquor spiritualis elicitur, &c.

Magisterium herbarum.

Rec. Herbas, easque tusas vino ardenti permisce, atque per mensem putrefieri sinito; postmodum per balneum maris distilla, distillatum iterum reaffunde, sicque tamdiu procedendum, quousque tota quantitas ardentis vini quater succis herbarum minor fit. Hoc ipsum distilla per pellicanum, novis cum additamentis uno mense, tandem separato: quo peracto, magisterium habebis materiæ, vel herbæ quam accepisti. De quibus idem author inquit: *Majus in extractionibus istis latet artificium, quam dicitur, aut intelligitur, quamvis integer processus hic demonstretur.*

(*b*) *De Magisterium animalium.*

Magisterium sanguinis humani sic paratur. Rec. Sanguinem humanum, quem pellicano conclusum, transcendere super ventrem equinum tamdiu sinas, donec tertia pars pellicani impleatur, nam sanguis omnis in sua revificatione dilatatur juxta quantitatem, & non secundum pondus: hoc tempore peracto, rectificabis ipsum per balneum. Hac via phlegmata recedunt, in fundo magisterio manente, quod quidem retorta sigillo Hermetis concluſa novies destillato, prout *libro de præparationibus* apud ipsum docetur.

Ex cranio humano paratur magisterium duplici modo. Primo, per Quercetani modum, ut habetur in sua *tetrade fol.* 326. Secundo, eo quo diximus de extractis, paucis mutatis, & adjectis. Dissolvente ad hoc utimur aqua vitæ spiritu vitrioli exasperata, extractæ tincturæ sal ipsius cranii sub fine adjicitur. Vermium terrestrium magisterium nobis aliquando usurpatum, fit cum

spi-

ſpiritu balſami eo, ex vegetabilium familia educto. Aſtaci, ſive cancri fluviatiles eum in modum in magiſteria reducuntur.

Item Ranæ, Viperæ,& ſimilia animalcula, de quibus alibi fuſius.

(b) *Magiſteria cornuum*, dentium, fiunt, ſi in ſpiritu nitri ſolvuntur & cum ſpiritu vitrioli præcipitantur ac edulcorantur. Quodcunque enim a ſpiritu nitri ſolutum eſt, confuſus ſpiritus vitrioli, quoniam acidum potentius eſt, præcipitat. Coralia & teſtacea ſoluta in aceto, cum ſpiritu ſalis acuato e ſolvente dejiciuntur cum ſpiritu vitrioli. Verum hæc memoriæ mandare oportet, ejuſmodi magiſteria, quoniam acido tacta & inverſa ſunt, non prompte amplius abſorbere ac contemperare acores morboſos, & ideo rarius a ſolidioribus practicis hodienum uſurpari; quod etiam circa perlarum magiſterium valet. Præferenda jure meritoque ſunt ſimpliciter ſaltim parata. Ad albedinem magiſteriis conciliandam commendatur hæc enchireſis, cito exſiccanda ſunt, quod fit, ſi terreis figulinis, non tamen vitriatis vaſis imponuntur, & ſolis radiis objiciuntur.

De Magiſteriis mineralium.

Foſſilium, atque mineralium magiſteria, ab eodem Parac. *lib. de archidoxis* deſcripta in medium adducemus. Quid vero de his ſentiamus, quidve experientia agnoverimus, huc uſque diſtullimus, his maxime temporibus, dum omnia non veritatis criterio, ſed ſola protervorum malignantium opinione conſpurcantur, & fœda avaritia ſupremas obtinet.

(c) *Magiſterium auri.*

Rec. Circulatum optime, nec non ad ſummam eſſentiam repurgatum, cui tenuiſſimas laminas metallicas impones, aut limaturas, cujuſcunque metalli libuerit, optime ſubtiliſſimeque malleati, nec non mundati. Hæc duo ſimul pondere ſufficienti congeſta, ſeptimanis quatuor circulentur, & per temperatum hoc lamine reducentur in oleum, & formam pinguedinis ſupernatantis, juxta conditionem ſui metalli coloratæ, quam per attractorium argenteum ſeparabis a circulato. Hoc ipſum eſt aurum, vel argentum potabile. Simile cum cæteris metallis etiam extrahetur, quod abſque detrimento ſumi poteſt in potum, vel una cum cibo. Circulatum illud eſt valde obſcurum: an ſit Lulii diſſolvens, plane nos latet. Spiritum vini ad ſupremum adduximus, eumque proprio ſale exacuimus, nec propterea diſſolvens tam inſigne comperimus. Nobis nota eſt quædam magiſterii ſpecies; at quia obſcura eſt nimis, difficilis, & paratu difficillima, neque eſt ut omnibus tuto concredatur, ſatius ab ea deſiſtendum exiſtimavimus.

(c) *Aurum fulminans* magiſterium auri eſt, ſolutione & præcipitatione peractum, potentiſſime etiam in minore quantitate fulminat; quæ virtus deducenda a particulis nitroſis auri poris inſinuatis, quæ dum incenduntur, & eluctari ob firmiſſimam auri compagem nequeunt, exitum quærunt & fulminant. Fulminans vis fortior eſt, ſi aqua regis cum ſale ammoniaco parata fuerit: alvum laxat, maxime, ſi non rite fuerit dulcoratum, tenacem pituitam inteſtinalem incidit, hinc ad tormina & epilepſiam infantum commendatur. Si ſale volatili ammoniaci præcipitatio facta fuerit, præcipitatum ſubtilius & magis diaphoreticum emergit.

Magiſterium Gemmarum, & Perlarum.

Gemmæ, inquit Parac. ſunt prius terendæ, & calcinandæ per reverberatorium, cum æquali pondere ſalis nitri, & tamdiu, donec nulla materia ſuperflua

flua ut reperta. Post ablutionem iterum calcinentur, & per omnia fac ut prius, & totum in vinum ardens transit. Hoc per ebullitionem evaporare sinito, & sic habebis alcali, quod resolutum in aquam servato. Gemmas cum floribus sulphuris calcinant nonnulli: Nos per se ignitas in frigidam injicimus, terque hoc repetimus, & eæ in tenuem pulverem facillime abeunt, quæ postea proprio dissolvente in perfectum magisterium reducuntur. Uniones citra calcinationem, ut & coralla, cum aceto, vel succo limonum, vel alio liquore acido distillato facillime solvuntur. Repercussio, quæ fit cum oleo tartari, nobis minime arridet, eo quod tartati spiritus unionum sali adeo arcte cohæret, ut seorsum separari haud facile sit, ablutionibus quamvis pluries repetitis. Propterea hic notandum venit, Paracels. verba ad unguem non esse servanda, non quod probe non norit quæ dixerit, sed quod id studio ab eo factum sit, ut supra notavimus: siquidem in Chymicis præparationibus peritissimus, & solertissimus fuit, adeo, ut ipsi similem reperiri neminem posse credam, quod etiam inviti unico ore fatentur.

De Cisso.

Cissus, compositum quid ex supradictis præparationibus, longa non eget explicatione: est enim Cissus, unio quædam omnium virtutum cujuslibet plantæ, in tribus primis substantiis existentium, sulphure, sale, & mercurio, ex singulis plantarum partibus eductis: ut si ex radicibus seorsum isthæc tria educantur; ex foliis itidem, floribus, & seminibus: postea invicem misceantur, & probe uniantur. Oleum sali primo miscebitur, ad lentum ignem, levi agitatione facta, aqua ultimo superadditur. Aquam hic intelligimus, spiritualem illum liquorem aquæ vitæ similem, qui prope Mercurius dicitur, elixir, & quinta essentia, de cujus præparandi methodo supra de aquis parandis nonnihil diximus. Si adsit multum humiditatis, per reiteratas cohobationes, vasorum orificiis ad id probe obturatis, facillime invicem miscentur. Possunt in pulverem verti, vel in aliam formam ad libitum tamen sub extracti forma rite servantur. Eorum usus, atque magisteriorum, est admodum facilis: dantur dissoluta in aliquo liquore, vel in boli, vel pilulæ formam. Dosis sola experientia cognoscitur. Tempus quoque seligitur a Medico, pro natura morbi, ægri conditione, & tempestatis ratione.

SECTIO X.

(a) *De Quinta essentia.*

QUinta essentia adhuc multos latet, an sit, & quid sit: & ea concessa, an a rebus segregari possit, necne. Eam non esse, contendunt Philosophi & medici haud pauci: deridentspecioſa vocabula, quibus illa exornatur, utpote Cœlum philosophorum, ignem cœlestem, spiritum, & calorem insitum, humidum primigenium, balsamum, mumiam, lapidem azoot, mercurium, elixir,

elixir, aurum potabile, rorem cœleſtem, univerſale diſſolvens, materiam primam, &c. Quæ quidem vocabula perobſcura ſunt, his maxime qui artem non callent. At hi in varias opiniones abeunt. Qui namque nullam aliam formam, niſi temperamentum agnoſcunt, magno ſibilo eam a ſcolis penitus explodunt. Qui vero præter elementa, aliquid divinius in mixtis reperiri fatentur, formam videlicet a temperamento diverſam, ut quæ ſubſtantia, illud vero accidens, cujus medio nihil poteſt ſubſiſtere; hanc tamen a materia inſeparabilem dixerunt. Sunt præterea hujuſce ſententiæ variæ opiniones: nam quidam volunt in mixtis elementa actu remanere, alii virtute; nonnulli pluritatem formarum, alii unicam tantum formam ponunt. Cæterum aliqui pluralitatem, aliqui corporeitatis formam tantum, alii tot formas, quot prædicata eſſentialia: tandem quot capita, tot ſententiæ. Hiſce ambagibus irretiti Academici, rerum caducarum opinionem ſolum haberi, ſcientiam vero non, conſtanter aſſerebant; nec immerito Socrates hiſce rerum difficultatibus ad amiſſum excuſſis, eo tandem devenit, ut ſe nihil ſcire fateretur; & ni fallor, adeo eſt hebes, & obtuſus humanus intellectus, ut quotieſcunque extra ſe excurrit, & ab ignobilibus, & corruptibilibus, & incertis nobiliſſimam, & incorruptibilem, & certiſſimam ſcientiam colligere ſtudet, toto cœlo oberrans, a veri cognitione penitus excidat. Medicus, qui eſt artifex ſenſatus, ſolo experientiæ criterio res ponderat, examinat, probat, & reprobat; quod quidem agendo, non rationem ſpernit, ut temere Empirici, ſed eam tanquam judicem in omnibus advocat, quod perbelle ſuffultus, audet tot facultatum, & virtutum rei uniuſcujuſque peculiares ſedes, & loca, quibus potiſſimum inſunt, ſcrutari; eaſque in medium protrahere. Cum autem rerum facultates, & vires, quas ſpecificas & occultas nuncupant, plus uni, quam alteri parti inhærere videantur, ea pars a toto mixto ſegregata, eſſentia quinta dicitur, qui appellatione tam ſal, quam ſulphur, & Mercurius, eſſentia quinta vocantur. An hæc vis & energia a temperamento, vel a forma, vel a materia emergat, Medici non eſt ultra contemplari, nam in medendo, rerum actiones, & effectus obſervat, non ejuſmodi effectuum, & actionum cauſas. Quod ſiquis a nobis id enixe flagitet, dicimus, tales vires, neque a materia, neque a temperamento progredi: ea quandoquidem ad agendum fit inefficacia; nam temperamentum accidens eſt, & penitus immobile; materia cum pura ſit potentia, actio vero & motus ab eo quod actu eſt, emanet tantum, ridiculum eſt, ipſi velle actionem tribuere. Formam in plantis avulſis, & emortuis periſſe, partim ibi, partim vero non, nobis enim non, imo vivere tunc incipere: nam finis cui deſtinatæ ſunt, dum vivunt nullus eſt, incipit vero eſſe, cum nobis in uſum veniunt. Forma vero rei ab actione cognoſcitur, & actionis ejuſmodi rerum perfectio, finis eſt. Itaque cum viventi corpori præbere auxilium, mederi, & afferre commodum, in divina mente ſtatutum eſſet, peropportunum erat, materiam ad id ſenſibilem, & viventem decernere. Facta eſt igitur vita plantarum rerumque omnium, quæ in hominum uſum cedunt, tam in alimoniam, quam in Medicinam, corporea, & ſenſibilis, quæ cum

huic magis quam illi materiæ hæreat, eaque delectetur, atque sub tali veste nobis appareat, mirum non est, si a reliquo inutili, crasso, & emortuo segregare possimus, & hanc materiam, quartam, vel quintam essentiam appellemus; de quo nomine parum interest, non enim de nominibus Medicus multum debet esse solicitus, verum magis de rebus ipsis. Ex præmissis patet, Quintam essentiam esse rerum vitam corpoream, & sensibilem, non vitam quidem, qua vivunt sibi, sed eam, cujus causa nobis vivunt; quæ opinio nedum Hermeticorum propria est, verum & Platonicorum. Item si Peripateticorum principem rite examinemus, ejusque mentem exacte perpendere velimus, non eum ab hac opinione longe diversum comperiemus. At hæc contemplatio hujus non est loci, ideo manum a tabula.

Præparatio sive extractio Quintæ essentiæ multiplex est, pro varietate rerum, ex quibus educitur: nam alio modo ex plantis, alio ex animalibus, & alio ex mineralibus, sub quibus complectimur metalla. Vitam, seu Quintam essentiam metalla in colore potissimum continent; Animalia in sapore, & odore; Plantæ in odore, sapore, colore, & tinctura. Ex quibus manifeste liquet, in præmissis præparationibus quodammodo edocuisse methodum extrahendi Quintas essentias plantarum, quanquam adhuc secretior, & nobilior desideretur. Ex animalibus, non ita aperte; at qui in supra notatis se aliquandiu exercuerit, illi perfacile erit veram methodum invenire. Ex metallis, res est admodum ardua, & unumquodque metallum peculiarem methodum requirit, uti in progressu latius patebit. Non me latet interea erronea aliquot novorum dogmatizantium opinio, qua putant rerum omnium vitam esse sensibilem, eamque perpetuam, & cum plantæ, & alia vita donata exsiccantur, & visibili vita privantur, non propterea eandem vitam perire, imo in arido, & exucco corpore servari, sensibilem quidem, licet non visibilem: artis tamen beneficio visibilem rursum fieri. Sed ne ultra cum his in amplissimos gurgites, & profundissimas voragines excurrat sermo noster ad earum præparationum tutissimum portum appellamus.

Quintæ essentiæ herbarum extractio.

A pluribus varie traditur isthæc quintæ essentiæ, extractio. Quidam intra menses; alii intra dies & septimanas; alii intra diem; & nonnulli intra horulam, imo & intra quadrantem. Nos non ex omnibus eodem modo, nec eodem tempore fieri posse asserimus. Quædam in superficie, quædam in centro considunt; alia postmodum sunt tenuia, alia densa, & compacta, Quod sit vero dissolvens aliquod universale, plane ignoro, & vereor, ne cum famoso lapide philosophico æquali pede incedat. Ampulloſi illi jactatores eadem fronte utrumque pollicentur. Diversa igitur, pro re nata, sunt habenda dissolventium genera, sulphurea, & aquea; & hæc contraria materiæ, ex qua ipsa fit extrahenda: & hoc ut dissolvens in totum a quinta essentia recedat, herbas hunc in modum paramus. Accipimus sufficientem quantitatem siccæ, vel virentis herbæ: virentem contundimus, cui

si non

si non satis succulenta sit, aquam ab ipsamet planta distillatam adde, atque tum per mensem in fimo equino reconde. Succo prælo fortiter expresso, iterum novas herbas infundimus, totidemque diebus sub fimo detento, secunda vice exprimitur succus; quem per balneum Mariæ extillamus, succo ipso prius a crassioribus fæcibus defæcato. Spiritualis, & mercurialis aqua seorsum servetur, & succus vel extractum colore proprio imbutus, itidem seorsum. Ex siccis cum aliquo liquore, vel propria aqua, vel spiritu vini, vel quovis aliquo liquore, quintam essentiam extrahimus, fermentatione, & putrefactione breviori, vel longiori servata, prout postulat necessitas, & rei natura. Si in spirituali, & ætherea illa aqua siccam plantam iterum infundas, elicies veram quintam essentiam, odore, & sapore, & colore plantæ præditam: Ex omnibus plantis, fructibus, seminibus, floribus, hac via Quinta essentia elicitur. Mineralium, & metallorum præparationes alio in loco tractandas suscepimus. Qui de Quinta essentia plura desiderat, Theophrast. Paracel. *Archidoxa* consulat. Nec te deterreat ejus dicendi obscuritas; neque cum quodam temerario archichymico garrulo, tanti viri peritiam obscurare contendas, quin magis solertiam, industriam in secretioribus medicaminibus parandis mirare; aperit enim januam bonis, & eandem pravis occludit: Non omnibus datum est adire Corinthum, his solum, quos æquus amavit Jupiter, & evexit ad æthera virtus.

Lapidum, & gemmarum quoque quintam essentiam parandi formulas, eundem in locum distulimus. Usus, & vires probum artificem non latent, & qui noverit earum extractionem, earum vim, & efficaciam haud ignorabit. Interea non est magnopere laborandum de artificio illo, quo putant essentiam quintam intra quadrantem elici posse, multa hujusce farinæ circumferentur, quæ nullius sunt frugi.

Oleum camphoræ cum aqua forti factum, a Thurneisero traditum, nihil commune habet cum quintæ essentiæ extractione, sed hæc cum ipsius astrologicis experimentis, seu potius magis, reponenda censeo. Hic pro coronide placet verba summi, & maximi illius Chymici Germani recensere, ut quid vere sit rerum essentia, cui libet innotescat. *Lib. 3. de Vita longa. Supra, ubi essentia herbarum memini, nihil aliud esse nisi vinum ostendi: id quod sic accipias oportet. Spiritus vini a substantia ejusdem prodit, nam hujus subjectum existit vinum, sicut marrubium proprietas ac nativi vini; & sicut Persicaria* ℔ *j 3. ij. emittit, sic vini* ℔ *j. plus 3 .j. non capit, &c.*

(a) Diu in chymicorum scholis invaluit ille error, dari panaceas, & universalia remedia summe activa, quæ etiam ex omnibus corporibus tam vegetabilium, quam mineralium elaborari queant. Dicent enim arbitror, sicut sane dicunt, omne corpus suscipere spiritum quendam quem appellarunt balsamum cœlum philosophorum, ignem cœlestem &c. qui si a materiali principio liberatus fuerit, magnis viribus præditus credebatur. Statuebant nimirum materiam, ex qua omnia corpora constant, esse ens inertes, passivum, & languidum, & formam, quæ actuat & movet materiam, esse spiritum cœlestis prosapiæ. Hunc desiderabant inter medicamenta sua, & varias operationes instituebant ad illum capiendum; verum semper frustra laborarunt, nam illorum

lorum panaceæ nil niſi commenta & figmenta ſunt, quæ inflant quidem hominum ſpem, poſtea autem deſtituunt, & fruſtra ſpiritum ceu cauſam titulis virium ac promiſſis eorum aptare anniſi ſunt. At vero antiquiſſima eſt opinio de ſpiritibus Herodoti, qui omnes alias pravas ſectas reputabat, præter eam, quæ ſpiritibus omnia tribuit (πνευματικοὶ Græci vocant.) Fluxit nimirum hic error, uti etiam alii, ex ignorantia veræ philoſophiæ naturalis in artem chymicam & medicam. Nullus ſpiritus ſingularis præeſt corporibus, ſed omne extenſum a Deo creatum eſt virtute activa & paſſiva ſimul inſtructum. Fluidum autem tenuiſſimum, quod materiæ ſubtilis nomine venit, & ubique diſperſum ac minimorum corporum poros occupat, magnas vires a Deo nactum eſt, movendi & immutandi corpora craſſiora. Sicut itaque omnis corporum, ita & medicamentorum actio dependet a motu materiæ ſubtilis, qui varie modificatur, pro diverſa diſpoſitione & conſtructione materiæ medicaminis ex ratione figuræ, magnitudinis ac ſitus particularum, ſive uno verbo pro varia materiæ mechanica conſtructione. Quoniam itaque virtus quintarum eſſentiarum falſo veterum fundamento innititur, nolumus hic eſſe longiores, maxime cum nobis in præſentia non ſtatutum ſit, hæc accuratius exquirere.

PETRI POTERII

PHARMACOPŒÆ SPAGYRICÆ

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De ſecretioribus Mineralium præparationibus, & uſu, complectens terras, varias ſalium ſpecies, bitumina, mineralia, & lapides.

IN præcedenti libro, medicamentorum, tam vegetabilium, quam animalium præparationes, eas præſertim, quas frequenter in uſum adducimus, breviter & laconice abſolvimus, interea non omiſi aliquot præparationes mineralium, etſi caſdem fuſiori ſermonem in ſequentem librum diſtulerim. Etenim mineralium præparationes arduæ ſunt nimis, & a præmiſſis toto genere diverſæ. In his peragendis multorum opinionem non ſequor, qui aliorum ſcriptis perpetuo hærentes, convaſatores (ut ajunt) & nudi tranſcriptores mihi videntur. Quæ manus noſtræ tractaverunt, & quæ oculi noſtri viderunt, in medium proponimus. Quod ſi quædam ab aliis tradita nonnunquam affero, ſcias velim, me iſthæc haud ſemel proprio labore expertum fuiſſe. Multa impoſſibilia, incomperta, a multis tamen vera habita, examinanda minime ſuſcepi, ut qui rixas, & lites

ex

ex aliorum commentis componere minime ſtatuerim. Hæc vero ſcabra, ſtylove haud ſatis terſo ſcripta, obſcura, & auribus tuis nimis aſpera fore minime diffido; at naturæ rei partim tribuas, nobis etiam, cui, ut cunctis, inſitum eſt errare: poſtmodum non decet caſtam virginem, (veritatem ſupple) fuco & mangonio deturpare. Nonnunquam ſi majores noſtros in dicendi genere æmulari videar, id nobis eſſe condonandum arbitror; ii enim naturæ arcana haud omnibus nota eſſe voluerunt, ſed eadem ſæpe ex induſtria occultarunt, ſolis filiis artis, Jatrochymicis videlicet, ea bona demeritis, per ænigmata ipſa concredentes. Nunc vero arte propagata, & filiorum multitudine aucta, nec non myrochomicorum grege delapſo, & vehementer diruto, non eam veterum ſeveritatem, ſed mediam quadam viam ſervare cogitavimus. Statim in hujus operis limine univerſales illas ſex famatiſſimas præparationes præmittendas duxi, ne ſæpe eadem repetere cogar. Etiam ut tyrones eodem in loco artis principia reperiant, methodum & ordinem ad medicinas particulares diſpoſui. Nec moror, quid Chryſopœi adverſus nos clamitent: noſtris enim contenti, famatiſſimi ipſorum lapidis acquiſitioni minime invidemus.

CAPUT II.

(a) *De Calcinatione, Præparatione prima.*

CAlcinatio eſt foſſilium in calcem reductio, quæ duplex eſt, actualis, & potentialis. Actualis ea eſt, quæ fit actuali, validoque igne, & hæc vera calcinatio dicitur. Potentialis, ea quæ potentiali igne fit, ut ſunt aquæ fortes, chryſulcæ Stygiæ regiæ, ſpiritus ſalium, & quotquot extant diſſolventium genera, & hæc potius ſolutio, quam calcinatio, atque inde ea vocatur præcipitatio, cum poſt ſolutionem exſiccantur, vel cum aqua ſalſa in aqua præcipitantur. Calcinatio proprie dicta, fit vel per ſe, vel cum additione: uti ſtannum, vel aliquod aliud metallum per ſe, (excepto auro) calcinatur, vel cum ſale. Ad calcinationem reducuntur reverberatio, & cœmentatio. Reverberatio ignis eſt repercuſſio in rem jam calcinatam. Cœmentario eſt quoque ignis repercuſſio, at diverſo modo: hæc enim in aperto & cum aliis rebus, cujus & compoſitio cœmentum dicitur; illa vero in furno clauſo, & per ſe ſæpius fit. Per reverberationem fixæ tinctura ſub calcis forma latentes manifeſtantur; item calces in vitrum vertuntur, ſalibus aliquot additis vel tartari, vel Kali, vel alterius herbæ. Per cœmentationem mundantur metalla, eaque novam perfectionem nanciſcuntur; item aſpera lenia fiunt, colores eorum exaltantur, & alia.

Vaſa nota ſunt, ignis item notus, nec non ejus materia, furnus quoque cuilibet in chymicis parum verſato maxime innoteſcit.

(a) *De Calcinatione*. Calcinatio, ſublimatio, deſtillatio, fermentatio, liquefactio, ſolutio, præcipitatio, ſolutorum coagulatio, abſolvunt fere omnes operationes chymicas.

Calcinatio, ſub qua incinerationem ſi-

mul complectitur, est destructio nexus & cohæsionis particularum, quibus corpora naturalia constant, mediante igne, aere, vel menstruo quodam, immutans colorem, & substantiæ texturam. Vegetabilia igne tam culinari, quam solari, qui omnium vehementissimus est, reducuntur in cineres, ex quibus sal mediante aqua elici potest. Animalia & marina vertuntur in calcem quandoque satis urentem acrem: quę spectant etiam lapides. Mineralia abeunt vel in calcem, uti antimonium, vitriolum, stannum, vel in crocum, qui nihil aliud est, quam calx colorata: uti ferri, cupri. Aurum & argentum vehementissimo igne propter particularum homogeneitatem ac tenacem contiguitatem in calcem non secedunt. Aer vim quoque calcinatoriam habet, partim quod salinas semper atomos secum vehat, partim etiam, quod penetrantem vim solventem custodiat, hinc ferro rubiginem, cupro æruginem inducit. Menstrua tam sicca, uti sulphur & mercurius, quam humida, uti liquores corrosivi, tum per arrosionem, tum per solutionem & subsequentem præcipitationem animalia & mineralia in magisteria, calces & crocos vertunt. Per aquæ vapores ossa, cornua, ungulæ animalium philosophice, uti chymici loquuntur, calcinantur, dum gelatinosa eorum substantia extracta, friabiliora reddunturtur, ut pulverisari commode queant. Sic machina adinventionem Papini, ast faciliori & meliori via elaboratam, possideo, in qua mediante calore in humido per aeris elasticitatem quadrantis horæ spatio ossa solidissima, ebur, dentes apri, tam friabilia & mollia conficio, ut instar casei discindi possint.

Metallis calcinatis semper fere aliquid accrescit, vel a particulis igneis, vel a menstruis; uti patet in calcinatione reguli antimonii cum venere, minio, calce viva, lateribus coctis & similibus. Etenim flamma est motus & resolutio partium corporis phlogisto terrearum, quas instar menstrui cum calcinatis intime quandoque miscet; unde & pondus & textura ac virtus mutatur. Menstrua solutis semper affricant partes quasdam; hinc ponderosiora post præcipitationem esurgunt magisteria.

(*b*) *De Sublimatione, Præparatione secunda.*

Sublimatio, est proprie rei mineralis per validum ignem elevatio, in qua corpora crassa subtilia redduntur, corrosiva & acria, evadunt dulcia & benigna; & e contra dulcia & benigna, acria & corrosiva: item ejus medio volatilia fixantur, & corpora purificantur. Fit sublimatio, aut per se, aut cum additione: Per se, ut antimonium, sandaracha, & multa alia, Per additionem, ut in mercurio sublimando liquet. Adduntur, vel ut facilius in sublime attollantur; vel ut in fundo vasis crassior pars ramaneat. Vasa quibus ad eam utimur, sunt vitrea, vel terrea oblonga: vel si curva, ea annectuntur invicem, in modum, ut ab ignis calore ultimum haud incalescat Ad hæc urinalia, matracia, bocciæ, & similia peropportuna sunt. His aptantur pilea rostrata, & non rostrata: Vasa luto sapientiæ prius probe muniuntur. Fit autem ejusmodi lutum ex Terræ argillaceæ partibus duabus, Fimi equini, parte una. Pulveris testarum, parte altera. Vel fit ex Terræ argillaceæ, partibus tribus, Tomenti, vel pileorum barbit. Fimi equini, an. parte una. Fit etiam ex Terræ Valentiæ, partibus duabus, Tomenti, vel bombacis parte una, cum aqua misce. Quibus addunt nonnulli scoriam ferri, minium, & alia pro re nata. Ad sublimationem reducuntur, exaltatio, elevatio, & fixatio: ejus medio res fixantur, & constantes fiunt.

(*b*) *De Sublimatione*. Sublimatio est evaporatio seu stillatio sicca, mediante ignis vehementissimo gradu, vel solo, vel alio accedente corpore, sive salino, sive sulphureo evaporationem promovente. Omnia salia volatilia animalium, ex vegetabi-

tabilibus camphora, ex salibus sal ammoniacum, ex mineralibus sulphur, antimonium, mercurius, ex gummatibus benzoe, ex metallis plumbum, solo calore debite administrato, sub forma florum in altum elevantur. Reliqua per se sublimationi haud patent, nisi horum accessu, unde sal ammoniacum etiam fixissima secum in sublime vehere solet. Aurum gravissimum metallorum, si prius debite solvatur, & cum spiritu tartari præcipitetur, singulari enchiresi in flores purpureos elevatur.

Variat ignis gradus in sublimandis rebus pro materiæ mobilitate & fixitate. Sic mercurius dulcis & cinnabaris potentem requirunt, mitissimum salia volatilia, camphora, flores benzoes, validiorem sulphur, sal ammoniacum. Quæ majore ignis gradu egent, commodissime in crucibulis, vel cucurbitulis vitreis, crucibulo, arena impleto, repositi sublimantur.

(c) *De Solutione, Præparatione tertia.*

Solutio, est propria corporum in liquorem resolutio: quæ duplici modo fit, per se, & cum aliquo liquore. Sub primam differentiam Fusio reduci potest, licet improprie: Sub secundam, multiplices operationes, quæ, ut a brevitate nostra alienæ, merito ommittuntur. Solutio rursus, quædam ignis medio fit, quædam citra ejus opem. Ignis hac in re duplex subintelligitur, naturalis & intrinsecus, artificialis & extrinsecus; hic naturalem & intrinsecum juvat, atque ad agendum proritat. Solutionis modus unicuique satis innotescit. Per hanc operationem corporum vincula solvuntur, & ad Medicinæ usum adducuntur, solida liquida fiunt; effœta & semimortua, rediviva, occulta, manifesta. Vasa ad eam necessaria, sunt cucurbitæ, urinalia, bocciæ, pellicani, & alia terrea, vel ex vitro, cum capitello rostrato, & non rostrato.

(c) *De Solutione*. Solutio dicitur, quando corpora solida fluidam naturam assumunt, sive in liquoris poros recipiuntur, mediante certo menstruo seu liquore solvente.

Menstrua primaria sunt aer, qui particulas sulphureas, odoriferas ac subtiliores in sinu capit, & salia humiditate sua tam acida, quam alkalina dissolvit, quæ solutio deliquium communiter audit.

Maxime concentrata & a terreo munimento immunia, uti nitrum fixum, sal quodvis lixivioſum, sal dictum ammoniacum fixum, solutio oculorum cancri, terra foliata tartari, item salia ex testaceis alkalinis cum menstruis acidis parata, vitriolum martis cum spiritu salis vel nitri paratum, butyrum antimonii similiaque facili negotio se submittunt deliquio. Reliquas solutionem præcipuas species absolvunt menstrua, quæ pro diversitate solvendorum vel aquea sunt, vel spirituosa, sulphurea, acida, alkalina.

Aqua omnis alterius substantiæ mistione vacans ex vegetabilibus mucilaginosas gummeas, ex animalibus gelatinosa partes maxime extrahit, & salia undiquaque deliteſcentia promtissime imbibit; præterea & terreas, sulphureas salinas ex vegetabilibus dissolvit partes, nec non ipsas austeras constringentes, uti solutiones gallarum, corticum granatorum, foliorum quercus, florum balaustriorum, & ejusmodi alia id ostendunt, quæ cuncta ad mixturam vitrioli attramentosum colorem recipiunt. Ex adverso menstruis aqueis resistunt sulphur, pinguedines, ac resinosæ partes, bitumina, terræ, metalla, mineralia.

Acida menstrua sunt vel subtiliora, uti spiritus vitrioli, veneris sachari saturni, formicarum, sulphuris, vitrioli volatilis, acetum destillatum, item spiritus mineralium dulces; vel potentiora & magis corrosiva, uti spiritus salis, nitri, & vitrioli, vel magis concentrata, uti butyrum antimonii, spiritus nitri fumans, aqua regis, oleum vitrioli. Dissident maxime

xime menſtrua acida ratione affectus. Acetum vini vel ejus ſpiritus aggreditur plumbum, item lapides cancrorum, corallia, quod minus commode præſtant ſpiritus ſulphuris, vitrioli, aut ſalis. Venus facili negotio diſſolvitur ab aqua regis vel aqua forti, ægerrime a ſpiritu ſalis. Spiritus ſalis martem in vitriolum vertit, minime autem argentum, quod aqua forti vel ſpiritu nitri ſolvitur.

Spiritus urinoſi volatiles ſpiritui vini magnam potentiam conciliant, intime concreta reſinoſa difficilioris alias ſolutionis, item olea deſtillata diſſolvendi, quod etiam certo reſpectu de ſalibus lixivioſis valet, quæ etiam in mineralium ſulphura peculiare jus ſibi vendicant.

Salia media ſoluta vim quoque menſtrualem varie exercent; Ita ſolutio ſalis communis & tartari, item ſolutio aluminis conjunctim diſſolvunt debita coctione venerem, unde dependet fundamentum dealbationis argenti cum cupro mixti. Eodem menſtruo ex mineris cupreis via humida ſeparatur metallum.

Solutio nitri & ſalis ammoniaci, folia auri, vitrioli ſtannum, tartari jovem & martem, ſalis ammoniaci venerem vitrioli & nitri lunam, urina auripigmentum, ſolutio terræ foliatæ tartari gummea & reſinoſa corpora facili negotio in poros recipiunt & diſſolvunt.

Spiritus phlegmate ſuo exuti olea deſtillata promte abſorbent & reſinoſa corpora extrahunt, quod etiam præſtant olea deſtillata & certo reſpectu etiam expreſſa, quamvis in minori gradu, qua de cauſa balſamum peruvianum ambra ab expreſſis non tangitur. Hoc tamen tenendum, ſpiritum vini rectificatiſſimum cum oleo terebinthinæ ſe non libenter conjungere, neque cum ſanguine humano, neque cum gelatinoſis ac mucilaginoſis his ſubſtantiis. Item olea deſtillata ætherea, opium, extracta vegetabilium, ac gummata minime penetrare, & ſolutionem vel extractionem in ipſis efficere poſſunt.

(*a*) *De Putrefactione, Præparatione quarta.*

Putrefactio, nomine & effectu nota eſt: ea præcedentes operationes immediate ſequitur; corpora ſiquidem ſoluta putrefactionem facilius ſubeunt, vel eadem ſolvuntur, ipſis prius calcinatis, & ſublimatis. Digeſtio, & circulatio, hujus ſunt veluti appendices. Fit autem putrefactio per ſe, & cum aliis, in fimo, vel in balneo maris, vel alio loco calido. Ejus præſtantia, & dignitas non cuivis innoteſcit. Ejus medio purum ab impuro ſegregatur, multa renovantur, & in novam formam adducuntur; ſic per eam multa vita exuta revireſcunt; corroſiva quæque acrimoniam deponunt, levia ac dulcia efficiuntur; venenata & efferata cicurantur; colores tranſmutantur, & alia mira præſtat.

(*d*) *De Putrefactione*. Putrefactio locum habet in regno animali nec non vegetabili: utpote animalia fermentationi nunquam auſcultant, ſed ſibi relicta, & vita exuta cum graveolente odore, qui individuus putredinis comes eſſe ſolet, in putrilaginem abeunt. Memorabile eſt, vegetabilia humidiora maxime & denſius cumulata, dum putreſcunt, ſenſibilibus ſæpe incaleſcere, & odorem etiam ſalis volatilis urinoſi exſpirare.

Putrefactio fit, quando unio corpuſculorum, mixtum conſtituentium, diſſolvitur, maxime ab aere calido & humido, quare omnis putredo texturam corporum deſtruit, ſimulque cum ipſa ſaporem, odorem & virtutem. Quæcunque unionem partium firmant, uti ſunt rigidiora ſalia, acida, humidum abſumunt, uti ſpiritus vini rectificatiſſimus, aeremque arcent, quod fit in vacuo, & non putredinem admittunt, uti ſunt olea deſtillata, ſalia, corpora bituminoſa, ſpiritus vini, a putredine defendunt, & in hoc fundamentum conſiſtit omnis balſamationis corporum.

Effectus putrefactionis in chymicis eſt productio ſalis volatilis. Hinc animalium partes etiam excrementitiæ, uti urina, ſaliva, per putrefactionem copioſius, pejoris tamen odoris, ſuppeditant ſal volatile,

tile, quam si destillentur citra illam. Motu enim validiori intestino, qui in putrefactione observatur, fixiores corporum partes salinæ volatilis speciem induunt, unde vegetabilia incinerata multum salis lixivioſi in se habent, putrefacta sal volatile copiose promunt. Horum autem caput mortuum vix tantillum salis alcalisati suppeditat.

(e) *De Distillatione, Præparatione quinta.*

Distillatio æque omnibus nota varias suscipit differentias, quæ pariter satis communes sunt. Ascensio, lavatio, & fixatio ad eam reducuntur. Ejus utilitas, & necessitas cuivis patet. Ejus medio fixantur corpora, variis cohobationibus ad id repetitis; multa item amara dulcescunt, & dulcia amarescunt. Vasa distillationi inservientia, multiplicia sunt, pro materiæ distillandæ natura, & distillationis specie, hæc penes artifices facillime addiscuntur.

(e) *De destillatione.* Destillatio evaporatio est, hinc quæcunque corpora non habent partes evaporabiles, non bene destillantur. E contra quæcunque odorem fortem & exhalationes copiosas emittunt, destillationi auscultant. Pugna est inter Eruditos, an dentur aquæ purgantes: Plurimi negant, ex eo, quod purgantium vis resideat in parte resinosa, quæ vero nullo modo ascendit. At vero certum hoc est, non ex omnibus, quæ purgant, posse fieri aquas purgantes, cum tamen purgans virtus sæpius in quibusdam magis in volatili, quam in fixiori substantia salina acri consistat; hinc illa ipsa destillando fundere purgantes aquas non dubitandum. Confirmat id etiam certissima omnium judicatrix experientia. Aqua nicotianæ ciet vomitum: aqua hellebori nigri sedes movet, *vid. Zvvolfer. in Pharmac. p. 26. Item* Borrich. *in apol. contra Conringium p.* 349. *Mynsichtus* aquam aloeticam: *Heurnius, l. 1. method. ad Praxin p.* 39. aquam purgantem ex floribus persicorum, scammonio, turpetho, proponit. *Hæferus in Hercule l. 8. p.* 240. aquam laxativam ex manna cum nitro ana destillatam. *Freitagius in errore med. p.* 130. aquam florum iridis purgantem consignavit.

Quæ destillantur ordinarie non tincta sunt colore quodam, sed limpida procedunt. Observavimus tamen curiose etiam coloratos liquores per alembicum vel per retortam ductos. Privilegium in hoc singulare habent flores chamomillæ, qui oleum præbent summe cæruleum, itidem pimpinella, sanguisorba, quæ ex cæruleo viridem fundit spiritum, quando spiritu vini parciori rectificato saltim maceratur, facta postea destillatione. Ex croco flavescens quoque liquor prodit, si parum aquæ affusum fuit, ne diffundatur tinctura. In regno minerali ex sulphure, nec non ex scoriis antimonii, mediante sale ammoniaco calce & viva, liquor volatilis, sulphureus, aurei coloris, prolicitur: eodem modo in sublimatione salis ammoniaci florum cum hæmatite spiritus flavescens urinosus visitur.

Curiosa observatio est, destillari etiam spiritus posse largiori in copia, nullo subdito igne. Miscuimus aliquando spiritum nitri satis fortem cum spiritu vini rectificatissimo. Retortam, cui mixturam committebamus, posuimus vesperi in arenam, quo altero mane destillatio adornaretur, eo tempore accessimus ad ignem subministrandum: ecce per noctem sua sponte destillatus fuit spiritus nitri dulcis penetrantis odoris sulphurei, præstantissimus. Simile observavimus, dum oleum vitrioli acerrimum nitro & sale ammoniaco miscuimus: item dum aquam fortem amalgamati mercurii & jovis retortæ impositio infundebamus: illico prodibat spiritus sub flammeo in recipiente vase colore. Motu enim & reactione vehementiori intense hæc invicem incalescunt, quo calore particulæ volatiles avolant & ascendunt.

Datur etiam adhuc alius minus notus destillandi modus beneficio vitri causici intensissimum ignem suppeditantis. Quando nimirum retortæ vel phiolæ vitreæ ni-

gro

gro colore quoad dimidiam partem tinctæ (ut eo melius solares radii colligi & uniri queant) immittitur mastiche, succinum, olibanum &c. & capax recipiens vitrum admovetur, sic in libero aere radiis solaribus copiosum oleum & spiritus elici potest.

(f) *De Coagulatione, Præparatione sexta.*

Coagulatio omnium postrema, nomine etiam notissima, frigore fit, & calore. Calore coagulata, fixa permanent; non ita quæ frigore. Ad hanc fermentatio, & fixatio reducuntur, ad quas operationes duplex calor præmeditandus venit, artificialis & naturalis. Artificialis ex variis lignis rebusque combustibilis fit; naturalis etiam multiplex est: quæ in sequentibus, in particulari mineralium præparatione manifesta reddentur. Ad has sex præparationum species universales, multæ plures reducuntur, quæ ut notæ, & faciles, explicatione non egent: insuper manualis operatio longe plura docebit.

(f) *De Coagulatione.* Quodsi ad spissitudinem extracti crassioris abstrahendum solutum quoddam est, in Mariæ balneo id fiat, ut eo adustio particularum extracti & empyreuma præcaveatur, quod in extracto aloes, opii aliorumque vegetabilium observandum, vel adhuc consultius super ignem nudum vel arenæ, maxima liquoris portio auferenda. Deinde leniore calore intercedente inspissatio absolvenda. Observationem meretur, extracta quædam, item rob. & similia ad debitum consistentiæ gradum igne nudo vel calore fortiori non redigi posse, sed semper fluida remanere, justam autem & spissiorem formam acquirunt, si debita prævia coctione, leniissimo hypocausti vel fornacis calori per sufficiens tempus admoventur.

CAPUT III.

(a) *De communis terræ proprietatibus.*

IN fossilium arcanis primum deducendis, ab his, quæ é variis Terrarum speciebus educuntur, exordiemur, ut quæ nobis magis sunt obvia, leviorique præparatione egent. Sicque de universali terra, cui Plinius *ob ejus eximia merita, maternæ venerationis cognomen indidit, quasi hominum illa, ut cælum Dei: quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissime complexa gremio, jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime, ut mater operiens; nullo magis sacramento, quam quo nos quoque sacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, & memoriam extendens contra brevitatem ævi. Cujus numen ultimum jam nullis imprecamur irati grave: tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini. Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: aer densatur nubibus; furit procellis. At hæc benigna, metis, indulgensque, ususque, mortalium semper ancilla, quæ cuncta generat! quæ sponte fundit! quos odores saporesque, quos succos! quos tactus! quos colores! quam bona fide creditum redit fœnus! quæ nostri causa alit! Illa medicas fundit herbas, & semper homini parturit.* Vis universalis seminum a primo ævo illi indita fuit, hinc excepta semina fovens, eas in se convertit, sibique assimilata vitali suo

motu

motu producit: & ultra in ejus viſcera penetrantes, auri & argenti venas, æris, plumbi, ac aliorum metallorum fodimus: gemmas etiam cum aliis quærimus, ſcrobibus in profundum actis: Ab hac tanquam ab uberrimo fonte, naturæ arcana affatim proſiliunt. Non ergo mirum, ſi ab ea exorſi, ejus facultates, & vires apprime meditemur. Relicta vero communi terra agricolis, medica proſequamur. Eam eſſe frigidam, & ſiccam, communis eſt ſententia. Verum dum hoc efferunt, terram illam ſimplicem, opinione potius, quam re intelligunt, quæ in centro, aut ſaltem in imis ejus viſceribus reperitur; hæcque verum elementum reputatur. Nos terram nullibi ſimplicem reperiri; ſed undique ſpiritu perfuſam, variiſque rerum ſeminibus, mineralium, metallorum, gemmarum, plantarum, & animalium, plenam, eſſe arbitramur. Ex quacumque terra ſal balſamicum educitur, quod varias obtinet virtutes, pro natura ſoli ex quo educitur: hoc terra orbata, inutilis, infœcunda, & plane evanida, ac iners cenſetur. De hoc ſale balſamico alibi plura dicenda relinquo. Nunc de terris ad noſtri uſum ſpectantibus.

(a) *De communis terræ proprietatibus.* Omnes terræ argillaceæ ſpiritum æthereum acidulum continent, unde etiam ſpiritus ſalis & nitri deſtillati cum argilla longe excellentioris in medicina uſus ſunt, quam in fine illa parati fuerint. De ſpiritu ex terra fontana egregia habet *Becherus ſect. 2. c. 3. l. 7.* Spiritum terræ ſigillatæ acidulum in malignis morbis ad ſudorem eliciendum *Samuel Gloſſæus & Gregor. Horſtius centur. problemat. therapeut. decad. 1. de febr.* mirifice laudatur Singularem ſpiritum ex argilla flava in Fionia vehiculum omnium bezoardicorum definiunt *acta Hafnienſia obſ. 10. an. 1671.* Cæterum nonnullæ terræ & argillæ recondunt quoddam ſal volatile incolis alcalinæ. Sic ergo ex terra Hornhuſana olim extraxi genuinum ſal volatile. Spiritum & ſal volatile paratum ex terra Zeilonica vide *in ejus laboratorio p. 138. Dominus Bogle de Gemmis p. 156. perhibet*, argillam quandam deſtillatam reddidiſſe ſal volatile acre, ob virtutem cardiacam, lavativam & diaphoreticam commendabile. Lapides, ex quibus calx viva ordinarie fit, ſal quoque largiuntur nitroſum.

CAPUT IV.

(a) *De variis terrarum ſpeciebus, earumque præparationibus.*

QUanquam extant plures terrarum ſpecies præſtantiſſimis virtutibus donatæ, ut Eretria, Samia, Chia, Selinuſia, Cimolia, Melia, ampelites, ochra, rubrica ſinopica, rubrica fabrilis, & ſimiles, hodie tamen duæ ſpecies tantum reperiuntur in uſu: Bolus, & terra ſigillata. Sub bolis nomine, omnem aſtringentem terram rubram, & citrinam vulgus intelligit. Sub ea vero terræ ſigillatæ, omnem terram albam, & cineritiam. Bolus Armenus, qui & Orientalis dicitur, omnium optimus cenſetur. In Europa variis in locis ipſi non valde diſſimilis colore, & virtute reperitur, at quæ e longis terrarum tractibus advehuntur, majoris apud nos habentur ſemper.

Terra quoque ſigillata, quæ nunc ex Conſtantinopoli ad nos defertur, omnium judicio optima habetur, cum Lemnia idem nomen retinens, quamvis hodie ex Inſula Lemno minime aſportetur; ſed e Conſtantinopoli, ſigillo

Tur-

Turcico insignita. Prope Turones terram leucophæam valde astringentem; Turcicæ persimilem, & viribus forte non imparem comperimus. In Allobrogum montibus, in Provincia, & in Gallia Narbonensi non inferiores vidimus. Quæ ex Melitensi Insula transportatur, his est valde affinis insignes virtutes obtinens. In multis præterea Italiæ locis optimam inveniri posse minime negamus, uti prope Bononiam observare nobis licuit. Qui tandem cunctas regiones lustraverit, in unaquaque terram aliquam medicatam repertu-rum minime diffido. Est insuper alia quædam astringentis terræ species, e meditullio eboris fossilis educta, cujus vires maximæ & præstantissimæ sunt, præsertim in venis edomandis: valet & ad ventriculi laxitatem, intestinorum, item & alvi.

Hæmorrhagias sistit, & jecori robur conciliat, refrigerat, & astringit, ut terra Turcica. Illustrissimus eques Cassianus a Puteo, virtute & moribus insignis, cui hæc dicata sunt, maximam ejusce eboris quantitatem in ædibus suis nobis commonstravit, ex quo (inter alia miracula) lapidem vulgo *Turquina*, Gallis *turquoise*, a se paratum, nobis libenter dedit.

(a) *De Variis terrarum speciebus &c.* Innumerabiles fere terrarum Medicinalium species sunt: ita nonnulli ultra quingentas numerant terrarum sigill. species colore ipsaque textura variantes; ita variæ dantur lithomargæ, cretæ argillæ, boli, ochræ. Observavimus terram Lemniam rubram rubro-crocaceam, subluteam, albam ex toto, alia ex una parte rubram, Locroth punctulis cœruleis & albicantibus signatam, ex altera parte venis ex rubro atris & cæruleis distinctam, aliam colorem Jaspidis æmulantem, & ramis transversim dissectam, aliam colorem castanearum habentem & nigris distinctam coloribus, aliam magis cæruleis ramis divaricatam & visu perquam jucundam. Quod terras sigillatas attinet, Curiosa est Melitensis alba latitudine digiti unius, ab una parte effigies S. Pauli, tenentis viperam gladio circum volutam, ab altera figura crucis Melitensis conspicitur, in alia hæc verba inscripta sunt, Initium sapientiæ, timor Domini; In alia imaginem Christi crucifixi adorans; In alia spectatur Dianæ antiquum sigillum capra nempe, infra quam Luna & Stellæ; Rarissima vero est illa, colore flavo prædita & longitudine digiti, exprimens imaginem D. Mariæ Jesum infantem in brachiis tenentem, cum inscriptione antiqua. Dantur insuper Terræ sigillatæ, carnei, albi, cinericii, flavi, rubri, hepatici coloris, pastillorum formam præse ferentes; In Germania sunt terra Laubacensis, cum insignibus Comitum Solmensium; Item Strigoniensis, Goldbergensis, Lemnizensis, Javverensis &c. Præstantissima vero omnium est terra sigillata strigoniensis flava, qua etiam in officinis in usum vocatur, & habet præ cæteris, quod retineat uti speculum, ut etiam faciem intuentis reddat, linguæ, imposita firmiter adhæreat; ori immissa dissiliat, & ictu quasi tangat dentes; vitro aqua pleno injecta, fortiter latera vitri concutiat. Eadem hæc flava terra etiam vocari solet Axungia solis, vel aurum conversum. Datur etiam alba strigoniensium perquam rara, quæ nec sigillo notatur, nec in usum vocatur, & creditur ibidem flavam continere aurum, albam vero argentum. Hæc terra difficillime eruitur & non nisi cultro ex monte vel lapide divulso erui potest, & lapis etiam est valde spongiosus, cui hæc terra strigoniensium innascitur. In superficie montis illius scaturigo aquæ, maxime pellucidę fuit, quæ tamen ante duos abhinc annos extincta est ex delapsu rupis scaturiginem destruentis, ex hoc vero fonte homines tam in vicinia quam dissitis etiam locis aquam haurire consueverunt, & quidem secundo in febribus ardentibus & malignis. Plura qui desiderat circa naturam & usum hujus terræ in morbis variis, adeat Joh.

Mon-

Montanum, Strigonienſem. Goldbergenſis etiam datur alba & rubra; Officinalis eſt alba, quæ aquilam habet impreſſam. Rubra vero ſigillo non premitur, hinc nec in Medicum vocatur uſum: Ex hac terra conficiuntur fictilia varia, ſed multi lutum intermixtum illis eſſe nota, & hoc ob abundantiam illius, quæ non in fruſtulis uti ſtrigonienſis, ſed maſſis integris haberi poteſt.

Datur inſuper Legnicenſis, quæ tamen ob defectum terræ non amplius ſigillatur, neque in officinis illius haberi poteſt, in Bohemia plurimæ ſigillantur terræ, interdum etiam ſatis ridicule ſigillatæ & notatæ, præ cæteris tamen, extollitur ratione virtutis Medicæ terra Brandeiſenſis, in ſudoribus excitandis, loco tribus horis Pragæ diſtante.

Dantur inſuper Turcicæ terræ coloris varii, rubri ſcilicet, incarnati; crocei, albi, rubri ex nigro ſplendentis variæ figuræ & magnitudinis, literis Turcicis inſignitæ: Mirum eſt Ungaria has terras in pharmacopolis non haberi, nec in Medicina adhiberi, ſed ſaltim Bohemicas. Viennæ e contra quotidiano in uſu ſunt Terræ Turcicæ, & literis illorum inſignitæ. Reperitur etiam terra aliqua ſigillata prope Altdorffium in crypta nota vulgo Kreisloh; meminit vero hujus terræ Caſpar Hoffmannus in Paralipomenis Officinalibus cap. 25.

Omnes terræ & boli maxime pinguiores, alexipharmacæ ſunt, & in ſiſtendis fluxionibus ſanguinis & attemperandis humoribus ſalſis eximium uſum habent. Galactites ſive lac lunæ eſt ſpecies margæ ſaxatilis, in fodinis ſuis lactea & butyracea eruitur. Sub dio indureſcit, eaſdem cum terris pinguibus vires habet attemperantes & confringentes. Pertinet ad terrarum claſſem etiam unicornu foſſile, quod revera non minerale quoddam eſt, ſed ſaltim animale, dum nimirum, uti multiplici experimento & ratione confirmatus ſum, oſſa & cornua animalium ſive caſu quodam olim in ſpeluncas vel terræ cavernas arenoſas, ubi aquæ deſtillant, illata fuerint, ſive etiam fraude ab hominibus, qui præſunt iſtis, uti in Baumanniana, Brunſvicenſi fit, ſub terra arenacea condantur, continua evaporatione ſeu deſtillatione ſubterranea molleſcunt & philoſophice quaſi calcinantur, ſæpius magnitudine ipſorum valde aucta, dum particulæ lapidoſæ fixæ, quas aquæ ex lapidibus abſtergunt ſecumque trahunt, contentæ, ipſorum poris concreſcunt. Ulterius autem quod unicornu animalium progenies ac ſoboles ſit, ex eo colligitur, quod igni injectum, niſi vetuſtum admodum ſit, adhuc ſpiret more animantium odorem volatilem, & nigro colore inficiatur. Adhæreſcit linguæ & bullulas copioſas emittit, ſi in aquam ponatur, quod etiam familiare eſt, aliis philoſophice ſic dictis calcinatis oſſibus, unde merito hæc ſubſtituuntur, eaſdemque vires cum ipſo poſſident.

CAPUT V.

(4) *Præparatio & uſus.*

OMnium Præparatio ſimplex eſt admodum: nam vel abluuntur, colantur, & ſiccantur, purioreſque redduntur, vel variis cohobationibus, menſtruis ad id appropriatis, in aliam formam reducuntur, & efficaciores fiunt. Per ſe non raro eas in uſum vocamus, præparatione ad hoc præmiſſa nulla. Ad peſtem, venenatoſque morbos teriam Turcicam ſic paramus. Accipimus dictam terram aqua meliſſæ, & boraginis, ſcorzoneræ, vel alterius generis prius mundatam, & probe exſiccatam, cui ſuperfundimus ſequentis aquæ tantum, ut quatuor digitis ſuperemineat.

Rec,

Rec. Succorum radicum ſ. corzoneræ, fol. ulmariæ, (alias reginæ pratenſis) rutæ capratiæ, an. ℔. j. fol. meliſſæ, boraginis, cardui benedicti, an. m. iv. corticum citri, ℔ j. ſem. cchii, neummaris, maceratio fiat in urinali vitreo, calore fimi equini: Alkali e fæcibus paretur, ut ſupra diximus, quo dicta aqua virtuoſior, & efficacior reddatur. Tunc dictam terram cum hac aqua in fimo equino per aliquot dies reconde, poſtmodum aquam per alembicum abſtrahe. Terræ in urinalis fundo relicto iterum deſtillatam aquam reaffunde, parique tempore in fimo relinque, ac demum aquam abſtrahe; hæcque operatio toties reiteretur, quoad terra veluti in liquorem vertatur, qui liquor ab urinali eductus, & ſoli expoſitus exſiccatur, & ad uſum aſſervatur. Uſus ejus eſt cum aliquo liquore convenienti, vel cum aliqua conſerva, electuario, aut opiata: Omni tempore a ʒ. ß. ad ℈. j. deſuperbibitur parum aquæ. Supradicta valet ad venenatos morſus animalium, contra peſtem, & febres acutas.

Bolus Armenus eadem via, eodemque proceſſu cum ſimili liquore paratur, & cum phlegmate vitrioli, & aluminis, maxime ad extrinſecos uſus. Poterimus & aliis facultatibus hac methodo terras, & etiam lapides inſignire. Ejus uſus plane idem eſt cum terra Turcica: extrinſecus vulneribus cruentis admovetur cum aliquo unguento, vel per ſe, vel cum aliis pulveribus. Cruentis vulneribus commode ſiccus, & in pulverem verſus admovebatur, pauxillo rhabarbari, thuris, & maſtiches adjecto.

Ex vitriolo, aliiſque ſalibus peculiaris quædam terra educitur, cujus vires plane ſunt inſignes. Item ex aliis mineralibus particularis terra habetur.

Sunt inſuper quædam terræ bituminoſæ, quarum uſus in Medicina non eſt ſpernendus. Cæterum his, quarum uſus non latet, brevitatis cauſa omiſſis, ad ſalium præparationem deveniendum.

(a) *Præparatio & uſus.* Terræ ſordibus & recrementis lapideis adhuc infectæ ſunt, merito lavandæ & elutriandæ ſunt, vulgo auſchvvemen. Sunt qui irritant illas decocto viperarum, cornu cervi, ſcordii, radicis ſcorzoneræ, tormentillæ, & poſtea ſiccant in finem majoris adverſus venenæ virtutis attrahendæ. Alii ad coroborandum imbuunt illa ſæpius rore majali vel etiam ejus ſpiritu: pro adſtrictione fortiori obtinenda ſpiritum ſalis dulcem ipſius infundunt, & poſtmodum redigunt in pulpam per ſe exſiccandam.

CAPUT VI.

(a) *De variis ſalium præparationibus, atque de Sale communi.*

TOt tamque diverſæ ſunt ſalium præparationes, quot eorum ſpecies; nam alio modo præparatur ſal communis, alio vitriolum, & ſic de cæteris.

Sal communis, quem & marinum vocant, varias obtinet proprietates, & propterea multiplices præparationes ſubit. Vis refrigerans & acida, ſpiritui ipſius

ipsius inhærens, valido igne per retortam pellitur: subdulcis & excalefaciens, ejus substantiæ crassiori connata, blando igne per coctionem emergit. Fit vero sic:

Spiritus salis.

Sale nimirum communi prius aqua communi soluto, filtrato, coagulato, & decrepitato. Solvitur, atque per filtrum pluries transcolatur, ut purior reddatur. Coagulatur, ut superflua humiditas evanescat, quam & perfecte absumit decrepitatio. Is sic paratus teritur, & duplo arenæ lotæ & siccæ, vel pulveris laterum, vel boli armeni commiscetur: postmodum retortæ inditus, valido igne adacto, liquorem fundit acidum, quem spiritum vocant, alii oleum, cujus sapor est dulcoacidus. Dosis ejus est gutta una, duæ, aut tres ad summum, cum jusculo carnis, vino, aqua distillata, vel alio liquore. Movet urinam, extinguit sitim, hydropicos juvat, & putredini resistit, tophos podagricos cum oleo terebinthinæ discutit: cum unguentis mixtus vulneribus putridis medetur. Lapidis, coralla, uniones, durioraque corpora solvit, rite præparatus aurum ipsum aperit.

Crystalli Balsamici salis.

Post spiritus supradicti extractionem crystallos dulces extrahimus, massam in fundo retortæ relictam dissolvendo cum apto proprioque liquore: dissolutum in fimo equino per aliquot dies reconditur, & frigido postmodum asservatum in dulces crystallos concrescit, quos si dulciores desideras, iterum solve, & coagula. Vas ad hoc boccia vel urinale dictum, peropportunum erit. Dissolvens nostrum hac in re est aqua vitæ, ex uvæ racemis vindemiarum tempore deducta. Omnis etiam aqua vitæ potest extrahere ejusmodi crystallos, sed una altera melius.

Dicti crystalli multiplices habent usus: ventriculum apprime excalefaciunt, apepsiæ succurrunt, inappetentiam corrigunt, nauseam cohibent, & alia pleraque præstant miranda.

Est & alia ejuscemodi crystallorum parandi via, quam require apud Quercetanum in sua *tetrade, cap.* 29. ubi plura de sale marino docet.

Rursus est salis communis præparatio, quæ vere halosanthos dici posset, licet hac appellatione, spuma maris apud antiquos intelligatur. Hæc cum in nostram praxim minime cadat, brevitatis causa a nobis omittitur.

(*a*) *De variis salium præparationibus, & sale communi.* Spiritus salis est vel subtilior ac penetrantior, qui cum bolis destillatur, item extempore facilioris destillationis qui confit ex sale marino, vel sale ammoniaco imbuto oleo vitrioli; Hic enim fumosus esse solet; Vel gravior, corrosivior, fixiorque, qui præparatur ex salis communis & vitrioli sive aluminis anarica portione longe majore in copia, quam si bolus accesserit: hac in re magis metallica & mechanica, ille in re medica usum habet eximium. Quo subtilior spiritus hic est, eo majorem vim resolventem & diureticam possidet. *Mæbius* Chymiater insignis adornavit ejus rectificationem in balneo Mariæ super pulverem vitri venetiani, ut refringatur quodammodo ejus corrosivitas, adde deinde dosi refracta spiritum salis ammoniaci pro virtute insigniore aperitiva, ipsumque ad gratiam rubro bellidum colore induit, unde nomen nactum tincturæ aperitivæ ad erigendum appetitum ad resolutionem ac diuresin promovendam, nec non ad ebullitiones hypochondriacorum calidas compe-

pescendas mirifice laudatum est medicamentum. *Lodov. in pharm. p.* 453. existimat, spiritum salis esse aroma philosophicum & aroph. *Paracelsi*. Spiritus salis cum spiritu vini dulcificatus longe tutior est usu interno in medicina, quam spiritus salis purus. Si ipsi spiritus salis ammoniaci ad laturationis punctum additur, largitur per evaporationem præviam sal aperitivum insigne stomachicum & antifebrile, quod si non superat, saltim æquare videtur crystallos salis dulces a *Celebri Authore* descriptos. Spiritus salis dulcis egregium menstruum est coralliorum. Observavi aliquando eorum solutionem cum illo factam, successive calore leni evaporatam instar arboris cujusdam philosophicæ latera vitri elegantissimo spectaculo pinxisse. Solutio hæc coralliorum eximiam vim aperiendi & diureticam alit, pravorumque succorum correctricem. Spiritus salis dulcificatus, si dextre paratus fuerit, etiam subtilissimum auri crocum agreditur, & sapore metallico ac colore inde flavo imbuitur, quæ tinctura admirandæ virtutis contra calculum, & renes purgandos creditur, alvum laxat, & fæces quandoque nigredine tingit: confert maxime subjectis pituitosis.

Sal commune in perfectum sal alcali convertitur, si ejus partes tres colliquescant cum parte una antimonii, addito carbonum pulvere. Lixivium, si aquæ affunditur, emergit sulphureum, cui instillatus spiritus acidus in fundum dejicit antimonii sulphur. Curiosa observatione dignum est, sal culinare destrui posse, & in terram insipidam converti, modo solvatur aqua & evaporetur: deinde aliquot horarum spatio igne aperto exuratur; quæ solutio, filtratio, evaporatio, exustio repetitis aliquot vicibus fiat, sic in limum vel terram puram, omni sale privatam quæ in filtro remanet, transit.

Mercurius sublimatus vel etiam spiritus salis communis remixtus cum lapide calaminari vel auripigmento fortissimum spiritum fumantem, qui ob crassitiem oleum salis vocatur, & metallis solvendis aliisque ~~urbus~~ chymicis inservit, constituit. Experimentum curiosum est, aquam sale communi saturatam minime conglaciari, maximum autem frigus aquæ & glaciei conciliare, ita, ut sal vel ejus solutio addita nivi, in momento aquam subjacentem vel circumfusam etiam in calido hypocausto permutet in glaciem. Notabile porro est, salinas, quæ sale perpauco imbutæ sunt, concentrari posse frigore, dum aqua copiosa in glaciem vertitur, & salina substantia affectat fundum, quod arcanum sibi commendatum habeant, qui salinas non adeo sale valentes possident.

CAPUT VII.

(*a*) *De Sale Nitro.*

SAl nitrum, vulgo sal petræ dictus, non semper æquales obtinet virtutes, ob varietatem locorum, in quibus nascitur. Qui sponte e terra erumpit, atque citra artificis opem habetur, de natura salis armoniaci participat. Is copiose colligi potest in pluribus locis agri Bononiensis, ubi nunc commoramur, & maxime in montibus ad meridiem expositis. Sic in communi, vulgo *monte Paderna*, dum per otia illic diversaremur, haud exiguam quantitatem reperimus; quo loco marcasita alba, & citrina, cum lapidibus quibusdam adhuc incognitis, virtutibus tamen præstantissimis, de quibus paulo inferius dicendum distulimus, copiose reperitur. Qui artificiose e terra educitur, atque ex muris, & antiquis ruderibus colligitur, nihil quicquam de salis armoniaci natura participat. Ex utroque spiritus educitur valde

de acer & mordax, basis aquarum fortium, quibus aurifabri utuntur, in auri, & argenti separatione. Fit vero ejusmodi spiritus eodem modo quo spiritus salis communis. Is vehementissimus est, continuo in auras spirans, cujus vapor per ambientem aerem frigidum & humidum densatum, & in aquam vertitur, sicque aqua pondere, & mole augetur. Est etiam ejusmodi vapor totus igneus, metalla, & corpora quæque dura penetrans, vim habent eadem calcinandi, quæ calcinatio communiter præcipitatio dicitur. Figitur sal nitrum per validum ignem, fixum solvitur, solutum iterum figitur, quod ter, & quater reiteratur. Ex dicto fixo crystalli dulces eliciuntur, prout de sale communi dictum est.

Sal prunellæ, qui ex eo conficitur, nunc admodum vulgaris est, fitque ipsum in crucibulo fundendo, atque ipsi flores sulphuris injiciendo, hocque toties reiteratur, quoad probe repurgetur, salque crystallinus evadat. Usus hujusce salis prunellæ, est in febribus ardentissimis, quas Hungaricas nuncupant, & causodes: Gravis est tamen ventriculo, & nauseantibus propterea minime dandum est. Mirum est, quomodo aquæ injectus eam tantopere refrigeret. Ex eo fit lapis ad hunc effectum, qui aqua minime solvitur.

Summa hujus salis præparatio in coctione consistit, cujus beneficio vires admirandas suscepit. Jungitur & aliis corporibus, ex quibus vires elicit, easque exaltat, & præstantiores reddit.

Quidam Chrysopœi, famosissimi lapidis physici materiam in eo consistere comminiscuntur: hinc triplicem habere naturam, vegetabilem, animalem, & mineralem. Nos in eo vires, & effectus admirabiles latere agnovimus, quos hic ultra prosequi præsens excedit institutum. Qui de eo plura desiderat, legat Quercetanum in suo *de meditam. prisc. philosoph.* item Penotus in suo *de chymicis præparationibus*.

(*a*) *De sale nitri*. Nitrum quod ex India affertur, præstantissimum judicatur propter efficacissimam pulverem pyrium, quem constituit.

Spiritus nitri facile parabilis, fumosus, ac penetrans saltim per arenam in retorta conficitur, si oleum vitrioli affundatur nitro: Sal enim potentius vitrioli aggreditur terram nitri, & sic ex hospitio suo dejicit spiritum acidum: quod relinquitur in retorta per crebriorem solutionem; transit in sal figuræ octangularis, arcano duplicato seu sali polychresto non absimile.

Notissima res est, nitrum in crucibulo etiam fortissimo igne non fluere, ast quando immediate vel pulvis carbonum vel sulphur adjicitur, inflammari & alcalisari: Sic lapis prunellæ alcali naturam quodammodo redolet, quoniam cum spiritu vitrioli ebullitionem concitat cum tetro aquæ fortis odore. Quod si autem nitro limatura veneris, jovis additur, & ignis fortissimus detur in crucibulo etiamsi clauso, cui saltim relictum in superiori parte foramen est, flammam concipit, in argumentum clarissimum, metalla hæc sulphur quoddam recondere.

Habet nitrum admirabilem usum in arte docimastica, ipsaque medicina. Separat omnia metalla, excepta luna, ab auro prius cum antimonio mixto, utpote illa in calcem redigit.

Non ignotum quoque est, per antimonium mire purificari & colore aurum exaltari, si cum ipso fundatur. Fundum nimirum perit ipsum, um regulo antimonii, qui alias secuncum ordinem fortissimo follium igne in auras dissipandus

est, aliquot ad minimum horis. Per compendium vero sicque melius partes antimoniales ab auro secernit nitrum, modo massæ in fluore existenti partes ejus tres adjiciantur; ita ut aurum pulcherrimum splendore & purissimum protinus evadit, quod artificium lucri & compendii causa magni æstimant Aurifabri. Notum porro est, quantum olei & operæ consumant docimastæ in separatione stanni ab auro: hoc vero obtinetur mediante nitro & sulphure. Cum auro diutius calcinatum nitrum rubicundum colorem extrahit.

Nitrum saltim purificatum nullo alio corpore vel sale tactum nec ignem passum, medicina præstantissima est, qua vix par datur in naturæ regnis: Anodynum est, somnum conciliat, ardores & inflammationes extinguit, sitim sedat, sudorem movet, delirium dissipat; Causa est, quoniam sanguini & humoribus fluiditatem conciliat, & acredinem salium lenit ac mulcet. Nam nitri solutio, injecta sanguini crasso, e vena emisso, illum floridum & fluidum efficit, itaut etiam ad thermometrum loco liquoris diu a corruptione immunis servari queat. Nobilius autem ratione virtutis est nitrum regeneratum, ex bonæ notæ spiritu nitri & sale tartari paratum, quod acrius & magis urinam promoveat, ad saturationis punctum permiscentur, solvuntur, & crystallisata præbent sal pyramidalis figuræ summe refrigerans, quod cum terreis absorbentibus, item cinnabari mixtum polychrestum constituit pulverem etiam in diarrhæis, quæ febribus inflammatoriis junctæ sunt, non contemnendum, contra vulgarem opinionem id confirmante experientia. Si immittitur aquæ simplici cum cornu cervi usto & syrupo papaveris rhæados, fit potio refrigerans in æstu febrium incredibilis virtutis; In malignis & deliriis nitrum cum camphora exhibitum, divinum ferme est præsidium. Nitro etiam veteres multum usi fuerunt. Sic lapidis prunellæ apud *Hippocratem* quatuor vicibus mentio fit; nimirum *l. 3. de morbis*, *bis in libro de internis affectionibus*, denique *lib. 11. de morbis mulierum*. Idem lapis etiam *Plinio* notus fuit *vid. l. 31. c. 11.* Complectitur particulas quasdam sulphureas ideoque prodit in destillatione flammeus. In spiritu nitri; si solvantur cornua vel ossa, fit rubicundissimus, quod neutiquam facit spiritus salis vel vitrioli, spiritus salis ammoniaci conjugio vertitur spiritus nitri in artificiale nitrum flavi coloris, consistentiæ non adeo firmioris, hoc crucibulo ignito immissum luculentissimam eructat flammam, quod vulgari nitro contrarium. Idem illud cum arena in retorta vitrea destillatum totum abit in spiritum acidum volatilem, quod etiam observatur in alio ex sale fixo regenerato, in documentum, Salia tam fixa quam volatilia urinosa acidi ingenium perfacile assumere.

Uberrimo proventu nitrum generari potest ex terra communi pingui, modo cum sale communi, calce viva & urina probe imbuatur, liberoque aeri exponatur. Notandum in terris etiam excoctis abundantissime nasci nitrum tempore verno & æstivo, minime autumnali & hyberno.

Ex nitro & tartaro, addito spiritu vini, destillatione igne aperto in retorta tubulata fit spiritus anticolicus *Michaelis* summe volatilis ac penetrans. Spiritus nitri dulcis cum spiritu tartari & cornu cervi mixtus evadit diaphoreticus, in omnibus morbis, ubi diaphoresi opus est, maxime utilis.

Spiritus nitri dulcis optime sic paratur. Sumuntur spiritus vini rectificati partes duæ, spiritus nitri summe depurati pars una, mixta digerantur per aliquot dies, destillentur ex retorta vitrea leniſſimo calore, & spiritus qui prodit, bis, si placet, superfundatur capiti mortuo, repetatur destillatio, ut exacta spirituum fiat unio. Signo autem optimæ conjunctionis spirituum est, si subtilem effervescentiam in prima statim commixtione subeunt.

Quod si hic spiritus affunditur coralliis, exurgit inde tinctura coralliorum flavescens, amaricans elegantissima, quæ in epilepsia, scorbuto, malo hypochondriaco, variolis & aliis ebullitionibus sanguinis usu est excellentissima, & si paucæ guttulæ liquoris martis addun-

tur ; rubicunda evadit , & tinctura martis corallia dici poteſt , quæ in omnibus morbis egregie exerit ſuam efficaciam , ubi exolutum partium robur firmandum eſt .

CAPUT VIII.

(a) *De Sale armoniaco.*

SAl armoniacus, ammoniacus, & armeniacus, ſic dictus vel ab Armeniæ , ex qua ipſe aſportari creditur, vel a Græco ἄμμος, id eſt, arena. Qui in Officinis habetur, omnino factitius , & artificalis apparet : nec mirum , ejuſmodi enim ſalem fere ubique reperiri arbitror. Hic Bononiæ puteales aquæ ejuſcemodi ſalis haud exigua quantitate abundant, quod nuperrime norunt novi quidam Chryſopœi, qui dictas aquas pluries alembico comprobarunt . Verum quidem ejuſmodi ſal purus, & ſimplex minime eſt, ſed cum magna portione ſalis marini mixtus. Ejuſmodi ſal radix eſt ſaporis acidi , quo fit, ut denſiſſima, & tenaciſſima corpora diſſolvat. Volatilis eſt admodum, & fugax, mercuriali natura præditus. Abundat etiam ſulphure , propterea in propria aqua ipſe ſolutus, in varias formas ſalium mineralium exurgit , cum etiam non pauca varietate vegetabilium. Hinc conjicere licet, dictum ſalem duplici illa natura eſſe præditum . Qui hanc admirabilem, & ſtuporis plenam ejus naturam intueri vult , ipſum diſſolvat in convenienti liquore, & coctione humiditas ad juſtam quantitatem abſumatur ; tum vas calidum in loco frigido collocetur : inibi plures vegetabilium ſpecies inſpecturus eris. Hac præparatione ſal ammonincus ad perfectam puritatem adducitur . Sic depuratus efficacior , & naturæ magis penetrabilis per ſublimationem redditur , quam peragendo , portio quædam ſpirituum elicitur . Sublimatur per ſe , & cum aliis, nec ejus ſublimationis ratio ab aliis diverſa eſt : cito ſublimatur ob ejus naturam volatilem, per vaſa terrea, & vitrea . Dulcoacidus redditur putrefactione, & coctione, præmiſſis ſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus.

Propter ejus naturam nimis fugacem , ejus fixatio ſummopere deſideratur ; propterea eum ter calcinant cum æquali portione calcis vivæ , quod fit in crucibulo per fortiſſimum ignem, ſingulis vicibus eum diſſolvendo , filtrando , & coagulando : ad unamquamque calcinationem, recentem calcem addere oportet, & hoc toties , quoad ſal armoniacus figatur , & liquabilis reddatur ad inſtar metalli. Figitur & cum aliis corporibus, prout uniuſcujuſque ſententia eſt.

(a) *De ſale ammoniaco* . Salis ammoniaci duæ ſpecies , unum nativum , alterum arte factum . Nativi hiſtoriam deſcribit *Plinius lib. 31. cap. 7.* memorans , quod Rex Ptolomæus , cum caſtra faceret, juxta Peluſium ſal invenerit , poſtea vero etiam intra Ægyptum & Arabiam ſqualentibus in locis inveniri certum fit , detractis arenis uſque ad Ammonis jovis oraculum . Ex officinis jam penitus exulat . Copioſe adhuc repetitur in Ætna , Veſuvii montis confinis, colliubus Leucogris prope Puteolos in Italia videtur progenies ipſius

fius ſulphuris mineralis inflammati & cum terra nitroſa alcalina mixti, utpote notus eſt mihi modus ex ſulphure & tartari ſale, ſi invicem igne miſceantur, parare ſpiritum volatilem urinoſum. Hoc ſal ſive ſulphur Veſuvianum non ſecus ac artificiale ammoniacum cum ſale tartari ſpiritum ſumme urinoſum volatilem largitur. Notabilis hanc in rem eſt locus *Caroli Fracaſſati differt. de Lingua p. 149.* referentis, Philoſophum quendam per agrum Neapolitanum iter facientem ſal ammoniacum reperiſſe, & ad Sereniſſim. Magni Ducis Etruriæ aulam attuliſſe, ubi ipſo coram præſente inſtitutis experimentis omnibus omnino requiſitis ſatisfecerit.

Sal ammoniacum corpora ferme omnia terrea fixa mineralia & metalla in altum elevat, qua de cauſa etiam a veteribus dicitur aquila. Præterea & figendi quadam potentia inſtructum eſt. Sic hujus & ſulphuris beneficio mercurius figitur in ſatis fixum igniſque patiens, quod æthiops mineralis dicitur, medicamentum. Hoc liberaliori doſi ſumtum ſolvit lymphæ coagulum, variis in rebellibus morbis, quam promptiſſime. Ex ſale ammoniaco ſulphure, mercurio & ſtanno ſublimatur ſubſtantia ſimilis auro.

Primus, qui ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſum invenit, *Glauberus*, quantum mihi de hac re conſtat, eſt. Præparatio exſtat *in furno philoſ. pag.* 220. ubi etiam mentio reperitur ſalis volatilis S. Spiritus urinoſi ex zinco, lapide calaminari, & ſale ammoniaco parati. Ex duabus partibus ſalis tartari & una ſalis ammoniaci puri mediante ſpiritu vini non rectificato per alembicum ducitur ſpiritus urinoſus ſumme volatilis, qui ex tempore olea deſtillata cujuſcunque generis ſolvit in medicinas præſtantiſſimas, & camphoram, ſuccinum, ambram, myrrham, promptiſſime imbibit. Spiritus hic vel ſal volatile medicamentorum vim maxime internorum penetrantia ſua adauget, & extractionem in medicinis reſinoſorum corporum promovet. Aloe, ſi in eo ſolvitur, eſſentia evadit perpulchre rubicunda ad menſium ſuppreſſionem utiliſſima: Illud vero memoria tenendum; amaritiem valde manſuefacere additum alcali. Sal ex capite mortuo ſpiritus quod elicitur, egregium ſtomachicum, aperitivum & antifebrile eſt, & ideo κατ' ἐξοχὴν digeſtivum audit. De hoc ſale memorabile eſt, quod metalla mirum fluidificet, unde etiam inter alia adhibetur ad fluorem quo mineræ ferreæ, alias difficillimæ fuſionis, emolliuntur atque tractantur. Quod ſi pars una limaturæ ferri vel cupri, duabus ſalis prædicti partibus admiſceatur, in crucibulo promta fit liquefactio & metalli diſſolutio, ita ut in vitriolum martis vel veneris, facile liqueſcens in aere, abeat, ſaluberrimo uſu medicinam. Sal hoc aliquando per decem calcinationes, filtrationes, ſolutiones et coagulationes tractatum, pene totum convertebam in terram foliatam, amaro ſalinam; quæ igne fluebat inſtar antimonii ſine fumo: color erat flavus, forſan quia in tigillo ferreo coagulatio inſtituta fuerat: Poſt fluorem in igne Gryſeum accepit colorem, ut hac ratione falia reſolvi poſſint in terram igne fluxilem.

Quando ſal ammoniacum cum calce viva deſtillatur, prodit liquor penetrantiſſimus; qui vero non ſub ſalis forma apparet in alembico, fortaſſe quod igneæ & æthereæ in calce viva particulæ ſtabilem illam formam recuſaverint. Neque hic ſpiritus cum ſpiritu vini rectificato mixtus inducit ipſi coagulum. Quod remanet in cucurbita, per elutriationem tranſit in ſal amaricans, quod dicitur ſal ammoniacum fixum, hoc non facile ſiccatur, ſed aere humido deliqueſcit: mineralarum liquefactionem facilitat, ita, ut ſi fluore igneo ſtet, lapides injectos prompte colliquefaciat. Mirabile circa ſal hoc eſt, quod ſpiritus vini ſumme dephlagmatus, ſi legitima tractatio fiat ipſum ſolvat, quod alias contra naturam ſpiritus vini. Spiritus hic inde redditur graviſſimus, ſi accenditur dimidium ſpiritus vini, avolat relicto ſalino liquore pinguiori & denſiori, adeo, ut hoc ſal ſingularem virtu-

tem

rem obtineat ſeparandi adhuc phlegma ex ſpiritu vini rectificatiſſimo. Curioſum eſt, ſpiritum ſalis ammoniaci rubicundum prodire in deſtillatione, quando ſcoriæ antimonii cum parte una ſalis ammoniaci miſceantur, et deſtillatio ex retorta fiat igne validiori.

CAPUT IX.

(4) *De Alumine.*

ALumen commune multiplices nobis exhibet uſus: crudum ſæpe uſurpamus abſque ulla præparatione, maxime ad oris ulcera gingivarum laxitatem, & ſimilis. Ex eo paratur aqua per alembicum, vel per retortam, quæ fere inſipida eſt; dicitur phlegma a nonnullis: pellitur lento igne abſque fere ullo artificio. Refrigerat, & leviter exſiccat ejuſmodi aqua. Propterea oculorum inflammationes reprimit, fluxiones ſiſtit, valet etiam ad omnem oris calidam intemperie, uvulæ, amygdalarum, & gingivarum laxitatem reprimit, & linguæ, ac palati ulcuſcula ſanat.

Ad febres ardentes ex alumine remedium præſtantiſſimum paratur, in quæ præparationes ejus auſteritas in dulcedinem vertitur. Hujus præparationis ſecretum in putrefactione, & concoctione conſiſtit: in quibus peragendis notandum venit, Alumen duplicem poſſidere ſubſtantiam, unam, quæ frigori expoſita coagulatur, alteram, quæ ſolo calore denſatur, aſtringens eſt admodum, & parum acida; quæ vero frigore coagulatur, acida eſt, & jam dulcedinis particeps. Itaque ad hanc præparationem perficiendam: omnes ejus ſubſtantiæ ſunt primum in unum ſimul coercendæ, cæque firmandæ, ita ut terra ſuam aquam amplius non reddat. Fixum aqua communi diſtillata ſolutum, per quindecim dies in fimo equino circulatur; tunc refrigerato vaſe, portio coagulata a diſſoluta ſegregatur, eaque coquitur, quoad alumen totum coaguletur: in qua operatione purum ab impuro ſemper ſecernendum venit. Coagulatum alumen iterum in pulverem reducitur, idque nova aqua diſſolvitur, & in circulatorio vaſe in fimo equino per menſem detinetur. In eo, diſſolvenda aqua, veluti lac efficitur, quæ poſtea ſubſidet, eaque lactis ſero ſimilis evadit; quo temporis ſpatio diſſolutio exagitanda venit ſingulis octo diebus. Vaſe refrigerato, portio quædam calore denſata; in faſis fundo reperitur, quæ nimis aſtringens, & auſtera evadit. Altera pars ſoluta, frigore coagulatur, eaque dulcis & acida efficitur, cum exigua adſtrictione. Non denſantur autem niſi longo temporis intervallo, nam ſingulis fere octo diebus portiuncula denſatur. Eæ partes quæ ſic frigore coaleſcunt, aqua ſtillatitia iterum ſolvuntur, atque per ſeſquimenſem iterum in eodem vaſe circulatorio ſervantur, & ſic aciditas omnis in dulcorem inſignem vertitur: cujus uſus eſt in ardentibus febribus cum juſculo carnis, ad 3.ß. & 3.j. Valet etiam in omni intrinſeca inflammatione.

Alumen præterea vulgariter per ſe excoquitur, in igne aperto, & vaſe

cujus usus popularis est nimis. Eo utimur frequenter in sublimationibus, aliisque Medicorum præsidiis: item in aquis fortibus eliciendis; etenim sua siccitate prohibent, ne salia fusa suos spiritus retineant. Suos etiam spiritus alacres, & mordaces una simul fundit, quo fit, ut dictæ aquæ fortiores reddantur.

(a) *De Alumine*. Elicitur alumen ex terris ut plurimum bituminosis. Parari & depurari solet affusione urinæ humanæ, unde spiritus urinosus, qui ex alumine leviter usto vel crudo cum sale tartari paratur, hujus soboles est. Quinimo artificiale ammoniacum ex alumine producitur, si caput mortuum spiritus salis cum ipso misceatur & destilletur: prodit spiritus salis aluminis acidus & flores salis ammoniaci rostro retortæ adhærent: de quo experimento legi *Wedelius in Catal. Nat. Curios.* Ex alumine per se spiritus difficillime destillatur, vasa enim in destillando rumpit, adstringens quodammodo est, si rectificatur, & terra quædam in cucurbita remanet.

Alumen, si a terra sua styptica per crebras suas solutiones & coagulationes cum spiritu vini liberatur, dulce, sensu medico, dicitur, & efficax est remedium in sistendis profluviis sanguinis, paroxysmis febrium supprimendis, circumspecte tamen, ut semper adhibeatur, necesse est.

Paratur ex alumine, mediante sale tartari, quoddam purgans absterſivum, quod ad drachmam unam datum, felicissimos edit effectus in illis personis, quæ stipatæ ac constrictioris alvi sunt, & incassum alias tentantur purgantibus.

Confit quoque ex alumine crudo egregium & commodum suppositorium satis efficax, cujus inventionem debemus *Angelo Sala*. Cæterum in laxitate & gangræna gingivarum Scorbutica, uvula laxata, ulceribus malignis, decoctum ex mastiche, myrrha, floribus rosarum, balaustiorum, alumine & vino decantatissimi effectus existit.

Nihil clarius monstrat regenerationem salium ex aere, quam alumen, quod in ignem apertum injiciendum & extreme calcinandum est, ita ut nullum salis vestigium relinquatur, sed saltim terra spongiosa levis, ac prorsus insipida remaneat. Hæc si ponderatur, & aeri committitur per aliquot dies: mox videbimus mirum incrementum, ita ut cum antea drachmam unam saltim ponderibus; jam drachmas duas ponderet cum insigni aluminoso sapore, & elapsis aliquot diebus drachmas duas cum semisse, ita ut magna quantitas salis aluminosi denuo extrahi queat. Quod si autem eadem terra aluminosa, sale suo orbata, in vase, ex quo per anthliam omnis aer exhaustus fuerit, servetur, nullum prorsus augmentum sentitur. Et quamvis materia ætherea in vase exhausto relicta fuerit, insufficiens tamen, nimisque exigua illius portio est ad terram sale ejusmodi gravidam reddendam.

CAPUT X.

(a) *De Vitriolo*.

VItriolum salis species est, cujus multa habentur genera, pro diversitate locorum, ex quibus advehitur. Omnium præstantissimum est Cyprium, cærulei coloris. Romanum postea ipsi proxime succepit, quamvis Hungaricum præstantia, & excellentia nulli cedat. Germanicum, & Anglicum his inferiora jure censentur. In agro Lugdunensi in Gallia, cæruleum, & forte omnibus præferendum habetur.

Parta ex vitriolo medicamenta pene innumera sunt: ex eo siquidem aqua insi-

insipida, spiritus, oleum duplex, sal, balsamus, sulphur, magisterium, colchotar, creta, & alia educuntur.

Aqua insipida, phlegma communiter dicta, ut phlegma aluminis, per retortam elicitur: cujus vires, & facultates a phlegmate aluminis paulum differunt; etenim ophthalmiæ succurrit, oris ulculculis medetur, & fluxiones in fauces irruentes sistit; quarum extrinsece inflammationi tuto admovetur, pollet enim vi astringente, & refrigerante. Spiritus, post phlegmatis eductionem, validiori igne adacto pellitur; ob id per retortam commodissime distillatio instituitur. Oleum rubrum acidum, educto spiritu, elicitur recipiente mutato, & igne vehementissimo per gradus aucto, ad quod vasa luto probe munita requiruntur. Utriusque usus omnibus maxime innotuit: guttulæ tres, vel quatuor cum aliquo liquore exhibentur. In ardentitibus aliquot febribus summum est solatium; in nonnullis non est dandum. In tartareis viscidisque humoribus tuto exhibetur aliud olei genus vitrioli: proprie est oleum aquæ innatans, quod vere sulphur vitrioli dicendum est; at vis ejus non est narcotica, verum potius anodyna. Balsamum *in nostris curationibus* appellatur, eo quod balsamum nostrum, sive radicale humidum instauret. Dicitur & arcanum, quod pauciſſimis innotescat. Ejus parandi methodus sit medio aquæ cœlestis, postquam vitriolum omnem vim narcoticam, omnemque austeritatem, & aciditatem deposuerit. Id enim sic paratum, in dicto dissolvente fructu maturos, & subdulces producit, qui lento igne impulsi liquorem suavissimum fundunt. Vitriolum ad hoc maxima cum diligentia solvendum venit; cavendum etiam, ne ignis violentia perdat sulphur.

Sal Vitrioli ex ejus colchotare educitur cum quovis dissolvente. Aliam etiam salis speciem usurpant multi pro vomitorio, fitque vitriolo albo pluries repurgato. In Gallia Narbonensi rustici eo frequenter utuntur, sine Medici consilio, maxime in pleuritide. Accipiunt vero vitriolum album, uti habetur in officinis, citra ullam præparationem: a quo edocti, plane ignoro. Scio ejus reiterata experimenta, tanti remedii apud eos confirmare usum. Datur ad 3 j. Vomitum movet, caput purgat, sudores, & somnum non raro concitat, vermes enecat, & multis aliis succurrit morbis, jecoris potissimum, & ventriculi.

Sulphur, quod per salem ammoniacum attollitur, fit per vas sublimatorium, & hoc nonnullis dicitur sulphur narcoticum: fit eo cocto in vase æneo; item & in ferreo. Magisterium vitrioli, quod & tartarum vitriolatum appellant, fit instillando sensim oleum acidum vitrioli super salem resoluti tartari. Ea in operatione contemplare duellum utriusque spiritus, quam citissime ferveant, quem rumorem concitent. Hic videre est, quo pacto mixti humores incandescant; ratio haud exigua, ut ad febrium cognitionem deveniamus. Quantitas olei vitrioli sit duplo minor oleo tartari. Humiditas, quæ a coagulato albo segregatur, ipsique supernatat, blando calore evocatur. Hoc remedii genus vomitum sæpius concitat, alvum subducit, urinam movet, & sudores non raro excitat.

Colchotar vitrioli, ipsum est vitriolum ad rubedinem calcinatum. In chymicis multiplices habet usus: in Medicina pollet vi astringente; propterea hæmorrhagias sistit, fluxiones vulnerum cohibet. Ejus præparatio omnibus nota est.

Creta Vitrioli, ochra, & terra nihil aliud est, quam fæx ipsius vitrioli a præfatis præparationibus relicta; est tamen alia fæx vitrioli, quæ exsurgit post repurgationem dicti vitrioli. Quidam putant, hoc esse sulphur narcoticum: sed errant toto cœlo. Quidam hoc maxime reputant, quod æneo, vel ferreo vasi hæret.

Tinctura vitrioli hic a nobis consulto omittitur, nostro balsamico oleo contentis, cujus præparatio longe est facilior, & nobilior. Tinctura Chrysopœis expetita ad nos minime spectat, tractant fabrilia fabri.

Ex vitriolo, cum ferro & ære calcinatis, acetosum esurinum paramus. Paracelsus id ex solo vitriolo Martis, & Veneris, parari annuit: at nos tantum laboris ægre absolvi posse meditantes, sequentem methodum excogitavimus. Quis enim e calcinatis metallis tantum vitrioli extrahere norit, ut ex eodem iterum calcinato, tanta dicti liquoris quantitas educatur, quæ pluribus ægris sufficiat? Accipimus igitur colchotaris, ut supra præparati, ℔. iij. ferri cum sulphure calcinati, lib. j. pulverizatis, & simul mixtis, valique vitreo ampli orificii inditis, tantum aquæ vitæ perfunditur, ut quatuor digitos superemineat: vas in fimo equino ad octo dies reponitur, tunc tincta aqua sensim in aliud vas effunditur per inclinationem, novaque aqua fæcibus iterum reaffunditur, atque extrahitur: toties ejusmodi operatio reiteratur, quoad omnis calor, & sapor educatur. Omnes ejusmodi aquæ tinctæ, lento igne per alembicum, vel retortam amplam cum suo recipiente extillantur: igne sensim aucto, & omni aqua vitæ prolecta, acidulus ille liquor esurinus in mutato recipiente pellitur, fitque præstantissimum medicamentum adversus plures morbos tartareos; unde & lienis, & jecoris pertinacissimas obstructiones reserat, famelicum reddit ventriculum, eumque roborat, vertigini, & Epilepsiæ non parum confert, multis etiam gravissimis affectibus medetur, mentium suppressioni, hydropi, ictero, & aliis. Guttulæ ii. iij. & iv. pro dosi exhibentur, cum jusculo carnis, vino, vel alio liquore.

Præterea vitriolum cum aliis mixtum, varia medicamentorum genera nobis exhibet, quæ studio brevitatis præterimus: addam tantum pro coronide, quomodo cum ipso condensari possit mercurius.

Accipio mercurii crudi, quem vivum appellant, partem unam: Vitrioli cœrulei, quod ad hoc aptum est, partes quatuor: Bulliant simul in suff. quantitate aquæ communis in vase terreo, Marte terso & polito, benigno aspectu operationem inspiciente, quo peracto, mercurium elice cum aqua frigida; atque vivum, & nondum coagulatum per alutam a coagulato separa: mira beris mercurium austero, & immaturo spiritu Veneris coagulati, fusibilemque reddi. Mercurii, & ferri, amalgama, vitrioli medio, alibi reservamus, & alias præparationes.

(a) *De Vitriolo*. Vitriolum est vel martiale, vel venereum, vel utriusque metalli particeps; venereum cæruleo eleganti colore splendet, veluti æs cyprium martiale magis viridiscens est, quale obtinetur ex marcasitis, minera martis Hassiaca & ex spiritu vitrioli, limaturæ martis affuso; Goslariense ex viridi cæruleum est: quoniam & martialis & venereæ naturæ. Meretur attentionem, vitriolum nativum venere infestum, pure martiale reddi posse, si dissolutum coquatur cum limatura martis: Hæc enim instar magnetis æneas partes attrahit; hinc etiam tali calore in superficie tingitur, sicque purum a contagio redditur vitriolum. Patet ex eo facile ratio, quare, si attramento immittimus cultrum, ipso venereo colore imbuatur. Consistit etiam in eo fundamentum transmutationis ferri in cuprum, seu potius præcipitationis cupri in ferrum, quæ perficitur aquis vitriolicis Hungariæ Neusculensibus. Tentavimus in ejus imitationem simile experimentum, dum solutioni veneris aqua dilutæ per mensis spatium immiscuimus baculum ferreum, quo elapso, ille obductus erat crusta seu cortice cupreo satis notabili. Sunt etiam, qui magnum lucrum quærunt in debita præcipitatione veneris ex vitriolo vulgari, dum prius illud calcinant, cum calce viva miscent, & terram vitrioli reducunt in cupro-ferream massam. Denique experimentum non vulgare est, ex vitriolo vulgari venereæ indolis conficere cæruleum, quod Cyprio quoad omnia proximum est, modo veneris solutio & tinctura ipsi intime, prævia coctione, misceatur. Circa solutionem vitrioli illud notabile, ipsum a spiritu salis ammoniaci in sufficienti copia affuso non præcipitari, quod familiare est aliis vitriolorum solutionibus, sed limpidum permanere, cœruleo colore multum exaltato. Solutio vitrioli aqua simplici facta, affuso spiritu salis ammoniaci exaltata, per evaporationem non transit in sal cœruleum, sed viride magma difficulter coagulabile remanet, spiritus enim volatilis in auras avolat. Nihilominus pulcre cæruleum splendens, dulcis quodammodo saporis ex solutione veneris, mediante menstruo volatili & affuso alterius salis liquore, confici potest vitriolum, in Alchymia & medicina non spernendum.

Oleum vitrioli, spititus vitrioli concentratus est, paratus extremo ignis gradu cum carbonibus, minus autem lignis, quæ gradum ignis debiliorem addunt. Limpidum est si recens paratum fuerit, facillime autem tincturam recipit, si vel tantillum chartæ bibulæ, straminis, aut panni immissum ipsi fuerit.

Vitrioli oleum est quasi primogenitum sal: in ipso solvi possunt omnia metalla, etiam argentum, sed longiore digestione & veluti coctione opus est. Si phlegmate suo privatum & valde concentratum est, affusione aquæ communia, vel etiam glacie injecta, incalescit. In aere humido vitrioli concentratum oleum incrementum capit, non secus ac butyrum antimonii. Non solum enim salia fixa alcalina vehementer calcinata, sed & concentrata acida deliquium patiuntur.

Quando oleum vitrioli vel ejus spiritus miscetur cum spiritu salis ammoniaci; efferveſcentia fit frigida, & paratur ex hac mixtura sal, quod aperiente virtute nobile est, inque extrahendis metallorum antimoniique salibus ex ipsorum terris & calcibus singularem nec minus notam efficaciam secum recondit. Spiritus salis ammoniaci junctus oleo vitrioli in sal neutrum quidem transit, sed non eadem natura sublimabile, sed volatile, nam sub igne relinquit fixum acidum.

Vitriolum præter spiritum acidum fixum, etiam volatilem sulphureum summæ penetrantiæ possidet, qui obtinetur, quando a phlegmate suo liberetur vitriolum, deinde lutatur recipiens, & dato igne spiritus in forma nebularum cum liquore prodeant, si cessat liquor & copia nebularum, desistendum est. Ex relicto corpore in retorta oleum fortissimo igne elici potest, si hæc manet integra, alias nihil acquiris. Spiritus hic volatilis longe penetrantior est & fugacior salino quodam urinoso, & vix in vitris teneri potest, maxime si rectificatus sit, quod peragitur longissimo calore in phiolis, ubi clausuræ admodum rectæ sunt. Spiri-

tus

tus hic parum acidus ſapore eſt, odore ſulphureus, metalla tamen ſolvit promptiſſime, ſal vertit, ſicuti eſt tartarus vitriolatus, & inſigne augmentum ſali tartareo apponit. Spiritus hic ſummæ eſt efficacię propter penetrantiam ſuam ad diſſolvendas veteres obſtructiones, quæ altius anguſtiſſimis capitis & nervorum tubulis inſident. *Paracelſus* ſpiritum vitrioli volatilem adhibet in mixtura ſimplici, quæ cum tali ſpiritu, & ſpiritu tartari parata potenter ſanguinem movet, obſtructiones capitis in epilepſia tollit, & malignitati reſiſtit.

Veteres crediderunt, vitriolo, ſi volatilis & ſulphurea ejus pars in liquorem reſolvatur, magnam ineſſe vim cephalicam & epilepticam: unde variis modis adornarunt taliſmodi ſpiritus præparationem. *Paracelſus* octies ſuper caput mortuum deſtillat ſpiritum, ultimo addit ſpiritum vini rectificatum. Alii ſpiritum vini ſimplicem maſſæ ex vitriolo Cyprio & ſale ammoniaco affundunt, & deſtillant ſpiritum, quem aliquoties cohobant, ut ſic reddatur cephalicus. Nonnulli ex regenerato vitriolo e capite mortuo exiſtente eliciunt. Optimus modus mihi videtur talis eſſe, quando vitrioli libræ tres ſolvuntur in urinæ humanæ libris ſex: mixturam inſpiſſa, & poſtmodum igne aperto deſtilla: Prodeunt ſimul flores, qui in ſpiritu vini ſoluti egregium reſolvens ſunt. Imo hic liquor exterius ad arcendam gangrænam divinum exiſtit præſidium. Alias ex vulgari ſpiritu vitrioli recenter deſtillato per phiolam longioris colli leniſſimo igni evocari poteſt ſpiritus vitrioli volatilis: reliquum committatur retortæ vitreæ, ſic prodit primo phlegma, deinde ſpiritus, poſtea ponderoſum & corroſivum oleum remanet in retorta. Sal vitrioli ex capite mortuo paratum, emeticum eſt, & prout magis vel minus de venere participat, majori vel minori doſi adhibendum: quandoque purgat; Et notabile imprimis eſt, emetica vitriolacea longe celerioris operationis eſſe ipſis antimoniatis. Inſidioſa autem ſunt phtiſicis & debilioribus ſubjectis: è contrario conferunt pituitoſis, & quorum ventriculus ſaburra viſcida repletus eſt: cum nitro præparato ſi miſceatur, conſtituit ſal emetico-diaphoreticum antifebrile *Moebii*. Parvum vitrioli Cyprii fruſtum ſoluto in aqua, & matutino tempore epotum, quartanam felici cum ſucceſſu aliquoties propulſavit. De qua virtute etiam videri poteſt *Petrus Borellus obſ.* 77. *cent.* 4.

Ex terra vitrioli edulcorata cum ſpiritu ſalis & ſpiritu vini extracti poteſt tinctura flaveſcens adſtringentia ſaporis, quæ in minori doſi nauſeam, in majori vomitus excitat, quod non contingit, ſi terra hæc pure martialis eſt, & cum ſpiritu vini rectificatiſſimo tinctura confecta fuerit.

Caput mortuum vitrioli bene uſtum omnibus ſtypticis palmam præripit, ſive in forma ſolida vel liquida, addito alumine, oleo vitrioli, & debita quantitate aquæ ſpermatis ranarum, applicetur. Nonnulli vitrioli ſolutionem miſcent cum ſale ammoniaco ſoluto; digeſtioni expoſita mixtura deſtilletur: tum prodit elegantiſſimus ſpiritus aperitivus, qui tamen magis ſalis ammoniaci fœtus, quam vitrioli eſt. Quando terræ vitrioli dulci adjicitur ſal ammoniacum, ſublimatione exurgunt flores, qui a *Boyleo* nominantur ens veneris, quod ad grana aliquod datum, mirum extollit ad chronicos morbos eradicandos.

Spiritus vitrioli vulgaris non rectificatus de terra vitrioli multum participat, quare tartarus vitriolatus cum tali paratus ſæpenumero nauſeam vel vomitum procreat. Ad oculum patet hæc terra, quando ſpiritus vini commaritatur cum ſpiritu vitrioli, ad deſtillationem ſpiritus vitrioli dulcificati: Remanet magma terreum in retorta.

Acetoſum eſurinum *Celebris Authoris* compendioſe paratur, ſi ſpiritus vitrioli jungatur cum ſpiritu vini, & invicem deſtillentur, vel ſi vitriolum martis Haſſiaca miſceatur cum æqua parte ſalis ammoniaci. Affunditur ſpiritus vini ſimplex, ut aliquot digitos ſuperemineat: vas ad octo dies reponatur in digeſtione, tunc ſolutio per inclinationem effundenda, & tamdiu ſuperfuſio & extractio reiteranda, donec omnis color & ſapor eductus fuerit.

Solu-

Solutiones hæ indendæ retortæ, & igne evocetur ſpiritui vini, quod reſtat, igne vehementiore tractetur, ſic prodit ſpiritus acidus cum nebulis albis, odoris ſulphurei gratiſſimi: flores quoque albi variegati coloris retortæ collo ſe applicant, in cujus fundo remanet materia levis, rubicunda, ſaporis paulatim conſtringentis.

Coagulatio mercurii, quam *Author* cum vitrioli cœrulei ſolutione inſtituit, non eſt proba, ſed ſoboles veneris mercurius ille coagulatus eſt: nam mercurius ex ſolutione vitrioli veneris in amplexum arripit particulas æneas ipſaſque in amalgama convertit, unde evocato mercurio remanet venus, flaveſcente colore tincta & ductilis. Longe autem compendioſius hæc procedit operatio, ſi aſſumantur viridis æris, tutiæ ana partes æquales, nitri, tartari an. pars una ſemis. Fuſorio igne in crucibulo clauſo liquefactio fiat; ſic maſſa aurei coloris inſtar reguli fundum perit, ex quo annuli varii confici poſſunt.

CAPUT XI.

(a) *De Sulphure.*

SUlphur, metallorum pinguedo, & alter pulmo terræ, varia nobis exhibet remedia, ut flores, butyrum, lac, balſamum, tincturam, acidum liquorem, vulgo oleum dictum, & alia. Flores ſulphuris duplici modo parari jubemus: cum colchotare bis, & ter ſublimatio reiteratur: cum alio corpore, arena, vel bolo, pumice, vel alio, ſemel tantum. Vaſa ſublimatoria, vel vitrea, accipimus, non raro ollas terreas vitro obductas. Dictos flores ad varios uſus uſurpamus, & præſertim ad pulmonum affectus, cutaneis morbis item maxime conferunt. Ad tuſſim, tabellulas hoc modo conficiendas præſcribemus. Rec. Flor. ſulphuris ʒ. j. ireos ʒ. ij. ſacchari albi aqua roſarum ſoluti, ʒ. iij. fiant tabellulæ, vel rotulæ, ut artis eſt. Harum uſus, in die eas frequenter in ore tenere. Lac, & butyrum ſulphuris, fit cum dictis floribus, in oleo tartari ſolutis, atque ipſis guttatim affundendo parum aceti albi. Oleum tartari cum primum acetum apprehendit, mirifice incandeſcit, atque ebullire incipit, uti ſupra diximus, de oleo vitrioli cum hoc oleo tartari. Aqua vitæ oleo vitrioli mixta idem præſtat; quod ſimiliter videre eſt in repercuſſione auri in aqua regia ſoluti. Quod a nobis dictum ſit, ut animadvertatur, quomodo incandeſcat corpus noſtrum, ob variam humorum mixtionem: nec putent hoc fieri ob ſolam obſtructionem, & putredinem; minus, id ſolius caloris exuberantiæ tribuant, quod ejuſmodi antipathiæ debetur. Sed ad rem. Segregatur liquor omnis ab illa materia alba in vaſis fundo repercuſſa, per inclinationem; eaque poſtmodum variis ablutionibus cùm aqua communi dulcoretur, & ad uſum ſervetur. Aſthmati, tuſſi, & aliis pulmonum affectibus confert. Ante repercuſſionem, obſerva dictorum florum auream tincturam cum cochleari argenteo in his tincto: quod per tranſennam annotare placet, ut videatur quomodo ſulphur naturæ aureæ ſit particeps.

Oleum, ſeu liquor acidus ſulphuris, proprie eſt ſpiritus ſalis ſulphuris reſolu-

ſolutus, cujus facultates & vires toto genere a reliquo ſulphure diverſæ ſunt; imo plane contrariæ. Spiritus iſte, ſive oleum acidum, & omnia acida, refrigerat: reliquum ſulphur ſuſcipit flammam, hoc vero nunquam, & tantum abeſt, ut potius res eo perunctæ flammam concipere poſſint: ſitim ſedat, febrium ardores mitigat, & alios producit effectus ſimiles; at mordax eſt, & acer, & maxime penetrans, hæc vero ad caliditatem ſpectant. Cal. *lib.* 1. *de facult. ſimpl.* acetum ſtatuit frigidum cum participatione caliditatis: acrimoniam, & mordacitatem non propterea caliditati acceptas refert, ſed potius frigori, dicens aerem frigidiſſimum eſſe ulceribus mordacem, quod ante ipſum annuit Hippocr. Qua in re multa eſſent dicenda, & ex qualitatum doctrina Galenum errare, ſibique contradicere. At nos garrulos pſittacos, doctrinarum Monarchas imitari nobis non eſt animus: veritatem profitemur, & loquacitatem ſpernimus. Sed probabiliorem afferamus rationem, cur ejuſmodi liquor tantopere adverſetur igni, & nihil quicquam de natura ſuæ originis retineat. Ferunt Hermetici res triplici ſubſtantia conſtare, ſale, ſulphure, & mercurio: ſalem igni reſiſtere, experientia conſtat; ſulphur contra igni amiciſſimum. Per ſulphur intelligunt ſubſtantiam illam oleoſam ignis ſuſceptricem. Per ſalem, ſubſtantiam poſt ſulphuris deflagrationem in cineribus relictam, atque per aquam diſſolubilem. Cum ergo liquor ejuſmodi, ſalis ſit eſſentia, plane conſtat cur igni adverſetur; acrimonia vero, & mordacitas, ſubtili ejus ſubſtantiæ tenuitative partium tribuenda ſunt. Scio quoſdam non his prorſus acquieſcere, & affirmare ſalem, quia acrem & mordacem, eſſe calidum; & ignis reſiſtentiam non a frigore procedere, ſed ab ejus terreſtri ſubſtantia. Sed cum hæc effuciunt, non vident ſe in graviora impingere, concedentes motum immobili, quid quali, actionem patienti. Deveniendum tandem ad id, quod primum movet; & ſi illud habeat annexa inſtrumenta, videndum, an recta inſtrumenti ratio ipſis competat, & quibus modis his utatur agens, & id, num unitatis agentis ſit, vel plane alterum. Quam unitatem peragentium finem contemplari unuſquiſque poterit. In univerſum agentia quæque ad vitale principium diriguntur, & inde ad id quod magis affectant. Hinc ipſa nituntur aſſimilare ſibi paſſa: properant omnia ad eſſe perfectum, non ad imperfectum. His longe plura addere poſſem. Acrimonia ergo, & mordacitas, caliditati non eſt tribuenda, ſed ipſius ſalis naturæ, quam vocemus formam, vel ſubſtantiam, ſpiritum, vel quodcunque aliud, nec de nominibus cum Galeno multum laboremus. Verum quid opus eſt verbis, ubi res ipſa loquitur? Accipiant ſalem, eumque in flagrantiſſimas prunas immittant, percipienti ipſum, ut metalla liquari, repurgari, & veluti ſalamandram in igne fixum manere; hinc aqua permanens, & fixa: ibi non craſſities, terreſtreitaſve impedit, quominus ab igne abſumatur. Spiritus ejus tenuiſſimus eſt, nec propterea minus reſiſtit igni. Quid demum? ſalem eſſe frigidiſſimum ſtatuemuſne? minime gentium, nec calidum quoque. Et quæſtioni quid, ſalem dicemus eſſe id, quod eſt affectum ſupradictis paſſionibus; & eodem modo quæſtioni quale. Nec obſtat, quid elementarii, & nimis materiales Philoſophi nobis occinant, de ſuis primis,

& ſe-

& ſecundis qualitatibus, quibus alibi reſponſum dedimus. Sed infrugifera ejuſmodi dicacitate relicta, ad praxim veniendum. Itaque fit ejuſmodi liquor per campanam, vel vas aliud ſimile, crucibulum accipiendo ſulphure trito plenum, quod admoto igne, per ſe flagrat: fumus per campanam excipitur, iſque denſatur, & inferius in ſubjectum vas labitur. Si humida ſit tempeſtas, & frigida, plus olei habetur. Si in fundo crucibuli, pro libra ʒ. ij. cryſtalli calcinati immittas, efficies liquorem multiplicabilem, qui non parum idiotarum animos in admirationem trahit, decipit, & materiales illos medicaſtros, qui ex ſenſibus omnem philoſophiam, aut potius dicacitatem ſuam hauſerunt, putántque nihil quicquam benedictum eſſe in phyſicis, niſi ex quatuor qualitatibus derivetur. Sed afferant quæſo rationem, cur uncia dicti liquoris intra menſem alteram unciam producat. Uſus hujuſce liquoris multiplex eſt: intrinſecus nunquam per ſe, ſed cum alio liquore. Dantur tres vel quatuor guttæ cum juſculo, aqua ſtillatitia, decocto, vel alio liquore: conſervis etiam immiſcetur. Ventriculum roborat, craſſos & viſcidos humores in eo contentos incidit, & attenuat, vermes enecat, menſes mulierum movet, ſitim compeſcit, ardores febriles extinguit, hydropi ſuccurrit, vulneribus intrinſecis cum decoctis vulnerariis medetur, aſthmati a craſſorum humorum infarctu orto multum confert; juvat & eos qui hydrargyro perunctí fuere, vel eundem intro ſumpſerunt, dentium dolores ſedat, eoſque nitidos reddit.

Balſamum ſulphuris per ſpiritum terebinthinæ, factum, omnibus parum in chymicis inſtructis notum eſt; fitque ex ipſius ſulphuris floribus; in eo terebinthinæ ſpiritu ad calorem ſimi equini maceratis, quouſque dictus terebinthinæ ſpiritus rubeam ſulphuris tincturam elicuerit. Reaffunditur novus ſpiritus ſupra dictos flores toties, quoties ſpiritus ab his tinctus prodierit. Ab hac tinctura ſpiritus per alembicum prolicitur, & in urinali fundo remanet tinctura in formam extracti, quæ demum per vini ſpiritum purior redditur ipſo extracto vini, ſpiritum ab eo extrahendo.

Eſt & aliud ſulphuris balſamum non ita notum, qua via & ejus tinctura extrahitur: ad quod aliud diſſolvens requiritur, de quo alibi, Deo favente.

Eſt & tertium balſami genus, ad extrinſecos uſus tantum paratum. Fit vero cum florum ſulphuris ℔ ß. olei lini, vel communis, vel alterius generis, pro ratione meditamenti, ℔ j. ß. coquantur parum ſimul in vaſe amplo terreo devitriato, ſpathula ferrea ſemper movendo: ignis interea ſit lenis, ac lente ipſum coquito ad mellis ſpiſſitudinem, tunc ſuper marmor effundatur, & refrigeretur: hoc denique in tenues partes ſcinde, eaſque per retortam diſtilla, & exhibit oleum ſubnigrum, fœtidum & graveolens, quod quidem ad plurimos uſus conducit, frigidos tumores diſſolvit, vulneribus medetur, convulſionibus ſuccurrit, & omnibus nervorum affectibus, ſurditatem juvat, & junctúrarum frigidos dolores ſanat. Per ſe, & cum oleis, aut unguentis uſurpamus. Odoris eſt acutiſſimi: propterea qui ejus vehementiam extimeſcit, cohobationibus (ut alibi diximus) removeat, aut

ſaltem

ſaltem imminuat ejuſmodi odoris acumen, aut ſaltem commiſceat olea odorifera, vel unguenta. Vulneribus ex linteamine duplici apponitur, plagulis, ac faſciis more vulnerum admotus.

(a) *De Sulphure*. Sulphur nativum mirabile & præcipuum minerale eſt; Spiritus mineralis ſubterraneus, qui ſolutiones, coagulationes & generationes metallorum efficit, lapides diſſolvit, ſulphureus eſt. Veteres chymicorum uno animo crediderunt, ſulphur metallorum primum principium eſſe, eo maxime, quod aſſiduus illorum & mineralium ſit comes. Mineræ ferme omnis e venis erutæ, ſulphur olent, & igni aperto commiſſæ, ſtagma fundunt acidum, non ſecus ac ſulphur in libero aere accenſum.

Præterea ingens copia ſulphureorum fumorum apparentium vel in ipſis mineris, vel extra illas evidens indicium habetur venarum ditiſſimarum latentium. Sæpiſſime accidit in mineris ſylvæ Herciniæ, de nocte flammulas ſulphureas ſalientes circa terræ ſuperficiem vagantes cerni, procul dubio a metallorum effluviis ſulphureis, ſubterraneo calore in copia exhalantibus, & ex ipſa tellure ſurſum elevatis. Refert *Kircherus mund. ſubter. L.* 10. *Sect.* 3. in fodina Hungarica quadam tantam exhalationum ſulphurearum copiam eſſe, ut facillime ab accenſo lumine incendi poſſint, maximo cum fragore & ambuſtione operariorum, adeo ut cutis facillime detrahi poſſit, ac ſi aqua fervente aduſta ſit. Simile contigit aliquando Clauſthali, dum foſſores locum pro vacuo habitum a veteribus aperire volebant, ecce magno cum impetu erumpit aqua, ſulphurei odoris, quæ in momento accenſa fortaſſis a flamma lampadis, veſtes ipſamque cutim mirum quantum adurebat, ut vix medicamentis præſentiſſimis adverſus ambuſtionem ſervari potuerint. Sulphureum principium fluidum per totum terræ ambitum circulatur, perque omnes mineras, me judice diſperſum eſt, & prout terra metallica differt in bolis & lapidibus, varias metallorum ſpecies producit, adeo ut ſulphur & terram fluxilem pro veris & unicis metallorum principiis agnoſcam. Ab hoc etiam non immerito caloris ſubterranei effectus mirabiles, montium deflagrationes & terræ motus incredibiles duci & derivari debent. Sulphur minerale alit aliquandoque metallum & maxime venerem, de quo videri poteſt *Boyle in chym. ſcept. pag.* 135. Goſlarienſe ex mineris cupri liquatur. Curioſum experimentum eſt, ex ſulphure & ferro fieri poſſe cuprum, dum nimirum vitriolum ex ipſis paratur, quod cupreæ naturæ non expers eſt. Aſt vero cum omni ſulphure id non ſuccedit, ſaltem illo, quod particulas quaſdam metallicas in ſe recondit. Lapidi lydio attritum ſulphur obſcuram maculam relinquit, inditio latitantis cujuſdam metalli. Mediante ſpiritu nitri, vel aqua forti ex ſulphure communi concretum natura ſua parari poteſt arſenicale.

Sulphur ſuper caput mortuum vitrioli veneris ſublimatum, optime depuratur; ſed felicior eoque melior modus eſt, ſi recipitur ſulphuris libra ſemis, calcis vivæ lib. 1. hæc mixta indantur crucibulo magno, cui aliud adhuc ſuperlutatum eſt; applicetur ignis per gradus, ſic in ſuperiorem locum ſulphur aſcendit, quod exemplum denuo cum calce viva miſce, & repete ſublimationem: ſic ſulphur evadit puriſſimum hoſtili corroſivitate orbatum; Hoc modo correctum egregium balſamum, tincturam, & cinnabarim præbet. Sulphur a corallis anatica portione ſæpius elevatum, quavis vice recentia corallia recipiendo, uſque dum flores rubicundum referant colorem, magnam largitur medicinam. Deprehenditur in ſulphure virtus ſingularis roborans & conſtringens; In dyſenteria igitur ac diarrhœa laudabilem edit effectum, videlicet excretiones non tam promovet, quam ſiſtit.

Sulphur accenſum in aere humido, emittit vaporem odoris penetrantis ſulphurei acidulum, qui collectus ſub campana vitrea liquorem dat, paucum tamen. Hic a ſpiritu vitrioli efficacia parum differt. Maximam enim affinitatem inter ſe aiunt vitriolum & ſulphur, imo ex ipſo ſul-

phure

phure cum limatura martis debita calcinatione vitriolum parari potest. Dum sulphur colliquatum cum marte, vehementissimo igne transit in speciem marchasitæ, quæ tusa aerique exhibita in vitriolum vertitur, non secus ac minera sic dicta martis solaris, quæ ex ferro & sulphure conflata ac concreta est. Si cruda & aerem nondum experta minera retortæ ignique vehementiori tradatur, sulphur obtinetur copiosissimum cum phlegmate acidulo sulphureoque. In aere autem eadem minera, quæ antea vix ullius saporis erat, vitrioleſcit, unde elegans vitriolum martis, paulo tamen acrius, & tinctura martis aurei coloris propter inexistentes simul particulas sulphuris unctuosas, aurei coloris profluit. Goslariæ copiosum præparatur sulphur, ex minera sulphuris; stratum supra stratum fit cum ipsa & lignis substruitur ignis, sic vapor densissimus nascitur sulphureus. Quo in aere si quis obambulat, qui capitis dolore ex ebrietate vel alia causa tenetur, protinus ab illo liberatur, fortasse quod poros capitis subtilitate sua referet, ut major fiat transpiratio. Unde liquet facile ratio, cur spiritus vitrioli volatilis, exterius & interius datus, cephalalgias egregie dissipet.

Sulphur commune, tractatum cum argento in igne illud in fusilem ac pulverisabilem massam convertit. Stanno autem & plumbo, quæ facilem admittunt fusionem, tantum stabilitatem conciliat, ut vix colliquari queant. Latitat in sulphure arcanum præcipitandi ex ingenti mole argenti, aurum etiam parcissima quantitate contentum, nimirum via sicca, & fusione. Sulphur enim aggreditur lunam intime, partes autem auri relinquit intactas, quæ deinde gravitate sua fundum petentes, aliis tamen adhuc permixtæ in regulinam substantiam fatiscunt. Præparatio hæc valde lucrosa est, & novi quosdam, qui sola hac operatione largissime se suosque alunt. Circa reductionem autem præcipue attendendæ quædam enchireses sunt.

In sulphure latitat arcanum imbuendi plumbum argento, si repetitis vicibus cum ipso tractetur, calcinetur & reducatur. Ex uncia una saturni quandoque obtinentur grana octo argenti: pulchrum quoque experimentum conficitur cum luna sulphure calcinata, si in massam invicem redigantur, quæ leni ignis calore efflorescit, & constituit flosculos capillares argenteos ℔. Germanico idiomate exprimitur, das Silber machsend machen.

Meretur etiam attendi sequens experimentum & medicamentum ex sulphure & marte parabile. Recipe sulphuris libram semis, limaturæ martis uncias quatuor, mixturam inde vitro conservali & aquam illam humecta, ut fiat instar pultis, elapsis sex vel septem horis massa incalescere incipit, ita ut vitrum non raro frangatur, & copiosissimi fumi eructent: Ebullitione hac limatura martis resolvitur, ab acido sulphuris, quod addita aqua fluorem acquirit, & pulvis coloris ex bruno nigricantis evadit, hanc jam exime, pulverisa, & carbone accende, sic leniter incipit urere, emittere acidum fumum, qui ulterius limaturam martis vertit in sal vitriolicum, quod elue & coagula, fit vitriolum album saporis gratissimi, quod in medicina est commendatissimum. Quod ex purissimo sulphuris acido confectum est, longe magis præferendum vitriolo martis, quod fit ex spiritu vitrioli, qui particulis terreis metallicis constat. Vitriolum hoc est egregium aperitivum, antihypochondriacum, & ebullitiones acres humorum sistens, bilem volatilem figendo & enervando; potest misceri cum pulvere quodam absorbente.

Ex sulphure paratur magisterium album, quod dicitur lac sulphuris, hoc modo: recipe florum sulphuris, salis tartari ana unciam unam, liquescant in crucibulo: quo facto affunde aquam calidam, filtra & solutioni affunde acetum destillatum vel spiritum vitrioli: Sic cum tetro fœtore subsidet pulvis lactei coloris, qui mitior adhuc ex floribus; hi enim calidiores sunt; nam acidum, quod hæret in lacte, corrigit calorem.

Quando cineres clavellati fluunt in tigillo, & additur sulphur, fit hepar sulphuris sanguinei coloris, ex quo cum spiritu vini rectificato digestione debita fit Tinctura. Notabile autem est, similis coloris substantiam fieri posse ejusdem saporis & virtutis, si loco sulphuris ad-

datur pulvis carbonum, indicio: carbones a sulphuris mineralis indole non alienum quid recondere.

Paratur ex sulphure cum sale ammoniaco & calce viva vehementi arenæ igne liquor volatilis urinosus, sulphureus fumans, aurei coloris, qui volatilitate sua sulphurea argentum involutum corio vel multis chartis, flavo colore inficit. Paratur quoque attramentum ex eo, sympatheticum, quod per totum librum chartaceum operatur, & scripturam non apparentem visibilem reddit. Notabile tamen & hic est, effluvia hujus spiritus amittere efficaciam tingendi, si argentum chartæ oleo imbutæ involutum fuerit. Liquor hic additus mercurio ipsum coagulat, quatenus ipse sulphur arripit, cujus ramositate & unctuositate in fluore suo sistitur. Quod si in liquore hoc volatili opium & camphora solvitur, affuso spiritu vini rectificatissimo, nobilissima medicina antipodagrica externa oritur. Mirabilis hujus spiritus præparatio jam dum nota fuit *Basilio Valent. v. Currum ejus triumphal. p. 92.*

Balsamum sulphuris cum oleis æthereis destillatis, vel etiam expressis confici solet: hoc temperatius, illud calidus esse solet. Optatius autem res succedit, si flores sulphuris assumantur, vel melius, si cum sale tartari prius igne reclaudantur: addatur oleum destillatum cum pauli spiritus vini rectificati quantitate, et phiola digestio fiat sub moderato arenæ calore: Memorabile hic est, balsamum sulphuris, cum oleo terebinthinæ facto, juncturis firmissimis clausis, calore arenæ vehementissimo stupendum fragorem aliquando edidisse, cum intensissima percussione vicinorum locorum, quasi tonitru et fulgur esse factum in pharmacopolio Clausthalensi Soceri mei amantissimi: Quod experimentum naturam terræ motus clarissime explicat, de quo alio tempore fusius tractabimus.

Cum oleo lini massa ex sulphure & sale tartari constans si coquitur, fit egregium balsamum externum, resolvens vulnerarium, quod abscessus præcavet, et stagnantem lympham dissipat. Si fortiter coquitur, abit oleum cum sulphure in substantiam solidam, instar duri bituminis, sive fuliginis male olentis, quæ exhibita nauseam movet et vomitum: Si destillatur, prodit oleum nigrum fœtidum.

Balsamum sulphuris cum oleo amygdalarum dulcium, vel vitellorum ovorum paratum, in empyemate, pulmonum ulcere, tussi sicca expertissima medicina est: potest addi crocus, oleum anisi etc.

CAPUT XII.

(a) *De Antimonio.*

QUam injuste virus suum evomunt, in hoc præstantissimum minerale, pseudo quidam Medici quos plebeji nonnulli, rudes & stolidi loquaces palam insequuntur, satis constat. Sed hos Phormiones de re incomperta sinamus delirare. Est autem Antimonium, minerale præstantissimum, omnium metallorum radix, propterea Saturnus philosophicis a Chymicis dictum. Ejus vires, & proprietates plane sunt imperscrutabiles, de quibus post F. Basilium Valentinum, & Johannem de Rupescissa, Theophrast. Paracels. multa, & præclara dixit. Recentiores, post ipsum, ut Penotus, Gerardus, Dorneus, Matthiolus, Quercetanus, Suctenius, Rulandus, Crollus, Phædro, & alii idem ad sidera extollunt: qua de re non amplius venenum, sed præstantissimum alexipharmacum a doctis habetur. Doctos non appello desides, & otiosos, quos piget manus ad fortia mittere; minus eos,

qui

qui ſacræ artis gloriam in verborum lenocinio reponunt : ſed hos, quos ſedulus labor Mnemoſynes filiabus arcte conjunxit. Medicamenta, quæ potiſſimum ex eo conficimus, ſunt, Tinctura, non ea, quæ Chryſopœis exoptatur, ſed ea, quæ ad medicos uſus tantum conducit: Oleum, Sal, Mercurius, liquores varii, vomitoria, alvum ſubducentia, diaphoretica, & alia. Tinctura variis modis a nobis paratur. Primo, eo quo habetur apud Theoph. Parac. ipſum primum calcinando, atque in reverberio per aliquot dies exercendo: demum per ſpiritum vini tinctura nobiliſſima educitur: cujus proprietas eſt aperire meatus, vires corporis augendo, ac radicale humidum ab omni ſorditie repurgando: ſanguinem, & alios humores renovat, quare & lepram ſanare creditur. Ea utimur, omni tempore, cum quavis re, ſive potu, ſive cibo. Doſis ad libitum, granor. tamen aliquot, vel per 5. vel 10. vel 20. ad 30. uſque dies. Alio modo per varia diſſolventia. Omnium nobiliſſima, & præſtantiſſima ea eſt, quæ alia tinctura fit citra omnem calcinationem, cum proprio diſſolvente, quod quidem non aliunde, quam ob eodem antimonio educitur. Ejuſmodi diſſolvens ab antimonio duplici modo fit, primo ex puro, & crudo ſtibio, abſque adjectione, ſecundo ex regulo cum adjectione, ea cum regulo remanente, vel ab eodem poſt ſolutionem recedente. Hac methodo parata medicamenta, ſeu potius arcana, filiis artis tantum innotuerunt, & qui tanti theſauri fuerunt participes, eum ſibi ipſis tantummodo ſervarunt, ne ſuos labores æmulis impune traderent; & magis quidem, cum non liceat ſanctum dare canibus, & uniones ante porcos projicere. His ſi aurum accedat debito modo paratum, vera, & perfecta antimonii præparatio habetur. Hinc exurget optatiſſimus, & laudatiſſimus morborum alexicacus, medicamentum fere univerſale, adverſus ſingula quæque mala ab inordinato victus regimine profecta. Ultra poſſem ejus vires, & facultates dilatare, eaſque encomiis, & magnis laudibus exornare, aut filiis artis, quibus ſolis hæc dicata ſunt, ſatis me viam aperuiſſe confido. Interim nè rudes, artiſque tyrones ab ejus uſu arceantur penitus, ſequentes præparationes primum meditentur, eaſque in uſum frequenter advocent. Vitrum antimonii non omnino ſpernendum venit. Id vero multiplici modo fit. Modus noſter eſt, ut prius per ſalem nitrum ipſum ſemel coquatur, poſtmodum vulgato modo in vitrum reducatur: & hoc præſtantiſſimum eſt, ſi a docto, & experto Medico exhibeatur.

Aliud, ſed compoſitum, fit cum auro, per duplicem viam: elegantiorem, & nobiliorem, cum oleo antimonii, in quo diſſolvitur aurum, eaque diſſolutione fermentata per coctionem in vitrum vertitur ſplendidiſſimum, cujus vires mirandæ ſunt, & ſummis laudibus extollendæ. Alio modo cum crudo antimonio, de quibus alibi plura.

Flores item antimonii propriis non carent laudibus. Fiunt & per ſe vulgato modo, & cum adjectione. Cum ſale armoniaco rubicundiſſimi fiunt. Utrique vomitum, & alvum proritant, quas qualitates coctione amittunt, & evadunt ſudorifici. Modus conficiendi flores albos, omnibus patet, & fere artificio caret. Crucibulum ad hoc requiritur, vel aliquod vas terr eum for-

tiſſimum. Ignis etiam vehementiſſimus deſideratur. Flores in ſuprema parte ſublimatorii collecti, vomitum valde concitant; qui in medio, mediocriter; qui in ima parte, parum aut nihil vomitum cient. Iidem flores in reverberatorio per plures dies detenti varios nanciſcuntur colores, qui per ſe abſque alia præparatione, multis pollent viribus.

Fixatur Antimonium ipſum, bis vel ter cum ſale petræ calcinando: ſal, aquæ communis medio, ab eo removetur. Putant nonnulli, nec ſine cauſa, portionem aliquam ſalis petræ cum antimonio remanere, quod ex pondere poſt calcinationem facile deprehenditur.

Mercurius Antimonii multiplici modo fit, cum adjectione, & citra adjectionem. Sine adjectione, regulum, more florum antimonii, ſublimando. Ignis ad hoc ſit æqualis, & fortiſſimus, atque viginti quatuor horarum, & accipies per alembici roſtrum Mercurium vivum.

Nonnulli cenſent, Mercurium ejuſmodi fieri poſſe per cinnabarum, & & per Mercurium ſublimatum: at hi non norunt utriuſque antipathiam, hæc eſt potius Mercurii reſuſcitatio, quam ejuſdem generatio. Gummi, quod ex regulo antimonii extillatur, ab antimonio procul dubio educitur. Mirum eſt, quam ſeſe averſentur iſthæc duo mineralia. Alio modo cum ſalis tartari in loco humido diſſoluti, lib. ij. antimonii ſubtiliter triti, lib. j. tartari crudi, lib. iij. per retortam Mercurius in aquam frigidam pellitur.

Sal antimonii pluribus modis fit: at in omnibus calcinationem præcedere neceſſe eſt, ſive ea ſit per ſe, ſive in ſicco, ſive in humido. Per ſe, uti de floribus ipſius antimonii dictum eſt: cum aliis, ut cum aliqua ſpecie ſalis, quæ calcinatio ſicca eſt, reſpectu ejus, quæ fit cum lixiviis, & aquis fortibus. Modus optimus eſt, ſtibium in ſudorem reſolvere, reſolutum in pulverem dulcem reducere. Ab exſiccato, per ſpiritum vini, ſal educitur præſtantiſſimus, alvum tantummodo ſubducens.

Regulus antimonii fit etiam multis modis. Communis methodus eſt, accipere partem unam antimonii, ſalis nitri partes duas, tartari crudi ſubtiliter pulveriſati totidem: ex his ſimul commixtis fit pulvis, qui ſenſim in crucibulum ignitum projectus regulum producit, Regulus in fundo crucibuli poſt reiteratas fumigationes reperitur.

Alter modus fit cum ferro, eo ignito, & in fuſum antimonium projecto. Funditur vero antimonium in amplo crucibulo ad libras 6. vel 7. & candens ferrum ad digiti majoris craſſitiem, pendens circiter ſemilibram, ei commiſcetur. Antimonium ferro inimicum, ferrum ipſum diſſipando in fumum, una cum ferro ab omni forditie ſimul repurgatur.

Oleum, & liquores antimonii varii itidem modis a nobis præparantur. Qui ad Chryſopœam ſpectant, noſtri non ſunt inſtituti; medica proponimus, & vana rejicimus. Fit vero oleum antimonii, vel ex ſolo antimonio, abſque ullius rei interventu, qui modo non omnibus innoteſcit: vel alterius, multorumve adjectione. Ad primum modum magna quantitas antimonii requiritur; a quo crudo poſt putrefactionem aqua per varia inſtru-

ſtrumenta vitrea educitur; hæc novo reaffunditur ſtibio, a quo poſt reiteratam putrefactionem aqua iterum exſtillatur. His plures repetitis operationibus, oleum ſive liquor oleagineus exurgit præſtantiſſimus, diſſolvens egregium, & nobiliſſimum.

Alio modo per adjectionem fit, vel ex eo primum calcinato, vel abſque calcinatione. A calcinato ſal per proprium diſſolvens educitur, a quo excillatur oleum ſubrubrum, præmiſſis aliquot cohobationibus. Ejuſmodi liquorum uſus eſt ad intrinſecus uſus, ad quantitatem trium, aut qualuor guttatum, cum liquore convenienti.

Cum variis rebus oleum ſtibii fit compoſitum, cum ſale communi decrepitato, cum ſale gemmæ, cum pane biscocto, cum radicibus, & aliis multis, cum quovis etiam matallo calcinato, cum ſublimato, & tandem cum ſaccharo. Is modus valde eſt popularis: ejus deſtillatio, a præmiſſis per retortam non diſcrepat. Qui recenſent olea ſtibii, aquarum fortium medio facta, nos decipiunt; non enim aquis fortibus & corroſivis diſſolvitur, item neque per acetum diſtillatum poteſt atterri. Stibium ſale armoniaco apertum quoquo pacto diſſolvitur cum aceto; at ejuſmodi diſſolutio nobis minime arridet. Diſſolutio etiam cum ſpiritu vini ſale armoniaco exaſperato, nobis ſuſpecta eſt: hinc ab ejuſmodi liquoribus abſtinendum ſatius eſſe judico. Quantum vero ad medicamenta diaphoretica, purgantia ſupra, & infra, qui præmiſſis inſtructus erit, ea facile habebit. Omitto volens calcinationes cum ſale nitro, ut quæ ſint populares & cognitæ. Compoſita poſtmodum medicamenta tam alterantia, quam purgantia ex eo parata, longiorem tractatum a nobis exigerent; ea de cauſa hoc alibi explicandum diſtulimus. Quercetanus jam multa *in ſua Tetrade*, alii etiam alia. Interea te monitum velim, ipſum maxima cum utilitate omnibus metallis miſceri, auro, argento, æri, ferro, ſtanno, ex quibus non vulgaria arcana prodeunt.

(*a*) *De Antimonio*. Antimonium crudum non eſt venenum, ſed potius medicina. Interne *Schroderus* illud commendat in epilepſia, *Ludovicus* & *Zvvelferus* contra luem veneream, *Hartmannus* & *Michaelis* cum cornu cervi uſto adverſus dyſenteriam, *Helmontius* contra hydropem adhibet. Proſtant morſuli in pharmacopoliis Berolinenſibus nigri, ex ſaccharo & antimonio parati, contra phthiſin. Conſtat antimonium ex ſubſtantia ſulphurea, & regulina mercuriali: ab hac draſticam ſuam vim potiſſimum mutuatur, quam diu hæ ſubſtantiæ invicem arctiori vinculo ſunt unitæ, nulla obſervatur vehementia, ſimul ac autem illud ſolvitur veligne, vel variorum ſalium adjectione, protinus ſe exerit virulenta vis. Pulvis reguli in ſubſtantia oblatus canibus, illos brevi interficit, apparente in ventriculo nigricante macula: quod ſi autem cum ſulphuris vulgaris partibus tribus colliquatur: maſſa non ſecus ac magnes arſenicalia, qui ex ſulphuris & arſenici mutua naſcitur colliquatione, omni virtute vehemente exuitur.

Antimonium cum cornu cervi uſto reverberio igne aliquot dies calcinatum, defraudatur virulentia ſua, & cornu cervi inſigni diaphoretica & alexipharmaca virtute imbuitur.

Mineræ antimonii parum ſpiritus acidi ſulphurei dant, qui appellatur acetum antimonii, quod tamen non tanti effectus in medicina & alchymia eſt, quanti vulgo creditur & habetur. Nobiliſſima antimonii minera eſt Hungarica,

rica, quæ punctulis rubicundis interſperſis emicat. Dicunt, ſi ſublimetur, elargiri ſulphur rubicundum, quod ſolus auri æquali portione mixtum, ſub leni calore conſtituat pulverem inſtar coralliorum rubicundum, qui, argento injectus, aliquot partes immutet in aurum.

Vitrum antimonii pellucidum non tam facilis præparationis eſt, quam creditur. Optime fit ita: Calcinetur antimonium ſub aeris liberioris acceſſu igne moderato tam diu, donec abeat in glebas; tunc deſiſte: glebæ pulveriſentur & iterum calcinatio fiat continuo materiam agitando, donec in glebas faceſſat, quo denuo in pulverem vertendæ ſunt, uſque dum antimonium carboni vivo impoſitum fumum vix emittat, indicio, copioſum & ſuperfluum ſulphur avolaſſe, quod ſi nimis copioſum eſt, pelluciditatem non acquirit vitrum.

Si mercurii vitæ partes duæ cum foliis auri exactiſſime miſcentur primo in mortario, deinde calore leni fluant invicem, emergit maſſa interdum pellucida, quæ ad grana quatuor vel quinque data in diſpoſitis nauſeam & vomitum, in aliis nonnunquam ſalivationem & diaphoreſin movet. Cum ſale ammoniaco puriſſimo ſi teratur accurate, poſtmodum ſufficiente igne ſublimatur, flores qui aſſurgunt ſolares & antimoniales, decenter elutriati, medicinam præbent, ad grana duo vel tria, in graviſſimis chronicis morbis, continuato uſu virtutis admirandæ. Spectat huc tinctura antimonii ſicca *Gramanniana*, cujus meminit *Beatus Parens in clave Schræderiana p. 211.* Sublimatur ſal ammoniacum cum vitro antimonii lento ignis gradu, edulcorantur flores aqua calida per chartam bibulam, & reliquiæ ſalis ammoniaci per ſpiritum vini repetita deſtillatione ſeparantur. Doſis eſt a granis duobus ad tria, vel ultra, nec alvum movet, nec vomitum, ſed diaphoreticam ſaltim vim obtinet.

Eſt novus veteribus incognitus modus, regulum antimonii ſumme emeticum curandi, ac convertendi in medicamentum diaphoreticum, mediante ſale communi. Aſſumuntur antimonii crudi unciæ octo, ſalis communis unciæ ſex, ſalis tartari uncia una pulveriſata & exacte mixta, fundantur debito calore ignis: Regulus ſeparandus a ſcoriis eſt, qui inſtar chalybis politi apparet: Contuſus in pollinem ſubtiliſſimum exhibet obſcure rubicundum colorem: edulcoratus a ſalſugine ſufficiente aquæ communis elatione uſui ſervit. Eſt remedium in chronicis morbis, & qui ex diuturnioribus viſcerum ac glandularum obſtructionibus naſcuntur, efficaciſſimum, in hydrope commodiſſime miſcetur cum limatura martis, in epilepſia, cum cinnabarinis, in ſcorbuto cum arcano duplicato, in febribus cum ſale abſinthii. Inter initia morborum malignorum & variolarum ac dyſenteriæ refracta doſi additur pulveribus bezoardicis terreis: ſic lenem ſalivationem cum diaphoreſi procurando, præcordiorum anxietates, mucum primarum viarum diſſolvendo egregie diſſipat. In diſpoſitis facile excitat vomitus, vel etiam ſedes, quod præcaveri poteſt, ſi refracta doſi & bene edulcoratus exhibeatur, & non tam cum ſalibus, quam terreis abſorbentibus. Ejuſdem notæ ac efficaciæ eſt panacea ſic dicta in pharmacopæis Brunsvicenſibus *Conerdingiana*, qui Author Archiater ac Chymiater experientiſſimus ipſam in frequenti habuit uſu. Inventionem hujus remedii debemus, *Glaubero*, qui hoc tanquam panaceam extollit in ſcriptis ſuis, *vide ejus Pharmac. Spagyricam pag. 20.* Præparatio eſt talis: Sumitur antimonii pars 1. nitri pars 1. & ſalis tartari pars dim. Invicem hæc in crucibulo fluant, maſſa exemta hepatici coloris a ſuperiori parte ſeparata coquitur in aqua, lixivium filtratur, ipſique infunditur ſolutio tartari crudi cum aqua ſimplici inſtituta, in fundum ſic dejicitur pulvis flavus, qui fluviali bene edulcorandus & exſiccandus eſt. In majori doſi ſi exhibetur cum cremore tartari, tutiſſimum evadit emeticum, quo dictus Chymiater frequentius uſus eſt. Si ejus ſucciſa doſi præbeatur cum pulveribus bezoardicis, vim edit reſolventem, deobſtruentem, & leniter ſalivantem. In principio variolarum, morborum malignorum, ubi

anxie-

anxietates urgent, in lymphæ vitio sanguinisque impuritate, seri coagulo ac glandularum tumoribus, mirificæ virtutis est. *Glauber. l. cap. 1. p. 25.* præservare illud dicit a variolis, quod confirmat experientia septem infantum. Idem perhibet, ulcera linguæ securasse aliquoties pauciſſimis hujus pulveris granis. Expertiſſimum ejus usum eo inveni in intermittentibus chronicis & autumnalibus. Unum granum ejus pro dosi maritetur cum absterſivis & præcipitantibus antifebrilibus, quorum vim resolventem mirifice adauget; at vero repetitis vicibus exhiberi debet. Mirum enim est, quantum se diffundat vis puri ac subtilioris ex antimonio edocti sulphuris etiam in exili quantitate, universum corpus pervadit, & ad remotiſſimas quoque partes & extimam corporis plagam pertingit. Deprehendit in ægris suis *Clariſſimus Schraderus in Diſſertatione de Medicamintorum Galenicorum & Chymicorum neceſſitate* mirificam sulphuris *Glauberiani* vim in acrimonia seri delinienda, lacrymarum mordacitate oculos infestante, lippitudines moleſtiſſimas, opthalmias cum unguis & panni metu producente, corrigenda. Idem annotavit in muliere, laborante artuum scorbutico dolore, & defluxionibus ad pectus tam acribus, ut erosionem pulmonis & sanguinis sputum inducerent, tantillum hujus sulphuris antimonii dosin tenuis & acris seri motum stitisse, & periculosi morbi incrementa impediviſſe. Ejusdem usus & virtutis est sulphur, quod describit *Vigani in Chym. p. 50.* En nitro, tartaro, sale communi & antimonio regulus conficitur, ex ejus separata scoria & dissoluta in fortiſſimo lixivio calcis vivæ, sæpe agitando nobiliſſimum sulphur antimonii acquiritur, qui levis pulvis antimoniatus odoris est gratiſſimi & saporis non ingrati, febres ardentes unica dosi profligrans, sudorem & urinam movendo, præterea in doloribus Gallicis summe est proficuus. Ceterum ex regulo antimonii medicinali, si cum aqua calcis vivæ coquatur, & lixivio infundatur spiritus vitrioli, conficitur sulphur elegantiſſimum satis correctum, quod cum panacea *Glauberiana* aliisque dictis, si non majorem saltim parem exhibet effectum. Quod attinet tincturas antimoniales, instar omnium sequens esse potest. Misceatur regulus antimonii medicinalis cum æquali portione salis tartari fortiſſimo igne, mixtura injiciatur spiritui vini super scorias antimonii abstracto, digestione decenti, uti in præparatione tincturæ tartari monitum fuit, extrahatur essentia. Notabile est, spiritum vini super scorias reguli antimonii vulgari modo cum salibus paratas abstractum, suaviſſimum odorem ob sulphur antimonii expansum acquirere, & sudorifera ac anodyna virtute simul impregnari, ut menstruum hac ratione exurgat aptiſſimum ad extrahendas tincturas & essentias varias. Si scoriæ dictæ antomonii anatica proportione miscentur cum sale ammoniaco & ex retorta adornetur destillatio, tinctura antimonii volatilis, quæ aureo prodit colore, conficitur, medicamentum potens tam extrinseco quam intrinseco usu, in dissolvendis ac dissipandis humoribus. Ejus vapor inficit argentum, & deaurat ipsum, ut ut color non sit constans. Alias egregiæ virtutis anodynæ tinctura antimonialis parari potest sequenti ratione: ℞. Decoct. reguli antimonii medicinalis cum calcis vivæ aqua mens. 1. opii thebaici in partes discissi uncias duas, has solve in lixivio leni calore, filtra, filtratum inspissa, cui affunde vel vinum malvaticum, vel spiritum vini tartarisatum, & extrahe essentiam, quæ divinum fere in doloribus compescendis, placandis, somno procurando est remedium; Lixivio calcis vivæ sulphure antimoniali imbuto optime corrigitur vis opii narcotica stupefactiva, & simul symptomata, quæ alioquin ab opii usu accedere solent, nempe obstructiones alvi, vasorum minutiſſimorum obturationes, incrassationes humorum hoc pacto præpediuntur, dum vis resolutiva sulphuris antimonialis simulque anodyna spirituum impetuosum motum cohibens quasi in æquilibrio stat, & sic medicamentum excellentiſſimum constituit. Loco Antimonii diaphoretici vulgaris cerussa ejus, quæ nihil aliud est quam regulus antimonii cum tribus nitri partibus in pulverem albiſſimum calcinatus, com-

modissime adhiberi potest. Regulus enim mercurialis naturæ est. Nonnulli in modum panaceæ illam habent, ad gravissimos morbos depullandos. Quo referimus etiam materiam perlatam *Krugneri*, item *Richteri Practici Zittaviensis* panaceam, utrumque reducitur quam opportune beneficio carbonum in regulum rursus. Ipsum quoque stomachicum *Authoris* ejusdem prosapiæ est. *Mayerne lib. 1. de affect. capitis p. 48.* scrinit: Medicus quidam Gallicus nomine *Potieur* (qui est noster Author) solebat dare solam cerussam antimonii bis terve in die, per plures dies consequentes, ad debellandos graves morbos chronicos.

Mercurius vivus sine additione mercurii ex regulo ejus sed pauciſſimus, quique crassioris consistentiæ est, quam vulgaris, parari potest, Regulus antimonii aliquoties per se sublimetur; deinde cum sale tartari & sale ammoniaco probe triturat us destilletur, de novo sublimetur, sic tandem abit in mercurium currentem, vide plura de hac præparat. *in Epist. Langelott. ad Naturæ Curiosos.*

Sal ex antimonio paratur, si tinctura antimonii tartarisata leni calore inspissetur, vel si crassius & copiosius expetis, decoctum scoriarum antimonii decenti evaporatione redigatur in sal siccum. Hujus salis recipe unciam semis, affunde olei juniyeri, item menthæ, cort. citri ana unciam unam: Mixturam inde retortæ vitreæ, & per arenam moderato calore abstrahe intra viginti quatuor horarum spatium circiter olei unciam unam, quod remanet in retorta, instar sanguinis rubicundum pauloque crassioris consistentiæ est, & nuncupatur antimonii balsamum, quod intrinsecus & extrinsecus commendatissimum est remedium: Perpulchre miscetur cum liquidis, v. g. cum elixirio pectorali, essentia carminativa, tinctura tartari vel spiritu volatili oleoso Sylvii, in his enim quam promtissime solvitur. Oleum antimonii ex solo antimonio parare vult *Celebris Author*. Experimentum non procedit, sed in locum olei acquirimus flores.

CAPUT XIII.

(a) De Mercurio.

MErcurius, argentum vivum, hydrargyrus idem sonant. Is qui hodie in usum venit, naturalis est totus, & ex Germania, & Hispania ad nos delatus. Hispanicus magis probatur, maxime si argenteum cochlear aureo colore inficiat, postquam ex eo effumigaverit. Ejus usum in Medicinam invenisse primum Arabes fertur; at crasso modo, crudum videlicet, citra ullam præparationem. Chymici postmodum rerum metallicarum peritissimi, ejus præparationes primi invenerunt. Rudiores artifices præcipitatum, cinnabarim, & sublimatum, tantum agnoscebant. Cultiores, e cunabulis Chymiatria emergente, præparationes his longe nobiliores invenerunt: ut olea, balsama, liquores, fixationes, calcinationes, tincturas, & alia pleraque tam simplicia, quam composita.

Nos corpus mercurii, intra nunquam assumimus, sed ejus loco, dictum mercurii spiritum, chaos a Theophrast. Parac. appellatum. Fit autem dictus spiritus hunc in modum. Mercurium primo præcipita in pulverem albissimum, vel cum oleo sulphuri, vel cum aqua forti, aqua salsa ad ejus repercussionem usurpata. Pulvis pluries edulcoretur aqua communi. Ab hoc pulvere sicco, cum proprio dissolvente acido, salem educimus duplicem: unum leviſſimum, aquæ innatantem, lanugineum, gossipii instar; alterum pondero-

derosum, & pellucidum, veluti crystallum. Ab utroque per vini spiritum substantiam magis tenuem, & sulphuream, variis cohobationibus in fimo equino repetitis, elicimus, a qua ut omne corpus recedat, spirituſque solus remaneat, ignis admovetur, quo vini spiritus evanescat, & corpus fundum petat. Liquor interim flagrantissimus remanet, & admirabiles effectus comparat. Adversus luem veneream vires suas potentissime exerit, epilepsiæ medetur, cerebri & jecoris obstructiones reserat, lienis duritiem dissolvit, & alia plura præstat.

Dictus mercurii spiritus fit etiam ex solo mercurio crudo citra omnem calcinationem: at modus hic valde est obscurus, & manualem operationem requirit, nec nisi sola inspectione addisci potest, uti multæ aliæ operationes. Spiritum præterea in liquores versum aliis modis præparamus, quos tamen liquores præparare non possumus, ni aliis operationibus præmissis, coctionibus videlicet, putrefactionibus, calcinationibus, dissolutionibus, & aliis, de quibus nunc.

Excoquitur mercurius multis modis, vel per se, & crudus, citra aliam præparationem; vel cum aliis & jam sublimatus, vel præcipitatus, vel in salem versus.

Per se in vase oblongo, uti matratio, vel alio, collo alto sesquicubitali, in furno aperto, cum calore valido, vase prius in arena demerso, catino sive alio vase terreo ad hoc adaptato. Ignis sit continuus, quadraginta dierum ad minus, vel quoad mercurius in rubicundissimum pulverem calcinetur. Hęc operatio valde est onerosa, sed tantæ est efficaciæ, & virtutis, ut facile utilitas damnum, & laborem compensare possit. Hoc medicamentum est summum alexipharmacum adversus pestem, epilepsiam, apoplexiam, vertigines, & alios gravissimos affectus capitis. Datur ad 4. 5. 6. 7. & 10. grana. Vomitum non concitat, vix alvum subducit; nam est tantummodo roborans, & dissolvens. Dissolvit siquidem pravos humores, partes continentes, adjuvando. Etiam ab hoc spiritus, ut supra diximus, elicitur, præstantissimus.

Cum aliis, & jam sublimatus, nonnullis etiam modis a nobis excoquitur, & potissimum cum auro. Præmittitur fere semper sublimatio, maxime ut is prius probe repurgetur; purgatio enim illa, quæ fit cum sale, & aceto, nullius fere est momenti. Quantum ad sublimationem, eam sic paramus, Accipio mercurii selecti ℔. j. vitrioli rubificati, salis nitri, an. ℔. j. terantur simul paulatim, & ex arte probe misceantur. Mixta bocciæ satis amplæ & capaci, cum collo oblongo, sapientiæ luto prius loricatæ indantur; sicque boccia igni supposita, cum primo lenem, paulo post fortiorem, & tandem fortissimum excipit, ad 10. vel 12. horas. Refrigerato fumo, sublimatum a vitro segregatur, quod denuo cum solo colchotare sublimatur, & tandem tertio, quarto, & quinto, per se iterum sublimatur, & in his ultimis sublimationibus evadit pellucidum, veluti vitrum Venetianum, quod crystallum vocatur.

Item cum sale communi, & alumine rochæ sublimatio institui potest; nec

etiam dubito, quin & cum aliis ſublimari poſſit. Ut vero puriſſimum, & perfectiſſimum argentum vivum ad prædictas operationes habeamus, dictum ſublimatum accipimus, eumque per retortam, cum duplo, vel æquali portione calcis vivæ, ex tartaro uſto, & una parte farinæ volatilis, diſtillamus, & in recipiente aqua frigida ſemipleno prodit. Mercurius, qui regeneratus dicitur, a nonnullis Philoſophicus, quem Quercetanus Mercurio metallorum æquiparat. Hunc regeneratum Mercurium ſanare lepram, jamdudum prodidit Theoph. Par. *in lib. de cauſis, & origine luis Gallicæ*.

Supra jam diximus, ſolo Mercurii ſpiritu nos uti ad intrinſecos uſus: quod quidem verum eſt, ſi is prius crudam, & immaturam ſuam naturam depoſuerit.

Etenim is eſt adeo crudus, ut ſic exhibitus mille mala ipſis morbis deteriora concitare poſſit, quod recte annotavit Theophraſt. Paracelſ. *in lib. de curatione luis Gallicæ*.

Itaque coctio in Mercurio parando apprime procuranda venit, in qua coctione Mercurius debet ſuam mobilitatem deponere, ſuum etiam ſaporem auſterum mutare, quod omnes aſſequi haud poſſe maxime diffido, qui enim hanc methodum ſemel nacti ſunt, eam nemini impertiri volunt. Interim communia, & paratu facilia afferamus, & ea quæ in communem uſum quotidie cedunt: ab his enim ad abditiora facilior eſt tranſitus. Mercurius diaphoreticus coctione talis redditur, cujus parandi formula habetur apud Theoph. Par. *lib. 2. de impoſt. in curat. luis venereæ correct.*

Rec. Mercurii cum ſtanno coagulati, q. ſ. redigatur in tenuiſſimum pulverem, qui in aurea ſcutella in aceto vini conſtituta, ac vino ſublimato repleta aliquandiu aſſervetur: tandem vinum alcoholizatum accendatur, idque aliquoties iteretur, & videbis vinum, mercurium, ac ſtannum in quandam oleitatem reſolvi. Uſus (inquit) hujus olei, eſt granum unum in vino optimo, atque æger ſtragulis optime tectus, ad ſudorem ſe componat; ſudoris autem normam ac modum, experientia abunde docebit. Ex Mercurio corallato, qui ab eodem Mercurius laxus dicitur, ſimilis liquor paratur. Fit vero corallatus cum aqua ovorum ab eo pluries diſtillata. Alia præparatio a nobis non ſemel uſurpata, apud Penotum *lib. de medicam. chymicis* ſic habetur.

Purgetur Mercurius ſale ſiccato, & ſublimetur cum vitriolo, ſale communi, & ſale petræ, ut artis eſt: poſtea aceto diſtillato ſolvatur, diſtilletur acetum, materia ſiccetur, poſt ſpiritu vini correcto digeratur, donec in mucoſam pinguedinem tranſeat. Hinc liquor extrahitur, & in arena fortiſſimo igne urgetur, quoad humor lactis inſtar extillet: hoc iterum affunditur, & oleum albiſſimum, ac ſuaviſſimum, omnis erodentis facultatis expers provenit. Per os aſſumptum, veſicæ, faucium, aliarumque partium abditarum exulcerationem perſanat, & renum morbos per ſudores urinamque diſcutit.

Præcipitatio, quæ fit cum ſmiride, coctionis ſpeciem repræſentat; verum ea, quæ fit cum auro prius in ſalem reducto longe præſtantior eſt. At ſalem

auri

auri conficere arduum, & perdifficile eſt: ideo his ſatius ſuperſedendum duco, quam legentis mentem tricis involvere. Rurſus alias Mercurii coctiones agnovimus, quibus etiam pro re nata nonnunquam utimur. Ad has prius coagulatur Mercurius, qui ſi regeneratus, melior, cum ſpiritus cujuſvis metalli, accipiendo partem unam Mercurii, ſalis communis partes tres, vel quatuor, metalli, ex quo vis educere ſpiritum, partes ſex, vel circiter, quod parum referat doſim ſervare ad unguem: coquantur ſimul cum aqua puteali in nonnullis metallis, ex quibus ſpiritus facile educitur; in aliis cum alio liquore, aceto, vino, &c. Simili methodo omnium metallorum vim, & facultatem ad ſe allicit; eſt enim naturæ verſatilis, & aliorum planetarum impreſſiones facile ſuſcipit. Cum Marte vero, ob innatam inimicitiam, medium requirit, puta vitriolum: Ideo loco ſalis pono vitriolum, & maxime Cyprinum; vix enim cum alio vitriolo ſuccedit operatio.

Sub qua conſideratione ſicco pede non eſt tranſigendum, quo pacto ferrum cum mercurio amalgametur. Fit itaque ejuſmodi amalgama cum ferro recentiſſime limato, & mercurio optime purgato, ſufficienti quantitate vitrioli cærulei adjecta, cum debita portione aceti acerrimi, excoquantur ſimul per tres, vel quatuor horas, atque ſpatula lignea aſſidue moveantur, novum acetum ſemper addendo: projiciantur omnia in aquam frigidam, & aliis ſegregetur, atq; demum per corium impellatur, ſic in corio habebis amalgama. Cum ære pariter amalgama parari poteſt, imo citius, nec tanto cum labore.

Præcipitata omnia primo intuitu quoddam coctionis rudimentum demonſtrant, attamen mercurius adhuc crudus in his plane exiſtit.

Hæc vero præcipitatio, in hoc minerali proprie calcinatio eſt, quæ varia a complurimis excogitata fuit. Commune præcipitatum fit cum una parte mercurii, & cum duabus aquæ fortis communis, in matratio, vel alio vaſe vitreo, evaporando aquam fortem ad ignem apertum: manet in fundo vaſis præcipitatum colore flavum, & ſubrubrum. Per retortam commodiſſime poterit perfici iſthæc operatio, cum qua elicies aquam fortem ad plurimos uſus neceſſariam. Eſt & aqua fortis adeo potens, ut æquali portione præcipitare poſſit mercurium: talis eſt ea, quæ fit cum ſuo bolo armeno, vel cum alumine uſto, & ſale nitro huic tanta vis ineſt, ut fere in momento mercurium præcipitet, etiam citra ullum calorem. Fugaces ſpiritu nitri a præcipitato per ſublimationem abſumuntur; ſiquidem ejuſmodi præcipitatum facillime per ſe cum boccia ordinaria ſublimatur. Quod ſi adhuc ſpiritus magis hebetiores reddere cupis, ſublimationem ter, & quater repete. Hac via duplicem operationem perfeciſti, præcipitationem, & ſublimationem, ex rubro album, & pellucidum reddidiſti mercurium. Inſuper ſi ſublimatum dulce deſideras, huic ſublimato commiſce, terendo, æqualem portionem mercurii, & iterum ſublima. Quod ſi adhuc ulterius pergere velis, eodem calle ſalem lanuginoſum, & cryſtallos parare poteris, ut ſupra commemoravimus, e quibus liquores præſtantiſſimos conficimus. Hinc vides, quam arcta præparationum mercurii connexio, ut inde mirum non ſit, ſi unam exponendo, plures amplecti cogar. Interim cum de variis præcipitationum formulis

lis sermonem instituerim, non absre esset, si præcipuas & selectiores, nedum a nobis jamdudum probatas, verum & aliorum publico testimonio communis juris factas, hic interfererem.

Præcipitatum album, nescio a quo edoctæ nonnullæ mulieres nobilissimæ Gallæ, quæ id pro nitore faciei comparando, in usum traducunt. Fit vero mercurio in aqua forti dissoluto, atque in aquam salsam effuso. Aqua fortis, & salsedo omnis, variis ablutionibus ab eo removetur. Sub fine aqua rosacea, vel alia odorifera abluitur, & postmodum exsiccatur. Pulvere hoc præcipitato utuntur per os nonnulli; at errant toto cœlo: repercutiuntur quidem adjectione salsæ aquæ spiritus aquæ fortis, firmiusque tunc pulveri hærent, non vero in totum recedunt. Extrinsecus ejus usus in ulceribus cancrosis summopere nobis arridet: Intus exhibitum per inferiora tantum purgat, & maxime si aqua fortis sine vitriolo facta sit; secus, vomitum pl e-tumque concitat.

Cum duplici pondere olei sulphuris rectificati præcipitatur etiam in pulverem album. Et quia oleum non est tantæ activitatis, ut est aqua fortis, ideo per retortam oleum a mercurio destilletur, variis cohobiis repetitis: pulverem, sive massam albam tere, & lava calida aqua, & hoc tamdiu, quoad in pulverem flavum vertatur. Hujus usus non est adeo formidabilis, ut prioris. Dosis singulorum est 3.4.5. & 10. granorum, pro viribus assumentis.

Cum oleo vitrioli in præcipitatum quoque vertitur. Quod si sublimatio præcedat, nobilius, & præstantius erit præcipitatum. Per retortam mercurius præcipitatus ab oleo vitrioli segregatur: atque cum aquam vitæ optimam ab eo pluries abstractam, ferunt Chrysopœi materiam esse auro (cui plus justo anhelant) augendo idoneam. Hoc præcipitatum, si cum una parte calcis Lunæ, & altera salis armoniaci, ad duas partes ipsius præcipitati, per ignem sublevetur, in fundo vasis relinquit materiem pulcherrimam auro persimilem; hæc denuo in crucibulo fusa, vitrum fixum, & transparens relinquit.

Præcipitatum cum smiride, ni fallor, vana lucri specie excogitatum, etiamnum in usum Medicum adducitur: fitque ipsum cum aqua regia, quæ a smiride calcinato educta fuerit. Sic plures aquæ regiæ smiridis colore prægnantes, per evaporationem in viscidam aquam versæ, brevi tempore mercurium præcipitant.

Præcipitatum alio modo fit rubicundissimum, sanguinis instar, hoc modo. Rec. Sublimati essentificati q. s. hoc dissolve aqua communi per simplicem ebullitionem, dissoluto guttatim affunde olei, liquorisque resolutis salis tartari, gran. aliquot, & quamprimum mercurius in fundo vasis, cadit in pulverem rubicundissimum, qui vere potest appellari magisterium mercurii. Dulce pariter efficitur variis ablutionibus cum aqua communi stillatitia factis. Ex hoc quoque liquores, olea, & balsama confici possunt, de quibus, ut de multis aliis, quum nobis licuerit otiis commodius vacare, fusius dicturi sumus. Nunc superest ejus usum, vires & facultates, nobis compertas saltem, connotare. Quo ad ejus usum, certe cuilibet asserere pos-

sum,

ſum, eum eſſe adeo obſcurum, & difficilem, ut nullo pacto literis poſſit commode tradi. Garriant quicquid velint agyrtæ, & circulatores fumivenduli, ſe plures hoc medio ſanaſſe, ſeque verum, & legimum ejus uſum poſſidere: perrari ſunt tamen illi, qui ejus naturam perſpectam habeant; etenim ſola experientia ipſe addiſcitur. Varius equidem eſt mercurius, & mineralium, & metallorum facultates facile induit, miram ſympathiam, & antipathiam in noſtris corporibus exercet, & in certis temporibus melius, quam in aliis. Nonnullos lue venerea infectos mirifice ſanat, alios plerumque ob ejus antipathiam, non modo non ſanat, verum & morbum contumaciorem, imo & incurabilem ſæpe reddit; ultra graviora mala, ac ſymptomata, quæ malo primo longe deteriora efficit. Humidi in univerſum ejus uſum non tantum abhorrent, ut ſicci, & melancholici. Quidam bilioſi ejus uſum omnino reformidant. Commodius Hyeme, quam Æſtate; mediis vero temporibus, Vere, & Autumno, commodiſſime. In auſtrina temporis conſtitutione tutius, quam in boreali, & his proxime mediis conſtitutionibus. Quantum ad ejus facultates, exiſtimo ſane eas nondum eſſe compertas, propter varietatem ſuarum operationum, refrigeretne, an excalefaciat, certant adhuc Chymiæ ignari. Utraque vi pollere manifeſtum eſt: Quod enim refrigeret, jam patet ſenſibus; quod vero excalefaciat, dum incidit, attenuat, diſſolvit, purgat, & ſimilia præſtat, nemo inficiabitur. At non his qualitatibus tantummodo inhærendum ſuadeo, verum magis ſpecificis, & individualibus. Sub qua conſideratione ipſum agnoſcimus dura pleraque diſſolvere, & multa alia coagulare. Crudus, & incoctus ſemper corpori nocet; contra coctus, & ad perfectam maturationem adductus, omnibus prodeſt. Durities quaſcunque in quocunque loco factas diſſolvit, & attenuat: jecori, lieni cordi, & carnoſis partibus ſuccurrit: cerebro non ſemper tuto adhibetur: pulmonibus obeſt, & renibus: ſiccis etiam partibus, nervis, membranis, & oſſibus frigore ſuo, ſaporeque pontico non parum adverſatur: ſalſos humores denſat, & laxam cutim ſalſo ſudore conſperſam adſtringit. Mirum dictu quam facile omnem putrilaginem, vermes, & omnia animalcula fuget, & enecet. Blandum alvum ſubducit, & bilem clementer purgat. Luem venéream potenter dejicere, a multis creditur: & quidem in eam ſummum habere imperium pluries expertus ſum; at non ſemper, & in multis ſæpe morbum contumaciorem reddit. Epilepſiæ, apoplexiæ, vertigini, hydropi, & aliis ſimilibus multum confert. Aliis denique affectibus ac graviſſimis morbis medetur, tam intrinſecis quam extrinſecis; ſed practicum, & exercitatiſſimum Medicum requirit. Nec hoc quidem ſatis inculcare valeo, propter agyrta,, & circumforaneos, item propter quoſdam ignaros Medicos, qui vix a limine Chymiam ſalutarunt, ſe tamen archichymicos unicuique divendere non erubeſcunt. De ipſius uſu, & facultatibus ulterius non progredior, garrulis pſittacis id diſſuadentibus, deſides enim illi nihil boni probare ſolent. Qui plura deſiderat, legat Theophraſt. Parac. Penotum, Dornæum, Quercetanum, Crollium, Phædronem, & alios.

(a) De

(a) *De Mercurio*. Mercurius dicitur virgineus, qui reperitur in ipsis fodinis & sine igne exprimitur, & appellatur gediegen Duectulber, præcipua vena quæ mercurium fundit, est Idriæ in Ducatu Carneoliæ. Mercurius beneficio ignis ex retorta sæpius propulsus mutatur tandem in pulverem gryseum non reducibilem, aut minus fixum.

Spiritus mercurialis parari sic potest. Spiritus vini rectificatissimus abstrahatur super mercurium spiritu nitri sublimatum, postquam prius per aliquot dies steterit in digestione. Hoc negotium ad minimum vigesies repetatur, sic dulcis evadit mercurius, qui cum anatica proportione croci auri mixtus, debito ignis temperamento, faciliit in medicamentum summe activitatis. Spiritus suavem & penetrantem habet odorem, sapore paulum acidulus est: Si instilletur spiritus salis ammoniaci, evadit albus, ac parum turbidus. Menstruum est excellentissimum ad varia metalla & mineralia solvenda & extrahenda.

Mercurii decoctio cum aqua facta cosmetica virtute imbuitur, testante *Boyleo in Chymista Sceptico pag.* 133. Ad delendas maculas faciei & guttam rosaceam probatissimæ virtutis est aqua florum fabarum, si in ejus libra una unicum saltim granum mercurii sublimati solvatur. Mercurius purissimus, qualis ex cinnabari antimonii vel mercurio sublimato regeneratur, per se vel cum metallis perfectioribus, mediante continuato conveniente ignis gradu in pulverem redactus, rubicundum vomitum excitat, ulteriori expositus igni, eoque graduato vix alvum subducit, diutius detentus fortiori adhibito ignis gradu acquirit vires per insensibilem transpirationem operantes in morbis contumaciissimis. Notabile est, mercurium cum sole & luna decenter amalgamatum & inditum phiolæ brevi tempore interjecto, debito igni gradu adhibito, transire in arborem elegantissimis ramulis & coloribus splendentem, quæ vitri lateribus adhæret.

Mercurius coagulatus & diaphoreticus sequenti ratione fieri potest; Dissolvatur auri portio in aqua Regis, identidem antimonium seorsim in eadem aquâ: alio vitro stannum in aqua forti mitigata, solutiones has inta funde mercurio, mixturam agita, sic promte abit in coagulum, absorbendo particulas metallicas, abstrahatur spiritus acidus, & accendatur crebrius spiritus vini rectificatissimus super pulverem remanentem, qui decenter exhibitus in morbis rebellibus partim salivatione, partim diaphoresi mirificam fert opem.

Mercurius philosophicus, purissimus, spirituosus arsenicali sua parte maximam partem orbatur, optime paratur ad præscriptum *Philalethæ* vide *introitum apertum ad occlusum regis palatium*, item *Riphæum redivivum*. Mercurius amalgametur cum regulo antimonii martiali, quod alias difficillime procedit, nisi conjunctione aliorum corporum, quæ binæ Dianæ columbæ a *Philalethæ* salutari solent. Per has *Suchtenius* intelligit duas partes lunæ: *Becherus in supplemento physicæ subterraneæ* duo salia, nimirum sal alkali & sal ammoniacum, utraque via negotium succedit: verum melius est, præter duas partes argenti quibus regulus martialis igne admiscetur, dicta salia simul in consortium assumere, sic longe felicius res peragitur, cardo autem totius rei consistit in repetita sublimatione mercurii ab istis corporibus, & exactissima ac longiori trituratione ac lotione. Notabile est, quod luna cum tali mercurio mixta amalgama constituat, quod leni ignis calore durissimum evadit. In Anglia ante quindecim annos retulit mihi chymicus perspicaciissimi ingenii, se quoties mercurium per decem sublimationes nobilitatum ex retorta destillaverit, inveniisse aliquot grana pulveris rubicundi instar arenæ rubræ, quæ cum borrace reducta fuerunt in purissimum aurum. Certissimum hoc est, quod tali modo depuratus mercurius sive cum auro decenti longiore digestione reducatur in pulverem, sive cum depurato sulphure minerali purissimo abeat in cinnabarinum concretum, vel extemporanea elaboratione in æthiopem mineralem, præbere remedium, quod sub exiliissima dosi efficaciissimum sit, permeando totam corporis sphæram, angu-

stis-

ſtiſſimoſque partium tubulos, ubi obſtructiones & humores ſtagnantes egregie diſſolvit & diſſipat. Mercurius cum luna ex facili amalgamatur, at vero ſi hæc cum minima ſaltim ſulphuris quantitate cæmentetur, omnem amalgamationem & conjunctionem reſpuit. Mercurialia ſive in unguento ſive in emplaſtro pullibus applicata, vel pedum plantis, facillime movent ſalivam & fauces petunt, anguſtiam ibi excitando. Helmontius in tract. catarrhi deliramenta: Mercurius foris illitus fauces, dentes, linguam afficit, imo mercuriali aſſumto larinx ac fauces nonnunquam præcluduntur.

Quando ſulphur cum æquali parte mercurii ſublimati miſcetur, & deſtillatio in retorta adornatur, aſcendit ſublimatus cum ſulphure mixtus flavus inſtar ſulphuris, elegantibus ſtriis cryſtallinis apparens. Caput mortuum relinquitur inſtar antimonii nigrum, ſcoriæ quæ adhærent ſunt gryſei coloris. Crediderim, quod hac enchireſi ſi mercurius crebrius cum ſulphure tractetur & ſublimetur, tandem deponat omnes ſuas ſcorias atque impuritatem, & fiat puriſſima. Cinnabaris medicamentum mercuriale eſt, & prout ſulphure puriori vel antimoniali, item ſubtiliori mercurio conſtat, variat ejus virtus. Una pars ſulphuris ſufficit ad ſeptem partes mercurii. Ex tempore parari poteſt intra duarum horarum ſpatium, ſi cum ſulphure probe miſceatur mercurius leniori igne: Maſſa indatur cucurbitæ vitreæ & immitatur crucibulo. Sic fortiſſimo igne ſublimatur cinnabaris. Cinnabaris antimonii in maxima quantitate fit, ſi deſtilletur igne aperto retorta. vid. tractat. noſt. de Cinnabar. ant.

Quando ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis urinoſus affunditur corpori mercuriali, ſive argento vivo bene depurato, diſſolvit partes quaſdam mercurii ſubtiliori, & ſingulari odore nec non ſapore ac virtute reſolvente imbuitur.

Securiſſimum ex mercurialibus medicamentum eſt cinnabaris, ſive vulgaris rite præparata, antimonii aut nativa. Cinnabaris eſt mercurius ſulphuris ramoſo contextu ligatus ac exceptus, ut non tam facile ſalia acida ejus texturam aggredi ac corroſivam qualitatem producere queant: quare cinnabarina rarius efficiunt ſalivationem. Præſentiſſimam opem ferunt in epilepſia, vertigine, affectibus capitis, qui a ſero vel ſanguine extra aſato ortum ducunt, quem egregie reſolvunt, ſed quod bene notandum, in majori & ſæpius repetita doſi exhibenda ſunt; aliquoties feliciſſimo cum ſucceſſu epilepſiam ex graviſſima capitis contuſione ortam expugnavi cinnabarinis, offerendo pro una doſi ſemper ſcrupulum unum cum aqua cephalica, bis de die, continuando per decem uſque dies, ſola ſaltem adhibita cucupha ex caryophyllis, aromaticis, cubebis, & cardamomo.

Cinnabarini flammeus & ſumme coccineus color conciliari poteſt, affuſa certi ſalis ſolutione & exactiſſima trituratione & lævigatione in marmore. Metallica, mercurialia gravia, quo exactius ſunt triturata & in ſubtiliſſimum pollinem redacta, eo nobiliores ſunt illorum virtutes.

CAPUT XIV.

De ſecretioribus Metallorum præparationibus, & uſu.

EXacta in ſuperioribus mineralium pharmacia, nunc ad metalla deveniendum. Ex primum ad aurum, tanquam omnium optatiſſimum, & perfectiſſimum. Qua in re, ob rei difficultatem, haud ſatis, notam, quid de eo ſenſerint alii, breviter recenſebimus; quid poſtea ferat noſtra opinio, more noſtro paucis aperiemus.

(a) *De Auro.*

Circa auri appellationem, aliquam latere æquivocationem reperio. Quidam

dam enim pro auro, non id quod communiter proſtat, & cui hodiè rerum mets, & pretium aptatur, avaritiæ fonti, a quo mille incommoda vitæ continenter profluunt, accipiunt: ſed quandam materiam, ſanitatis radicem, & uberrimum fontem, nullius invidiæ ſubditam, ſed probis, & veris Medicis notam, de qua longe plura, quam de vulgari auro, ſublimia decantant. Sol etiam aurum cœleſte dicitur. Vulgare vero aurum, cui proprie hæc competit appellatio, & ad quod vere præſens noſter dirigitur ſermo, nullo vocis ſignificatu laborat. Hujus nominis etymon quidam nimis curioſi deducunt ab Hebræa voce, *aor*, quæ lucem ſignificat. Hebræi tamen id alia voce efferunt, *betzar*, quaſi in tribulatione, ſiccitate; *tzar* enim tribulatio, & ſiccitas, & præpoſitio *ben*. Item *zahu* a colore, & puritate; alii a Græco ὁράω, quod eſt cuſtodio. Alii χρυσὸν dicunt ab inventore. Poteſt & ab illa voce ὥρᾳ, qua Sol apud Ægyptios dicitur. Inſignitur & aliis nominibus penes Chymicos: nunc enim Solem ipſum nominant, nunc ſulphur fixum, fermentum, ſperma, tincturam, & alia. Olim Græcis ejus in Medicina uſus fuit incognitus. Arabes primi tanti metalli vires experti ſunt, atque ſuis compoſitionibus immiſcuerunt, limatum primum, aut in foliola redactum, quam craſſam præparationem adhuc pharmacopolæ noſtri retinent: quo cum fructu, adhuc inexploratum habeo. Id a noſtri ventriculi calori atteri, ſubigi, & concoqui nequit; at tunicis ventriculi, & inteſtinorum hærere poſſe, ſæpe compertum eſt, unde ſymptomata graviſſima non raro emergunt. Chymicos, hac in re ſolertes, & ingenioſos comperimus, ut qui variis, & præſtantiſſimis inventis Pharmaceuticam non modo auxerunt, & ditarunt; verum & ad ſummum perduxerunt: inter quos primas tenent Raimund. Lull. Arnaldus Villanovanus, Theoph. Germanus, quibus viam ſtraviſſe Iſaacum Hollandum, Johannem de Rupeſciſſa, & F. Baſilium Valentinum quodammodo creditur. Ab his multi alii profluxerunt, ut Gerardus Dorneus, Penotus, Ulſtadius, Phædronus, Quercetanus, Crollius & alii pene innumeri; ut interim vetuſtiſſimos præ brevitate omittam.

Summa hujus metalli præparatio in diſſolutione conſiſtit. Diſſolutio vero procuranda eſt ſine corroſivis; ſecus non medicamentum, ſed venenum conficitur. At ſunt corroſiva, ea omnia, quæ e ſalis ſpiritibus educuntur. In quo loco reponendus eſt tædioſus ille labor, qui ex aqua puteali fit, cum revera per id laboris nihil aliud quam ſpiritus ſalis armoniaci proliciatur, quod ſapore & colore, quo digitos inficit, facile cognoſcitur. Aquam vitæ alkalizatam, ut & acetum alkalizatum idipſum diſſolvere poſſe, minime diffido; ſed ejuſmodi modus perobſcurus eſt, & ejus calcinatio vera præmittenda venit. Quod de eo ænigmatice loquutus eſt Parac. ambiguum eſt admodum, nec quid velit a quopiam percipitur. Legitimum diſſolvens a multis aqua vitæ dicitur, a nonnullis *azot*, & quibuſdam mercurius, ſpiritus, ignis, & alia pro uniuſcujuſque captu nacta. Quid ſi tandem, videant, ne nobis impoſſibilia, lapide ſuo imaginario cuncta in aurum vertente obſcuriora, obtrudant. Si tanti arcani fuerint participes, cur non ſibi ipſis ſaltem profuerint? Si aurum condendi ars tam familiaris, ubi tot divitiæ, & opes con-

tra-

tractæ? si mortis, & sanitatis tutelare præsidium, cur non morborum immunes longissime vixerint? cur non morborum seminariis eodem funditus evulsis, senectam deposuerint? at hi utplurimum morbosi, crudaque senectute confecti, ocyssime occubuerunt. Siccine deluditur vestrarum præceptionum labor? commentariane sunt, tot tamque varia de eo a vobis decantata encomia? Sed quorsum isthæc? liceat unicuique proprio sensu abundare. Quercetanus *lib. de præparat. medic. Spagyr. cap.* 1. auri dissolvens duplex facit, spiritum acerrimum, & sanguinem hydræ, quo in loco medium, quo educitur color a dissoluto, alcohol glaciati corneoli proponit. Quid sit spiritus ille acerrimus, aqua regia, an fortis alia ex sale marino, ut & sanguis hydræ, parum laboramus, sola voce isthæc corrosiva nobis innotescunt: ipsius item alcohol glaciati corneoli, sive aqua vitæ sit alkalizata, sive aliud quippiam simile, nobis admodum suspecta est hujusmodi præparatio; nec minus reliqua *in eodem capite* eodem filo contexta, quæ ni fallor ex Parac. desumpta sunt, & maxime ex *Chirurg. mag. lib.* 2. quo argumento multos vanitatis, & gloriolæ cupidos deprehendere licet. Paracelsum nemo intelligit, quis Quercetanum idem per obscuriora dicentem? Idem author in *sua Tetra-de cap.* 2. de Sole & Luna, unam sibi compertam multis verbis ænigmatice depingit. At quis non videt descriptionem fundamento, a se & aliis posito, minime quadrare? Quod inibi Philosophice calcinatum appellat, id fit cum sale armoniaco cum resoluto sale tartari, ut de fulminante auro habetur. Stygiam postea aquam e fontibus draconis omnivori glaciatam, esse corrosivam satis liquet: & insuper colorem ibi maturatum solem in nigrum. Ex mercurio corrosivis spiritibus imbuto fieri, manifeste patet hucusque dictam præparationem, mortificationem nuncupatam, qua variis ablutionibus repetitis, splendidum, & magis nitidum redditur; a quo postmodum per spiritum fructuum juniperi tincturam elici docet: quam tandem Saturni balsamo æthereo exerceri vult per alembicum, crebris cohobationibus ad hoc repetitis. Hujusce præparationis veritatem penes suum authorem relinquimus, nec propterea tanti viri fidem labefactare, aut suspectam reddere nobis est animus. Scimus pro certissimo, ejusmodi calcinationem, & dissolutionem haud esse legitimam, & Saturni spiritum, quam vis ardentem & subtilissimum, aurum minime tangere, minus quemcunque spiritum fruct. juniperi. His forte alia præstantiora dissolventium genera nobis occuluit. Tincturam, quam ferunt per lapidem pumicis educi posse, manibus propriis tractavimus; eam tamen nec probamus, nec aliis parandam suademus.

Per oleum juniperi creditur quoque aurum propria tinctura spoliari posse, cujus crudelitate neminem parum in chymicis versatum hærere existimo. Cæterum passim in Chymicorum libris varia tincturarum, & auri potabilis præparationum genera offendes, quæ (ni fallor) incerta, impossibilia, & omnino a veritate aliena censemus. Quid tamen de vera, & legitima ejus præparatione sentiam, paucis sic habeto. Aurum prius sua natura metallica spoliandum venit, quod omnes fere innuere videntur; at in modo docendo nos fallunt, vel ipsis sic volentibus, vel his plane rudibus, & ignaris: hoc vero

fit

fit per calcinationem. Calcinatio ejuſmodi non fit cum aquis fortibus ſalē ārmoniaco exaſperatis; minus per ſpiritum ſalis urinæ, nec itidem per quemvis ſpiritum ſalium. Spiritus ſalis aquæ communis optime aurum ſolvit, & tamen vera non eſt ſolutio, nec calcinatio ulla ejus medio fieri poteſt; aurum etenim his calcinatum iterum in corpus revertitur. At vera calcinatio fit cum quadruplo corporis ſicci diſſolubilis, trituratione diligenti præmiſſa: prunis ardentiſſimis tunc probe calcinatur, calcinatum liquore acido potabili diſſolvitur, a quo poſtmodum cum ſpiritu ſulphureo pariter potabili, tinctura a corpore ſegregatur. Sic verum, & legitimum aurum potabile habes cum ſua tinctura. Si ulterius pergere velis, aurum eſt apertum, facile tibi erit vitriolum, eſſentiam quintam, magiſterium, & alia arcana parare. Quod ſi prima vice corpus auri non ſit ſatis apertum; calcinationem reitera, imo ter; & quater: quo plus, eo melius. Jam ſic calcinatum maximas virtutes obtinet, eoque tunc frequenter utimur citra tincturæ extractionem, aut aliam ſolutionem.

Calcinationes vulgatas ſuis carere dotibus minime exiſtimamus, ea de re nonnullas nobis notas hic delineare haud in frugi duco.

Calcinationes communes duplici via potiſſimum fiunt, per mercurium, & per aquas fortes, quas regias vocant. Per mercurium accipiunt ſolis puriſſimi in bracteolas, vel tenuiſſima folia reducti partem unam, mercurii vivi partes 6. vel 8. Mercurio parum concalefacto additur aurum, idipſum probe miſcendo piſtillo ligneo: atq; hoc fit extra ignem. Tum amalgama aqua dulci multoties abluatur, donec omnis nigredo recedat. Superfluum Mercurium per corium exprimimus, & in corio manet amalgama, quod iterum accipimus, cum duplo ponderis ſalis albi decrepitati, utrumque fortiter ſimul terendo in mortariolo, vel lapide marmoreo cavo, cum piſtillo etiam marmoreo: Poſtmodum materia crucibulo indita, prunis ardentiſſimis committitur, a qua Mercurius recedit. Sal per ablutionem aquæ dulcis ab auri calce ſegregatur. Calx adhuc tenuior redditur, ſi ea bis, vel ter cum duplo florum ſulphuris comburatur. Fit & calcinatio cum ſolo Mercurio, ſed non adeo perfecta, & cum aliquo detrimento.

Item cum Mercurio ſublimato, modo haud valde diſſimili.

Item cum ſale armoniaco, ſale communi, & ſale aquæ communis.

Per aquas fortes ſale armoniaco exaſperatas, aurum in calcem vertitur, accipiendo aquæ fortis, ʒ.iv. ſalis armoniaci, ʒ. j. auri puriſſimi, ʒ. ſs. diſſolvuntur omnia lento calore in urinali vitreo, poſtmodum humiditatem omnem evapora, & remanet aurum cum ſale armoniaco calcinato. Per validum ignem ſalem ſublimando, dictum ſalem ab auro ſeparabis, item per adjectionem ſalis tartari; & poſtea per ablutionem cum aqua communi extillatur, & aqua regis ſine fæcibus, & ſic ſimplex evaporatio ſufficit. Aurum poſtmodum in aqua regis ordinaria ſolutum, & cum ſale tartari reſoluto repercuſſum in tenuiſſimam calcem vertitur, quæ poſtmodum aqua communi pluries lota, evadit tenuiſſima, fitque illud aurum ſclopetarium, volatile, ceraunochryſon; qua occaſione ab aere calido exſiccanda venit,

ne

ne ignem concipiat; secus ejusmodi aurum concipiens ignem, ingenti cum strepitu vasa etiam fortissima disrumpit, & in mille partes distrahit, fulminis ad instar; qua ratione & aurum fulminans a multis dicitur. Hujus operationis causam Crollius refert antipathiæ salis armoniaci cum mixtis, & medio ol. tartari compactis, & densatis; aurum ob suum pondus vim fulminantem salis nitri ad se trahit, unde vires suas inferius exerit. Aurum præterea in calcem reducitur per spiritum salis aquæ communis. Solvitur primo aurum cum sufficienti quantitate dicti spiritus, solutum evapora lento igne, & in fundo calx relinquitur. Aurnm solvitur etiam eum spiritu urinæ hominis, & solutum, modo supradicto exsiccatur, & in calcem reducitur. Rursus solvitur aurum cum oleo seu liquore antimonii, & postmodum in pulcherrimum vitrum evadit, cujus vires etiam maximæ sunt. Hoc denuo vitrum in calcem facillime vertitur, atque ab ea tincturam proprio dissolvente extrahere poteris. In calcem tandem vertitur aurum cum spiritu salis aquæ putealis, qui spiritus valde est affinis spiritui salis armoniaci, vires nempe easdem obtinens; hinc salem armoniacum primum e terra enasci credendum est, atque his in locis plurimum reperiri. Hinc tribus milliaribus, ab hac Civitate, meridiem versus, e terra quandam salis speciem sponte enasci comperimus, toto genere sali armoniaco similem. Is certis temporibus, proprio impetu, dum terra rore quodam madido perfunditur, foras erumpit. Solum illud hujusce salis copiæ ferax, omnino inutile perpetuo manet, siccum & sterile, incultum & horridum. Sunt præterea multæ aliæ calcinationes, quas passim Chymicorum in libris offendes. Nos præsentibus contenti sumus. Adderem varias solutiones, item infinitas alias auri præparationes, tam præcipitationes, quam sublimationes, varia denique ex eo composita medicamenta; pariter solutiones complures, Mercurii extractiones, & alia innumera: Verum nobis isthæc non parum suspecta sunt; demum rhapsodos æmulari nobis non est consilium proprio labore parta tradimus, aliena, & incomperta omittimus, uti & inutilia, veluti arborem Hermetis, ab aliis arborem auream dictam; quo in loco possem connotare novam cujusdam Chymici antichymici præparationem, ab ipso germinationem dictam. Sed futiles ejusmodi præparationes, malo remittere ad ejusdem fabulosam ex auro, & argento Mercurii extractionem, quoad palam edoceat suum aurum potabile. Consimiles cognoscimus, qui multum de arte pollicentur, & eam vix a limine salutarunt unquam. Quid mehercle aurum potabile votis habere? & minimis morbis ne tantillum opis afferre? Artis magistros convellere, & inscitiæ atque supinæ ignorantiæ incusare, nonne est audax, & temerarium facinus? & horum ni pollicitationibus veritas prompte innotescat, non modo calumniatores, verum & insignes mendaces, & garruli impostores apud probos merito censebuntur.

(a) *De auro*. Character ac nota essentialis auri est gravitas, non datur enim auro gravius corpus, dum duplo ponderosius est in eadem mensura ac portione stanno ac ferro. Depuratur aurum Ducatorum (quod non finum est, quia unus

ducatus tribus lunæ gran. & totidem veneris participat) quam optime per antimon. sic splendidissimum & purissimum evadit, ac mirabiliter ductile, quoniam ab admixta venere & luna rigiditatem acquirit. Non opus autem est, ut follibus antimonium difficillimo labore ab auro separetur, sed in momento id fieri potest, adjecto nitro sufficiente, quod partes antimoniales in calcem vertit relicto purissimo auro.

Auri calx si sit citrina, bruna vel nigra, aliquid adhuc continet lunæ, si autem obscure rubra; tunc purissima est. Auro conciliari potest color saturate rubicundus, si fundatur cum venere & antimonio, postea depuretur & hoc negotium aliquoties repetatur. Memorabile est, aurum candefactum si admoveatur laminæ orichalceæ, illud statim reddi friabile, ita, ut possit pulverisari. Stanni momentum cum auro commixtum, tantam vim ipsi conciliat ut igne non possit liquari. *Steeb. tractatu elixir solis & vitæ* dulci liquore lymphatico tenui aurum in subtilissimam tincturam convertit. Vapor spiritus vini rectificati inflammati sub campana collectus pauciſſima utut quantitate auri folia intime dissolvit. *Boyle historia fluiditatis pag. 26.* aurum menstruo quodam traduci posse per alembicum asserit.

In auro parum latitat virtutis medicamentosæ, est enim nimis fixum & compagis & texturæ firmissimæ, quam non facile penetrare & dissolvere valet menstruum quodam activum vel corrosivum, multo minus salivale gastricum, quod ferme nullum jus in illud habet: deinde etiam pauciſſimo pollet spiritu minerali, adeoque omnis activæ virtutis per se expers est. Omnes ferme tincturæ, essentiæ & liquores potabiles, tantopere commendati & celebrati, revera destituti sunt singulari & experta virtute, imo plus nocuisse quam profuisse observati fuerunt. Et si accurate examinentur, plerumque auro prorsus orbati sunt, & tincturam suam ac virtutem, si quam fovent, mutuantur a menstruo, si autem continent aliquid auri sine corrosivitate illud non est. Hac ratione auri crocus tenuissimus spiritu salis volatili dulcificato, spiritu Sachari Saturni, viridi æris dissolvi ad partem equidem potest, attamen liquor hic nihil aliud efficit, quam ut stimulet primas vias, & ad excretiones ipsas irritet, tenacemque mucum ibi residentem colliquet, quo nomine etiam commendari potest aurum fulminans, maxime quod cum spiritu salis ammoniaci præcipitatum & non sufficienter edulcoratum fuit, quod corrodente sua vi alvum ducit, & in epilepticis insultibus ac torminibus convulsivis a pituita vitrea obortis, quandoque exerit laudabilem effectum, ceteroquin ipsi intestinorum substantiæ vim inferre potest; sic aurum medicinale acceptum pondere unius grani per 30. aut 40. dies in vehiculo convenienti sanare infallibiliter epilepsiam *Auctor est Vigani in medull. Chym. p. 48. Hiferus in Hercule medico lib. 6. p. 292.* in quartana auri fulminantis vires extollit. Nonnulli parare solent ex ipso liquorem nephiticum hac ratione: Aurum solvunt in aqua regis bonæ notæ, solutionem inspissant, coagulatum urgent vehementissimo igne sublimatorio in phiola. Sic ascendit sublimatum circa phiolæ latera superiora flavescens, quod in aere humido abit in deliquium, hoc deinde variis aquis dilui vel spiritibus misceri, & in usum trahi solet: fæces post ejus usum secedunt nigræ, obesis pituitosis & robustioribus personis ejus usus plus quadrare videtur, quam macilentis, biliosis & tenerioribus.

Quamvis autem ex auro pauciſſima expertæ virtutis remedia prodeant, singularem tamen præstat usum & concurrit ad efficaciſſimi medicamenti compositionem, si cum mercurio, qui abundat spiritu minerali actuosissimo, in temperamentum feliciſſimo connubio redigatur. Fixum enim auri corpus partes tenuissimas mercurii in poros ac sinum recipit, ut æquabilis harmonia & proportio exurgat; unde nihil magis mea opinione mercurium corrigere potest, quam aurum & ex adverso, nihil aurum exaltare, actuare & virtute medicamentosa magis imbuere aptum est, quam ipse Mercurius.

Auctor quidam Anglus luci exposuit tra-

tractatum, dictum *Antelixir* of Sold., in quo scribit se possidere pulverem, quo mediante auri corpus penitus destruere, illudque in concretum arsenicale volatile nocivum, quod vitrificari aptum sit, converti posse, quod fieri posse non dubitamus.

Auctor calcinat aurum cum quadruplo corporis sicci dissolubilis, quod nihil aliud videtur mihi, quam mercurius sublimatus, vel vitriolum martiale, cum spiritu sulphuris volatili paratum, quod aurum propter sulphur egregium in calcem rubicundam igne vehementissimo vertit, remanente simul terra sulphurea martiali: huic calci affundi debet spiritus salis volatilis & cum ipso dissolutio tentanda, postmodum superfundendus spiritus sulphureus, potabilis, id est spiritus vini tartarisatus. Inde exurgit tinctura elegantissimi coloris aurei, ast natura magis martialis quam solaris. Scribit Auctor, quod etiam citra tincturæ extractionem auro sic calcinato utatur, procul dubio in cachexia, hydrope, affectione hypochondriaca. Ex auri foliis, cum sale ammoniaco alumine & nitro tritis, ignique commissis, extrahi potest tinctura auri non contemnenda:

CAPUT XV.

(a) *De Argento.*

ARgentum, Chymicis Luna, Græcis ἄργυρον, Hebræis *cheseph*, quasi amabile, a *chasaph*, amare. Proxime ad auri naturam accedit: Vires etiam auro valde affines obtinet. Errant tamen illi, qui putant ejusdem esse speciei, & solo calore differre. Qui utriusque vivam anatomiam perspexerit, norit & utriusque maximam differentiam: quod dictum sit propter quosdam Chrysopœos, vanis opinionibus plus justo inhærentes. Arabes pariter argentum, ut aurum, cardiacis medicamentis primi immiscuerunt: hinc foliorum argenti usus, adhuc in officinis retinetur; qua in re crassam adhuc vigere medicamentorum præparationem, satis mirari non possum. Sumpserunt omnes artes summam perfectionem, sola hæc pars Medicinæ inculta manet! quod gravissimum piaculum non aliunde oriri mihi persuadeo, quam ex nimia garrulitate, qua qui plus pollet, is cæteris longe doctior præfertur. Nonne hac tempestate videmus Medicos ad disputandum longe paratiores, quam ad bene medendum? Non fit ex opere, sed ex loquacitate, Medici electio. Sed similes habeant labra lactucas: nos meliori opinione imbuti, operantem Medicum requirimus, non auditu solum, sed & proprio labore instructum. Rejecto quippe crasso illo foliorum auri, & argenti usu, eorum dissolutionem apprime docemus.

Ex quia de auro diximus, calcinatio semper præcedere debet. Calcinatio argenti a calcinatione auri non differt, licet longe facilius id in calcem vertatur, quam aurum.

Et sicuti aurum duplici modo calcinatur, ita & argentum, utpote cum Mercurio, & cum aqua forti. Cum Mercurio, eo quo diximus modo de auro. Cum aquis fortibus, modo etiam non dissimili, excepto, quod sola aqua forti absque sale armoniaco probe calcinetur, cacinatione (inquam) communi, non philosophica. Et quemadmodum aurum in aqua regia

ſolutum, per ſalem tartari, ſeu oleum repercutitur, ita & argentum in ſimplici aqua forti ſolutum, cum aqua ſalſa præcipitatur, pulvere albiſſimo cum aqua fontana pluries edulcorato, & hoc utuntur nonnulli pro vera calcinatione, licet iterum ejuſmodi pulvis in argentum revertatur. Dictus pulvis intra exhibitus ventrem ſolvit, ventriculo pergravis eſt, vermes enecat, & hydropicorum aquas educit. Ex hoc pulvere norunt pſeudochymici quidam plumbum in argentum fallere, qua inſpectores credunt Saturnum in Lunam fuiſſe mutatum. Ad hoc deraſum, & limatum plumbum accipiunt, qui prædictum argenti pulverem addunt, & his igni admotis, pulvis in argentum vertitur, & plumbum in pulverem cineritium, argenti pulveri ſimilem. Qui non norunt argenti pulverem, atq; exiſtimant aliud eſſe ab argento, facillime illaqueantur. Idem cum Luna cornea efficiunt, ut optime animadvertit Crollius. Ab hoc præcipitato argento, cum aceto ſtillatitio fiunt Cryſtalli argenti, qui denuo in liquorem oleagineum evadunt. Pelluntur & per retortam, a quibus inſignis ſpiritus argenti educitur. Hæc calx denuo cum duplici pondere ſalis communis minutiſſime trita, & mixta, atque quatuor horas tantum in furno venti detenta, ſubtiliſſima, & perfectiſſima efficitur ad tincturam eliciendam.

Alia tamen calcinatio nobis nota eſt, longe melior & facilior, fit cum quadruplici pondere aquæ ſiccæ, ut de auro diximus. Perficitur dicta calcinatio intra tres, vel quatuor horas, filiis artis, veris non putatitiis ſatis nota eſt, ideo propter pſeudochymicos apertius non eſt dicenda. Calcinatio in auro non ſæpe unica vice abſolvitur; in argento contra, quod non ſit adeo tenax, & compactum. Hac via metallorum corpora adaperiuntur, & in his invenies quodcunque volueris: nam ſic adaperta quocunque liquore potabile diſſolvere poteris, nec ad hoc opus eſt aqua vitæ alkalizata, aut alio fortiori diſſolvente; ſimplici aqua communi diſſolvuntur, & poſtea ulterius progredi poteris. Scio virum Illuſtriſſimum, in cujus gratiam hæc ſcripta ſunt, graviter laturum, ſi tantum arcanum omnibus patefacerem. Qui hanc ergo diſſolvendi methodum nactus fuerit, intelliget, quo pacto argentum in quintam eſſentiam adduci poſſit, item in oleum, & Balſamum.

Calcinatio quæ fit cum ſulphure, non omnino reprobanda venit; hac enim calcinatione, ſi rite inſtituta fuerit, Lunæ corpus aperitur, licet non adeo perfecte: fit vero dicta calcinatio cum duplo ſulphuris triti, ſumendo argentum prius cupellatum, & in bracteolas reductum; in crucibulo ſtratificando lamellas argenti cum ſulphure: atque tum igne ſuppoſito crucibulo, flagrat ſulphur totum, & in auras abit. Reperitur iſthæc operatio bis, aut ter, donec Luna perfecte ſit calcinata.

Calx ejuſmodi aceto ſtillatitio in vitriolum vertitur, a quo poſtmodum quintam eſſentiam, oleum, liquorem, & ſimilia elicere poteris; de quibus uſus, vires, & facultates omnibus innoteſcunt.

Præterea ex argento liquor argenteus ad multa utilis hunc in modum paratur, citra ponderis ipſius Lunæ jacturam: ad hoc Lunam in foliola redactam accipimus, eamque a qua forti diſſolvimus, diſſolutæ lento igne

ter-

tertiam partem evaporamus, ſicque in ſcutella vitrea lata eam in ſecreto loco reponimus, uni intra 24. horas cuticula argentea ſuperficiei inducitur, quam in alio vaſe ſeorſum ſervabis. Hæc operatio toties repetenda venit, quoties ejuſmodi cuticula apparebit. Demum iſtæ cuticulæ in cella vinaria repoſitæ in liquorem facillime abeunt, vaſe ad id parum reclinato. Ferunt quidam uniones fictitias eo liquore illitas colorem nativum adipiſci.

Argentum tandem variis liquoribus diſſolvi poteſt pro uſus varietate. Promtiſſime ſolvitur cum ſimplici ſpiritus ſalis nitri; hujus vero ſpiritus ſalis præparationem ſupra docuimus.

Quod ad præparationem illam, falſo germinationem dictam ſpectat, puto omnino eam nullius eſſe frugi: & quanquam ejus artifex incuſet magnum illum Germanum, Hermeticorum non infimum, ignorantiæ, & inſcitiæ, mirum non eſt, quia ſic ſolet omnes bonos authores protrahere.

Juvenum mos eſt multa ſibi credere. Laudari poſtmodum ab illaudato non magna laus eſt. Mercurius ob fugam caloris ſecum trahit amica metalla, quod potius ſublimatio, quam germinatio dicendum eſt. Potiori ratione arbor Hermetica in humido nata, nuncupanda eſſet germinatio. Sed tricis his miſſis, ad ſeria deveniendum.

Uſus argenti liquoris, ſalis, quintæ eſſentiæ, calcis vivæ, multiplex eſt pro varietate affectuum, eorum magnitudine, temporis conditione, & infirmorum natura: quæ omnia probo, & erudito Medico facile nota ſunt.

Vires maximæ ſunt adverſus capitis morbos, epilepſiam, apoplexiam, vertiginem, imbecillitatem cerebri; valent & ad oculorum morbos.

Quantitas perexigua eſſe debet, ni morbi magnitudo majorem repoſcat.

Tempus exhibendi erit, ut de aliis alterantibus, quæ omnibus horis præbere poſſumus, etiam intra cibos.

Rurſus lubens prætereo methodum conficiendi Mercurium ex metallis, ex argento præſertim, & auro, eo quod in his plus opinionis, quam veritatis comperiamus. Si tempus contrarium indicaverit, ſententiam mutare non recuſo.

(a) *De Argento*. Luna a veneris contagio penitus depurata non amplius colorem cœruleum vel viridem menſtruis impertit, ſed præparavi ex ipſa ſecundum proceſſum *Monſchnyderianum deſcriptum in tractato Metamorph. planet.* Vitriolum albiſſimum ſplendeſcens ſquammularum ad inſtar: hoc ſolutum in ſpiritu liliorum convallium non adeo rectificato exhibebat liquorem qui leniter purgabat, pituitam primæ regionis viſcidam incidebat, lumbricos feliciſſime educebat, varioque experimento comprobabat ſuam efficaciam in epilepſia, menſium ſuppreſſione, & atrophia infantum. Major efficacia huic liquori conciliari poteſt, ſi ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus addatur, qui tamen nec viridem nec cœruleum producebat colorem. Singularem obſervationem meretur, quod ſal illud in aqua deſtillata ſolutum progreſſu aliquot menſium nobis ſubinde exhibuerit ultra ſex colores: Nimirum mixtura clara & diaphana primum incipiebat virideſcere, deinde ſubſequebatur color ex flavo obſcurus & tandem ater, elegantiſſimo ſane ſpectaculo, ut exinde appareat, ferme omnes colores latitare in corpore lunæ per ſe omnis coloris expertis.

Hactenus argentum non niſi aqua forti

solvi traditum fuit, nihilominus vitrioli oleo eoque rectificato forti adhibita coctione commodissime dissolvitur.

Actor cum quadruplici pondere aquæ siccæ calcinat lunam; assumitur lunæ depuratæ in lamellas redactæ drach. 1. mercurii sublimati unc. sem. fiat stratum superstratum in crucibulo, mixtura calcinetur, sic relinquitur calx lunæ gryseicoloris, cui affundi potest sal volat. urinæ cum spiritu vini paratum pro extrahenda tinctura.

Argentum corpus grave est & fixum in igne, ita tamen volatisari sequenti via potest, ut plane volaticum fiat & in auras abeat. Accipiantur lunæ finæ drachmæ 2. aquæ fortis depuratæ drachm. 6. fiat solutio, quam coagulat sal ex albo viridiscens, hoc solve in spiritu crystallorum viridis æris, quem tribus vicibus abstrahebam, remanebat sal, quod leniss imo calore in fluxu perseverabat, quod solvebatur in spiritu vini saltem simplici, mixturam infundebam cucurbitulæ, cui ignis admovebatur, & evaporabat primo spiritus vini, dedi ignem fortiorem, sic omne sal sub specie fumorum volatile factum fuit, & in auras evanuit, pauco relicto quod renuebat amplius coagulari. Liquoris hujus lunæ antefactam evaporationem assumebam quatuor partes, & affundebam mercurii vivi part. 1. Sic in momento coagulabatur mercurius in cineritii coloris amalgama, liquorem supernatantem affundebam, ipsique admiscebam sal volatile Caryophyllatum, unde mixtura ex nigro fusca apparebat ac penitus coagulabatur instar butyri.

Memorabile est, sulphur ad mixtum lunæ, ipsi protinus leniss imo calore fluiditatem simul & fragilitatem conciliare, inducendo colorem ex gryseo atrum. Argentum hoc modo cum sulphure cœmentatum, si ignitis carbonibus vel regulis imponatur, exurgit in tenuissima fila, accrescit & dicitur gewahsen Gilber. In sulphure latitat arcanum separandi aurum ab argenti insigni mole per solam fusionem in igne, qui processus multum suppeditat lucri. Sulphur aggreditur ipsum argentum illudque intime penetrat, solis autem interspersas atomos relinquit intactas, quæ gravitate sua tendunt deorsum ibique collectæ & concentratæ abeunt in regulum sulphuris, scoriis adhuc immixtum, a quibus aurum & argentum mediante nitro separandum, sic ex viginti libris lunæ, in quibus drachmæ duæ auri latitant, hoc separari potest sine singulari sumtu, cum secundum vulgarem procedendi modum, mediante aqua forti, plus damni quam lucri proveniat.

Calx lunæ cum aqua forti & sale communi parata educit pituitam, & hydropicis, pituitosis, melancholicis convenit. *Tackenius* nobilis Venetorum Medicus frequentissimo in usu habuit hanc calcem anatica portione mixtam cum cinnabari antimonii in mania, melancholia, epilepsia. Calx lunæ si fluat in igne, fit inde luna cornua. Germ. Dern Gilber. Similiter calx hæc si misceatur cum mercurio sublimato confecto cum nitro & sale communi ac sublimetur, potior pars argenti cum mercurio ascendit, fitque leviter mercurius currens. *vid Beccheri supplem. 2. p. 113.*

Arbor sic dicta philosophica ex luna seq. modo paratur: solvitur lunæ drachma una in tribus partibus aquæ fortis per præcipitationem præparatæ, gefallet. adde mercurii drachm. duas, aquæ pluviali unc. unam, expone digestioni & postmodum frigori.

CAPUT XVI.

(4) De Ære.

UT Luna in superioribus maximam cum Venere affinitatem habet, ita argentum in inferioribus cum ære. Sic etiam, ut Venus cœlestis symbolum obtinet cum bene compositis, ita nostra terrestris cum perfectis metallis.

Ex

Ex lapidibus, cum berillo, qui gestantem reddit alacrem, divitem, magnificum, ad unionem conjugalemque amorem aptissimum; favet mulieribus prægnantibus, ne earum contaminetur partus: & aqua, in qua jacet, suspiria tollit, & cunctas infirmitates hepatis. Smaragdus insuper eidem respondet. Ex plantis rosa, myrtus, thymus, laudanum, ambra, & cætera bene olentia. Ex animalibus columba, turtur, passer, ut quæ in purgatione lepræ, jubente lege, consuetum esset offerri, ut quæ etiam proficua sint venereis.

Ejus usus antiquitus fuit ante argentum, ac pene etiam ante aurum, referente Plinio lib. 34. hinc ære signato primo usum fuisse Pop. Rom. inde a rege Numa collegio tertio fabrum æratiorum instituto.

Virtutes etiam ejus, ac facultates ab omni ævo nobis innotuerunt. Vetustissimus Hippocrat. multa ab eo profecta remedia multis morbis præscribit, tam intrinsecis, quam extrinsecis. *Lib. de victus rat. in acutis*, ad hydropem ejus squammam: eandem Pleuritidi, *lib. de morbis*, & alibi ad stomachum inquit subvertere, alvum laxare: & hydropicorum aquas educere. Quid demum referente Langio, de nullo metallorum salubrior spirat aura, quam de ære ex chalcitide confecto, quod viridi ærugine quoque scatet: de quo clavus, suillæ, aut cervorum carnibus infixus, eas a putredine illibatas, & sua stiptica exsiccandi potentia diu conservat: quod hi quoque fossores, qui in scaptensulis, Græce χαλκωρυχεῖα dictis, chalcitidem cum ærugine scrutantur, fatentur.

Galenus multis in locis ejus usum in extrinsecis morbis multum commendat, in intrinsecis libere fatetur, de eo atque de aliis mineralibus periculum nullum feciſſe, ut qui in his non esset valde eruditus: de hydrargyro, quem non esse de sponte nascentibus dicit, & manifeste denotat. Posteriores Græci nec ejus intrinsecum usum commemorant. Ad ulcera vero suis unguentis, & emplastris sæpius immiscebant æris squammam, ejus æruginem, florem, & æs ustum. Medici vero chymica arte edocti, alias præparationes his longe præstantiores agnoscunt, ex quibus hæc paucula frequentes experimur.

Vitriolum æris pluribus modis fit. Præstantissimum omnium hunc in modum: Laminatum æs cum duplici pondere sulphuris, igne aperto in vase terreo bis calcinamus; hoc est, ubi jam semel calcinatum fuerit, iterum secunda vice calcinatur cum eadem sulphuris quantitate, quod fit stratificando lamellas, & ab his parum tusis cum aqua communi facillime vitriolum abraditur, infusionibus nonnullis ad hoc præmissis, & dictas infusiones tenuim evaporando, quoad coagulationis signa apparuerint. Hanc methodum pulcherrime docet *in sua Basilica chymica* Crollius, & post eum Beguinus *in suo Tyrocinio*. A fæcibus iterum calci atis, novum educitur vitriolum: æs tandem totum in vitriolum vertitur.

(*a*) *De Ære.* Venus ex omnibus metallis difficillime redigi potest in fluorem: commode tamen id præstari potest cum pulvere detonante nigro. Facillime funditur cum antimonio hanc maſſam typographi pro typis suis formandis funda-

menti loco habent, eique poſtmodum plumbum vel ſtannum debita in copia addunt ut fiat ductilis.

Cuprum multum ſulphuris poſſidet, ſi cum ſale ammoniaco miſcetur, inflammari poteſt, quatenus ſal ammoniacum extrahit internum veneris ſulphur, illudque extravertit, ut eo citius flammam concipiat. Si caput mortuum vitrioli veneris miſcetur cum ſale tartari, vel alio ſale volatili aut ſale ammoniaco, ſublimatione eſurgent flores, qui nomine entis veneris veniunt, medicamentum in majori doſi vomitus excitat, in minori reſolvit, incidit, ſalivam & ſedes excitat. Extrinſecus hoc ſal cum ſpiritu vini ſolutum vel mixtum cum balſamo ſulphuris ulcera antiqua depurando ſanat.

Dicitur ſulphur veneris magnam cognationem habere cum ſulphure auri, quare etiam cuprum cum pallido auro mixtum reſtituit ipſi priſtinum ſuum colorem, & quo frequentius cum venere funditur & cum antimonio depuratur, eo ſaturatior prodit color. Aurum cum luna mixtum, ſi cæmentatur cum viridi æris, ſale ammoniaco & nitro, ſplendidiſſimo acquirit aureum colorem. Sunt qui ex vitriolo Cyprio & mercurio vivo ſingulari præparatione auri particulas quaſdam extrahere volunt. Certum hoc eſt, ſi antimonium æqualiter miſceatur cum luna & venere, prævia decenti cementatione lunam auri optimi portione ditari, ita ut ex una uncia argenti duo grana ad minimum auri mediante aqua forti ſecerni queant. Solvitur cuprum egregie in decocto tartari, ſalis communis & aluminis; unde fluit modus mineras venereas, quantum cupri contineant, probandi & examinandi per viam humidam, modo contuſæ coquantur cum ſali lixivio. Fluit quoque inde fundamentum dealbationis argenti, quod cum venere mixtum eſt.

Ex venere intrinſecus pauca proſtant remedia, niſi emetica vel nauſeam moventia: Nihilominus in Belgio famigeratiſſima eſt tinctura, dicta *Helvetii*, quæ ex vitriolo veneris ſive Cyprio & ſale ammoniaco paratur, hæc invicem miſcentur & in crucibulo funduntur, affunditur ſpiritus vini vel ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus. Tinctura proveniens cœrulea commendatur ad epilepſiam infantum, menſium ſuppreſſionem, atrophiam, vermes interficiendas. Doſi pleniori movet vomitus in pituitoſis & illis, quorum inteſtina viſcido humore obſeſſa ſunt. Tinctura hæc eſt egregium menſtruum pro extrahendo opio: optime aſſumitur cum vino Hiſpanico.

Quando cuprum cum antimonio & marte miſcetur per ignem exurgit maſſa, cujus inferior pars regulina eſt, ſuperior magis ſulphurea, huic affunditur acetum deſtillatum vel melius ſpiritus aceti, ſic dulcem acquirit ſaporem & colorem rubicundum. Solutio decantanda ac inſpiſſanda in magma, cui affuſus ſpiritus vini conſtituit eſſentiam elegantiſſimam aperitivam omnis virtutis prægnans eſt; unde longe ſaturatiorem auro conciliat colorem, quam regulus purus ſive martialis, & ſi diffletur in capella igne vehementiſſimo, fumi ac vapores longe rubicundiores ſunt, quam ſi regulus antimonii ſimplex fuerit. Regulus hic veneris miſceatur per ignem, cum ſulphure vulgari optimo, addatur mercurius ſublimatus ſub æquali parte: invicem hæc deſtillentur per retortam vitream bene lutatum in igne aperto (uti mos eſt Cinnabarim ſic in copia deſtillare) ſic Cinnabaris ſulphure veneris ſubtiliori gravida evadit. Cum quavis terra vitreſcibili & optime cum tutiæ, quæ flos lapidis calaminaris eſt, liquatum cuprum album fit, poteſt adjici ad meliorem fuſionem promovendam borrax. Idem per liquationem cum arſenico fixato in argenti æmulum metallum convertitur.

Viride æris vel etiam æs uſtum in abſumendis callis fiſtularum antiquiſſimi chirurgorum, inter quos eminet ipſe *Hippocrat.* ſummo cum fructu adhibuerunt. Sic novi chirurgum celebrem, qui hoc remedio fiſtulas curat feliciſſime: uſus ejus hic eſt: redigitur in pulverem, deinde cum liquido vel ſola ſaliva miſcetur, & hac mixtura fiunt turundæ, quæ in cavitates iſtas quantum licet, intruduntur, ſic callum fiſtularum duriſſimum intra tres vel quatuor dies citra dolorem citra quandam inflammationem ita abſumuntur & exe-

dunt,

dunt, ut totus ſeparatus a parte ſana extrahi queat. Si una vice non totus exprimi poteſt, propter obliquum cuniculorum ductum, ſecunda vel tertia vice applicetur, ſicque omnis auferri poterit. Semper autem hoc tenendum eſt in applicatione, ut profundum immittatur in fiſtulam: & quamvis non omnibus calli partibus immediate applicari queat, accidit tamen, dum ſucceſſive ſolvitur hæc rotunda, ut vis medicamenti penetret ad abſconditos ductus, & efficaciam ſuam ibi exerat. Egregius quoque locus de hac re extat in *Falloſ. tractat. de Foſſil. p.353.* Notare inquit, quod omnia quæ ex ære oriuntur & præcipue ex ære depurato, habeant vim erodentem; unde quando eſt callus in aliqua parte abdita, & non poſſumus inibi aptare medicamenta, ſolemus conficere fiſtulam ex ære, & injicere, & ſic corroditur callus. Spiritus veneris paratur hoc modo, recipe viridis æris, vel loco hujus cryſtall. veneris, libr. tres, indantur retortæ vitreæ, fiat deſtillatio ex arena primo igne leniori, poſtea bene lutatis juncturis, augeatur flamma gradatim, ſic replebitur recipiens nubeculis albis, & prodibunt circiter duę libræ liquoris, ſub finem ſpiritus fortiſſimus, ubi nubeculæ ceſſant, deſiſtendum eſt. Crocus veneris relinquitur in retorta omni acido exutus.

Alio modo.

Vitriolum Veneris fit ex ære in viride verſo, vel cum racemis uvarum tempore vindemiarum, quod in Monſpelienſi agro paſſim fit, vel cum aceto ſolo. Quod vero fit cum ſale, & tartaro, ad hoc ineptum eſt. Ab iſto viridi ære cum aqua communi, eo quo ſupra diximus modo, vitriolum extrahitur.

Alio modo.

Calcinatur æs cum quadruplo ſalis ſulphurei: poſtmodum cum aceto diſtillato tinctura extrahitur, ſale prius cum aqua communi remoto. Concreſcit in lapillos, modo quo ſupra dixi, humiditate ſufficienter per evaporationem ablata. Requiritur primum, ut æs probe teratur, & ſali per minima rite commiſceatur, ac demum violentiſſimo igne calcinetur in crucibulo, vel alio vaſe ad hoc accommodato.

Alio modo.

Cum aqua forti ex ſale nitro, & alumine uſto facta, ſolvitur æs, per evaporationem humiditatis aliqua portione ſublata, vas in loco frigido reponitur, & in eo concreſcunt lapilli pulcherrimi.

Alio modo.

Cum ære tandem per ſe igne vehementiſſimo calcinato, quod fit per tres, vel quatuor dies, modo jam dicto vitriolum fit pulcherrimum.

Oleum Veneris.

Ex Vitriolo veneris oleum rubicundiſſimum elicitur per retortam, modo quo educitur oleum vitrioli communis. Hic liquet a Theoph. Parac. dicitur acetoſus eſurinus: cujus uſus eſt mirabilis in affectibus renum, & veſicæ, item in uterinis affectibus. Ventriculum etiam haud parum roborat, caput etiam; & alias partes ventriculo condolentes: pro quo accipiendum venit vitriolum Veneris ſine corroſivis factum. Uſus ejus eſt duarum, vel trium guttarum cum juſculo carnis, cum aliqua conſerva mane, & ſero. Pollet & aliis viribus, de quibus apud Theoph. Parac. *lib. de tartaro, & lib. de vita long.* & apud Crollium *in ſua Baſilica Chymica*. Cautiones circa ejus uſum, a

dicto

dicto Crollio positæ, non sunt adeo certæ, ut forte ipse existimat. Bilem siquidem haud parum coercet, & inflammationes ab ea concitatas facile compescit. Dandum est semper cum quantitate sufficienti humiditatis, actu enim ejus aciditas vellicat proprinquiores partes, quas actu tangit. In intrinseco apostemate equidem ejus usum non admitterem: ubi namque mollientia, ibi incidentia non sunt adhibenda.

Vitrioli usus absque alia præparatione etiam valde utilis est: In cachexia id pluries experti sumus. Ventriculo prodest, inappetentiam corrigit; fluores genitalium tam hominum, quam mulierum sistit; viscerum obstructiones reserat. Sed apprime videndum, quibus conveniat, & quibus obsit, quod non solo temperamenti criterio assequemur, verum aliis signis, de quibus forte in peculiari *methodo medendi nostra*.

Veneris tinctura.

Istud Vitriolum Veneris tincturam continet, ideo ab eo tinctura elicienda venit. Itaque cœruleum tuum vitriolum cum aceto distillato pluries solve, & coagula: paratum sic Vitriolum retortæ luto firmiter munitæ indatur, atque igne per gradus exhibito, phlegma, & spiritum abstrahe. Fæces cum aceto distillato iterum solve, a qua solutione per coagulationes novum elicis vitriolum; hoc autem spiritum misce diligenter, & cum spiritu vini, lento calore, ut fimo equino, infusione trium, vel quatuor dierum præmissa, tincturam pulcherrimam elicies. In Epilepticis morbis, vertigine, apoplexia, & aliis gravissimis morbis capitis mirifice confert. Hæc præcipua sunt medicamenta ex cupro educta, quibus intrinsece utimur. Ea vero, quæ extrinsecus usurpamus, cum cæteris nota sunt. Calcinatum bis cum sulphure, si aqua communi pluries lavetur, magnam partem suæ acrimoniæ amittit, fitque præstantissimum medicamentum pro laxis & putridis ulceribus sanandis. Ærugo æris pariter lota suam quoque amittit acrimoniam. Sed hæc trita sunt, uti & squamma, flos, crocus, & similia. Pompholyx, seu tuthia ad hoc etiam pertinet, cujus præparatio satis nota est in Officinis.

CAPUT XVII.

(a) *De Ferro.*

FErrum metallorum omnium utilissimum, optimum vitæ, pessimumque necis instrumentum, atque inquit Plin. *hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solum, sed etiam missili, volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato*, & aliis, recenter in perniciem hominum inventis. Græce Σίδηρος, ἀσίζω strideo: Hebraice, *barzel*. Ferrum, & chalybs ejusdem sunt generis, unum altero magis defæcatum. Chalybs sic naturaliter e terræ visceribus elicitur. Arte etiam ferrum in chalybem excoquitur, cujus methodum hic ani-

mad-

mi causa annectere placet. Itaque ferrum accipe in virgulas, vel lamellas digiti majoris crassitudini reductum : virgulæ vel sint rotundæ, vel quadratę, parum refert ; has stratifica in vase terreo oblongo, & capaci, cum duabus partibus pulv. carbonis salicis, aut fagi, & una parte rasuræ cornu bovis. Vas undique luto probe muniatur, idque, per 4. vel 6. horas, pro quantitate ipsius chalybis, in furno venti cum ardentissimo igne excoquatur. Exacto tempore, & refrigerato vase, chalybem invenies perfectissimum. Quod si artifex emolumentum majus ab hoc opere percupiat, pro lamellis & virgulis, instrumenta, cujuscunque generis, gladios, enses, & alia ex ferro simpliciter conficere poterit, eaque hoc artificio in chalybem reducere. Medicamenta, quæ ex eo paramus, sunt potissimum Crocus Martis, vitriolum, oleum. &c.

Crocus Martis nobis maxime arridet, si solo igne absque ulla mixtione conficiatur. Fit vero per simplicem ignis vehementiam in reverberatorio, per 8. vel 10. dies, crucibulo probe cooperto, & luto bene munito, quod opus artificio caret. In hac operatione, volatilis pars metalli recedit, & fixa manet, quæ maxime optabilis est.

Ferrum facillime in rubiginem vertitur, quæ si in reverberatorio per aliquot horas detineatur, in optimum crocum evadit.

Limatura chalybis, vel ferri subtilissima, intra paucos dies in crocum vertitur, si diebus canicularibus, solis radiis, ea communi aqua prius irrotata, exponatur : hæc in massam compingitur, ac denuo simplici aqua madefacta radiis solaribus per duos, vel tres dies relinquitur. Dicta operatio ter, & quater reiteretur, crocus fit pulchrior, & nobilior. Vas ad hoc requiritur ex terra vitreata. Mirabile dictu, quantum dictum vas incaleat.

Calcinatur ferrum, & cum sulphure, & cum sale ; at melius cum sulphure. Ad quod duplicem sulphuris portionem assumimus, & unam ferri limati : dato igne flagrat sulphur totum, & in vase vitreo remanet calcinatum ferrum ; quod secunda vice iterum calcinatur, eadem portione sulphuris servata. Baculo ferreo sub fine move, ne quicquam de sulphure remaneat.

Ejusmodi calcinatum ferrum super lapidem porphyritem in tenuissimum pollinem factum, evadit in crocum pulcherrimum, sola aqua communi irroratur, & in fine in pastillos compingitur.

Crocus Martis fit etiam cum aqua forti, ejus limaturam in ea dissolvendo, dissolutum a fæcibus abstrahendo, atque tum extractum per evaporationem exsiccando. Quantitas fit utriusque pro ratione efficaciæ aquæ fortis.

Item cum oleo vitrioli, sulphuris, & similibus liquoribus acidis acceptare unusquisque poterit Crocum Martis. Qui cum his corrosivis parantur, raro in usum Medicinæ veniunt, ni prius valida lotione præmissa.

Crocum tandem, nobilissimum omnium, paramus cum Mercurio, cujus operationem satis aperte diximus, cum de Mercurii præparationibus agéremus.

Ex

Ex croco ferri varia componimus remedia, quibus passim utimur. Communis sunt rotulæ, pilulæ, & electuaria; minus usitata sunt vitriolum, oleum & balsamum. Rotulæ fiunt cum ℥. j. croci, & ℥. j. sacchari in electuarium solidum cocti. His sæpe immiscemus macerem, cinnamomum, galand. caryophyll. aut similia scopo nostro accommodata. Pilulas etiam compingimus cum aloe lota, & purgata, myrrha, croco, nuce moschat. Mastiche, ammoniaco, scammonea, rhabarbaro, & aliis pro tempore, & infirmorum opportunitate.

Electuaria item componi curamus, pro ægrorum natura, morbi conditione, & temporis occasione: nunc cum conservis aliquot, nunc cum opiatis, mithridato, theriaca, & similibus. Pro singula uncia sesquidrachmam, & drachmas duas croci commiscemus. Et de Electuario ℥. ij. & ʒ. iij. damus singulo die mane 4. & 5. horis ante cibum.

De rotulis eadem fere est dosis: Pilulæ pro ratione compositionis exhibentur. Vires croci sunt multiplices: obstructiones viscerum reserat, icteritiæ medetur, lienem præter naturam auctum imminuit, mulierum menses movet, ventriculum laxum roborat fluores alvi & uteri sistit.

Hæc omnia felicius præstat vitriolum ex eo paratum, ejus liquor, & balsamum.

Vitriolum Martis ex omni ferro quoquo pacto calcinato educitur. Id vero, quod cum sulphure calcinatur, peropportunum est, & maxime in Medicinæ usu in idipsum paramus, ut docet Crollius *in sua basilica Chymica*, cum aqua communi nimirum, eam calcinato ferro affundendo ad justam quantitatem ebullitione levi facta, & refrigerata, collatam evapora, donec quasi crustam acquirat aqua; vale in loco frigido reposito, concrescent lapilli viridis caloris, a fæcibus iterum calcinatis simile eadem via educes vitriolum. Calcinationem procuramus semper cum duplici quantitate sulphuris.

Oleum, liquor & balsamum martis, ex hoc præparato vitriolo elicimus. Nec interea me latet, aliam ab aliis traditam esse viam, hanc tamen esse veram, & legitimam minime inficior. Ejusmodi liquor verum est Theoph. Parac. acetolum esurinum, de quo miranda prædicat in *lib. de vita longa*, & in *lib. de tartaro*. Hoc labentem, fessumque ventriculum sublevat, multis morbis a vulgo Medicorum incurabilibus habitis medetur, alia denique in arte miranda præstat. Guttulæ tres, vel quatuor cum quovis liquore exhibentur. Ejuscemodi liquor, vera est chalybis potabilis præparatio, Medicis ordinariis, communibus, & plebeiis ignota: Istius loco, acetum a ferri infusione extractum accipiunt, qua in re suam inscitiam, & ignorantiam produnt. Subrubram enim tincturam, quam in hoc fuso chalybe putatitio conspiciunt, non a chalybe, sed ab alio extraneo contractam existimant.

(*a*) *De ferro*. Datur revera in marte duplex, eaque diversa substantia una adstringens, altera aperitiva: hæc subtilior, tenuis ac salina, illa plus terrea crassiorque est. Seorsim illa quam commode comparari potest, quando sub æqua por-

portione limatura martis miſcetur antimonio; duo hæc addito nitri ſale fluant in crucibulo, mixtura tuſa decoquatur in aqua, decoctum decantetur, & nova aqua elutrietur omnis ſalina & ſolubilis martialis portio. Pulvil ſubſidens cum nitri duabus partibus calcinetur, ſic evadit crocus martis antimonialis eximiæ virtutis aperitivæ ad cachexiam viſcerumque obſtructiones ſolvendas. Illud quod ab elutriatione remanet, ſi eodem modo tractetur cum nitro, taceſſit in pulverem manifeſtius ſtipticum, conſtringentemque, & qui ſapore & virtute multum differt a priori: poſterior, ubi laxiori tono inteſtina parteſque laborant, egregiam fert opem. Elegans crocus martis paratur ex vitriolo martis vel ſolutione martis facta cum ſpiritu nitri, aut aqua forti, modo extremo ignis gradu crementur diſſipato omni ſpiritu acido, ſic remanet terra pulcherrime rubicunda, quæ croci martis nomine venit. Apex & baſis eſt pulverum cachecticorum, in affectu hypochondriaco, ictero, hydrope magni uſus. Quod ſi huic affunditur ſpiritus ſalis dulcis, exurgit tinctura martis elegans, quæ connubio arcani tartari ſeu terræ foliatæ liquidæ colorem ſanguineum acquirit. Eidem tincturæ, ſi ſolutio ſacchari Saturni paululum inſpiſſata admiſceatur in momento prodit tinctura celebratiſſima *Grammanni*, quæ via ſicca difficillimæ eſt præparationis: remedium ad ſanguinis ebullitiones & tumlutos cohibendos ſatis probatum.

Nonnulli, iique peritiores practicorum crudam martis limaturam omnibus iſtius crocis ac præparatis in medicina anteponunt, quandoquidem hæc acido non tacta minuſque inverſa, promptius agit in acidum ventriculi exſuperans, illud ſaturando ac abſumendo: hujus poſt uſum oriuntur, præcipue ubi acidum præſens, ructus ovum fœtidum redolentes, fæces ſecedunt nigræ, qui color debetur mixturæ vitrioli cum fæcum partibus terrenis non biliofis, uti recepta opinio eſt. Limaturæ crudæ uſus validum requirit ventriculum, ne ibi hæreat, ructus nauſeamque excitet ac appetitum dejecit. Refert *Panarollus*, ſe poſt mortem eorum, qui ſe uſi fuerint martialibus, in ventriculo limaturam martis adhuc crudam reperiſſe, quia ventriculus erat debilis.

Tincturæ omnes martiales; ſaltem martis ſolutiones ſunt cum acido factæ, & quo ſubtilior liquor ſolvens eſt, eo efficacior exurgit tinctura. Notum eſt cum ſuccis pomorum, cydoniorum, berberum, acetoſellæ, tamarindorum elegantiſſimas præparari poſſe, ſi ſolutio inſpiſſetur, cui poſtmodum affunditur ſpiritus quidam aromaticus vel antiſcorbuticus: minus tamen nota eſt illa, quæ fit cum ſpiritu formicarum acido, ſumme volatili præſtantiſſimi uſus ad omnes affectus, ubi vitriolacea locum inveniunt. Egregie corrigunt bilis volatilitatem ad paroxyſmos præcavendos, epilepſiam, arthritidem, malum hypochondriacum, vomitum, diarrhæam, icterum, hæmorrhagias, febres intermittentes multiplici uſu & experimento probatiſſimæ.

Operantur felicius, ſi alvus ſui officii memor, quod ſi paulo ſegnior ſit, blando aloetico vel paſſulato ſtimulanda eſt. Ubi tamen tenendum; non quemvis ferre poſſe martialia, præſertim qui ſpaſmis obnoxius eſt, ideo ſæpe numero tormina alvique conſtipationem & anxietates intempeſtivus illorum uſus procreat.

Nigræ tincturæ martis fiunt, ſi eſſentiæ ligni aloes pro ſcopo cephalico, eſſentia terræ catechu vel tormentillæ pro ſcopo adſtringendi, Cinnamomi pro fine roborandi ipſis admiſcetur. Caput mortuum florum ſalis ammoniaci martialium cum hæmatite præparatorum per deliquium præbet liquorem flavum ſaturatum ſtiptici ſaporis, qui in largiori doſi per inferiora & ſuperiora purgat, ſine ullo ægri incommodo, & qui loco ſtiptici liquoris in enormibus ſanguinis profluviis extrinſecus præſentanei effectus eſt: ſi diluitur aqua quadam deſtillata, tinctura martis fit, quæ vario uſu, prout miſcetur, juvat.

CAPUT XVIII.

(a) De Stanno.

STannum, quod & plumbum album, nuncupant Chymici Jovem. Græcis dicitur κασσίτερος, & κατίτερος, Hebræis etiam *Bedil*: alterum alteri alludens, quasi mensura dividens. Est hoc metallum naturæ amicum, ut quotidiano usu comprobamus, Saturno seu plumbo longe præstantius, atque materia ejus plumbi materia valde nobilior; hinc & ab eodem plumbo toto cœlo discrepat. Et ut a superius exordiar, beneficio Jovi potissimum quadrat ipsum stannum, aeri etiam convenit. Et ut cuncta calida & humida, dulcia, & odorata; sanguis quoque, & omnia ad nutrimentum, & augmentum comparata: sic sapores, & colores quinque optimi Jovi succenturiantur, rursus cum stanno, Jove nostro terrestri, sympathiam nacti sunt. Ex lapidibus crystallus, saphyrus, aliique albi, & virentes. Habet & concentum cum nonnullis arboribus, cum oliva, quercu, lauro, & aliis. Mitto brevitatis gratia alia complura, cum quibus naturalem quandam habet propensionem.

Noster vero terrestris muliebri sexui valde convenit, quod multis constat experientiis, & maxime partibus generationi dicatis. Mirum est, qua virtute polleat in roborandis pulmonibus, jecore & aliis partibus naturalibus. Quæ vero cum Saturno harmonizant, atque cum eo deliciantur, ab his diversa sunt, ut in sequentibus dicemus. Vires etiam ipsius stanni inter utrumque discrimen afferunt. Excalefacit, aperit, roborat, & alia præstat plumbo haud propria. In tribus potissimum celebratur a Theoph. Parac. *lib. de præparat.* in Ictericia, in Ascite, & in Vermibus.

(a) *De stanno.* Stannum est metallorum levissimum: Terra constat metallica volatili subtiliori, quam sulphuream chymici vocant. Nullum metallum tantam fovet affinitatem cum ipso auro, quam stannum: hoc unico cum ipso transit in regulum, cum cætera in scoriis antimonialibus retineantur. Per aquam regis una solvitur cum auro & ægerrime ab ipso separari potest, nec antimonio, nec per capellam; unde etiam a nonnullis dicitur diabolus metallorum. Ejus solutio instituta aqua forti leniori vel mitiori aqua regis, si infundatur in aquæ simplicis quantitatem, infusis desuper aureæ solutionis guttulis, color exurgit rubineus, & pulvis ejusdem coloris secedit in fundum qui vitrei rubinei confectioni inservit. Ipse hic pulvis solaris & jovialis mixtus cum æquali parte mercurii præcipitati albi ac probe edulcorati exquisita trituratione in mortario vitreo transit in diaphoreticum, potens in solvendis veteribus obstructionibus medicamentum. Ex stanno, arsenico & mercurio sublimato paratur spiritus perpetuo fumans, qui ad usus chymicos pariter & mechanicos utilissimus est. Magisterium jovis difficillime reducitur in metallum; ita etiam calx respuit salium alkalinorum vim, quod si autem additur sapo sive Alkali oleosum, negotium procedit. Sal balsamicus subdulcis, cujus *celebris Auctor* meminit, elicitus ex sale hermaphroditico, quod nitrum est, et calcinato cum venere, Saturno philosophico, seu antimonio, naturæ mediæ est, similis arcano duplicato vel nitro antimoniato sexangularis figuræ.

Antihecticum Authoris optime paratur.

tur; si cum antimonio stannum redigatur in calcem cæruleam: nam una uncia antimonii debita calcinatione sex uncias stanni in pulverem redigit, qui cum nitro sufficienti convertitur in medicamentum tutissimum temperans et diaphoreticum. Quando non rite processeris, servat vim emeticam vel etiam laxantem, præsertim si acidum exsuperet primis in viis, quod congrediendo cum calce jovis stimulans sal evadit, in intestinorum substantiam agens, non secus ac sol jovis, quod virtute laxante & anthelmintica eminet.

Notabile est, calcem Jovis neque cum aqua forti neque aqua regis effervescere, sed usurpatur ad polituram chalybis.

Præparatio in Icteritia sic habet, &c.

Rec. stanni calcinati, ℔. j. Salis communis, ʒ 5. cineris fabarum ℔. ß. reduc in lithargyrium per ignem reverberationis. Hujus lithargyrii Rec. ʒ. 10. alcohol vini, ʒ. ß. post resolutionem reduc in alkali. Dosis a gr. vj. ad gr. 10. & 12.

Præparatio in Ascite.

Rec. Stanni purgati, ʒ. j. Antimonii, ʒ. ij. limaturæ cineti, ad pondus omnium: reduc in calcem per reverberationem, horis 24. deinde.

Rec. Hujus calcinatæ materiæ, ℔. j. alcohol vini, ℔. j. ß. reduc. in alkali. Dosis a ʒ. j. ad ʒ. j ß.

Præparatio in Vermibus.

Rec. Stanni, ʒ. iij. Salis communis, ʒ. iv. Asphalti, ʒ. j. fiat pulvis cum adustione. Dosis a ʒ ß. usque ad ʒ. iij.

Ejusmodi præparationes, Theoph. Parac. intentionem in edocendis præparationibus manifeste detegunt. Ex una parte res patefacit, ex altera eadem abscondit. Sic ne suis æmulis Apollinis Orgia citra pulverem tradat; filiis vero artis isthæc satis nota duxit.

Crollius in *sua Basil. Chymica*, salem Jovis in strangulatu uteri præparat: cujus dosis (inquit) est 3. aut 4. granorum in aurora cum aqua arthemisiæ, vel aquis cordialibus.

Quercetanus existimat stanni usum in Medicina esse nullum: Nos contra, ut experientiis nobis notum est, ejus necessitatem, & usum satis celebrare non possumus. Ex eo componimus medicamentum egregium, quod nulli alter satis æquiparare possumus. Fit vero ejuscemodi medicamentum ex tribus, Venere, Jove, & Saturno Philosophico. Hæc tria primum ex arte calcinamus; Venerem bis cum duplo Sulphuris; Jovem cum duplo salis hermaphroditici; Saturnum Philosoph. (pro quo accipe marcasitam Saturninam) cum eodem sale ad quadruplum: Hæc tria probe calcinata, ob æqualem portionem commiscemus, mixturam denuo cum duplo salis excoquimus. Sale, aqua communi pluries reaffusa remoto, & pulvere resicato in urinali vitreo, sub fimo ad octo dies recondimus pulverem, cum sufficienti q. spiritus vini. Hoc pluries reiteratur, & tandem debita evaporatione facta, colligitur sal quidam balsamicus subdulcis cum quadam austeritate, cujus vires imperscrutabiles censeo. Ad hydropem mirifice conducit, cachexiam perfecte tollit, viscerum duritiem emollit, mulierum menses movet, ventriculum roborat, & inappetentiam corrigit.

Calcem Jovis non raro usurpamus cum conserva aliqua, sed ejusmodi calcem

para-

paramus cum duplici pondere ſalis hermaphroditici, adeo ut coctionis quædam ſpecies ſit.

Flores ejuſdem, cum eodem ſale facile paramus: ad hoc accipimus unam partem ſtanni in nigrum pulverem adducti, & duas partes ſalis: commixta hæc ſenſim projicimus in vas candens ferreum, alembici adinſtar cum urinali, & capitello. Capitellum habeat in ſummitate foramen rotundum, per quod injiciatur mixtura, & confeſtim obturari poſſit cum pila ferrea.

Salem, oleum, ſpiritum, ab his floribus elicere poſſumus, cum aceto diſtillato, modo ſupradicto. Ex ſtanno liquorem diaphoreticum ſubdulcem cum mercurio paramus cujus parandi methodum *in cap. de Mercurio* explicamus.

CAPUT XX.

(a) *De Saturno ſeu Plumbo.*

PLumbum, quod Saturni nomine indigitatur apud Chymicos, a Stanno toto genere differre exiſtimo, quamvis alterum album, alterum nigrum cum Plinio, a pleriſque vocentur; Græce Μόλιβδος, Hebraice *gophereret*, quaſi pulvis; eſt enim a nomine *gaphar*, quod pulvis & terra, ſic dictum, quod multum terræ contineat, aut quod metalla in cinerem, & pulverem redigat. Sicut cum Jove ſtannum, ita cum Saturno plumbum mirabilem ſympathiam trahit, atque cum multis aliis, quæ Saturno convenire traduntur, ut nigra quæque, terrea, ſapores, & odores tetri, & fœtidi, & amari, & inſuaves. Ex plantis, ipſi reſpondet ruta, cyminum, helleborus, papaver, mandragora, hyoſciamus, aſſa fœtida, &c. Ex animalibus, ſus, Camelus, ſimia, urſa, catus, mulus, aſinus, pavo, ſtruthio, grues. E ſerpentibus, ſcorpiones, & reptantia in terris, in aquis, & ruinis murorum, aut tectorum, ut mures, formicæ, & vermes multiplices. Præeſt inſuper Saturnus autumno, & hyemi, ventis fortioribus & gravibus, ſicut & locis ſubterraneis, & ſolitariis, piſcinis quoque, ſtagnis, paludibus, & locis horrendis. Sed his omiſſis, ad ejus medicamenta properandum. Sunt vero medicamenta ex plumbo multiplicia, tam communia quam chymica. Communia ſunt iterum compoſita, & ſimplicia: ſimplicia ſunt, ceruſa, minium, lithargyrium, plumbum uſtum, limatura, &c.

Compoſita ſunt pene innumera: nam plurima cerata, ſeu ut magis dicam, emplaſtra ex eo componuntur, ut emplaſtrum diachalciteos, quod falſo diapalma nuncupant, empl. de ceruſa, empl. de minio, empl. diachyl. parvum, & iteratum, & magnum, empl. triapharmacum. Quod? vix ullum extat emplaſtrum, quod non habeat lithargyrium, vel ceruſam, vel minium pro baſi. Ex unguentis etiam multa ſunt, ut de ceruſa, de lithargyrio, de tuthia, & pleraque alia. Chymicomedica ſunt balſamus, ſpiritus, & ſulphur, quæ calcinatio præcedit: ad hæc alia complura quotidie accedunt, tam ſimplicia, quam compoſita, ut ſuccus Saturni in aceto excoctus, &c.

Pulvis

Pulvis Mercurii cum Saturno, variæ insuper calcinationes, dissolutiones, & mixtiones.

Quod ad balsamum spectat, extrahitur ipse, vel ex calcinato plumbo, vel ceruſa, vel ex minio, vel ex quovis alio liquore acido, modo quo de sale stanni eliciendo diximus. Nos sic ipsum præparare solemus. Accipimus calcinatum plumbum ad quatuor vel quinque libras; ipsi tum addimus aceti, quantum quatuor digitos superemineat: hoc fit in boccia vitrea, quam mox in loco calido, sive fimo, sive alio per octo dies recondimus: acetum postmodum per inclinationem abstrahitur, & seorsum servatur; super dicto calcinato plumbo novum reaffunditur acetum, totidemque diebus sepelitur in fimo boccia, atque si voles, ut melius res procedat, singulis diebus moveatur leviter. Abstrahe acetum ut prius, & novum iterum reaffunde, sic quinquies, & sexies dicta infusio repetatur. Has omnes infusiones per alembicum vitreum abstrahe, & in fundo remanebit sal, seu balsamus plumbi. Theophrast. Paracel. eumdem balsamum describit in *sua Chirurg. Mag. Tom. 2. de ulceribus & pustul. morbi Gallici, lib.* 10. cujus verba placet annectere, ut ipsemet suam præparationem patefaciat. *Plumbi balsami*, (inquit) *qui cum aceto ex ipsius cineribus per distillationem extrahitur: corpus autem illud ubi exaltatum fuerit per reverberationem, in minium redigi debet, & per aquam serpentinæ pictæ in ceruſſam reduci. Ex tribus istis experimentis originem ducunt curationes ulcerum depascentium, phagedænarum ac ignis persici: verum ex depravata horum trium remediorum, phlumbaginis, minii, ceruſæ, (quæ secreta remedia in his affectibus putantur) præparatione, plurimi errores a pseudomedicis committuntur, unde magnum plumbo convitium conciliatum fuit.* Hucusque ille. In quo liceat iterum ejus loquendi formulam connotare, cujus corticem si spectes, balsamum minime conficies. Equidem post dicti balsami extractionem, corpus quod in retortæ fundo manet, iterum reducitur in minium, & ceruſam præstat, & lithargyrium aureum, & tandem cum exiguo sale tartari in vitrum vertitur. Oleum verum aquæ innatans, rubicundissimum & fragrantissimum, ex ejus sale per retortam educimus. Ex singula libra paulo plus 3. ij. olei habetur.

Spiritus Saturni una cum oleo pellitur: is flammam citissime concipit, nihilominus ventriculum, & artus vehementer refrigerat, pectori nimiopere adversatur, & quendam animo mœrorem incutit. Doctissimus Hartmannus Landgravii Hassiæ Archiater, jamdudum scripsit ad me, se ejusmodi spiritus plumbi medio quosdam leprosos sanasse.

(a) *De Plumbo*. Ex metallis nullum tam prompte in auras avolat ignis violentia, quam ipsum plumbum; nam totum in fumum subdulcem ex albo flavescentem convertitur, qui nebuloso sub cœlo coagulatus & intro haustus horrenda symptomata, spasmatica tormina, cum alvi pertinacissima obstructione convulsiva excitat, subsequente sæpius paralysi manuum, qui morbus dicitur die Gutten Arancheit, & familiaris est illis, qui mineras saturninas igne tractant, vel lythargyrium ponderant, de quo legi meretur *dissertatio nostra de metallurgia Morbifica*. Fumum saturni ore improvide haustum

vomitum & ſedes excitaſſe retulit *D. N. Boyle hiſtoria fluiditatis & firmitatis p. 75.* Noxa Saturni merito ducenda eſt a terra mercuriali (quæ etiam facile in verum mercurium tranſit , ſi fumus cum oleo tartari per deliquium exactiſſime teratur & deſtilletur : vid. *Becheri mineram arenariam pag. 42.*) qua conſtat copioſa . Etenim hæc & gravitate & textura craſſiori adhæreſcit intime tunicarum nervearum poris , & partim obſtruendo , partim rodendo nocet , & ſpiritus animales in motu ſuo turbat . Quare medicamenta ex Saturno parata parum tuta ego judico . Sic a Sachari Saturni immodico uſu paralyſin ortam lege apud *Johannem Rhodium centur. 3. obſerv. 10.* de eodem ſale notatu digna memorat *Borellus centur. 4. obſerv. 32.* Amicum inquit , habui , qui Sacchari Saturni hauſit nimiam qualitatem; unde tanquam paraliticus & fere mortuus factus eſt , tandemque conclamaretur : rigebant membra ejus & tanquam congelatus & apoplecticus erat . *Fernelius tractat. de lue venerea cap. 7.* ſcribit de empirico, qui plumbi pulverem adverſus arthritidem commendavit , quo ad ſeſquilibram aſſumto , æger primum dyſenteria crudeli , deinde ventris graviſſimis roſionibus & torſionibus cum contumaciſſima adſtrictione , virium & appetitus dejectione , vigiliis internoque incendio correptus fuit . Saturnus , licet aceto tectus , dulciter delineat palatum , non tamen ſine noxa ingeritur , nequam eſt , & mercuriale virus ori ac faucibus afflat . Verba ſunt *Billichii p. 144.*

Ex hiſce clariſſimum evadit , medicamenta ex Saturno parata ſatis tuta non eſſe ; unde obſervavi non ſemel a magiſterii vel etiam Sacchari Saturni uſu ad cohibendum ſeminis fluxum obortam fuiſſe colicam convulſivam . cum alvi pertinaci obſtructione , ictero ardore interno , appetitus dejectione .

Ex remediis ſaturninis ſplendet maxime inter pharmacopolia tinctura antiphthiſica ab Auctore dicta *Grammanjana* , cujus uſus ad ſanguinis concitatiorem motum refrenandum in himio ipſius profluvio non contemnendus obſervatus fuit . Proſtant hujus deſcriptiones variæ , dum alii via ſicca miſcendo vitriolum martis cum Sacharo Saturni , alii , quod rectius , via humida ipſas parare nituntur . Optimus autem eſt ſequens modus : Solutioni Saturni Saturatæ cum aceto diſtillato vel ejus ſpiritu paratæ infunditur liquor martialis , ſive ſolutio vitrioli e minera martis Haſſiaca confecti , illico præcipitatio viſitur terræ martialis cum colore pulchre rubicundo exurgente : liquor ſupernatans decantandus . Vitio hæc tinctura laborat , quod , ſi diu ſteterit , deponat ad vitri latera particulas tam ſaturninas , quam martiales , ideo conſultius eſt , ſi ejus uſus experitur , recenter illam & ex tempore parare .

Quod ſi ſacharo Saturni affunditur ſpiritus vitrioli , deſtillatione acquiritur ſpiritus aceti deſtillati . Ipſum ſaccharum ſi deſtilletur , prodit ſpiritus ardens , qui nihil aliud eſt , quam ſpiritus vini regeneratus latitans in particulis aceti : aſcendit in forma ſtriarum, uti ſpiritus vini , odorem habet roſmarini eſſentiæ . Oleum quod prolicitur , eſt pars terreſtrior gravis aceti reſoluta. Remanet in retorta terra nigra , quæ ſimulac aeri exponitur , incipit flaveſcere , ſi liqueſcat in crucibulo , tranſit in plumbum perfectum . Memini aliquando caput mortuum ſpiritus ſaturni, cum retortam adhuc calidam frangerem, luculentam flammam concepiſſe , fortaſſe propter ſpiritum vini reſtitem ſumme calefactum , qui aeris acceſſu in flammam ſolvebatur .

Cryſtalli Saturni cum aceto præparatæ , ſi addatur debita portione ſal tartari , vel nitrum , fulminant non ſecus ac mixtura nitri , ſulphuris , & ſalis tartari . Si ſaccharum Saturni velis cryſtalliſare , non illud aqua communi ſolvas , ſed quod monitum *Billichii* eſt *in obſervat. pag. 68.* aceto . Ignis in evaporatione lenis eſſe debet , ſi nimis intenditur , liquidum ſemper manet , & hinc dicitur butyrum ſaturni . Sub leniore ſemper ad fundum præcipitantur cryſtalli . Oleum ſaturni fit , ſi ſal ſaturni

turni solvatur in spiritu vini, per aliquot septimanas digeratur, abstrahatur, caput mortuum cum arena permixtum ex retorta destillatum largitur oleum rubicundum ac spiritum album.

Spiritus terebinthinæ vel oleum juniperi affusum saccharo saturni, mixturam frequentius agitando, inque debitam digestionem ponendo, acquirit colorem rubicundum, & transit in balsamum, quod camphora & balsamo peruviano nobilitatum, in gonorrhæa, fluore mulierum albo, præmissa debita purgatione, efficacissimum est, saturnum lunæ purissimæ, quæ nullum colorem menstruo urinoso amplius largitur, associatum, & cum ipsa calcinatum, de novo ipsi communicare tincturam.

CAPUT XX.

(a) De Lapidum, & Gemmarum præparatione.

LApides tam communes, quam prætiosi, gemmæ dicti, ob insignes eorum virtutes ab omni ævo exoptati fuerunt semper, nec adhuc est tam barbara & inculta gens, quæ non eorum præstantiæ, & pulchritudinis detineatur admiratione. Et sane nulla ex parte naturæ majestas mirabilior, quam in gemmis. Quid non tantæ varietati, coloribus, materiæ, durities, decori, gratiæ, & venustati debetur; ut interim eorum dotes, & occultas facultates præteream. Gemmarum ortus est plane cognitu difficilis, uti materia, ex quibus a natura primum productæ sunt. Sintne ex aqua purissima, frigore nimio in visceribus terræ densata; an vero vitrum quoddam ex genere metallino per nimium calorem productum; an purissima alia materia, spiritu lapidifico compacta, & eam in formam lapideam reducta, demum ex sulphure & Mercurio purissimo, an ex purissima elementorum materia, parum refert, dummodo earum vires firmiter teneamus. Cum metallis; & vicissim cum planetis, item cum præcipuis corporis nostri membris, ac cum plantis, gemmas sympathiam habere nonnulli demonstrant. Ut enim fulvi, & rubri, igneo colore micantes, Soli, & auro, ita & cordi conveniunt, plantis item aureis floribus decoratis. Virides veneri, cupro, & renibus, sicut plurimis plantis. De cæteris eandem ferunt sententiam. His vero missis ad institutum redeo. Lapidum, & gemmarum præparatio, & usus plane recens est, & ante Arabes nullum reperio, qui de his quicquam scripserit. Apud Hippocr. perpaucorum fit mentio: apud Gallen. Hippocrate longe inferiorem ætate, lapides haud pauci recensentur, at quam brevissimis, ex quibus manifeste liquet, de his perexiguam habuisse cognitionem. Arabes ipsos multis compositionibus immiscuerunt: quam consuetudinem servat hodie vulgus Medicorum. At durissima illa corpuscula, etsi tenuissima, a nostro calore atteri, atque in actum deduci haud posse, satis liquet, nec nostros corporis meatus subire valent, nisi potabiles, & in liquorem versas gemmas usurpemus. Incipiam a corallis, & unionibus, tanquam ab usitatissimis.

(a) *De Lapidum & gemmarum præparatione.* Sicuti omnia solida fluidum agnoscunt principium, ita quoque lapidum & gemmarum origo ex fluido est: comprobat id illarum figura, diaphaneitas, intimaque particularum unio, dum ex pluribus tenuibus bracteis constant, quæ ex commissuris ope microscopii cognoscuntur: *Vid. Boyle de gemmis p. 7.* Fiunt mediante crystallisatione, dum particulæ insensibiles invicem coagmentantur. Quod aqua in lapidem mutetur, qui igne vehementissimo in calcem acerrimam utitur, speluncaBaumanniana id sufficienter confirmat. *Boylem hist.fluidit. & firmit.p. 91.* exempla aliquot notabiliora profert, quod aqua in lapides mutata fuerit.

Color gemmarum a connubio particularum metallicarum est; unde enim associatione certorum metallorum elegantissimæ gemmæ varii coloris elaborari possunt. Aurum crystallo amethystinum concedit colorem, qui etiam obtinetur, modo auri crocus terræ porcellaneæ imponatur, & vitro prægrandi caustico aurum vehementissime calcinetur, sic vitrum pulchre amethystinum nascitur. Rubineum vitrum ex jove & auro; Saphirinum ex lapide Lazuli; Smaragdinum ex viridi æris & minio; Hyacinthinum ex cerussa & croco martis; Chrysolithinum ex minio & cerussa conficitur. Plumbum lateri impositum vitro caustico abit in perfectum vitrum viride ponderosum.

De viribus gemmarum multa traduntur fabulosa. Equidem non omni carent virtute, sed per illa quam optime potest a corpore crystallino acidi destructivo, non autem ab ipsarum tinctura, quam a succis mineralibus possident, quæ quidem menstruicerti ope ex ipsis elici potest. Vid. *Boyleus de gemmis.* Falluntur qui singularem confortantem vim illi adscribunt, illamque derivant ab æthere puriore angustissimos illarum poros incolente. Eadem forma qua assumuntur, iterum ejiciuntur. Ingrediuntur gemmæ varii generis remedia, nominatim: pulverem bezoardicum *Sennerti*, confectionem de hyacintho, electuarium de gemmis calidum, species cordiales temperatas, sed profecto sine singulari effectu, cum ipse, si quis est, a solo crystallo repeti queat, quo circa effectus horum reliquis potius ingredientibus adscribendus erit.

CAPUT XXI.

(a) *De Coraliis.*

CORallum, vel, ut aliis placet, Corallium, ut in imo maris incredibili naturæ artificio productum, ita mirabiles ab ea dotes sortitum est. In pelago veluti mollis arbuscula crescit, & vegetabili vita vivit; extra vero naturam lapideam induit, ut non amplius ad vegetabilia, verum potius ad mineralia reducatur. Tres sunt hujus fruticis lapidei species: rubrum, quod omnium censent optimum, album, quod peculiares habere facultatem existimant omnes, nigrum rarissimum, & minus in usum receptum. Sunt & ex his stellatum, articulatum, & porosum, sub iisdem speciebus reponenda. Rubrum potissimum nobis in usum venit, quod quidem non nobis solum Europæis innotescit: verum & Asiaticis & Afris. Hinc Turcæ, Indi, & pleræque aliæ nationes barbaræ ipsum integrum & collo gestatum, insignes habere vires constanter credunt. In plurimis etiam Europæ locis, ad nocturnum timorem, cui pueri & juvenes ob cruditates valde obnoxii sunt, valere creditur. Bononiæ, ubi hæc meditamur, puellæ id collo gestant, tanquam ornamento, & virginitatis signo.

Avi-

A vicenna corallum inter cardiaca repoſuit, Veteres Græci, neque Hippocr. neque Gal. ejus meminerunt. Colligitur hodie in maxima quantitate in mari mediterraneo Barbariam verſus, quo Maſſilienſes id quotannis adeunt piſcatum, ſic id artificii genus appellant, eo quod retibus ipſum ex imis Oceani viſceribus extrahant. Traditur etiam id in Liguſtico mari enaſci: verum potius Ligures cum Maſſilienſibus in Barbarico ipſum reperiunt, & inde poſtmodum Genuam advehunt. Communis ejus in Medicina uſus eſt, in pollinem reductum ipſum prius calcinando, vel integrum ſuper porphyriten lapidem terendo. Nos vel ejus tincturam, vel ejus ſalem uſurpamus, ex quibus ſyrupos, & alios liquores componere poſſumus.

(*a*) *De Corallis*. Corallium frequentiſſimum in uſu eſt rubrum, quod in mari Tyrrheno & Siculo invenitur, rarius album, nigrum vix reperitur, niſi in curioſorum cameris; dubitant, an corallia in mari mollia ſint, & an extremitates ipſorum rotundæ, uti refert *Paulus Bocco*, ſuccum lacteum ad modum tithymali præbeant.

Corallia deſtillata in retorta igne aperto fundunt liquorem ac rem urinoſum, caput mortuum eſt acerrimum album, & inſtar calcis vivæ ebullit aqua affuſa. Potentem vim alit diureticam in urinæ ſuppreſſione, ſi connubio ſalis ſuccini commaritetur, expertiſſimam. Tincturæ nihil aliud ſunt quam ipſorum ſolutiones, ſique in digeſtione rubedinem induunt, id non tam coralliis, quam menſtruo potius, quod calore talem colorem ſuſcipit, debetur. Idem noſtrum judicium eſt de cera alba, qua mediante tentant extrahere colorem rubrum ex ipſis. Inter ſexcentos ferme modos præparandi tincturas ex coralliis eminet maxime illa, quæ fit cum ſpiritu nitri dulci, quæ præſtantiſſimæ virtutis eſt in reſerandis obſtructionibus, ſanguiniſque impuritate per diaphoreſin diſſipanda. *Baſilius Valentinus* ſpiritum ſalis dulcificatum adhibet. *Langelottus in Epiſt. ad Nat. Cur.* meminit coralliorum in ætimæ ſolutionis cum oleo quodam deſtillato. Verum dubito, an res unquam ſucceſſerit. *Boyle tractatu de gemmis* commendat ſpiritum æruginis, quo corallia ſoluta poſt abſtractionem ſpiritui vini non rectificato tincturam & vires concedunt. *Cnophelius in M.S.* corallia repetitis vicibus in ſpiritum roris majalis projicit, qui ſaturam inde adipiſcitur flavedinem, & debita evaporatione evadit rubicundiſſimus.

Spiritus qui ex ſale coralliorum vulgari modo parato conficitur, eſt non niſi ſpiritus aceti cum ſpiritu vini rectificato mixtus.

Sal Corallorum.

Methodus, qua corallorum ſalem præparamus, non eſt a vulgari diverſa: ea ſolummodo prius ab omni ſalſedine maris per varias ablutiones repurgamus, ipſa coralla probe terendo in mortariolo marmoreo, eaque fortiter exagitando cum piſtillo, & aqua communi. Toties aqua a corallis removetur, quoad omnis fæx receſſerit, quod ex rubore, nitore, & pulchritudine coloris deprehendes. Exſiccata, & minutim trita in aceto acerrimo diſtillato diſſolve, in fimo equino: diſſolvuntur in variis infuſionibus, hiſque pluries repetitis. Infuſiones ejuſmodi urinali vitreo induntur, ac demum lento calore extillantur, & ſic omnis humiditas fere abſumitur. Tunc reponendum eſt vas in loco frigido, in cujus fundo ſal concreſcet. Eo ſale ſi uti volueris, hac correctione eget: ipſi ſuper infundes aquam vitæ optimam, quam ab eo ſale deſtillabis, hacque via aceti vis acida retunditur. Putant nonnulli longa hac maceratione in fimo equino dictum ſalem in oleum verti? ſed his, ut multa alia ſua cogitata relinquimus.

De tinctura Corallorum.

Inter plurima a Pseudochymicis conficta, hæc corallorum tinctura non est ex infimis. Omnes corallorum tincturam extrahere norunt, & nemo ipsam vidit unquam. Circumferunt aliquot solutiones subrubras, easque falso pro dicta tinctura nobis offerunt. Sed magis adhuc miror, viros præstantissimos, eruditissimos, & de arte Spagyrica bene meritos, de ea præparanda, tam falso scripsisse: horum nominibus uteunque parcam; nobis enim animus non est cum larvis luctari. Parac. eo in genere haud est reponendus, quia, quod de ea scribit, totum ænigmaticum est, atque ea sub verborum involucris plane occuluit. Eas vero, quas Beguinus in *suo Tyrocinio chymico* proponit, irritas esse, & penitus rejiciendas existimo. Quidam coralla prius calcinanda docent. Quidam sola trituratione, cum aqua communi pluries affusa, contenti sunt. Quidam infundunt cum aqua quercus, juniperi, & similium. Sunt & qui putant parari posse cum spiritu vini longa maceratione præmissa. Tandem vana sunt hæc omnia. Quercetanus ad veritatem propius accedit, dicens ex sale spiritum, & tincturam elici posse, quam quidem methodum manibus propriis pluries experti sumus. Et quia ipsa ex dictorum corallorum sale per acetum destillatum facto elicitur, dubitare quidem possumus, num dictus liquor ex aceto potius, quam ex corallis procedat: Liquor ab aceto est, ut manifeste liquet, color vero non ita; etenim stillatitium acetum ejuscemodi rubeo colore caret. Odor ille fragrans itidem suspectus esse potest, neque immerito: nam Saturni spiritus eodem fere odore præditus est. In utriusque spiritu idem color conspicitur, & eadem rubedo. An ex aceti fæcibus, an a corporibus solutis, nec res certa est. In aceto stillatitio, quamvis limpidissimo, per aliquod temporis spatium subsidet fex quædam, tenuissima, & albissima, & nonnunquam per universam aceti materiam, veluti urinæ nubecula, volitat. Aceti vis omnis, quæ in suo sale volatile residet, cum solutis corporibus manens mixta, denuo novum spiritum fundit, distillatione per retortam rite instituta: at is spiritus sapore, colore, & odore corporum solutorum præditus est, & postea is non amplius acidus, sed æthereus, & plane sulphureus, flagrans, & cœlesti virtute balsamica donatus apparet. Ex quibus manifeste patet, insignem, & præstantissimum esse spiritum, gravissimorum morborum humido nostro balsamico inhærentium domitorem. Hæc vero tinctura sic fit.

Accipe salem supradictum variis solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus depuratum, ad libram unam: is retortæ luto munitæ indatur, atque blando igne primum phlegma, seu aqua insipida proliciatur: Aucto igne, & mutato recipiente, spiritum supradictum excipies, cum exigua portiuncula olei veri; ambo fragrantissima, & rubicundissima.

Hujus tincturæ, seu potius vis est admirabilis in corde exhilarando, cerebro reficiendo, & in aliis, uti in fluxionibus capitis, quas sistere credunt. Sanguinem pariter repurgare traditur, immoderatos mulierum menses reprimere, fluores albos exsiccare, & alia miranda præstare.

Uten-

Utendi modum praxis potius, quam litera docebit; nec est, ut quis putet se sola librorum lectura in chymicis Doctorem evasurum.

CAPUT XXII.

(a) De Unionibus.

UNiones, nobilium mulierum delitias, & ornamentum, concharum in imo pelagi existentium partum, & genituram credimus; unde & semini augendo, nec non & humido primogenio plurimum conferre. Hodie ex India Orientali, & Occidentali asportantur, quibus in locis arte perforantur omnes: parvæ, Margaritæ; majores, Uniones appellantur. Eos olim Romæ in frequentem, & promiscuum usum venisse, tradit Plinius, Alexandria in ditionem reducta: & Clodium Æsopi Tragœdi filium, singulos uniones convivis ad sorbendum dedisse. Tradunt margaritas primum Arabes medicamentis cardiacis immiscuisse, quos Græci sequuti, & post hos Hermetici. Illi, tritas & porphyrite, vel alio lapide duro lævigatas; hi vero dissolutas, & in liquorem versas: durum enim erat credere, per corporis meatus, solidissima corpuscula, quamvis tenuissima, permeare, eaque calore nostro subigi, & atteri, indeque defessis membris opem ferre.

Parantur modo a corallis haud dissimilis: Itaque, ut de corallis supra diximus, cæ sunt primo in mortariolo marmoreo, vel porphyrite terendæ; demum in proprio, aptoque dissolvente per aliquot dies macerandæ: erit autem ejusmodi dissolvens, vel succus limonum, vel acetum stillatitium. In succo limonum citius dissolvuntur. Dissolvens ab iis segregatur, ipsis affundendo guttatim parum olei tartari: sicque remanent hæ margaritæ in fundo vasis in succum album solutæ. Ab hac solutione succum limonum effunde per inclinationem: solutum vero aqua communi distillata abluatur, & toties, quoad omnis acrimonia dissolventis recesserit. Solutio ejusmodi Magisterium perlarum vocatur, quod vero in liquorem oleaginosum vertitur, per spiritum vini diu in fimo equino putrefactum, perlarum oleum appellant. Sicum aceto stillatitio solvantur, & ab his solvens per alembicum abstrahatur, citius in oleaginosum liquorem abeunt. Correctio salis acidi variis cohobationibus cum spiritu vini factis optime fit, quibus non modo spirituum acrimonia retunditur, verum & perlarum vis exaltatur. Spirituum unionum, quem Quintam essentiam nuncupant, eo, quem supra diximus modo de corallis, præparamus. Extant apud varios authores aliæ præparationes longe divetsæ, de quibus similem censuram proferre audemus, de tinctura corallorum.

Vires margaritarum esse admirabiles, nobis primum retulerunt Mauri, & post hos Chymici. Præcipuas referunt in corpore sano, & vegeto conservando, idque ab omni morbifica causa coercenda. Item uniones ad resolutionem nervorum, eorumque convulsionem plurimum valere, nec non ad marcorem senilem, sicuti & ad pleuritidem, tradunt; & lac muliebre augere, ulceribus, cancro, hæmorrhoidibus, & melancholicis affectibus valde con-

ferre; tandem capitales esse, & memoriam augere. Dentes dealbeare eorum pulverem, experientia constat, mira tandem de his circumferuntur, quæ quia nobis inexperta, silentio præterimus.

(a) *De Unionibus*. Perlæ ex variis tunicis seu pelliculis coagmentatæ sunt: Crescunt ex humore, uti recentiores putant, genitali, quem pisces concharum marinarum bivalvium, quas margaritiferas appellant, stato tempore pro testa efformanda eructant. Intra testes formantur ex liquore dicto, qui in fila tenuissima ducitur, quos successive novis semper super inductis abeunt in talismodi grana modo rotunda, modo angulosa argentei coloris. Notabile est, pisces hos alias sapidissimos, cum margaritas gerunt, insipidos fieri, minores & morbosos, non secus ac cancri, si lapides habent. Majores dicuntur uniones, quoniam duæ ut plurimum conjunctæ reperiuntur in Indiis sinu Persico, & Insula Zeylan, Ignobiliores & minores etiam in nostris oris reperiuntur. Illarum usus in medicina quamvis non prorsus spernendus sit, penitus tamen exterminandus videtur, quoniam mater perlarum vilis prætii & quæ ex simili materia contexta est, easdem vires fovet, videlicet absorbentes acidumque corrigentes.

Magisteria tam coralliorum, quam perlarum in usu amplius vix esse solent propter destructionem texturæ alkalinæ factam cum acido. Solutionem si desideras ad medicum usum, peropportune illa instituitur cum spiritu formicarum acido volatili.

CAPUT XXIII.

(a) *De Crystallo.*

CRystallus gemmæ quidem species est, & notissima, & communissima, & ut ejus ortus mirabilis, sic ejus vires non sunt spernendæ. Quid ipsa per angulos, non forruito, sed summa naturæ providentia e terræ gremio producitur; minutissimæ etiam crystalli sexangulares exoriuntur semper, quasi tornatiles, & miro artificio affabre factæ. Ob id crystallus iris præ cæteris candida, & limpidam iridem nobis repræsentat. Primo aspectu glaciem frigore densatam diceres, & sane speciem aquæ in visceribus terræ densatam: vix, ac ne vix quidem aliud credere, omnino est possibile. Frigore vero addensatam non esse, dissolutionis ratio indicat; ignis postmodum, qui ex eo, ut pyrite excutitur, veritatem confirmat. Non durities causa est, cur excrucietur ignis, sunt & lapides hac duriores, ex quibus ferrum ignem minime excutere valet. Quid quod nullo liquatur igne? Ignita, & candens in frigidam projecta in partes dissilit, atque hac via in calcis speciem vertitur; nec calx tamen proprie dicenda venit, adhuc enim lucet, & splendet: ab hac ignis vehementia vitrum efficiunt. Purissima tandem ipsam constare materia certum est, aquea, nitidissima, & perfectissima: communis quædam natura lapidifica in gemmis cernitur perfecta, & colorum specie distincta.

Purissimo sulphure, & sale gemmas constare, multis convincitur argumentis: sulphure, citra dissolutionem, ut ex eo, quod supra diximus, de ignis extractione, manifeste liquet; apertius per paleæ attractionem, omnes siquidem gemmæ paleam, ut succinum attrahunt, quod fit, nisi substantia illa sulphurea, quæ valide attrita concalefit, concalefacta attrahit.

Cry-

Cryſtallo Medici perraro utuntur, ut quibus vix natura ejus innoteſcat. Spagyrici in rerum virtutibus diſquirendis, analogia, & experientia freti, cryſtallum calculum in renibus, & veſica genitum diſſolvere, & foras trudere agnoverunt. Item lac mulierum augere tradunt, & dyſentericis conferre, alba uteri profluvia ſiſtere, & alias ipſis (ni fallor) incomperta.

Theoph. Parac. multiplices cryſtalli præparationes docet *lib.* 3. *de præparationibus*. At hæc pro more ipſis tradita ſunt.

Prima eſt elevatio, ſeu ſublimatio, cum triplici pondere ſalis armoniaci.

Secunda, Alkali ex ſupra ſublimata cryſtallo in aqua communi diſtillata ſoluta, & per evaporationem in Alkali converſa.

Tertia, diſtillatio in aqua. Accipit ſublimatæ cryſtalli, ʒ.j.ʒ. Aquæ nitri, & aluminis ſine diſtillatione, an. ʒ. ij. Reduc. in digeſtionem ad dies tres, vel quatuor, deinde diſtilla, & diſtillatum coagula, coagulatum reſolve. Ejuſmodi præparationum uſus nobis nullus eſt, & eas prorſus inutiles, & imperfectas exiſtimamus: ſic propter pſeudomedicos ſuos æmulos, ſuique nominis conviciatores multa occultare voluit.

Et ſane tanto viro haud exigua laus debetur, quod ſolis filiis artis iſthæc arcana nota eſſe voluerit. Interim præparationes nobis uſuales patefacere, atque omnibus ob oculos proponere non recuſabimus.

Cryſtallum calcinamus, ipſam prius in crucibulo igniendo, atque in aquam frigidam confertim projiciendo: ter, quaterque reiteratur iſthæc operatio, qua diſſilit cryſtallus, & digitis contrectata in aqua facile in pulverem abit: teritur poſtmodum ſuper porphyrite, & in alcohol evadit.

Secundo modo cryſtallum calcinamus cum duplo ſulphuris ſuper ardentiſſimis prunis in furno venti.

Tertio cum duplo ſalis nitri.

Quarto cum aqua forti peculiari, qua via molleſcit ad inſtar pultis, quæ poſtmodum naturalem fere duritiem recuperat in acetum demerſa. Sicque varias formas nanciſcitur: per ſe in calcem vix vertitur, ſed in vitrum liquatur.

Ex calcinata cryſtallo ſalem elicere haud eſt difficile, qui poſtea in liquorem mutatur per reſolutionem.

Ejus ſupra memorato alcohol utimur ſæpius, & potiſſimum in renum, & veſicæ calculis atterendis. Dictum etiam aliis mixtum, in lacte muliebri augendo uſurpamus.

Iſtius alcohol medio, oleum fit mirabile, quod quidem vi pollet vegetabili; augetur enim ſenſim vegetabilium in morem, adeo ut uncia una intra menſem, vel ſeſquimenſem alteram unciam dederit, contra omnium liquorum naturam, qui ab ambiente continuo abſumuntur, hoc contra augetur mole, & pondere. Hujuſce multiplicationis ratio non ſoli ſiccitati tribuenda, ut materiales Philoſophaſtri quidam putant, verum potius ſubſtantiæ cuidam famelicæ, ejuſce ſalium ordini, peculiari, qua etiam proprietate mineralium, & metallorum ſales ut plurimum donati ſunt. Hunc liquorem eſſe actu humidum inficiabitur nemo; poteſtate ſiccum eſſe non conſtat: extin-

tinguit sitim, ardorem in febribus coercet. Siccitas est lima caloris; at hic liquor igni resistit, & idem præstat quod liquor sulphuris. Quod vero refrigerat, nec hoc quidem asserere volumus: aperit obstructiones, menses movet, calculos solvit, extrinsecus escharam concitat, urit, & carnem superfluam absumit. Quid tandem? contraria præstat, excalefacit, & refrigerat. Elementales Medici rationes ad hoc satis pueriles, imo inanes afferunt; rationales vero chymicis instructi, his longe probabiliores afferunt. Sed de his alibi.

(4) *De Crystallo.* Est lapis glaciei instar pellucidus; unde etiam ipsum ex glacie nasci vehementissimo gelu longiori tempore intercedente fabulantur. Crescit enim etiam in calidissimis regionibus, uti in insula Cypro, Magdagascar, & pondere quoque glaciem superat. Celebratissima est crystallus, quoad figuras elegantissima, quæ in Italiæ ditione Pergamensi reperitur, ubi mons fertilissimus est crystalli minera, si pars eruitur, pauco tempore alia propullulat.

Crystallus candefacta aliquoties in aquam si injicitur, frangitur, & abit in pulverem, qui cum sale tartari vehementissimo igne tractatus constituit sal, quod aeris accessu abit in deliquium, & præbet liquorem, qui vino inditus ipsum imbuit rubedine, simulque præstanti vi diuretica. Eadem crystallus calcinata solvi potest in aceto, vel spiritu salis, quæ solutio confert ad calculum. Notabile est, ex crystallo parari posse liquorem, cujus una pars duabus partibus aquæ affusa successu temporis ipsas mutat in verum lapidem. Beneficio vitri caustici, lapis specularis, talcum, lateres, omnesque terræ, ipsaque ex qua crucibula conficiuntur, vitrificantur: Minime autem pulvis crystalli vel silicum, qui etiam vehementissimo solari calori resistit.

CAPUT XXIV.

(4) De *Saphyro, Hyacintho, Smaragdo, &c.*

NOn negarem Gemmas undique præstantes virtutibus plane admirabiles esse, at non talibus, quales ab authoribus olim celebratæ fuerunt. Græci hanc pestem Latinis olim invexerunt, ut cuncta mendaciis refercirent. Superstitiosi Arabes hos sequuti, plurima Astrologiæ vanitati dederunt, quæ mendacia magicis artibus haud parum auxerunt. Pravi Judæi hujusce factionis fortasse authores, ut qui jam Ægyptiorum artibus imbuti, summi Pontificis ornatum ad falsas magiæ cæremonias detorserint. Sicque quod præceperat Deus in gemmis Humeralis, & Rationalis summi Pontificis sculpi nomina filiorum Israel: Idem de stellarum configurationibus proterve confixerunt. Sed in his missis, in Medicinæ usu, gemmas vulgato more vix usurpamus; & quicquid clamitet vulgus Medicorum, pulcherrimas illas compositiones, gemmis, auro, & argento refertas, in roborandis viribus, atque in morborum maligna pernicie naturæ inimica propulsanda, parvi facere decrevimus; imo ni falsa extaret vulgi opinio, ab earum usu penitus abstinerem: at hodie tanta est mortalium vana persuasio, simul & Medicorum multorum socordia, ut putent nihil supra quod scriptum est, ab aliis innovari posse, quasi omnes Medicinæ thesauros deprompserint, omnem perfectionem arti dederint, atque

que ſacro Apollinis invento extremam manum adhibuerint antiqui. O dementes, & ſtolidi aſini! non vobis per naturam licet philoſophari? Alieno egetis pabulo, & materiæ ſemper inhærentes, cortice pro nucleo oblectamini. Non propterea diffido gemmis mirandas ineſſe proprietates; verum nos latere, nec de his quicquam etiam minimum agnoſci. Nec obſtat, quid de his ſcripſerint majores noſtri, ut Bocus, Aroo, Thetel, Zenotemis, Zoroaſtres, Hermes, Evantes, Dioſcorides, Joſeph, & alii complurimi, ut Plinius, Arnoldus, Cardanus, & nuperrime Anſelmus Boetius, qui omnes ſola opinione ducti, citra ullam experientiam, de his haud pauca commentati ſunt.

Exiſtimarem ejuſcemodi lapidum præparationem in ſola ſolutione conſiſtere: Quod ſi quis vel univerſale, vel particulare diſſolvens nactus eſſet, earum præparationem veram, & legitimam inveniſſe haud diffiderem. At videant, ne quis fumivendulus nos decipere velit, & cum ſuo imaginario lapide, univerſale diſſolvens nobis obtrudere ſatagat. Agnovi & viros apud vulgus magni nominis, qui mendacii deliniti, aut ſaltem falſa opinione correpti, aliis iſthæc pro veris divendere non erubeſcerent. Nos gemmarum uſum probamus, ſi ſolutas, & in formam potabilem reductas habeamus. Hinc liquores gemmarum optatiſſimi, ſolis principibus dicati. De his vero liquoribus, quos gemmatos appellat, ſeu julepos, ſeu ſyrupos, qui hodie Florentiæ ſunt in uſu, & nuperrime magna ſuaſione Bononiam delati, aliud cenſemus: arbitramur enim ejuſmodi medicamenta neque rationibus, neque experientia comprobata eſſe. Ecquid quæſo gemmarum infuſio, & trituratio, etiamſi calcinatio præcedat, niſi ſtulta opinio? & quam vocant calcinationem, videant, num in ea individua proprietas remaneat, ſi hac eo adductæ ſunt gemmæ, ut ſolvantur: non ſic ars opinione, ſed experientia rationi copulata firmatur, ſtabilitur, & vera probatur.

Sapphyrus lapis duriſſimus proxime ad adamantem accedit; eſt & omnium pretioſorum lapidum duriſſimus, adamante excepto. Pulcherrima eſt gemma, cærulei coloris, albus etiam, ſed fit arte, modo gemmariis trito. Ejus præparatio communis eſt cum cryſtallo, & aliis gemmis. De ejus facultatibus nihil certi hucuſque habemus.

De hyacintho (qui & optatiſſimus, & pulcherrimus lapis eſt, item & duriſſimus, miro ſplendore nitidus, & colore fulgidus) nihil etiam certi comprobavimus. Interim magna prædicant Medici de uſu compoſitionis hyacinthinæ, & hic maxime, ubi eſt in frequentiſſimo uſu, & præſertim citra ullum diſcrimen in omni febre: quo conſilio viderint ipſi. Scio iſtius, & cæterarum gemmarum fragmenta a noſtro calore ſubigi, atteri haud poſſe, minus in actum deduci, imo ventriculo, univerſæque naturæ potius moleſta eſſe; quod ſi quid in his virtutis, & perfectionis, ab ambare, moſcho, & aliis potius proficiſci. Paratur itidem more aliarum gemmarum, prius præmiſſa calcinatione, quæ fit cum igne, & diſſolutione in aqua. Sal ſuas etiam peculiares dotes poſſidet.

Smaragdus, gemma notiſſima, & pulcherrima, multiplex eſt, pro diverſitate

ſitate locorum, ubi naſcitur. Orientalis Occidentali longe præſtantior. Virore, & nitore viſui gratiſſimus conſpicitur. Multa de eo, atque de aliis gemmis falſo circumferuntur, ut quod ferenti opes augeat, caſtum reddat, &c. De ejuſmodi gemma, idem plane atque de cæteris conjicimus; nec ut quis a nobis aliud expectet, donec tempus certiora attulerit. Interim ſucceſſivis horis, dum a gravioribus negotiis reſpiramus, gemmarum præparationibus, earumque facultatibus indagandis ſolerter incumbimus.

Interim qui ejuſmodi lapidem in porphyrite, vel marmore lævigant, eumque ægris ſic paratum propinant, errant toto cœlo. Mallem ipſum calcinare prius, ut de cryſtallo diximus, calcinatum in liquorem deducere. Sic non eſſet difficile eo uti; ut ſupra præcepimus.

Sæpe adulteratos pro veris ſmaragdis in officinis uſurpant; eſt enim ejus adulteratio perfacilis. Accipiunt ſodam, ſeu kali, albos fluviorum ſilices, & viride æris, nonnulli minium, quantitate convenienti: crucibulo induat mixturam, atque forti igne adacto, fit vitrum ſmaragdo perſimile. Sed gemmis ommiſſis, ad cætera lapidum genera divertere placet.

(a) *Sapphiro, Hyacintho, Smaragdo.* Sapphirus lapillus eſt pellucidus coloris pulchre cœrulei, qui maris, & pallidioris, qui fœminæ nomine venit, colligitur ex arena ad ripas fluminum, & invenitur in Zeylan.

Tincturam & colorem igne perdere, ut adamantem mentiatur, dicunt.

Crudus ſapphirus, qui venditur in pharmacopoliis, nil niſi minera ferri eſt, utpote promtiſſime accedit ad magnetem.

Hyacinthus ex colore rutilo & flavedine rubet, colligitur in ripis variarum regionum, variis fluviis, ubi etiam ſmaragdus reperitur, qui grato virore oculos paſcit; dicitur hic phoſphorus, quoniam in tenebris lucet, quod optime procedit, ſi crudi ſmaragdi pulvis in pultem cum aqua redigitur, cum qua literæ in lamina ænea efformantur, quas leni carbonum calori admove, in tenebris ad notabilia momenta videbis illas igneas.

Adamas non pulitus ſed crudus in Indiis repertus interdum inſtar ſilicis, ſacchari canarii vel lapidis gryſei coloris apparet. In fundo fluminum inveniuntur optimi, qui e fodinis eruuntur, ſæpius habent rimas, quod vitium adſcribitur violentis rupis contuſionibus. Maculæ debentur conditioni terræ, aut arenæ in qua reperiuntur, ſi ea non exiſtit pura, ſed pinguiuſcula & nigra. Adamantes lapides pretioſorum ſunt ponderoſiſſimi, ſicut inter metalla aurum.

Ex gemmis ropaſius orientalis pretioſiſſimus eſt, qui ponderat drachmam ſemis: ſexcentis venditur imperialibus.

Carfunculus, cujus ſacræ literæ mentionem injiciunt, ut Rabbinorum ſententia eſt, adamas eſt, cujus alias nulla mentio fit in Bibliis.

CAPUT XXV.

(a) De *lapidibus minus pretioſis.*

DE cæteris lapidum generibus hic nonnihil interſerendum puto, & maxime de his quæ nobis in uſum veniunt.

Et primum Lapides aſtacorum, qui in capite cancrorum fluviatilium reperiuntur, frequenter ad nephriticos dolores uſurpamus. Reperiuntur tantum

bis

bis in anno, menſe Maii, & Septembris, his nimirum temporibus, quibus ipſi veterem corticem deponere conſueverunt; ſic molliori cortice ſubrubro tecti, gerunt in capite prope oculos lapides utrinque ſubalbidos, quos nonnulli falſo cancrorum oculos appellant. Ejuſmodi lapides plerumque integros uſurpamus, & tantummodo tritos, ac in pulverem reductos, ad pondus 3. ß. & 3. j. in doloribus nephriticis, quos brevi ſedare annotavimus. Dictos etiam lapides in aceto diſtillato ſolvimus, itemque in ſucco limonum, & ſic potentius vires ſuas exercere, adverſus calculos tum renum, tum veſicæ deprehendimus. Cæterum qui de his ſalem, liquorem, aut aliud ſimile præparare voluerit, liberum eſto: modus ab aliis non erit diſſimilis; noſtra tradimus, & aliena relinquimus.

Lapides Judaici, Spongites, Lyncis, nobis etiam frequenter in uſum veniunt, eos pariter integros citra ullam præparationem, ſola trituratione excepta, uſurpamus. Sunt ſalinæ naturæ, & facillime in actum deducuntur. Judaicus, & Lyncis, ob duritiem, ſoluti cum aliquo liquore acidulo, aptius devorantur, atque potentius vies ſuas de ſe promunt.

Lapis Bezoar modo haud diſſimili a nobis uſurpatur, tritus videlicet, & in pollinem redactus. Legitimus hodie vix habetur, & magna pars illius, qui hinc inde circumfertur, adulterina eſt, vel factitia, vel in diverſo animali ab eo, in quo generari ſolet, reperta. Anno ſuperiori, utriuſque nobis copiam fecit Sereniſſimus Dux Mantuæ, qui ultra mira, & portentoſa naturæ arcana, lapides Bezoardicos omnis generis, magnos, parvos, Orientales, Occidentales, incredibili quantitate penes ſe habet. Eſt enim Sereniſſimus Princeps ſane in rerum naturalium cognitione peritiſſimus, rerum Chymicarum indagator ſtrenuus, & expertiſſimus. Mirum dictu, quam docte, & quam apte de his ſentiat; nec modo in theoria, verum & in praxi, in qua manibus propriis artem exercuiſſe cognoſcitur: auderem & affirmare, ſi ipſe hoc mihi concederet, neminem ipſi ſimilem inveniſſe, qui tam dextre, tam docte de ſingulis Encyclopediæ partibus ediſſerat. Sed ne laus tanti Principis oratiuncula hac noſtra labefactetur, relinquo cæteras ejus animi dotes, quas in eo multiplici familiari colloquio deprehendi, & ad lapidem noſtrum Bezoardicum revertor. Itaque de eo multa aſſerere poſſum, & maxime in affectibus melancholicis, malignis febribus nonnullis, & in hyſtericis paſſionibus. Legitimi notæ apud ſcriptores habentur, at melius uſu, & experientia ipſe cognoſcitur. Qui dictum lapidem frequenter tractant, eum ſola inſpectione facilius agnoſcunt, quam qui ſola librorum lectura. Uſurpamus ejuſmodi lapidem more communi tritum ſubtiliſſime, & cum juſculo carnis, vel alio liquore morbo accommodato. Eſt equidem friabilis, ac mollis, & facillime in pollinem comminuitur; facile etiam ſubigitur, & a calore noſtro atteritur. Nobis non licuit alia ex eo medicamenta parare; rarus enim eſt, nec copia tanta reperitur, ut de eo liquores, vel alia medicamentorum genera componere valeamus.

Nominis affinitas mihi in memoriam revocat Bezoar minerale, tam naturale, quam artificiale. Naturale porro a figura, & extrinſeca facie potius ſic appel-

pellatur, quam a virtute, artificiale, a virtutis similitudine tantum; nam sicut verum Bezoar humores veneno infectos reprimit, subigit, & conficit, ita & minerale.

Commostrant aliqui cornu quoddam lapidificatum, in antiquis ruderibus repertum, quod monocerotis cornu nuncupant. Ferunt ejusmodi cornu multum valere adversus venena, idque viribus unicornu æquivalere. Verum puto in his rebus plura ex opinione dicta esse, quam quod experientia constent.

Unicornu multis laudibus adversus venena ejusce generis decantatum esse videtur: lapides item ophioglossi, vulgo in Gallia *Langue de Serpens*; in Italia *Saette*, quod ejusmodi lapides ignarus vulgus putet e cœlo decidisse. Sed errant omnes: sunt sane dentes piscis marini, a nonnullis canis, a quibusdam lupi dicti: Hi olim cum multis aliis, in altissimis montium jugis, & in quibusdam etiam locis a mari remotis, relicti fuerunt a diluvio, & ibi in lapidem conversi. Mirum sane, & portentosum, omne crustaceum genus bis in locis lapidificatum reperiri. Hæsitant plerumque, num vere universali diluvio eo deportata fuerint isthæc? quod nobis dubium facillime excutitur, & ratione loci, & explorato genere rerum lapidificatarum, cum ipsi rei & sacræ literæ suffragantur. In Gallia Narbonensi prope Uticensem, ubi lapides molares excavantur, multos invenimus cum quibusdam aliis lapidibus, & his præsertim, quos bufoninos appellat vulgus, Galli *Pierres de crapault*, Itali *Pietri di Rospi*. In Italia multis in locis a mari remotissimis, integros montes ejuscemodi rerum maritimarum lapidificatarum vidimus.

Ebur fossile ad ejusmodi rerum lapidificatarum genus optime reducitur: hujus ingentem copiam vidimus penes Illustrissimum Dominum Equitem *Cassianum del Pozzo*, Patronum meum plurimum colendum Romæ in ædibus suis, cum illic per otium miranda naturæ arcana permulta nobis commonstraret. De ejusmodi Ebore duo quædam præclara, & insignia ab eo accepimus, videlicet terram ex dicto Ebore confectam, Lemniæ persimilem, adversus venenatos morbos valde efficacem, nec non turchesios lapides, ex dicto Ebore factos, veris, & naturalibus Turchinis gemmis simillimos, atque in omnibus convenientes, colore, duritie, & virtute præstantes. Ab alio amico accepimus, dictos lapides fieri posse ex quibusdam piscibus lapidificatis, quod certa experientia sibi constare asserebat: totum secretum in calcinatione consistit. Sed nos medica tractamus, cætera aliis relinquimus.

(*a*) *Lapidibus minus pretiosis*. Lapides cancrorum nascuntur in ventriculo, sito in summitate capitis, ex succo crustaceo, ex quo etiam generatur crusta, unde saltim illo tempore, quando cancri exuvias deponunt, Julio & Junio reperiuntur, quibus mensibus cancri quasi ægrotant, minus vegeti sunt, & liquor lacteus in illorum ventriculis invenitur, qui postea indurescit in lapides, qui ideo perperam dicuntur oculi.

Lapides cancrorum præ aliis absorbentibus etiam ad diaphoresin & diuresin disponunt, propter sal volatile texturæ alkalinæ intime immersum, quod tamen licet parcissimum elevatur ignis vehementia. Crustæ cancrorum cum lapidibus eandem virtutem obtinent, illarum

ut

ut & lapidum calx levis & ſpongioſa eſt, nec tam urens, uti coralliorum.

Lapis bezoatdicus coloris ex atro virentis cinerei eſt, ex compluribus lamellis ſive foliis, ſibi invicem incumbentibus, more calculi humani coagmentatus eſt. Intus utplurimum cavitatem habet, ubi continentur ſæpius nuclei, fruſta ligni, fibrillæ, pulvis. Reperiuntur in ventriculis damarum, cervorum, ovium, aliorumque ruminantium domeſticorum pariter, atque ſylveſtrium animantium, Indiis orientalibus.

Cavitas in meditulio ſplendida & levigata, fructus intus contenti & elegans lamellarum ſeries, eaque pariter ſplendens levi lapidis uſtione in conſpectum prodiens, ſignum & character orientalium eſt; Quidam chartam creta imbuunt, & huic aliquoties affricant lapidem bezoardicum, ſi juſtus eſt, tingitur charta hæc colore ex nigro flaveſcente, ſi adulteratus, neutiquam; at vero hoc non univerſale eſt. De generatione horum lapidum diverſa eſt opinio. Nonnulli ex herbis alexipharmacis ſolutis in ventriculo & præcipitatis in magiſterium, quod deinde in lapidem indureſcit, ipſos deducunt, quod tamen veritati minus conſonum videtur, quoniam omnia animalia, quamvis iiſdem veſcantur plantis, lapidem hunc non poſſident, cujus rei teſtis eſt *Bontius de Medicina Judæorum l. 1. in notis ad Garcium*. Magis arridet illorum ſententia, qui lapides hos a ſucco lymphatico morboſo, & ſtomachi cruditatibus corpori cuidam lamellarum ſuperinductis derivant, quo circa macilenta & morboſa animalia lapidem talem fovent plus quam vegeta. Conſtat hic lapis ſale volatili ſulphureo particulis terreis intime nupto: Sulphuris ramoſi præſentiam manifeſtat ſpiritus nitri, qui pulveri lapidis hujus infuſus intenſam excitat efferveſcentiam cum maxima ſpuma, vapore flammeo, & diſſolvitur in liquorem ſanguinei coloris, cui ſpiritus vini rectificatus ſuperfundendus, ſic fit tinctura elegantiſſima. Nonnulli huic lapidi plane denegant ſingularem vim alexipharmacam. Certum hoc eſt, ipſum ſufficienti in quantitate datum propter ſal terreum oleoſum ſudorem largiſſime promovere, ſecus ac evenit ab aliis abſorbentibus. Nullum tamen dubium, lapidem humanum, item bovinum, qui in cyſtite fellea vel bovina invenitur, iiſdem facultatibus ſplendere, id quod etiam expertus eſt *Bontius Lib. citato cap. 46. in peſte Lugdunenſi*, quo tempore in penuria lapidis bezoar ſe calculos humanos adhibuiſſe ſcribit, & ſudoriferum excellentiſſimum ſic inveniſſe.

Occidentales orientalibus laxiores & fragiliores ſunt, foras ſcabri & minus levigati, coloris pallidi, vel ex virid i nigricantis, generantur in ventriculis cervorum caprorum & caprarum ſylveſtrium Peruanorum.

Unicornu foſſile mea ſententia eſt pars animalis, uti etiam rectiſſime monet Author, quæ in cryptis ſubterraneis montium ab aqua nitroſa & ſucco lapidifico ejuſque vaporibus diſſolvitur, irrigatur, & ſic philoſophice quoque calcinatur, nonnumquam etiam ſolideſcit in lapideam duritiem humido omni abſumpto longiori tempore. Eaſdem virtutes roborantes, conſtringentes, abſorbentes obtinet cum terra ſigillata ac oſſibus & cornibus, philoſophice, uti loquuntur, calcinatis.

CAPUT XXVI.

(a) De Lapide Armeno, & Cyaneo.

HOdie rerum foſſilium perrarus eſt uſus, quod nunc noſtri Medici ab antiquis valde receſſerint; & ſane paucis exceptis, hos adeo rudes, & inexpertos agnoſcimus, ut vix titulum, nihil quicquam artis redoleant. Ecquid (quæſo) toties dogmaticos Galenicos ſe nominare juvat, & tamen præcipua,

ac selectissima Medicinæ præsidia,& remedia ignorare? Ubi peregrinationes vestræ cum Galeno in Cyprum,Lemnum, & alia loca? Ubi manus vestræ medicamentorum præparationem addidicerunt? Non sic majores nostri, relictis laboribus,solis verbis operam dederunt. Deinde Græcos observate,atq; ipsos etiam Arabes, quam sedulos in medicamentorum inventione, & præparatione! & in his potissimum lapidibus, quorum usus penes ipsos olim frequens erat. Nunc vero Medicos nostræ ætatis plane latet, & ni extaret celeberrima illa compositio Alkermes dicta, nulla sane in Officinis de isto lapide haberetur memoria. Armenus lapis pilularum quarundam compositionem ab Arabibus inventam ingreditur; at ejuscemodi pilularum usus nullus est. Lapidis Armenii, & Cyanei virtus ab antimonio non est valde dissimilis: antimonium tamen, (ni fallor) minus periculosum. Susque deque purgant omnes humores, aquas præsertim, & utramque bilem: magnis morbis magna conveniunt remedia. Uterque lapis duplici sulphure constat, ut cæteræ omnes mineralium species; sale item duplici, volatili, & fixo. In sale volatili vis vomitoria residet; in sulphure, confortans, roborans; & cardiaca in fixo præsertim. Quotiescunque ergo de præparatione dicti lapidis sermo habetur, manifeste patet, quæ præparatio usurpanda veniat, & maxime in compositione confectionis Alkermes. Cum enim dicta compositio sit tota cardiaca, roborans & fortificans, atque ea tantum desideretur; certum est genuinam præparationem dicti lapidis eam esse, per quam contraria vis, purgativa & vomitiva & removetur. At per calcinationem omne volatile recedit, ablutione supradicta, ad majorem cautelam. Quare dicta præparatio usurpari debet in hac compositione. Lotio ad hanc accedit, ut certius dicta vis purgativa removeatur. Qui putant solam lotionem sufficere, errant toto cœlo; nam citra calcinationem sal minime educitur, compacta invicem tenet sulphur utraque, quo sola calcinato solvit. Interim non ignoro, loquaces quosdam Medicos, chymicarum rerum rudes & ignaros, contrarium sentire, & authoritates veterum mihi objicere, parum memores, artem hanc tunc adhuc incultam, & in cunis adhuc balbutientem penes eos fuisse; nos vero recentiorum labores contemplati, artem non amplius vagientem, & balbutientem, sed magis cultam, grandiorem, & provectiorem colimus. Hinc mirum non est, si multa antiquis incognita, a veris Medicis hodie in usum advocentur, etsi novæ præparationes nobis nunc innotescant; quæ jampridem veteres ignorarunt. Itaque lapis noster lazuli per calcinationem, & ablutionem, facultatem omnem purgatricem amittit, & fortificans, roborans, ac cordis affectibus aptus redditur. Si ex calcinato lapide salem, & sulphur a corpore terreo segregare volueris, cum aqua vitæ, seu spiritu vini, aut cum aceto, aut alio liquore, modo, quem supra diximus de aliis, non erit difficile. Hæc pauca de Cyaneo lapide dicta sint.

(a) *De Lapide Armenio & Cyaneo.* Lapis Armenius est substantia metallica coloris pallidocœrulei, ad viridem vergentis, interlucentibus argenteis quibusdam micis, ex fodinis argenteis effossa, maximè Tyrolensibus. Gaudet virtute emetica vel etiam purgante, propter sulphur veneris volatile inexistens,quod calcinatione perit. A veteribus in epilepsia, melancholia, & apoplexia usurpatus fuit.

La-

Lapis lazuli ejuſdem ferme virtutis, & naturæ eſt cum lapide Armenio, ſpiritus urinoſos cœruleo imbuit colore, manifeſto veneris indicio. Orientalis & qui ex Aſia affertur optimus eſt, quippe colorem in igne minus mutat, fit exinde cum luna Ultramarinum pretioſiſſimum auro carius quod optime ætatem fert. Ignobilior reperitur in Germania, minus ignis patiens eſt, & progreſſu temporis mutat ſuum colorem, & vireſcit. Effoditur utplurimum ex aureis fodinis & ſolaribus quoque, maculis inter cyaneum elegantem colorem conſperſus eſt. Commode cum purgantibus exhibetur in epilepſia, mania; In deſperatiſſima elephantiaſi ejus uſum inſignem expertus eſt *Scaliger Exercit. p. 272.* Imo in melancholia plus fidunt ipſi, quam helleboro. *Langius in Epiſtolis Lib. 3.* componit pulverem, ad melancholiam & epilepſiam ſeq. ℞. Lap. Armen. abluti & præparat. drach. j. fol. ſenn. epithymi a ℈. ij. Zinzib. croci, macis ℥ri drach. j. ſem. F. pro doſi drach. j.

CAPUT XXVII.

(a) *De lapide quodam incognito, admirabilis virtutis, a paucis annis in agro Bononienſi reperto.*

EN quotidie nova emergunt in rerum natura, ubique exſtant magna naturæ miracula. O deſides veritatis oſores, addiſcere vos pudet: falſo arbitramini cuncta antiquis fuiſſe cognita; at quot plantæ, quot foſſilia majoribus inviſa, in lucem erumpunt? In agro Bononienſi inter cætera veteribus incognita, nobis ſeſe offert peculiare quid de genere lapidum, plane novum, & inauditum. Eſt autem quædam lapidis ſpecies, quem nonnulli luciferum, alii Solarem, quidam Lunarem appellant, a proprietate hominis, quod a Sole vel Luna mutuatum repræſentat. Etenim mirum eſt, quo pacto corpus opacum lumen a Sole, vel Luna recipiat; idemque in tenebris referat: in quo philoſophari haud infeliciter poſſumus, num vere lumen corpus, & quodnam corpus? an ſubſtantia, an accidens? & alias plures de lumine movere quæſtiones, quas hoc medio enodare forſan non eſſet difficile. At nos quibus non eſt in præſenti animus dirimere lites, iſthæc omnia brevitatis ſtudio omittemus, & dicemus hujuſce lapidis naturam, differentias, locum, uſum, proprietatem, & præparationem. Quoad ejus naturam, lapis eſt pellucidus, gypſo valde ſimilis, ſale, & ſulphure cauſtico, mordaci & adurente conſtans.

Triplex eſt in ſuo genere; Primus, & pulcherrimus, pellucidus eſt, ſpeculo aſinino perſimilis, gypſoque nobiliori, quale in his montibus reperitur, quod vulgus Talcum nominat, quo multi utuntur ad varia opera, vitri inſtar, idipſum dividentes in foliola tenuiſſima; ac his lapis, ut ſiccior, & durior, tam latam diviſionem non patitur. Diaphanus eſt quidem, ut Talcum, & in tenuiſſimas bracteas ſcinditur, & perbreves, figura ejus varia eſt, nunc oblonga, nunc rotunda, nunc tabulata. Secundi generis is eſt, qui non adeo pellucet, multum terreſtreitatis in ſe continens, hic non in bracteas; ſed in ſtrias dipeſcitur. Eſt & tertium genus, multiplicis magnitudinis, craſſiſſimum omnium, opacum, ſtriis, & lineis contextum, at breviſſimis, ad ſecundæ ſpeciei diſtinctionem, unde in pulverem potius, quam in ſtrias abit. Invenitur ejuſmodi lapis in quibuſdam collibus, prope in agro, vulgo monte *Pater-*

na dicto, quatuor milliaribus ab urbe dissito; atque in agro, vulgo *Pradalbino* nuncupato, octo vel decem milliaribus distante. Reperitur etiam prope dictum montem *Paternum*, in rivulo quodam innominato prope *Roncharian*. In monte *Paterno*, atque eo in rivulo sæpius per otium dictos lapides, una cum multis aliis rebus non ubique obviis, tum plantis, tum mineralibus, mira jucunditate collegimus, etiam multoties patronis, & amicis nobiscum eo animi causa divertentibus. Cujus rei occasione non possum quin commemorem eruditissimum, & prudentissimum pariter, ac nobilissimum Dominum D. *Claudium Gobellinum* Parisiensem, adhuc juvenem, Bononiæ studiorum causa tunc commorantem, qui pluries, ut erat rerum naturalium cognitioni valde deditus, ad eum locum nobiscum venit, ubi ad satietatem lapidis naturam, vires, & locum natalem contemplati sumus, gravissimis quæstionibus philosophicis inibi habitis, & maxime de ortu mineralium ibidem repertorum, de marchasitis, de vitriolo ibi latente, de sale nitro, de sale ammoniaco, deque variis lapidum speciebus eo loco passim obviis. Duplici via itur ad dictum montem. Utraque via dividitur prope portam Civitatis, quæ dicitur *S. Mamolo*, una superior, altera inferior. Per inferiorem sese offert rivulus admodum exiguus, qui aquis pluvialibus tantum irrigatur; in illius rivuli decursu, lapides isti nonnunquam reperiuntur, pluviarum vehementia e proximis montibus educti, atque eo depulsi. Ad ejus dextram, in agro, qui *Roncharia* vulgo dicitur, magna copia lapidis cujusdam albi prima facie salem ammoniacum repræsentantis reperitur. Ibi etiam pullulat naturaliter efflorescentia quædam vitriolata, austera, & acida; lapides etiam ferruginei, & æruginei haud pauci, cum Talco gypsario hinc inde sparso. Solum sterile est totum ea in parte, paulo superius fertilissimum: ex quo facile argumentari possumus, metallorum mineras subtus delitescere. Per superiorem viam, recto tramite itur ad montem *Paternum*, & primo intuitu sese offerunt fornaces quædam terreæ, ubi varia vasorum genera crassa, & ampla miro artificio excoquuntur. Paulo ulterius a sinistris, ad meridiem videlicet, apparent vastissimæ montis rimæ, ab ipso montis cacumine ad imum tendentes, aquarum pluvialium impetu deorsum ruentium excavatæ, quæ sulcorum adinstar per ordinem dispositæ sunt. Inter ejusmodi sulcos, terræque rimas, atque per totum illius soli ambitum, marchasitæ aureæ exiguæ satis conspiciuntur; eæ nunc terræ glebis hærent, nunc aliquot lapides albidos crusta obducunt: parvæ sunt ut plurimum, & raro nucis juglandis magnitudinem æquant. In imo, atque inter profundiores sulcorum hiatus, salnitrum copiosissimum certis temporibus foras erumpit. Locus saxosus est totus, & variis terræ hiatibus, rimis & scissuris consitus: atque sic montem conscendendo, & descendendo, nonnisi per laboriosos anfractus, atque devia perquam difficilia incedere valemus. Hic lapis noster in terræ superficie colligitur, atque inter cætera saxa post pluvias multo facilius: nam e solo pluviæ ipsos lapides educunt, atque aqua recenter loti pellucent, & intuentium oculis facilius sese objiciunt. Vehementes pluviæ solum assiduo excavant, unde novi lapides continuo emergunt. Quanquam hæsitare quoquo pacto possemus, num in terræ visceribus gene-

rentur,

rentur, an in sola superficie: quandoquidem hi in extima parte hucusque inventi sunt, atque nemo terræ penetralia ea de re visitavit unquam. Non procul ab hoc situ, Occidentem versus, paulo ad sinistram, monticuli quidam subrubri sese offerunt, ubi aliquando creditum fuit ditissimas metallorum fodinas adesse; ibi etiam non raro lapides isti reperiuntur. Totus hic terræ tractus, tam qui sulcis, aquarumque rimis conspicuus est, quam qui ejusmodi monticulis discernitur, sterilis est, & maxime ad Austrum. Natura soli sicca est, & ob saxa copiosissima, marchasitas, & alios diversi generis lapides, forte etiam ob declivium, propter quod solares radios vehementissime excipit, quorum repercussione omne pabulum humidum a tellure absumitur. Superior pars montis, ad Orientem, & Septentrionem declinans, fœcunda est, & ferax admodum: sunt equidem agri ubertate magna referti, etenim omni arborum fructiferarum genere consiti, vitibus, pomis, pyris, & similibus; at hic lapides solares nulli reperiuntur: solum est pingue & glutinosum, nullibi telluris fœcunditas major, nec fructuum præstantia, & bonitas optabilior. Hæc de situ, nunc de ejus proprietate, usu & præparatione. Referunt quidam Argyropœi, hunc lapidem plurimum valere ad metallorum transmutationem; ad quem usum primo eum fuisse repertum certo scimus. Inventionis exordia, & causas nobis olim aperuit Dominus *Saipio Bagatellus*; is autem transmutatoriæ arti plurimum anhelans, omnes Chrysopœos, quotquot in Civitate reperirentur, consulebat. Ex his fuit myrmecio quidam, suæ professionis desertor a sutoria arte ad vanam Chrysopœam transfuga, dicto Domino turpiter se veram lapidis philosophici materiam in proximis montibus reperisse jactitans, & hanc esse lapidem nostrum solarem, tam ob pondus, quam ob sulphuris copiam, quo plurimum scateret ipse lapis. Alias etiam afferebat rationes, quibus in animum induxit dicti Domini, ut experiundi causa, pecunias haud paucas brevi temporis spatio inaniter contereret. Itaq; multis incassum Chrysopœam jactatis laboribus, pro auro sequentes præparationes invenerunt. Quod ad ejus facultates & vires, multiplices sunt, & proxime ad sandaracam accedunt; vi enim caustica pollet, unde ex eo psilothrum facillime concinnatur. Fœtido sulphure quam plurimo constat, cum sale acerrimo, mordaci, & vere arsenicali, cujus odorem, & saporem valde similes refert. Ejus natura tamen non est ita fugax, ut arsenici, imo fixum manet in igne, fortemq; sustinet calcinationem. Usus ejusmodi lapidis ad extrinseca tantum hucusque nobis innotuit. Fit ex eo lixivium pro psilothro, cujus usus esset peropportunus ad barbam, & pilos excidendos, ni odorem valde ingratum effunderet, moscho tamen, aut suavi aliquo odore hunc corrigi perfacile posse arbitramur. Ea proprietas, qua cunctis se se præstitit mirandum iste lapis, nullum ex se præbet usum, præter quoddam visui oblectamentum, ut noviter inventis plerumque contingere solet. Qui de voculis lites, & jurgia componere affectant super his quæ circumferunt de lumine haud trita, ad satietatem per ejusmodi lapidis furatum splendorem, aut receptum a Sole & Luna, meditari, rimari, & contemplari possunt. Nos interim præparationes docebimus.

Et quidem pro facultate illa lucifera, in eo potiſſimum exoptata, calcinatur duobus modis: primo lapis in tenuiſſimum pollinem redactus, fortiſſimo igni in crucibulo calcinatur. Secundo, idem in pollinem redactus, in placentulas, thaleri inſtar compingitur, vel ſola aqua communi, vel albumine ovi. Hæ per ſe exſiccatæ in furno venti cum carbonibus ſtratificantur, & dato igne validiſſimo per quatuor, vel quinque horas, calcinantur: furno per ſe refrigerato placentulas exime. Quod ſi prima vice non ſint ſatis coctæ, quod cognoſcitur ſi parum lucis receperint, tunc eodem modo calcinationem reitera, dictas placentulas eodem modo ſtratificando, ut prius. Ter nonnunquam reiteratur dicta calcinatio. Optima ea eſt, quæ fit ex electiſſimis lapidibus, nitidis, duris, & diaphanis. Sic lapis ſubtiliſſime tritus, in furno reverberii tam diu excoquitur, quoad lucem facile excipiat. Ex eo pulvere varia in pyxidiculis efformantur animalia, quæ in tenebris mirifice lucent. Paratur lixivium eadem methodo, quod ad ſiccitatem perductum, ſal ſulphureum fœtidum, acre & mordax exhibet.

De lapide quodam incognito. Minera ſmaragdi triturata & leviter calcinata ad breve tempus ſplendet & lucet. Creta, a qua abſtractus eſt ſpiritus nitri, prævia decenti calcinatione, exhibet materiam lucidam candentis ferri in modum. Omnibus tamen præferendus eſt phoſphorus ſic dictus ante viginti annos ni fallor inventus a Germanis, qui ex urina ac ſulphureis corporibus paratur, qui leviter tritus ac commotus in luculentas ſurgit flammas: ſine motione in loco obſcuro totus quaſi incenſus admirabili lucis ſplendore fulget, jactiſque radiis ambientem aerem lumine quoquo verſus implet: Fixitatis eſt impatiens, confeſtim enim ſublime evolat, cuſtodiendus eſt in aqua. Et revera eſt quoddam naturæ miraculum. Literæ cum ipſo pingi poſſunt igneæ, quarum fulgor diu durat. Nullo ſolvitur menſtruo, nec aqueo, nec acido, nec urinoſo. Si cum ſpiritu vini rectificato miſcetur, intactus relinquitur, ſpiritus autem lucidis particulis impræegnatur, quæ luculenter apparent, ſi calidis locis admovetur. In oleo caryophyllorum promte diſſolvitur, quod lucidam valde flammam ſpargit, ſive inter digitos agitetur, ſive aer vitro intromittatur. Idem fit, cum oleo cinamomi, non autem cum oleo terebinthinæ, quo quidem ſolvitur, ſed non lucet. In vacuo *Boyliano* clariſſime ſemper fulget. Memorabile eſt, phoſphorum hunc mixtum cum camphora multiplicari & totam camphoram lucidiſſimam reddi, amittere autem virtutem ſuam inflammativam, ſive, utut hæc materia fortiſſime agitetur, nullum concipere ignem: quod experimentum, uti memini, nondum ab aliis commemoratum.

Ex veteribus phoſphori ferme ſimilis meminit *Fernelius Lib. 2. cap. 17. de abditis rerum cauſ* Cœpiſſe quoſdam in Anglis penetrabilem hunc ignem medicinæ loco in epilepſia habituali, & in podagra non ſine ſucceſſu adhibere, relatum eſt. Lapis Bononienſis videtur talci ſpecies, ſale & ſpiritu nitroſo ſulphureo impletus: in tenuiſſimum pollinem redactus fortiſſimo igne in crucibulo calcinandus eſt, deinde iterum pulveriſandus & cum carbonibus ſtratificandus ac calcinandus, donec luceat. *Author* meminit, quod ſale acerrimo mordaci & ſulphureo conſtet, hinc ejus lixivium pſilothrum peropportunum eſt ad pilos extrahendos.

PETRI

PETRI POTERII

PHARMACOPŒÆ SPAGYRICÆ

LIBER TERTIUS.

SECTIO I.

(a) *De Conservis.*

IN præcedentibus, medicamentorum simplicium præparationem, & compositionem brevi compendio tradidimus. Nunc ea, quæ sunt magis composita, & quæ Dogmaticorum leges jamdudum subierunt, aperiemus, Jatrochymicorum placita interponentes, & siquæ alia ad Pharmacopœam spectant, difficilia, & ad ejus ornatum facientia, exponentes. Præmittemus autem ea, quæ minorem recipiunt præparationem, ut Condita, Conservas, & similia: ab his progrediemur ad Syrupos; a quibus ad Electuaria, & Antidota: paulo post Pulveres, Pilulas, & Trochiscos proponemus: tandem Localia, seu ea omnia, quæ extrinsecus admoventur. Qua methodo Antidotarium commune perlustrabimus, compositiones singulas usui commodiores reddemus, superflua resecabimus, inutilia rejiciemus, & obscura illustrabimus.

Conservæ non tam necessitatis gratia, quam palati ergo parantur. Pharmacopœus Chymica arte instructus, eas longe nobiliores, elegantiores, & efficaciores reddet: nam non simplici trituratione, & mixtione contentus, non sola sacchari, aut mellis ad justam crassitiem coctione, verum essentias florum, fructuum, radicum, &c. primo præparabit, easque ad suum libitum commiscebit. Sed primum demus compositionem antiquorum. Condiunt flores saccharo, vel melle, vel integros, vel tusos, vel recentes, vel siccos: saccharum ad hoc, vel pulverem, vel prius coctum usurpatur. Sic rosæ condiuntur.

(a) *De Conservis.* Ad unum modum omnes conservæ parari possunt, ita ut non sit necesse, omnes ad unum præscribere, hoc tamen animadvertendum, ut conservanda omnia tusa sint & humiditate rorida repleta non madentia. Quando herbæ & flores sunt succulenti vel mucilaginosi, requiritur major quantitas sacchari, secus fit in siccis floribus, ubi aquale pondus sacchari sufficit.

Conservę rosarum palato gratiores fiunt, si folia immittantur ferventi aquæ, ut succus amaricans extrahatur, rosæ manibus exprimendæ, & in aqua rosarum solvatur saccharum, cui rosæ incoquendæ. Aqua rosarum odoris gratiam auget & conservæ vires. Conserva violarum lenitivum est medicamentum, aptissime ipsi miscentur purgantia.

Conserva cochleariæ in scorbuto, anthos in affectibus capitis, florum aurantiorum ad confortandum prosunt.

Conserva Rosarum.

Rec. Rosarum rubrarum non omnino apertarum, ab unguibus repurgatarum, ℔ j. sacchari albi, ℔. ij. Bis, vel ter tere rosas in mortariolo marmoreo per se: postea adde parum sacchari, & tandem bene tusis, saccharum totum adde: insolenter per aliquot dies.

Alio modo.

Rosas bene tundunt, & cum duplo sacchari albi in opiatam rediguntˌ aut eo fere in Electuar. solidum cocto, calide ab igne remoto, miscent. Insolentur, aut in stupha, locove tepido detineantur, maxime si nimia humiditas adsit.

In regionibus humidis, aut cum tempestas est humida nimis, antequam condiantur, in umbra paululum exsiccantur: contra vero in calidis & siccis regionibus, exsiccatione non opus est.

Alio modo;

Rosæ integræ saccharo condiuntur, ad quod ipsæ prius in umbra exsiccantur, postea in saccharo bene cocto demerguntur, atque in eo vix demersæ removentur, locoque sicco asservantur.

Alio modo.

Rosæ siccæ in umbra in tenuissimum pulverem reducuntur: harum ʒ. j. accipe, sacchari albi in formam Electuarii solidi cocti, ʒ. iv. misce fiant rotulæ. Sacchari plus, & minus addunt ad libitum. Nonnulli, ut coloratior evadat conserva, rosarum pulverem inspergunt succo limonum. Ejus loco alii, oleo sulphuris aqua communi temperato, vel oleo salis communis. Hi sunt usitati modi, quibus utuntur hodie Pharmacopœi.

Spagyrica præparatio.

Spagyrici alia via Conservas parant, atque ipsi materia illa crassa ad agendum ineptissima arte segregata, spiritualem accipiunt, eamque saporis tantum gratia (nam per se optime asservatur, citra ullum corruptionis metum) saccharo miscent. Duæ sunt autem spirituales substantiæ in rosa: aqua vitæ, seu liquor mercurialis, & oleum, seu liquor sulphureus. Ex utraque varias conservas parare possunt. Ex aqua vitæ rosarum, addito saccharo, in solidi electuarii formam cocto, formentur tabellulæ, vel rotulæ ad placitum. Saccharum coctum ab igne removeatur, & tantisper refrigeratur, ne spiritus avolet. Debet etiam plus solito coqui, ut plus spiritus excipiat. In Gallia tabellulæ fiunt cum aqua rosarum eo modo. In Italia maxime in plerisque locis, quas appellant Manus Christi cum perlis. Nonnulli ejusmodi tabellulas saccharum rosatum appellant.

Alio modo cum gummi tragachanto effingi possunt formulæ, amylo pro corpore addito. Sic quas vocant bechicas effingere perfacile erit.

Quidam, nec inconcinne, inungunt tabellulas cum aquæ vitæ, vel cum liquore sulphureo.

Alio modo, & omni tempore.

Rec. Rosas rubras in umbra siccatas, ad ʒ. ij. macerentur in s. q. aquæ communis cum ʒ. j. ol. sulphuris pro qualibet libra aquæ, ut pro ʒ. ij. accipe ℔. ij. aquæ communis: & ut efficacior, & longe nobilior sit, pro aqua communi, pone a-

quam

quam roſaceam diſtillatam: macerentur tandem in loco calido, ſtupha, aut balneo, vaporoſo, aut fimo equino. Aquam tinctam cola per filtrum, & pro ſyrupo componendo in vaſe vitreo ſerva. Roſæ interim poſt colaturam remanentes, in mortario marmoreo tundantur, eiſq; ſaccharum duplo plus, & triplo adde. Atque ſic fit ſaccharum roſaceum pulcherrimum, & palato gratiſſimum.

Vis & facultas ejuſmodi Conſervæ omnibus patet: hodie utplurimum magis palato, quam ſanitati inſervit. Placet hic obiter annotare, roſas rubras laxare alvum, contra Medicorum opinionem, qui putant ipſas adſtringere, pallidas tantum, & albas laxare. Qui id certo ſcire avet, capiat 3. j. pulveris dictarum roſarum, & veritatem comperiet.

Conſerva violarum.

Non diverſo a ſuperiori modo fit violarum Conſerva. In humidis regionibus, & in tempeſtate nimis humida, paulo diutius in umbra ſiccantur: hæc eſt communis via; Spagyrica autem ſic ſe habet.

Sicuti de Roſis, ita de violis cenſendum eſt. De violis id annotare placet, earum eſſentiam in extima ſuperficie conſiſtere; ideo ebullitionem, & triturationem longam vix ſuſtinent. Cum primum collectæ ſunt cœlo ſereno, & minime pluvioſo, confeſtim infundendæ, diſtillandæ, & tundendæ veniunt. Vires, & uſus ejuſmodi Conſervæ notiſſima quoque ſunt: ea alvum emollit, tuſſim juvat, faucium ulcuſcula ſanat, & cor exhilarat. Inter frigida & humida computatur; hac de re putant ſomnum excitare, quod quidem experientia non conſtat.

Conſerva Roriſmarini.

Flores Roriſmarini ab omni parte herbacea liberant: hos in mortariolo marmoreo tundunt, atque ipſis ſaccharum immiſcent, ut de roſis diximus: Ejus oleo ſacchari tabellulis tantiſper inunctis, fit Conſerva gratiſſima, & efficaciſſima. Ad roborandum caput maxime commendatur; item ad refrigeratum ventriculum excalefaciendum. Plura de eis circumferuntur, quæ brevitatis cauſa omittimus.

Conſerva florum Arantiorum, Jaſmini, &c.

Quoniam methodo non diſſimili flores omnes condiuntur, fruſtra de ſingulis ſermo eſſet habendus. Amari plus ſacchari repoſcunt, humidi minus; contra ſicci paululum vel humectantur, vel exſiccantur. Qui in aqua ſtillatitia dictorum florum ſaccharum ſolvet, vires augebit, præſtantioreſque evadent. Integri condiuntur, ſaporis & venuſtatis gratia, ſed ut parum efficaces omittuntur. Flores autem totius plantæ vim, & facultatem retinent; ideo qui eas deſiderat, rei herbariæ authores conſulat.

Fructuum Conſervæ.

Condituræ fructuum vix ad nos pertinent, quod potius palati, quam Medicinæ gratia repertæ ſint. Ex India tamen Mirabolani, Nuces myriſticæ, Caſſia, & ſimilia deferuntur, quæ & palato grata ſunt, & in Medicina plurimum valent.

Citrii integri, vel cortices eorum ſaccharo condiuntur in nonnullis locis, in quibus pariter citrulli, & melonum cortices, præcocia, pruna, berberis, omphacium,

cium, nuces juglandes, amygdalæ, & quod rarum eſt, Ravennæ nuces pini. Baccę juniperi in vino maceratæ, ac poſtmodum ſaccharo coctæ: Apoplexiæ, Paralyſi, & aliis graviſſimis morbis ſuccurrunt, ventriculum roborant, Arthritidi proſpiciunt, calculum renum expellunt, in peſtillentibus, venenatiſque morbis mira præſtant.

Radicum Conſerva.

Radices vel ſiccæ, vel virentes condiuntur, integræ, vel earum partes. Siccæ, vel prius in aqua macerantur, vel ſtatim coquuntur, vel denique in pulverem reducuntur. Enula campana in aqua communi lota, atque in eadem cocta, cum triplo ſacchari albi in electuarium cocti, conditur: Radix prius in taleolas ſecatur, & per aliquot dies in aqua communi maceratur, ut tenuior, & minus amara evadat: ſicca etiam in ea aqua diu coquitur, & tenera ſaccharo conditur, ac demum in vaſe vitreo ſervatur. Item ex radice cocta pulpa elicitur per cribrum tranſverſum, hanc cum triplo ſacchari in formam elect. ſolidi, ſi ſolidam exoptas, vel liquidi, ſi liquidam, rediges. Vel fit pulvis ex dicta radice, cujus pulveris drachmam accipiunt, pro qualibet uncia ſacchari, ſicque fit in rotulas, vel in paſtillos conſerva.

Angelicæ, dauci, & ſimilium radices modo non diſſimili condiuntur. Eryngium, & Satyrium, quia Veneri, & palato dicata ſunt potiſſimum, dum coquuntur cum ſaccharo, cinnamomo, & caryophyllis aromatizantur. Nonnulli moſchum, & ambram addunt.

Spagyrica ars in medicamentis impuritates perhorreſcens, alia incedit via. Primum a fructibus præcipuam ſubſtantiam magis a fæcibus depuratam accipit; atque dictam ſubſtantiam in modum præparat, ut vel ipſa ſeorſum ſervetur, vel ſi ingrata, ſaccharo miſceatur. In fructibus vinoſis, quorum præcipua vis in liquore mercuriali conſiſtit, eam quo diximus modo eliciunt, atque ſaccharo commiſcent. Succi dictorum fructuum etiam per ſe ſervantur, eos prius a fęcibus repurgando.

Præterea defæcati ſucci balneo roris ſenſim excrementum humidum deponunt, atque ad extracti formam reducuntur; qua methodo perfacile eſt dictum ſuccum in quolibet vaſe aſſervare, & quovis locorum circumferre, citra metum frangendi vitra, quibus alia aſſervantur, & circumferuntur.

Calor fimi equi in ſuccis defęcandis, & exſiccandis, & in varias formas reducendis, nulli alteri calori eſt æquiparandus. Solis in calore, maxime æſtivis diebus, multi ſucci depurantur, atque etiam in extracti formam reducuntur.

Limonum ſucci, citrii, ceraſorum, berberis, granatorum, eodem modo defæcantur, & depurantur. Tunc de his ſemicochlear, imo & unica drachma gratiſſimum potum efficit, ſaccharo ad libitum addito: per ſe etiam, abſque ullo additamento.

Uſum ejuſmodi ſuccorum multiplicem agnoſcimus: Palato maxime in his, quibus denegatur vinum, apprime eſſe utile, nemo eſt qui ignoret. Pro medicamento egregie conducunt ad febrium ardorem extinguendum, ad tartareos, viſcidos, & craſſos humores attenuandos, & diſſolvendos. Rurſus, ex dictis ſuccis ſal eſſentiale paratur, ut in *primo libro* docuimus, quod quidem pro conſerva aſſervari poteſt.

De

De radicibus, & aliis præcipuæ partes ab impuris ſegregatæ, ut *in prima parte* diximus, ſive tinctura, ſal, ſulphur, vel mercurio, ſaccharo poſſunt commiſceri, & ſic palato accommodari: verumtamen in ſuapte natura citra dulcurationem conſervari poſſunt: nec etiam amara, guſtui multum eſſe poſſunt ingrata.

SECTIO II.

(4) *De Syrupis.*

QUantum diſtet formula medendi, qua hodie Medici utuntur, ab ea quam vetuſtiſſima ætas olim agnoſcebat, ſatis videre eſt per medicamenta CCC. annis inventa, inter quæ ſyrupi primas tenent.

Syrupi appellatio Hippocr. & Galeno omnino ignota fuit. Id medicamenti genus jamdudum in artem invexerunt Arabes, ſaccharo maxime reperto. Etenim licet perobſcura ſint ejus inventionis veſtigia, ut apud M. Varronem, ejus tamen uſus non erat notus, & præſertim Medicis. Galenus in rebus a ſe notis haud mutus, id ſilentio non involviſſet, præ quo neſcio, an ſit res ulla guſtus voluptati adeo grata. Plinius in eo recenſendo *lib.* 12. *cap.* 8. adeo eſt brevis & conciſus, ut ſua tempeſtate ipſum fuiſſe raro in uſu, & forte tunc paucis Romanorum notum oſtendat: etenim non voluptati, ſed Medicinæ tantum inſerviebat. Syrupi nomen Græcumne ſit, ab ὄρος & σύρω, vel potius a σύρια, & ὀτὸς, quod eſt liquor ex Syria, unde primo delatum ſaccharum, parem refert. Conſtat ſuccum eſſe, vel decoctum ſaccharo conditum, ad certam craſſitiem. Multiplices ſunt, compoſiti & ſimplices, purgantes & alterantes, capitales, pectorales, &c. quidam refrigerant, alii excalefaciunt. Verum hac curioſa diſtinctione omiſſa, ad uſuales veniendum.

(a) *De Syrupi.* Syrupi qui diutius durare debent, ad craſſiorem conſiſtentiam coquendi ſunt, & neceſſum eſt, ut tempore æſtatis ſpiſſiores ſint, quam hyeme. Cavendum tamen ne nimium coquantur, alias facile concreſcunt. Acidi uti berberum, ribium in fuliginis vaſibus non in æneis coquantur, alioquin facile nauſeam vel vomitum movent; Melius eſt ipſos conficere cum ſaccharo quam cum melle. Probe examinandi ſunt, an mucorem vel cuticulam contraxerint, quod ſæpiuſcule fieri ſolet, quæ deinde ſeparanda ſunt. Succi per ſubſiſtentiam prius vel cocturam ſunt depurandi. Ad libram unam ſucci ſumatur libra una ſemis ſacchari, ad ſuccos fructuum autem plus ſumatur ſacchari. Ex floribus v.g. pœoniæ, roſarum, tunicæ, anthos, ſi vis parare ſyrupum, affunde ipſis contuſis illarum aquam, exiprime fortiter ſuccum, qui cum ſufficiente quantitate ſacchari in vaſe clauſo vitreo redigendus in ſyrupum eſt. Syrupus cinamomi, caryophyllorum, flor. aurantiorum ex tempore fieri poteſt, ſi julapio roſarum, id eſt ſolutioni ſacchari cum aqua roſarum paratæ, & ad debitam conſiſtentiam coctæ, paucæ guttulæ horum oleorum ſpiritu vini ſolutæ, ipſis indantur. Syrupus balſamicus fragrantiſſimus & graviſſimus fit minus notus, quando libra una aquæ hordei affunditur balſami peruviani unciæ ſemis, per balneum fiat deſtillatio ad dimidiam aquæ partem, quæ cum illa in cucurbita relicta balſamo ſupernatante combinanda, & cum ſacchari ſufficienti quantitate ad ſyrupi

rupi consistentiam redigenda. Cum syrupis optime miscentur & assumuntur ingrata etiam nimis calida & spirituosa. Tinctura sulphuris, item liquor martialis indito julapio rosarum, parari potest syrupus martialis vel etiam sulphureus sanguinem depurans. Syrupus de spina infectoria, item florum persicorum nec non violarum leniter purgant. Præstat purgantia illorumque tinctura, & essentias ex tempore miscere cum saccharo soluto, quam ipsos purgantes syrupos seorsim asservare. Præstantissimi ex syrupis sunt papaveris rhœados, granatorum, rubi idæi, ribium, acetositatis citri, menthæ, mastichinus, cichorei cum rhabarbaro, violarum, papaveris albi, hederæ terrestris, de althea. Triplex ad minimum florum infusio essumenda est ad præparationem syrupi rosarum vel violarum.

Syrupus rosarum simplex.

Rosas inter odoratos flores principatum tenet, hinc ῥόδον Græcis, a nimio odoris effluvio; nec immerito, nam hortorum est decus, & orbis delitiæ. Multiplex est, domestica, & sylvestris. Domestica, etsi multiplex in hortis appareat, tamen ea vera & legitima est, quam usurpant hodie Pharmacopolæ in syrupo rosaceo conficiendo. In nonnullis locis Damascenæ appellantur, in aliis incarnatæ, subrubræ, rubræ, pallidæ, &c. Negant alii veras esse Damascenas, & rubras eo nomine solum appellitant: Quicquid sit, subrubræ odoratæ, & domesticæ tantum usurpantur, ex quibus primum fit infusio, ex qua syrupus.

Infusio rosarum.

Rec. Florum Rosarum Damascen. mane antequam Solis calore perfundantur, & dum adhuc ros ille aereus earum fragrantiam, & potestatem coercet, ℔. 10. aquæ fontis ℔. 40. Integris rosis aqua tepens affundatur, & in vase terreo vitreato, stricti orificii, bene clauso, sub cineribus calidis, vel in stupha per 24. horas macerentur. Mane infusio tepefacta, & parum calida, coletur forti expressione, etiam per torcular; in colatura adhuc tepente novæ rosæ macerentur, & sequenti die pariter colentur; atque tum novæ rosæ infundantur: sic novies, aut decies fiat infusio. Tunc ad syrupum rosarum.

Rec. Infusionis supradictæ, ℔. 10. sacchari albi ℔. vj. clarificentur simul cum albumine ovi: & per manicam laneam colentur. Colatura duplici vase, aut saltem lento igne coquatur, donec crassescat in formam syrupi. Si minus sacchari addideris, validius & efficacius operabitur, ut pro ℔. viij. infusionis ℔. iv. sacchari. Saccharum usurpare solent multi, crassum illud & fæculentum, quod nigrum & rubrum appellant, & male, ni fallor, falso arbitrati, in crassitie, & fæculentia purgandi facultatem consistere. Infusio in cucurbitulis vitreis, sola & per se, absque saccharo servatur, oleo ad duos digitos imposito. Oleum ejusmodi sit dulce, absque sapore, & odore gravi. Infusio prius insolatur & fæces segregentur; tunc ejusmodi infusio potest omni tempore saccharo condiri, & syrupus fieri.

Mel si addas, mel rosatum efficies; id tamen quod in Officinis usurpant non adeo diligenti infusione paratur. Commiscent nonnulli rosas tusas melli tepenti, idque Soli expositum ad aliquot dies asservatur: colatur ad libitum, ipsis prius bene concalefactis; vel bis parant infusionem, quam melle condiunt, & ejusmodi melle pro Clysteribus utuntur: quam vero parum discrepet a melle communi, judicent ipsi.

Syrupus

Syrupus Rosarum Spagyricus.

Spagyrica ars, elegantiores medicamentorum formulas docens, in primis terreſtreitatem, fæculentiam, & omnem impuritatem ſemper ſegregat a medicamentis, eaque pura & defæcata, concoquit, exaltat, & nobilitat.

Concoquit, ut gratiora, & naturæ magis amica reddantur, nobilitat & exaltat, ut in medendo, non mœſtitia & horror, ſed voluptas percipiatur, & omnis labor a patiente ſatis afflicto procul amandetur: item ut eorum vires efficaciores, penetrantiores, & elegantiores reddantur. Nonne laborioſa ſunt nimis, & morbis ipſis prorſus graviora, fœtida illa, craſſa, ingrata, & obſcura medicamenta, quibus quotidie utimur? Horret adhuc animus recordatione eorum, quibus olim uſus ſum, dum adhuc puer, & præſentis artis ignarus.

Itaque ut Spagyricus nobiliſſimum, & elegantiſſimum ſyrupum conficiat, infuſionem novies, vel decies factam capit, atque eam non albumine ovi depurat, ſed in fimo equino collocat, vitro ad hoc electo oblongioris colli. Exactis nonnullis diebus fæces in fundo deponit, colatur, & colatura iterum in fimo collocatur. Hoc toties reiteretur, quouſque fæces omnes ſubſederint; & infuſio clara, ac diaphana evadat. Ut vero ſyrupum efficias, ſacchari albi lib. j. pro lib. ij. infuſionis adde: coquantur ad ſyrupi craſſitiem. Hujus ſyrupi doſis erit unc. j. uſque ad unc. j. ß. Validior evadet, ſi minorem quantitatem ſacchari addideris. Alvum purgando, renes refrigerat, & roborat. Bilem purgare dicitur, ſicque ad bilioſas febres commendatur. Blandum eſt medicamentum: puerulis delicatulis tuto exhibetur, ſenibus etiam, & pregnantibus: mannæ, caſſiæ, & aliis exoticis præferendum. Præterea infuſio in duplici vaſe, vel balneo Mariæ, ſi ſeorſum coquatur, craſleſcit, in formam extracti, ex cujus unc. j. pilula formetur: & hæc eadem præſtat, atque ſyrupus.

Si paretur infuſio in ſucco earundem roſarum, (ut Quercetanus inquit) erit ipſa adeo craſſa, & viſcida, ut vix quidem ullo medio depurari poſſit: ſolo ſulphuris, aut vitrioli liquore acido, per longam fermentationem, & digeſtionem id præſtabimus; ſed tunc in aliam tranſeunt naturam, nec adeo omnibus convenient. Etenim quibus acida ſunt ſuſpecta, omnino contraria, & moleſta erunt. Succus per ſe probe depuratus, & ſaccaro conditus, ſyrupum efficit purgantem, & palato gratum, minus tamen efficacem.

Roſæ, quas rubras appellant, ex quibus fit conſerva, purgant contra omnium ſententiam: id experientia, non noſtra opinione conſtat. Quod ſi, hujus rei periculum facere velint, accipiant de ejuſmodi roſis ʒ j in pulvere cum quovis liquore; vel cum aliqua re in forma boli, & obſervare licebit, ab ea ſubduci alvum ter, & quater.

Interea nequis nobis objiciat perſonarum conditionem, ætatem, & temperamentum, item temporis qualitatem, ſympathiam, &c. Sciant velim, me idem in omnibus, & per plures annos ubique comperiſſe. Sympathia, & Antipathia non eſt tamen negligenda, & maxime in roſis, quibus nonnulli tantopere adverſantur, ut ſolo odore multos excruciet.

De Syrupo Aureo.

A Paucis annis hic Syrupus eſt in frequentiſſimo uſu: plauſibile eſt nomen, colore,

colore, & odore placet, demum blanda est, & tuta ejus operatio. Plures compositiones, eæque diversæ hic Bononiæ habentur apud Pharmacopolas, quæ omnes admittunt Mannam, & Sennam; vera tamen & genuina hæc, quæ fit rosarum floribus rore matutino madentibus, aneo mane collectas integras demerge in calentem julepum ex saccharo. Vas sit stricti orificii, & julepus non valde calidus: Cola sequenti die: ac lento calore coque, & si coctus non sit satis, blando calore adacto, inspissetur ad justam crassitiem.

Syrupus Violarum.

Viola etsi multiplex, eo tamen nomine indigitatur proprie, quæ Martialis appellatur, & purpurea, quæ ut veris prænuntia, ita inter vernos flores emicat prima. Ejus virtus in odore, & colore potissimum consistit; ideo in ejus infusione paranda, maxima habenda est cura. Imprimis eligantur nigriores, hoc est, purpureo colore saturatiores, enatæ in apertis, & minime umbrosis locis. Decerpantur antequam Solis calor eorum odorem resolverit, itemque rore non madidæ, si possibile, nam eo vis & odor maxime obtunditur. Itaque cum primum apertæ, antequam ulla aeris injuria odor effluxerit, colligantur; tunc ollæ vitreatæ stricti orificii indantur integræ, quibus superfundatur aquæ tepidæ sufficiens quantitas, ut eas superemineat duos digitos. Infusione facta per 12. horas, atque ea tepefacta, & tantisper calefacta coletur, colatura saccharo condiatur, & fiat syrupus, ut de rosis diximus.

Alio modo.

Fit ex floribus diligentissime ab omni parte herbacea, atque albedine repurgatis, quos in mortariolo marmoreo cum pistillo ligneo tere. Tritis optime, sacchari albissimi commisce triplum, & quadruplum; saccharum excoquatur prius in formam electuarii solidi, & calide commisceatur: ita maneant in infusione per 24. horas, deinde parum concalefacta per torcular exprimantur: hoc expressum serva, quod erit in formam syrupi pulcherrimi.

Alio modo.

Vel fit cum succo dictorum florum: ex his enim prius tusis in mortariolo marmoreo, cum pistillo ligneo, educitur succus violaceus, qui saccharo mixtus pulcherrimum efficit syrupum. Sacchari sint duæ partes pro una parte florum: mixta foveantur simul in balneo Mariæ, quoad justam crassitiem syrupi nanciscantur, spuma interim removeatur. Tandem cum oleo vitrioli fit violaceus, addendo oleum infusioni dictarum violarum; at tunc pectori, cui potissimum dicatur, non est admodum opportunus.

Multis in locis ex dictis floribus plures infusiones parantur, ex quibus syrupus, & mel conficitur.

Hic syrupus ad unc. v. & vj. exhibetur. Purgat clementer bilem, & pituitam, in Erysipelate, & phlegmone intrinseca nulla purgatio tutior, aut commodior.

Violaceus syrupus, qui violarum retinet colorem, & odorem, pectoralis est, & cardiacus; in pleuritide, & febribus ardentibus commodissime exhibetur.

Syrupus florum Cynorrhodontis.

Pro floribus Cynorrhodontis silvestres rosas intelligimus; eásque albas moschiodore perfusas, & quæ in dumetis reperiuntur. Ex his fit syrupus vere au-

reus,

reus, & modo ſupra dicto de ſyrupo aureo. Validius purgat, quam quivis alter ſyrupus roſarum. Flores dicti in pollinem redacti, in exigua quantitate purgant. De ſyrupo, una ad duas uncias exhibetur pro doſi, Pulveris doſis, a ſcrupulo ad drachmam unam.

Noſtra ſocordia pereunt multa vitæ tuendæ neceſſaria, & utiliſſima, atque eorum loco exotica, ex longiſſimis tractibus allata ſupponimus; Roſæ Caninæ, quas Cynorrhodon profert, hujus ſunt generis. Eæ penes nos copioſiſſime naſcuntur, formæ elegantia & pulchritudine, atque fragantia, peregrinis aromatis minime inferiores. Aquas purgant citra morſum, bilem quoque, ac pituitam: propterea conſervæ ex his parantur, uti & ſyrupus. Conſerva, modo ſupra dicto de roſis Damaſcenis, paratur, cujus unc. ß. valide bilem, & pituitam purgat, abſque ulla moleſtia.

Item ex his paratur ſyrupus, cujus odor, & color elegantiſſimus eſt, ejuſdem efficaciæ, & valoris. Parantur ex his tres, & quatuor infuſiones, ac cum ſaccharo fit ſyrupus, ut ſupra diximus. Doſis eſt, unc. j. ad ij. uſque ad tres.

Syrupus florum Perſicorum.

Malus perſica, cenſetur olim ex Ægypto in Perſiam, deinde in Europam veniſſe. Fructus eſt plane elegans, guſtum mira voluptate afficiens. Plures ſortitur ſpecies. Primas tenent, quæ aureo colore donantur; ſecundas, quæ ſanguineo. Ex omnibus colliguntur flores, mane ante ſolis ortum, coſque vel integros, vel parum tuſos macerant triduo in ſuff. quantitate aquæ communis. In colata infuſione novos flores infundunt, terque hoc repetitur; colatura ſaccharo conditur, & ad uſum ſervatur. Sacchari quantitas ſit æqualis infuſioni, ut duplo minor, ſaporis gratia. Aquæ quantitas floribus reſpondeat. Succus dictorum florum, ut ſupra diximus, defæcatus & depuratus, ſaccharo mixtus, ſyrupum quoque præſtantiſſimum efficit. Idem ſuccus in ampullis vitreis ſervatur, uti ſuccus roſ. oleo communi ad duos digitos ipſi affuſo, ut officinarum mos eſt. Ad unciam ſemiſſem exhibetur, ad ij. uſque. Ventrem blande purgat, vermes enecat, obſtructiones reſerat, & putredini reſiſtit; ideo in putridis febribus tutiſſime porrigitur.

Syrupus Papaveris; Rhœadis rubri, ſeu erratici.

Iſti flores menſe Junii inter ſegetes rubeo colore ſaturati, odore vero ingrati, copioſiſſimi reperiuntur. Syrupus ex his duplici modo pariter conficitur: vel ex ſucco eorum prælo expreſſo, vel ex eorum infuſione.

Efficacior, & præſtantior redditur; ſi infuſio paretur in eodem ſucco, eaq; bis, & ter reiteretur. Vis ejus eſt adſtringens, & roborans, cum facultate bechica, & hypnotica; hinc omnibus pulmonum inflammationibus, peripneumoniis, & pleureſibus certo medetur. Datur ab unc. j. ad ij. per ſe, & cum aquis pectoralibus.

Syrupus Roris ſolis, Pedis cati, Capillorum ven. &c.

Ad phthiſim, & alios morbos pectorales, multis in locis parantur ſyrupi lagopi, (alii gnaphalium montanum nominant) roris ſolis, capillorum ven. & complurium, modo ſupradicto. Mitto brevitatis gratia plura alia, ex quibus ſyrupos ad libitum parare poſſumus.

Syrupi acidi.

Limonum ſuccus, ob præſtantiam, & ſaporis dignitatem, omnes alios faci-

le

le ſuperat. In vaſe vitreo, calore balnei vaporoſi, vel maris ſeorſum excoquitur, dum ipſe incraſſeſcit, ſacchari candidi triti additur exigua quantitas,& fit ſyrupus extracti ſicci inſtar. Idem ſuccus ſolis calore addenſatus, aut in hypocauſto, aut alio loco calido exſiccatus in formam ſolidam, ſervatur in pyxide, vaſe vitreo,aut quovis alio. Ejus minima quantitas in juſculo diſſoluta aqua ſtillatitia communi, aut ſimili, potum reddit gratiſſimum, & elegantiſſimum.

Alio modo.

Paratur ſuccus limonum,uti moris eſt,eum videlicet purificando,& clarificando. Interea ſaccharum albiſſimum ſolvitur, excoquitur, & depuratur more ſolito: excocto in electuarii ſolidi formam additur dictus limonum ſuccus,& fit ſyrupus aliis ſyrupis liquidior, & tenuior; etenim acidi ſyrupi non tam cito ſitum contrahunt, ac cæteri: rurſus ſi in eandem craſſitiem aliorum ſyruporum excoquuntur, brevi canditi fiunt, aut ſi nimis indurati, coaleſcunt gemmarum inſtar. Incauti nonnulli ſuccum cum ſaccharo in principio coquunt: unde Syrupi ingrati,& mali cŏloris fiunt. Ratio vaſis, in quo excoquuntur, non negligenda ænea peſſima, vitrea, aut terrea vitro inducta ſeligenda ſunt.

Syrupus Ribes, malorum granat. &c.

Acidorum omnium ſyrupi methodo non diverſa parantur; ideo ipſis libenter ſuperſedeo, & ad compoſitos devenio, primo ad purgantes, eos præſertim, qui in officinis habentur.

Syrupus de Epithymo M.

Joannes Meſues *in ſuo Antidotario* miris laudibus extollit Syrupum de Epithymo, maxime in atra bile expurganda; propte ea omnibus affectibus ab ea originem trahentibus eum conferre aſſeverat, uti cancro, elephantiaſi, ulceribus malignis, & aliis.

Rec. Epithym.unc.xx.mirobal.citrin.Ind.an.unc.xv. cuſcutæ, fumiterræ, an. unc.x.thymi,bugloſſi,calamenthi, mirobal. emblicorum, bellericorum, glycirrhyz. polypodii, agarici, ſtœchados, an. unc. xv. roſarum, fœniculi, aniſi, an. unc. ij. ℈. prunorum, num. xx. paſſul. enucleat. unc. iiij. Thamarind. unc. ij. ℈. Aquæ communis, q. ſ. Bulliant ſecundum artem, & in colatura clarificata diſſolve ſacchari albi, lib. iiij. ſapæ, lib. ij.

Si hujuſce ſyrupi compoſitionem perpendamus, multa facile reſcindemus, ſapam præſertim, & ejus loco ſaccharum ſubſtituemus, pruna item, & Thamarind. quia aceſcunt.

Spagyrice fieri poteſt, bis vel ter reiteratis infuſionibus, eiſque depuratis addendo ſacchari quantitatem ſufficientem, eaſque in extracti liquidi formam coquendo. Doſis ab unc. ſem. ad unc. ij. cum juſculo carnis.

Syrupus de Polypodio.

Rec. Polypodii querc. unc. x. meliſſæ, bugloſſæ, an. man. j. cyperi, cort. rad. capparum. acori, aſari, an. unc. ℈. fol. ſennæ, epithym, lactucæ, endiviæ, ſcariolæ, an. unc. j. ℈ coquantur in ſ. q. aquæ communis, colaturæ adde meliis roſati colati, ℔. j. fiat ſyrupus. Humores lentos, & craſſos digerit, vacuat bilem, & atrum ſuccum, necnon pituitam craſſam viſcidam e juncturis.

Spagyrice fit hunc in modum. Cuncta per noctem infunde in ſ. q. aquæ communis:

mundis: colatura clarificata, tepenti calore balnei, in extracti formam reducatur; cui sub finem adde sacchari albi circiter unc. iiij. dosis erit a ʒ. ij. ad ʒ. v. & integram unciam.

Syrupus de Cichorio comp. cum Rhab.

Rec. Endiviæ, sativæ, & silvestris, Cichorii, Taraxaci, an. m. ij. cicerbitæ, hæpaticæ, scariolæ, lactucæ, fumi terræ, lupulorum, an. m. j. hordei integri, unc. ij. fructuum Alkekengi, glycyrthiz. capill. ven. asplenii, polytrichi, adianti, an. ʒ. vj. rad. apii, fœniculi, asparagi, an. unc. ij. coquantur in s. q. aquæ communis, & percolentur: in colatura dissolve sacchari albi, q. s. pro unaquaque libra. Inter coquendum, adjiciantur Rhabarbari optimi, unc. ß. Spicæ Ind. ʒ. iiij.

In nodulo colligentur, & inter coquendum frequenter exprimantur. Nicolaus tradidit ipsum valere contra materiam venenosam, in alterando, & mundificando eam, & proprie in anthrace, &c. item in febre pestilentiali, & in jecoris intemperie, cum obstructionibus.

Spagyrice fit methodo non dissimili, omnia simul infundendo, coquendo, clarificando, & in extracti formam reducendo. Sal ex fæcibus potest extrahi, cumque extracto commiscerì,

Syrupus de Pomis Regis saporis M.

Rec. Succi pomorum dulc. ℔. ij. borraginis, buglossæ, an. ℔. j. mens. folliculorum Senæ. unc. ij. croci ʒ. j.

Sena contrita horis 24. in succis maceretur: semel, aut bis fervefiat: colatur: expressum cum sacchari ℔. ij. percoquatur in syrupum. Crocus panno lineo ligatus inter coquendum infricetur.

Succi seorsum depurati more spagyrico, longe efficaciores sunt illis, qui non sunt defæcati, aut suo albumine clarificati.

Syrupus ejusmodi non alia indiget correctione. Si præstantiorem reddere volumus, Senæ quantitatem augebimus. Coctio fieri debet in duplici vase in vapore balnei, vel stuphæ. Vas sit vitreum aut terreum vitro inductum. Vires ejus sunt in melancholicis affectibus optatissimæ, cordis palpitationibus utiles, vertiginibus, &c.

Syrupi de radicibus Elleborì, de Hermodactylis, de Bryoniæ, &c.

Probare non possum syrupos de radicibus Ellebori, Hermodactylorum, Turbith, Bryoniæ, & similium vehementium, cum additione calidorum simplicium, tam purgantium, quam alterantium; natura enim nostra tantam rerum confusionem sine molestia ferre non potest: mallem in pertinacibus, ubi benigna non sufficiunt, simplicibus uti. Hac de re syrupos simplices, tam Elleborì, quam aliorum probamus. Illi vero sic parantur.

Rec. Radicum Ellebori nigri, q. s. macerantur integrę si recentes, aut si siccæ, læviter tusæ, in q. s. aquæ communis. Colatura saccharo condiatur, fiat syrupus. Dosis sit unc. j. ad ij. pro quantitate radicis, & sacchari.

Syrupus fructuum Spinæ Cervinæ.

Rec. Succi fructuum spinæ infectoriæ depurati, ℔. ij. Sacchari albi, ℔. j. ß. Coquantur simul in syrupi crassitiem, depurando prius succum, ut artis est. Aromatizetur pauco cinnamomi. Bilem, pituitam, & seorsos humores purgat.

Syru-

Syrupus fructuum Cucumeris asinini.

Rec. Succum fruct. Cucum. asinini probe depuratum, sacchari albi ad libitum, coque simul, & fiat syrupus. Ab ʒ. ß. ad integram datur. Vehementer serosos humores purgat.

Syrupus Corallorum.

Rec. Corallii rubicundi, q. s. hoc primo pluries lavamus aqua communi, in mortariolo porphyritico, cum pistillo ferreo, in quo peragendo comminuitur in pulverem crassum: tunc Sole exsiccatur, exsiccato superinfunditur succus limonum optime defæcatus, & depuratus. Macerentur triduo in urinali vitreo, in fimo equino, vel in balneo vaporoso. Effunde per inclinationem, quicquid dissolutum fuerit, fæcibus novum succum reaffunde: cola & procede, ut supra.

Deinde dicti succi accipe ℔. j. Sacchari albi ʒ. vj. Coque in balneo vaporoso, in fimo equino ad justam syrupi consistentiam. Vas omnino sit vitreum, & calor mitis.

Vires sunt in omni fluxu sanguinis, & in cardiacis affectibus, atque in inveterata dysenteria.

Syrupus Perlarum.

Rec. Unionum perforatarum, vel non perforatarum, q. s. Succi limonum optime depurati, q. s. Solve, ut supra dictum est, in solutione saccharum Candum dissolve, & coque, ut de corallis dictum est. Usus est in exsiccatis, phthisicis, & in deliquiis animi.

SECTIO III.

(a) De Electuariis.

ELectuarium dicitur ex eo, quod ex electis rebus componatur. Sunt vero ipsa, vel alterantia, vel purgantia: a purgantibus, tanquam usitatioribus, incipiemus, & primo.

(a) *De Electuariis.* Ad confectionem mithridatii, theriacæ, vel diffusioris electuarii, sequentes regulæ servandæ sunt: Species in singulas classes distribuendæ; Pulveres augustissimo cribro sunt transmittendi; Thus terebinthina Veneta liquetur. Myrrha, resina styracis, oppopanax, galbanum, castoreum, pulverisata dissolvantur ac diluantur, cum vino Hispanico q. s. ut fiant instar pulticulæ; succi etiam in vino Hispanico liquari possunt. Non simul & semel melli misceantur species in præparatione theriacæ, sed optimum est, in diplomate aquæ calidæ immerso, alternatim permiscere species: Gummatum autem mixturæ liquefactæ in diplomate diu multumq; agitandæ. Quando omnia cum melle mixta sunt, singulis diebus penitior mixtio instituenda per septimanam, deinde singulis septimanis, post singulis mensibus per totum annum. Tandem annuo spatio contingit fermentatio & intestinus motus.

Diagrydium nunquam addendum calidis liquidis, alias in grumos facile concrescit, sed in electuariis frigide immisceatur. Conteritur illud cum amygdalis vel seminibus quatuor frigidis aut vitello ovi: In electuario hieræ observetur, ne melli calido aloe addatur, alias rursus conglobatur & picis instar indurata coit. Electuaria purgantia ubi præscribuntur a

Me-

Medico; requirunt ante uſum circumagitationem: ſubſident enim eadem, & quandoque purgantia a reliqua maſſa ſeceſſionem faciunt; unde improportionata evadit mixtura. Superſedere omnibus electuariis purgantibus ab *Authore* præſcriptis commode poſſumus, ſi unicum & quidem ſequens, quod inſtar omnium eſt, poſſidemus. ℞. Syrupi roſarum recentis, violarum, florum perſicorum ana unciam unam, pulpæ tamarindorum, caſſiæ, mannæ ana unciam ſemis, extracti fumariæ, centaurei minoris, rhabarbari ana drachmam unam ſemis, gialappæ reſinoſæ drachmas tres, diagrydii ſcrupulos duos, olei cinnamomi, corticum citri, macis, aniſi ana guttas tres, tartari tartariſati drachmas duas, fiat electuarium. Doſis drachmæ duæ ad drachmas tres.

Elegantiſſimum electuarium purgans fit, ſi in ſucco cydoniorum vel pomorum borſtorffianorum ſolvatur ſcammonium, & injecto ſaccharo ac fermento inſtituatur fermentatio. Qua peracta ſupernatans liquor decantadus ac inſpiſſandus eſt. Commodiſſime infantibus exhibetur cum lacte.

Pro conſervanda evoraſia ſanguinis ſequens electuarium optimum eſt: ℞. paſſularum corinthiacarum uncias ſex, cremoris tartari drachmas ſex, ſalis tartari drachmam unam; Miſce, fiat cum decocto radicis cichorei electuarium.

Electuarium alexipharmacum ſeu diaſcordium non compendioſum ſequenti modo parabile eſt: ℞. ſcordii pulveriſati uncias duas, radicis contraſervæ, angelicæ unciam ſenis, croci, opii ana drachmam unam, camphoræ drachmam ſemis, olei nuciſtæ, caryophyllorum, cardamomi ana guttas duodecim, electuarii ſive robbaccarum juniperi, ſambuci ana uncias quatuor, miſce, fiat electuarium.

Confectio alkermes ex multis pretioſis languidis & inconvenientibus conſtat; Electuarium confortans longe efficacius ac vilius qui deſiderat, tale parare poteſt: ℞. Syrupi balſamici ſuperius deſcripti, ſyrupi florum aurantiorum, cum tinctura granorum chermes tincti, ana uncias quatuor, moſchi in ſpiritu roſarum ſoluti drachmam ſemis, eſſentiæ ambræ drachmam unam, cornucervi philoſophice præparati, ſuccini præparati ana drachmas duas, ligni aloes cinnamomi ana drachmas tres, olei cinnamomi, macis, cardamomi, ana guttas ſex, miſce, fiat electuarium.

Succus chermes oleo tartari per deliquium acquirit colorem eleganter purpureum.

Confectio de cinnamomo Regia extans in pharmacopœa Holmenſi hæc eſt: ℞. Succoladæ Indæ uncias tres, nucis moſchatæ Indæ conditæ uncias duas ſemis, ſyrupi cinnamomi quantum ſatis, miſce, fiat electuarium; adde confectionis alkermes unciam unam, eſſentiæ ambræ ſiccæ, olei cinnamomi, ana drach. 2. roſarum guttas 4. foliorum auri num. 30. miſce.

Electuarium Diacatholicum.

Quia uſitatiſſimum, & utiliſſimum, merito primas tenebit. Recens guſtui non diſplicet, vetus aceſcit, palatoque fit ingratum. Communis deſcriptio apud multos varia traditur: omnium frequentiſſima eſt hæc Nicolai.

Rec. Pulpæ Caſſiæ, pulpæ Tamarind. an. u. ij. Senæ mund. rhabar. el. polyp. ſem. viol. aniſi, an. u. j. Glycyrrh. raſæ, penidiorum, ſacchari candi, 4. ſem. frigid. maj. an. unc. ij. conterenda conterantur: Polypodii recent. unc. iij. ſem. fœniculi, unc: vj. ſacchari albi, ℔. ij. Aquæ communis, ℔. ix.

Coquantur ad ſyrupi conſiſtentia, & ſupraſcriptis additis fiat Electuar. Doſis ad u. ſ. ad u. j. & dr. x. Omnes humores æqualiter purg. creditur, hac de cauſa univerſale medicamentum appell. Acutis conferre traditur, item lienoſis, quartanis, quotid. tertianis, & arthrit. Communis conficiendi modus eſt, extractis pulp. ſaccharum cum decocto ſenæ, polypod. rhab. violarum, aniſi, glycyrrh. fœnic. miſcere.

Alii pulpis caſſiæ, & Tamarind. extractis miſcent ſaccharum cum penidiis, & ſaccharo Cando, coctum cum decoctione polypod. & fœniculi: tepefactis

addunt pulv. senæ, rhabarb. polypod. violarum, 4. sem. frig. maj. anisi & glyrrhizæ. Hæc efficacior, rationi magis consentanea. In hac multi consent inutilia, glycyrrhizam, violas 4. sem. frig. penidia, saccharum Candum, & polypodium; nec sine ratione: unde prædicta a pulvere semovent, eaque potius in decocto coquuntur.

Spagyrica correctio erit, Cassiam, & Tamarindos in præfato decocto per 2. vel 3. dies infundere: facta levi ebullitione in duplici vase, clarificetur per lingulam, seu filtrum, vel cum albumine ovi. In colatura dissolve saccarum album, & coquantur lento igne in vase vitreo, ad extracti spissitudinem, de quo dosis sit unc. ij. & iij. Ex his neque extracta, neque salia, neque magisteria, aut alia Chymica parari suadeo: sunt alimentosa, & eorum vis in illorum crassa, & dulci substantia consistit, a qua si corpus remanens separetur, vires, & gratiam amittunt. Præterea vis consimilium, ut & fructuum, in aerea substantia, seu tenuissima aura, plurimum consistit, quæ vix persentito igne evanescit. Quapropter qui integris eorum viribus frui cupit, recentes assumat citra ullam præparationem; eæ ubique asservantur, & conditura minime indigent.

Sunt qui Cassiam ebulliunt in s. q. aquæ, in qua primo incocta sint fol. senæ cum anisо, clarificant, & colant. Alii simul cum Cassia bulliunt senam, & albumine ovi clarificant, & aromatizant cum cinnamomo, quod non improbamus. Vinosam esse Cassiam, & ab ea spiritum elici posse, non me latet; at in fructuosum hoc, & inusitatum. Sal, quia corrosivus, & a desiderata facultate alienus, omittitur. Interea non probo mixtiones, quæ fieri possunt cum tartaro, sero, & variis succis, alienæ enim sunt, & sine methodo.

Catholica pleraque alia confici possunt, quæ sunt validiora.

Extractum, sive electuarium Catholicum.

Rec. Polypodii querc. contusi, ℔. ij. Senæ Oriental. ℔. ß. Rhabarb. elect. Agarici, Turbith. gummosi, an. unc. j. anisi, macis, cinnamomi, an. unc. s. cum s. q. aquæ Cichorii fiat infusio, quæ coletur, & clarificetur: tandem coquatur in vase vitreo, & sub fine adde mannæ Calabrinæ, unc. iiij. Sacchari albi, unc. vj. tantum. Clarificentur iterum, & coquantur ad spissitudinem extracti, de quo unc. ij. ad unc. s. detur pro dosi.

Aliud.

Rec. Senæ Orient. Epithym, cuscutæ, sem. catthami contusi, an. ℔. j. Rhabarbari, mechoacan. contusi, an. unc. ij. rosarum rub. unc. ij. spicæ Ind. anisi, an. unc. s. In succis depuratis lupuli, fumariæ, & boraginis fiat infusio, in cujus colatura iterum infunde Agarici, Rhabarb. an. unc. ij. Cinnamomi, macis, an. dr. j. Coquantur parum, & iterum colentur: In colatura dissolve Sacchari albi ℔. j. Coquantur lento igne in formam extracti, cujus dosis erit ℈. j. ad dr. 1. & dr. j. s. vel per se, vel cum jusculo carnis. Composita isthæc vere catholica, utramque bilem purgant clementer, pituitam quoque, saburram tandem omnem crassam, & viscidam materiam ex sanguine purgant.

Extractum aliud.

In prima parte, sect. de extractis, omnium præstantissimum tradidimus, cujus usus nobis est frequentissimus, maxime in morbis tartareis, uti in arthritide, asthmate, apoplexia, hemicrania, &c.

Electua-

Electuarium lenitivum.

Præsens Elect. ut cæteræ compositiones, quæ Cassiæ, tamarind. prunor pupam in se recipinnt, acescunt, & ingratitudinem quandam contrahunt, præter insuavem odorem; unde in pluribus locis pro enematibus tantummodo asservantur. Ipsum vero componitur hunc in modum.

Rec. Passul. enucl. unc. ij. Capill. ven. violarum, hord. mund. an. m. j. jujubarum sebesten., an. num. xx. Glycyrrhizæ, unc. ſ. prun. tamarind. an. unc. vj. senæ, polypodii, an. unc. ij. mercurialis, m. j. ſ. Coquantur in ſ. q. aquæ communis; in colatura dissolve; Pulpæ Cassiæ, Tamarind. prunorum, sacchari violati, an. unc. vj. Pul. Senæ, unc. iij. ſ. fiat Electuarium. Quod ad lenitivum magistrale, Diamanna, Diasebesten, Diaprun, simp. compos. consulto omittimus, maxime cum in pauciſſimis locis in usum veniant.

Electuarium Diaphœnicum.

Rec. Dactylorum mundatorum, d. C. Penidiorum d. L. Amygd. dulc mund. dr. xxx. Turbith. gum. dr. xxxv. Scammonii, dr. xij. Zingeriberis, piperis longi, fol. rutæ, cinnamomi, ligni aloes, macis, anisi, fœniculi, dauci, galangæ, an. dr. ij. ſ. Dactyli triduo in aceto macerati, tundantur in mortariolo lapideo cum amydalis, ac penidiis, quibus subsequentium pulverem tenuissimum misce, & cum melle despumato sufficienti excipito.

Sunt qui sex libras mellis accipiunt; sunt qui tres tantum: posteriores nobis magis arrident, sunt enim penidia, dactyli, & amygdalæ loco mellis. Dosis ab unc. ſ. ad unc. j.

Febribus compositis, & diuturnis auxiliatur, bilem flavam, & pituitam educit: doloribus colicis, ac ventriculi, & aliis malis ex crudo gumore ortis mirifice confert. Basis hujus compositionis duplex est, nominis, & virtutis: Nominis sunt Dactyli, qui licet mole cætera superent, reliquis virtute inferiores sunt. Virtutis est Scammonea, cujus vim roborat Turbith. Reliqua horum deleteriam facultatem retundunt.

El. Diaphœnicum Spagyricum.

Rec. Scammonii spagyrice præparati, unc. xij, Extracti Turbith. unc. xxxv. Specierum suprascriptarum rerum siccarum, & contusarum, an. ij. ſ. Fiat extractum cum spiritu vini, utrique miscebis scammonium, idque etiam solvetur, quibus tandem ad corpus seu formam conciliandam, adde Pulpæ dactylorum, pulpæ amyd. an. unc. ij. sacchari albi cocti, unc. viij. Misceantur, & fiat Electuarium, quod erit palato gratissimum, & in parva dosi exhibetur. Quantitas erit unc. j. ad unc. ij. Salis extractionem minime suademus, eam enim inutilem cenſem, imo acrimonia sua potius ventriculo nocere. Removemus magnam illam quantitatem pulpæ dactyl. & amygd. Nec est ut existimemus, oleosam eorum substantiam corrigere posse scammonium, & turbith. Hæc solitaria spagyrice non raro usurpamus, cum maximo fructu, & sine minima læsione.

Benedicta Laxativa Nicol.

Rec. Turbith. gummosi, Sacchari albi, an. dr. x. Diagridii, Esulæ præparatæ, hermodactyl. rosarum, an. dr. v. Caryphyl. Spicæ Indicæ, Zingiberis, croci, saxifragiæ, macropiperis, amomi, aut calami arom. cardam. min. fem. carui, fœniculi,

petroſel.aſparagi,ruſci,milii ſolis,an.dr.j.Mellis diſpumati ℔.iij. fiat Electuar.

Componendi ratio eſt perfacilis, pulvis miſcetur melli deſpumato, & cocto.

Humores pituitoſos purgat, eos maxime qui ad articulos decumbent, a renibus etiam, & veſica.

Neſcio quo fato iſtud Electuarium intus non ingeratur, maxime in Gallia & Italia, ubi praxim Medicinæ exercuimus. Frequentiſſime in Clyſteribus uſurpatur, & præſertim coli doloribus, & etiam in omnibus Clyſteribus. Doſis ab unc. ſ. ad unc. j.

Chymica correctio.

Contuſa omnia aromata macerentur in ſufficienti quantitate vini ſpiritus per tres dies, colentur, & clarificentur per filtrum, & per alembicum proliciatur omnis humiditas: Sub fine adde Sacchari, vel mellis parum, aut circiter ℔. ſ. & fiat extractum: Doſis dr. j. ad dr. ij.

Benedicta ſimplex Chymica.

Rec. Radicum Eſulæ virentis, vel in veris principio, vel in fine autumni q. ſ. Contundantur in mortariolo lapideo, & macerentur triduo in ſ. q. aquæ communis: coquantur parum, & colentur. Facta clarificatione per varias digeſtiones, evaporentur in urinali ad vaporem balnei Mariæ, & fiat extractum, cui ſal proprium adde.

Eſulæ cognitio adhuc obſcura eſt: Pro ipſa uſurpamus Tithymalum Cypariſſiam, quæ herba omnibus nota eſt, in arenoſis utplurimum naſcitur, dicitur Cypariſſias, quod humilis Cypariſſi ſimilitudinem æmuletur; copioſiſſima ubique terrarum naſcitur. Ejuſdem radicis pulvere olim uſi ſumus citra ullam præparationem: dabatur cum juſculo ad dr. j. Purgat bilem clementer, & ſeroſos humores; virtute a ſcammonio minime differre experti ſumus. In delicatis dr. ℔. ſufficit. Tota herba cum radicibus in mortariolo lapideo tuſa ſuccum fundit ſcamonio perſimilem. ipſum defæcatum, & ſolis radiis expoſitum atque exſiccatum, eidem ſcammonio reſpondere certum eſt. Virtus ejus adverſus quartanas, & longas febres extollitur.

Tryphera Perſica.

Rec. Succi ſolatri hortenſis, ſucci endiviæ veræ, ſucci lupulorum depurat.aa. ℔.ij.Prejiciantur deſuper violarum, roſarum,an.dr. iij. fol.Senæ, unc.ij. Agarici unc.j.Prun.Damaſc.No.L.Cuſcutæ, unc.ſ.Mirab. citrin.chebul.Indorum, fric. in oleo amyg. dulc.an.dr.ij. Spicæ Indicæ, dr.iij.Bulliant. ſimul lento igne, donec ſuperſint ℔.ij.& in jiciantur Epithym.dr.40.bulliant leviter,deinde ab igne deponantur, & percolentur, atque diſſolvantur in una parte iſtius percolati, Tamarind.recent.unc.iij.Mannæ elect.unc.j.ſ Pulpæ Caſſiæ.unc.iiij. ſacchari violati, lib.j. Percolentur, & mundentur a granis, & ſordibus: atque in aliam aquæ partem projiciantur,Sacchari albiſſimi, lib.iij.Aceti vini, lib.j.Coquantur lento igne,deinde projiciantur ſuper illud,quod diſſolutum eſt in ſuccis,& aggregentur ſimul in uno, atque coquantur, donec mellis craſſitiem obtineant. Poſtremo in pulverem reductæ ſequentes ſpecies inſpergantur.

Rec. Rh abarbari el. unc. ij. myrobal. citrinorum, chebulorum, Indorum, an. unc. j.

an. ʒ. j. Bellericorum, Emblicorum, an. ʒ. ß. sem. fumiterræ, Trochisc. di. arhodon, macis, mastiches, cubebarum, spodii, santal. citrini, an. ʒ. ij. Sem. cucurbitæ, citrulli, cucumeris, melonis, an. ʒ. ij. ß. anisi ʒ. ß. spicæ Indicæ, ʒ. ij. Involvantur oleo violato, & reponantur in vase vitreo. Datur ad ʒ. j. cum succo intybi, vel solani, aut cum aqua frigida.

Dicitur conferre febribus acutis, ictericis, calidis inflammationibus stomachi, & hepatis: visum a fumis cholericis deperditum reparat, sitim mitigat, morbos adustionis fieri prohibet. Hæc Mesues, utinam vera.

Chymica præparatio, & correctio.

Si quis præsentis compositionis structuram contempletur, claram satisq; manifestam agnoscet majorum nostrorum industriam, quæ etsi a Chymicis longe distet, ea tamen pro illis temporibus non caruit arte: tunc enim vagiens, & e cunabulis emergebat Medicina, quando Mesues prædictam nobis tradidit. In qua examinanda, nobis statim proponitur ob oculos solatri hortensis succus, quem suppositium nonnulli existimant: nam etsi solatrum hortense supputetur a Galeno inter olera, usu tamen probatur, inter comestibilia non esse habendum; & sane Dioscorides id potius ad extrinsecos affectus commendat, quam ad intrinsecos. Præterea ejusmodi planta odore, & sapore satis ingrata est, ventriculo non parum infensa & capiti noxia; qua de re nonnulli censent ejus loco usurpari posse succos cichorii, borag. cicerbit. portulacæ, &c. Multa præterea occurrunt inepta, ut fricatio ol. violati pro speciebus, Acetum cum Cassia, & Tamar. mixtura plane laboriosa, ingrata, & fere inutilis: pro qua talem reponimus.

Rec. Succorum cich. borag. lupuli, endiviæ, Fumariæ, depuratorum, an. ℔. iij. In quibus infunde Epithym. ʒ. v. fol. Senæ, ʒ. iij. Agarici, ʒ. j. ß. Cuscutæ, dr. ij. Pruncrum Damascen. No. L. Rhabarbari elect. ʒ. iiij. Myrobal. Citrinor. Chebulor. Indor. Belliric. Emblic. an. ʒ. iiij. Spicæ Ind. florum violarum, rosarum, an. ʒ. ß. Post tres dies leviter bulliant, & colentur. Colatura a fec. repurgetur. In Colatura dissolve Sacch. albi ℔. iij. Coquantur ad crassitiem mellis, cui adde, pulpæ Tamar. pulpæ Cassiæ fist. an. ʒ. v. Mannæ Calabrini, ʒ. iij. Conf. Violarum, ℔. j. quibus si addere velis sequentia, concedimus: Trochisc. diarhodon, macis, mastiches cubebarum, spodii, santal, citrini, sem. 4. frigid. maj. mund. an. 3. ij. Anisi, ʒ. ß. Spicę Ind. 3. ij. misceantur, & fiat Elect. Dosis a 3. ij. ad. ʒ. ß. & unc. j.

Frivolum esset ex simplicibus salem extrahere velle, oleum multo minus

Confectio Hamech.

Rec. Myrobalanorum citrin. unc. iiij. Chebul. Indorum, Rhabarbari el. an. unc. ij. Agarici. colocynthidos, Polypolii qu. an. 3. xviii. Absinthii, thymi, Senæ an. 3. vi. Violarum, unc. j. ß. Epithym. unc. ii. Sem. anisi, fœniculi rosarum rub. an. 3. vi. Succi fumariæ, ℔. i. Pruna. No. Lx. Passularum enucleatarum, unc. vi. Macerentur omnia in sero lactis caprini sufficiente, in vase vitriato per dies 5. Postea ferveant una, aut altera ebullitione. Colentur, colaturæ bene expressæ adde Pulpæ Cassiæ, unc. iiii. Pulpæ Tamarind. unc. v. Mannæ, unc. iii. Frica manu, cola, & adde Sacchari albi, ℔. j. ß. Scamm. præparati, unc. j ß. coq; ad mellis crassitiem, & adde, Myrobal. citrinorum, chebul. Indorum, an. unc. ß. Bellericor. Emblic. Rhabarb. Sem. fumariæ, an. dr. iii. Spic. Indic. anisi, an. ii. Confice Electuarium.

Morbis omnibus ex flava bile,& pituita falsa natis, nempe impetigini, scabiei,elephantiæ,& cancro succurrit. Datur ab unc.ß.ad dr.vi.

Chymica Præparatio, & correctio.

Spagyrici scopus, bonum a malo secernere, purum ab impuro,utile ab inutili, atque sic medicamenta reddere tutiora, & jucundiora. Præsens confectio est maxime in usu, in cujus elaboratione non multum insudabimus, propter medicamenta alimentosa, quibus constat.

Parabitur elegantius hunc in modum. Primo accipe succum fumariæ optime depuratum, seri lactis caprini pariter depurati. q. s. In his bulliant primo passulæ, & pruna, cum polypodio, per duas horas: postea adde myrobalanos contusos, cum seminibus, rhabarb. agarico, colocynthid. sena, thymo, & reliquis: facta decoctione removeantur ab igne, & stent in infusione per 24. horas: Tunc excalefiant paulum, & colentur cum valida expressione. Fæcibus superfunde novum serum caprinum: bulliant parum, & colentur. Ambæ colaturæ clarificentur albumine ovi cum saccharo, & manna: coquantur ad mellis crassitiem. Paulo refrigeratis adde scammonium subtiliter pulverizatum. Cætera, quæ dicit Mesues addenda esse pulverizata, cum reliquis debent infundi, & coqui; aut si mavis seorsim tincturam elicere, eam misce cum cæteris, & fiat Electuarium.

Supra diximus, Cassiam, Tamarind. & Mannam vim suam lubricam habere inseparabilem a materia sua: alimentosa sunt, & distillatione gratiam omnem amittunt; idem in Pane, & carnibus observamus.

Alio modo potest ex omnibus confici Tinctura,quę sacch.mixta efficeret compositum satis elegans: Verum enim vero quia in exercenda praxi famam viribus adscriptis non respondere observavimus, ideo de ea paucis erimus contenti.

Confectionem Hamech secundam, seu minorem, tanquam inusitatam, brevitatis gratia præterimus.

Electuarium rosatum Mesuæ.

Rec.Succi rosarum rub.℔.iiij.Sacchari albi,℔.j ß.Mannæ Calab.unc.vj.Scammonii præp.unc.j ß.Coque igne lento ad mellis crassitudinem, tunc adde subsequentia bene trita,& per cribrum transmissa, Trochisc. de spodio, unc.j. Galliæ moschatæ,croci,an.dr.ij.Trochisc.de barb.unc.ß.Confice secundum artem.Dosis est dr.v.Cholagog. est clemens,ob id salubre biliosis affectibus,arthritidi calidę, cephalalgiæ calidæ,vertigini,oculorum dolori,ictero.mens.

Electuarium Elescoph.

Rec.Scammonii Antioch. turbith albi, an.dr.vj.Caryophyl. cinnamomi, zingiberis, myrobalan.Emblic nucis moschat.polypod.an.dr.ij.ß.Sacchari albi, u. vj.Melle despumato,& cocto excipiantur,vel saccharo pro rotulis.Asservatur etiam in pulvere,& datur a dr.j.ad ℈.iiij. Elect. a dr. vi. ad ix. & x.

Elect. Diacarthami Villanovani.

Rec. Medullæ sem. Carthami, Hermodactyl. pulv. diatrag. frig. an. unc. ß. Turbith. dr. vj. Zingiberis, Mannæ granul. an. dr. ii. Diagridii, dr. iii. Sacchari candi, Carnis Cydoniorum cond. Mellis rosati, an. unc. j. Sacchari albi, unc. iii, ß. Fiat Electuarium solidum.

Elect.

Elect. de Citro fol.

Rec. Cort. citri cond. Conſ. fl. violarum, conſ. bugloſſi, Pulv. diatrag. frig. an. unc. ß. Turbith, dr. v. Zingiberis, dr. ß. fol. Senæ vi. Sem. fœniculi, dr. j. Sacchari albi, unc. x. Fiat. Electuarium ſolidum.

Vel ſic.

Rec. Conſ. violarum, borag. an. dr. ii. rad. bugloſſi. cond. cort. citri. cond. an. dr. j. Zingiberis, dr. ſſ. Diagrid. dr. iii. Turbith. dr. iiii. Senæ, dr. v. Panis ſacchari, unc. x. Fiat Elect. ſolid. Doſis ab unc. ſſ. ad unc. j. & dr. x.

Electuarium de ſucco roſ. ſol. Nicolai.

Rec. Succi roſarum, Sacchari albi, an. ℔ j. unc. iv. Scammonii præparati, unc. j. ſſ. Santal. rub. citrin. albi, an. dr. vi, Spodii, dr. iii. Caphuræ, ℈. j. Fiat electuarium ſolidum, Doſis, dr. iii. & iiii. ad vi.

Chymica præparatio.

Si iſthæc Electuaria nobilitare, & exaltare volumus, ex ſiccis, utpote ex Turbith, Sena, Hermodact. Cinnamomo, Caryophyll. Aniſo, Zingibere, &c. tincturam in formam extracti elicere poſſumus, cui adde Scammonium Spagyrice præparatum, Manna, & Saccharum. Si ſolida expetamus, omnis humiditas e tinctura proliciatur, & ſaccharum in formam ſolidam coquatur. Doſis erit tunc minima.

Vires ſatis notæ ſunt: Baſis eſt in omnibus Scammonium. Si idem correctum expetimus, nulla melior eſt methodus, quam ea quæ docetur a Chymicis, ipſum ſolvendo in aqua vitæ, & repurgando ab omni impuritate, ut in *prima parte* docuimus, Salem extrahere, methodo in *prima parte* tradita poteris, eumque ipſis miſcere.

Superſunt alia Electuaria purgantia, quæ brevitatis ſtudio miſſa facimus, uſitatioribus & ſelectioribus contenti; nunc de alterantibus, inter quæ primas tenent ea, quæ ſacra dicuntur.

Hiera Picra ſimplex Gal.

Rec. Cinnamomi, xylobalſami, Rad. aſari, Spicæ nardi, maſtiches, an. u. vj. croci. dr. v. Aloes electæ, dr. xc. Triplo mellis cocti excipiantur, & fiat Elect.

Baſis eſt Alce, cætera ſunt adjuvantia, & corroborantia. Ventriculi vitioſis ſuccis ſuccurrit, frigidam intemperiem corrigit, alvum clementer ſolvit, & vere ſacra eſt compoſitio. Doſis ab unc. ſſ. ad unc. j.

Chymica præparatio.

ALoe ſuccotrina ſolvatur in ſ. q. aquæ communis in urinali vitreo, calore balnei Mariæ: ſolvitur vero reiteratis vicibus, novam ſuperfundendo. Tinctæ aquæ per novum alembicum extillantur calore pariter blando, & humiditas in tantum evocatur, quantum requirit extracti forma. Dum ſic præparatur aloe, ex aromatis tinctura pariter elice cum aqua endiviæ, quam cum aloe præparata miſce calide: maſtiche ſeorſum ſolvitur cum aqua vitæ, & in conſiſtentiam extracti adducitur. Miſceantur omnia ſimul, quibus adde ſacchari ad libitum, ſaccharum in pulvere facillime miſcetur. Qua in re monemus, hic non eſſe opus ſaccharo, etenim tanta eſt compoſitionis amaritudo, ut nullo pacto retundi poſſit ulla mixtura, ſine ſaccharo etiam optime ſervatur, citra corrup-

tionis metum. Dosis a unc. ſſ. ad unc. j. ſſ; exhibetur, potiſſimum in pilulas, etſi poſſit diſſolvi cum quovis liquore. Qui in formam Electuarii aſſervare cupit, mel vel ſaccharum ad libitum addat. Sunt præterea Hiera compoſita Gal. Hiera cum Agarico, Hiera diacolocynthidos, Pachij, Archigenis, Hermetis, quas brevitatis cauſa omittimus: omnes enim eadem methodo poſſunt confici. Abſolutis præcipuis Elect. purgantibus, his potiſſimum quæ ſunt in uſu, de alterantibus nunc dicendum, & maxime de Cardiacis, quas Confect. appellant, & primo.

Confectio Alkermes.

Rec. Serici ſucco Kermes recenter infecti, ℔. j. Mergatur in ſucci pomorum dulcium, & aquæ roſ. an. ℔. j. ſ. & dimitte per ſpatium horarum 24. deinde coque lento igne, donec liquores iſti rubeant. Deinde extrahe ſericum, atque inſuper exprime diligenter, mox infunde ſachari albiſſimi, ℔. j. ſ. ad mellisque craſſitiem coque. Amove ab igne, atque miſce Ambræ griſeæ minutim conciſæ, dr. iiij. qua liquata injice pulveres ſequentes.

Rec. Ligni aloes, Cinnamomi, an. dr. vj. Lapidis Cynaei loti, & præparati, margaritar. an. dr. ij. fol. auri, dr. j. moſchi boni, ℈. j. Miſce.

Eſt maximi juvamenti ad cordis palpitationem, ſyncopen, & triſtitiam ſine cauſa, & ex rebus confortantibus animum mirum in modum. Meſues. Doſis ab aur. j. ad ij. ſ.

Nonnulla dubia torquent animum componentium: Primum eſt de ſerico granorum kermes ſucco infecto, & putant nonnulli, intelligi ſericum tinctum communi grano, vulgo *ſcarlatta*, Gallis *Cechenille*, quod grani genus ex Alepo ad nos advehitur, non quod ibi naſcatur, ſed ex Æthiopia, vel ex Perſide per mercatores eo deducitur, & hæc grana ſunt potius animalcula quędam, quam grana alicujus vegetabilis. Alii non hæc animalcula, ſed grana cujuſdam arbuſti, naturæ, & formæ quercus humillimæ, hinc intelligi putant: & hæc arbuſcula copioſe naſcitur in Provincia, & Gallia Narbonenſi, de qua plura habentur in *Hiſtoria genetali Plantar* Monſpeſſuli, & avenioni ubi abundantiſſime colligitur, Pharmacopolæ ex recentibus ſuccum exprimunt ſuper ſericum crudum, ex quo ſyrupus. Nonnulli ſerico, cum ſucco ſyrupum conficiunt, & inter coquendum ſericum ebulliunt.

Secundo, controvertunt acriter nonnulli inter ſe, an Lapis Cyaneus primo debeat calcinari, an lavari tantum. Per illud (præparati) non intelligentes quid diverſum; aut ſiquid, pulveriſati, & non calcinati. Ratio, & uſus compoſitionis quid faciendum ſit ſatis demonſtrant. Uſus eſt ad cor exhilarandum, confortandum, & roborandum: lapis vero Cyaneus crudus, & ſimpliciter lotus, purgat vehementer ſurſum, & deorſum, quæ proprietates cordi ſunt contrariæ; at calcinatus primo, & lotus, proprietates illas amittit, & fit roborans, & confortans, quod in hac compoſitione maxime deſideratur. Ratio idem dictitat: etenim ſulphur, & ſpiritus antimonialis, cum ſale volatili ipſius calcinatione tolluntur, & remanent ſulphur, & ſal fixus, quæ ſubſtantiæ naturæ amicæ ſunt, & per conſequens cardiacæ: quod patiter in ſingulis mineralibus obſervandum eſt, ratum firmumque tenentes in fixis ſulphure, & ſale ipſorum, vim roborandi conſiſtere.

De Li-

De Ligno aloes, de quo quidem utpote ignorato nihil dico, lis est antiquissima.

De auro foliato, atque de margaritis, lis est alibi dirimenda.

Chymica præparatio.

Cum nobis in omnibus arrideat veritas, & aliorum opiniones probare non possimus sine manifesta experientia, dicant nobis quæso, quid in serico probaverint aut Mauri, aut posteri, & tandem nostra ætas. Siccine mortalium salus in sola opinione consistit? Vidimus puellam, quæ casu sericum intruderat in ventriculum, ex quo ventriculi dolores oborti, eas in gravissimos affectus conjecerant, a quibus nullis medicaminibus sublevari potuit, donec stibio exhibito evomuit dictum sericum conglomeratum per plures vices.

Duplici via Chymice parabitur: prima, in qua totum Electuarium cum suis facultatibus manebit, sic. Accipe confectionem integram, ut supra dictum fuit: hanc infunde in sufficienti quant. spiritus vini, in urinali vitreo, super calidos cineres: tinctum spiritum effunde lensim, & novum reaffunde, qui tinctus, ut supra effundatur: ter novum affunde spiritum, & extrahe, ut supra: liquorem ejusmodi confectionis viribus, & qualitatibus imbutum per Alembicum evapora, & in urinalis fundo manebit confectio, quam asservabis in formam extracti. At hæc nobis non arridet, & sequens magis erit in usu.

Accipe ergo succum granorum kermes, depuratum more chymico: in eo solve saccharum, & fiat syrupus ad justam crassitiem. Interea solve uniones cum succo limonum, & evapora succum, & maneant margaritæ solutæ, quibus adde aquæ cinnamomi ʒ ß. ol. ejusdem cinnamomi ℔. ß. Moschum, & ambarum pulveriza, cum æquali portione sacchari candi, eaque misce margaritis, & his pulverem lapidis Cyanei, ligni aloes, & auri in pollinem læviſſimum, vel in liquorem sine corrosivo solutum. Omnibus lento igne mixtis, fit Confectio elegantissima: pro ligno aloes santalum citrinum assumatur; hoc non præparamus alio modo, quod sit in minima dosi. Ambarum pariter, & Moschus majorem non requirunt præparationem; sunt enim a natura adeo exaltata, & naturæ accommodata, ut frustranea videatur futura eorum præparatio, etsi non negem in ipsis impuritatem adesse, eaque altiori gradu exaltari posse.

Confectio, seu Elect. de Gemmis Mes.

Rec. Margarit. albarum. Saphyri, Hyacinthi, Sardæ, an. ʒ. iij. Granat. Smaragd. an. ʒ j. ß. Zedoariæ, doronici, cort. citrii, macis, sem. ocymi caryophyll. an. ʒ. ij. Corall. rub. elect. limaturæ eboris, been albi, been rub. caryophyllorum, an. ℈ j. gingiberis, piperis longi, spicæ nardi, folii, croci, cardamomi, Trochisc. diarhod. Ligni aloes, an. ʒ. v. cinnamomi, galangæ, zutumbeth, an. ʒ. j. ß. Fol. auri, argenti, an. ℈. ij. Moschi, ʒ ß. Ambræ, ʒ. ij. Confice cum mellis Emblicati, & mellis rosati colati an. q. s. vel etiam saccharo aqua ros. soluto, si solidum facturus es.

Malis cordis, ventriculi, cerebri, jecinoris, & uteri frigidis auxiliatur. Item palpitationi cordis, defectioni animi, ac concoctioni. Tristitiam denique citra causam ortam amovet. Dosis a ʒ. j. ad j. ß.

Chymica Præparatio.

Tota hanc Confectionem præparandi difficultas in pretiosorum lapidum

præ-

præparatione consistit. Vulgata parandi methodus sola trituratione super porphyritem continetur, quam tanquam ineptam, & inutilem rejicimus. Quod si chymicos labores rejiciant, addiscant saltem modum solvendi eorum duritiem, & friabilem reddendi eorum consistentiam, ita ut facilius a calore nostro subigantur, & atterrantur. Ejusmodi præparationem docebimus paulo inferius, ne bis repetere eadem cogamur.

Confectio Hyacinthina.

Rec. Hyacinthinorum Orientalium, ʒ.j ℔. Smaragd. Saphyr. Topaz. Rubin, Margarit. non perforat. an. ℈.ij. Corall. rub. alb. spodii, rasuræ eboris, xyloaloes, an. ʒ.℔. ossium de corde cervi, N.x. Serici crudi, cornu cervi usti, aqu. ros. loti, Sem. portulacæ, sem. coriandri præparati, sem. acetosæ, an ℈.j. Santal. omnium, an. ʒ.j. Been albi & rub. Cort. rad. dictami, Rad. torment. Terræ Lemniæ præp. Boli arm. lutei, rosarum rub. incomp. an. ℈.ij. Sem. Citrii rec. mund. ℈.iv. Fol. auri N.40. Ambræ griseæ, Moschi Or. an. gr. viij. Terantur omnia subtilissime secundum artem, & cum saccharo albissimo; dissoluto in s.q. succi citrii depurati, fiat Confectio solida, vel mollis. Dosis ʒ.j. Cor mirabiliter roborat, vires deperditas reparat, putredinem præsentem corrigit, & futuram præcavet, ob id in febribus pestilentibus summum est præsidium.

Chymica præparatio.

Fragmenta gemmarum arduam & difficilem subeunt præparationem, ob eorum duritiem, quam ut primo superemus, dicta fragmenta aut in formam potabilem, aut saltem friabilem & mollem, ut a natura facile excoquantur, reducenda sunt. Trita enim solum, etiam subtilissime, minime a natura subigi possunt, & quæ vulgo super porphyritem lævigantur tantum, non solum nullius sunt efficaciæ, sed & non parum obsunt ventriculo. Hac de re consulo, ut dicta fragmenta mollia & friabilia reddantur prius; postea super lapidem porphyritem in pollinem reducantur. Mollia vero duobus modis redduntur, primo per aquam fortem peculiarem, qua via molliscunt, & ex his novi lapides efformari possunt, quibus pristinam duritiem reddit acetum; verum quia corrosiva est nimis dicta aqua, in Medicina eorum usus nullus esset. Altero modo, igniantur ter in crucibulo, & totics in aqua extinguantur, & hac via tenera, & friabilia reddentur. Apud Chymicos via ab his diversa reperitur, qua promittunt eorum resolutionem fieri in Quintam essentiam, Oleum, Tincturam, Salem, &c. Quibus assentiri non possum, ubi maxime experientia contrarium demonstrat; etenim neque cum sulphure, neque cum nitro possunt calcinari, minus per acetum solvi, reliquum cuilibet judicandum relinquo. Itaque cum eorum solutio hucusque non sit nota, mollificatione illa, quæ fit in aqua communi, contenti erimus, nec curamus quicquid alii proferant, speciosis titulis suas præscriptiones decorando. Rursus arbitramur, eorum corpora a natura sufficienter depurata, & omni fæculenta materia esse libera; item eadem assumenda integra, citra aliam fucatam præparationem. Propterea ex vegetabilibus præcedentium, Extractum more solito parabimus, cui miscebimus fragmenta modo dicto præparata, quibus Moschum, & Ambram. *Uniones sufficienter emolliuntur succo limonum, cujus a-*

cri-

crimoniam removebimus sola affusione aquæ communis. Corallia quoque vel aceto, vel *succo limonum liquantur*, uti supra diximus. Ex Cornu Cervi salem facillime paramus. Os cordis Cervi aceto pariter dissolvitur quantitas ejus non est tanta, ut ex eo salem parare possimus. Qui sericum desiderat, ipsum minutim forficibus incidat, & super porphyritem cum fragmentis idipsum terat. Fragmenta equidem, etsi artificio supradicto mollia, & friabilia reddantur, retinent tamen aliquam duritiem, quam sub porphyrite lævigari, & in pollinem verti, ut facilius a calore nostro subigantur, necesse est. Quod ad calcinationes eorum, sciant nos eas attentasse pluries, & cum sulphure, & cum sale nitro, sed id frustra: qua in re demirari subii, cur tot homines docti in re tam manifesta mentiri non erubescant.

SECTIO IV.

(a) *De Opiatis, atque de Antidotis.*

ANtidotus, & Antidotum, electuaria sunt, ita dicta ab effectu, quasi contra venena data. Opiata ab opio, quod fere omnium basis. Incipiam a Theriacis, tanquam usitatissimis: inusitata alia brevitatis causa omittens. Itaque Theriaca sic habetur.

(a) *De Opiatis*. Nepenthes aureum. ℞. extracti opii unciam semis, croci drachmas duas, croci solis scrupulos duos, resinæ ligni aloes, ambræ gryseæ optimæ ana scrupulum unum, vid. *Pharmacop. Noribergensis p.* 186,

Laudanum opiatum nostrum: Rec opii soluti in aqua simplici & lenius evaporati ad consistentiam unciam unam, cinnabaris nativæ præparatæ unciam unam semis, croci orientalis, extracti, papaveris rhœados, ana drachmas duas, essentiæ ambræ drachmam unam, olei cinnamomi guttas duodecim, misce, fiat exstractum.

Theriaca cœlestis contractior inventione nostra hæc est: Rec. extracti opii drachmas sex, croci liquidi, storacis ana drachmas tres, myrrhæ electæ & per solutionem depuratæ unciam semis, galbani, mastiches, oppoponacis per solutionem depurat. Scrupulos duos, extracti castorei scrupulum unum, cardui benedicti, centaurei minoris, scordii, tormentillæ, contrajervæ, angelicæ ana unciam semis, vincetoxici, valerianæ, gentianæ, aristolochiæ rotundæ ana drachmas tres, resinæ ligni aloes, laudani, guajaci, ana drachmam unam, olei cinnamomi, zedoariæ, cardamomi, cubebarum, camphoræ, macis, caryophyllorum, juniperi, corticum citri ana guttas duodecim, balsami Peruviani, olei nucis moschatæ expressi ana drachmas tres, bezoardici mineralis, cinnabaris nativæ præparatæ, succini, pulveris viperarum ana unciam semis, ambræ gryseæ scrupulum unum, salis cornu-cervi volatilis drachmam unam semis. Misce fiat l. a. theriaca.

Semen daturæ est magnum soporiferum. Vidi ab ejus pulvere in largiori dosi dato furorem inductum, & mentis alienationem cum ridiculis gestibus & actionibus.

Theriaca Andromachi Sen. ex Gal. primo de Antidotis.

Rec. Trochisc. Scillitic. 3. 48. Trochisc. Viperarum, magmati. Hedychroi, Piperis longi, Opii, an. 3. 24. Rosarum rubr. Iridis Illyr. Succi glycyrrhizæ, Sem.

Napi ſilveſtris, Scordii, Opobalſami, Cinnamomi, Agarici, aā ʒ.12. Myrrhæ, Coſti, Croci, Caſſiæ ligneæ veræ, Nardi ind. Schœnant. Thuris, Piperis nigri, albi, dictamni Cretici, comarum Marrubii, Rhapontici, Stœchadis, Sem. Petroſelini, Calamint. mont. Terebint. Zingiberis, Rad. quinque fol. an. ʒ.vj. Polii montani, Chamæpityos, Styracis calam. Meu. Amomi, Nardi Celticæ, Terræ Lemniæ, Phu, Chamædryos, Folii, Chalcitidis toſtæ, Gentianæ, Aniſi torrefacti, Succi, Hypociſtidis, Carpobalſami, Gummi Arabici, Sem. Fœniculi, Cardamomi, Seſeli, Acaciæ, Thlaſpi, Hyperici, Ammi, Sagapeni, Acoti, an. ʒ. iv: Caſtorei, Ariſtolochiæ tenuis, Sem. Dauci Cretici, Pimpinellæ noſtræ, Bituminis Judaici, Opoponacis, Centaurii min. Galbani, an. ʒ.ij. Mellis deſpumati, ℔.xvj. ʒ.vj. ʒ.ij. Vini optimi odorati, q. ſ.

Communis Theriacæ præparatio fit facili methodo, reducendo in pulverem ea, quæ facile teri poſſunt, duriora primo contundentes, ut radices, cortices, ſemina, folia, flores; hinc trochiſcos, & terra cum Chalcitide, & reliqua. Opium ſolvitur cum vino, uti Caſtorium, ſuccus hyciſtidos, acacia, & Gummi; & hæc omnia melli deſpumato, & cocto in formam electuarii liquidi, miſcentur.

Hic Bononiæ, ubi degimus, deſcriptionem paulo ab hac differentem ſequuntur Pharmacopolæ; ſed non tanti eſt, ut novam tradere neceſſe ſit, uti in ipſorum *Antidotario* videre eſt. Mellis quantitas eſt ℔.x. nec ſine ratione.

Portentoſa iſtius Antidoti deſcriptio cauſa eſt, cur Plinius in Medicos ſic inveheretur. *Fraudes hominum, & ingeniorum capturæ, officinas iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones, & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æſtimantur, ulcerique parvo Medicina a rubro mari importatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus quiſque cœnet.* Et revera ſi ejus compoſitionem examinare velimus, pleraque inutilia, purgantia, contraria, & diſſona reperiemus: hinc confuſionem merito dicemus, non compoſitionem. Et primo, ſi viperarum caro adhibetur adverſus venenoſorum animalium ictus, ad quid Trochiſci de ſcilla, quæ licet vi inciſiva, acri, & corroſiva polleat, qua cauſa in cataplaſmate ſcribitur applicari viperarum ictibus, intrinſecus conferre minime creditur? His accedunt Trochiſci Hedychroi ex multis aromatibus. Ad hoc, farrago illa ex aſtringentibus, laxantibus, acribus, odoratis, fœtidis, dulcibus, amaris, narcoticis. Quis ex tanta multitudine non formam, aut temperamentum unum, ſed potius confuſionem reſultare credat? Mitto pleraque incerta, & incognita, ut Agallochum, carpobalſamum, balſamum ipſum, amomum, coſtum, Caſſiam ligneam. De Chalcitide uſta, lis adhuc eſt, an pro conciliando colore, an pro augenda, vel conſervanda virtute: Utcunque ſit, adverſus ferarum ictus, imo adverſus intrinſecos morbos, nullum medicorum eam dediſſe unquam, certo videmus. Ratio idem docet: Vires & facultates omnibus innoteſcunt: Præcipua facultas, cujus cauſa in frequentem uſum venit, eſt narcotica; hac de re in colicis affectibus, in phreneticis, in aſthmaticis, & in omnibus doloribus fœliciter uſurpatur. Doſis præcipua a ℈ j. ad ʒ.j.ß in formam boli uſurpatur. Galenus mira de ea decantat. Qui plura deſiderat, legat eum *primo de Antidotis, & ad Piſonem.*

Chy-

Chymica Compositio.

Qui in rerum cognitione periti sunt, præsentem compositionem duplici modo parare possunt: primo juxta formam a superiori non diversam, selecta seligentes, & inutilia rescindentes, hunc in modum.

Rec. Carnem viperarum præparatam in formam siccam, ut dicemus, Opii Thebaici spagyrice præp. Scordii, Dictamni. Pentaphylli, Gentian. Croci, Sem. Echii, Imperatot. Piperis longi, Zingiberis, Myrrhæ, Mastiches, Stœchados, an. drach. xij. Terræ Lemniæ, ʒ.j. Triplo mellis albi cocti, & despumati, excipiantur, & fiat Antidotus.

Quercetanus aliam a se reformatam tradit, quam qui desiderat, authorem consulat.

Secundo in extracti formam, e fæcibus oleum, & salem conficientes, & cum portione exigua mellis, vel sacchari, totum commiscentes, e quibus Antidotus.

Nos perfacilem methodum trademus qua Theriacam elegantissimam, & perfectissimam parare unusquisq; poterit. In primis pro Trochiscis de viperis, carnes eorum assatas assumat, seu potius lento igne exsiccatas in tigillo terreo vitreato, eas prius irrorando cum tantillo aquæ vitæ. Ad hoc, viperæ a capite, cauda, cute, & interraneis liberentur, & eas prius aqua communi bene lotas in frusta incide, tunc tigillo terreo optime vitreato, lento igne ipsas exsicca. Numerum dictarum, quod attinet, 40. aut 50. ad minus desiderantur: caro ejusmodi viperarum sit boni odoris, & saporis, & in tantum, ut cum ferculis eas sæpe exhibuerimus ægris, tam in prandio, quam in cœna.

Rec. Dictarum viperarum, ʒ.iv. Terræ sigillatæ, ʒ. j. Salis fæcum extracti Ther. ʒ ß Extracti lignorum, radicum herbarum, seminum & florum, cum aqua vitæ simplici facti, ʒ.vj. Opii vitæ soluti, repurgati, & in formam mellis reducti, ʒ.ij. Sacchari albi ℔.j. Misce. Fiat Antidotus, cujus ϑ.j. ad ϑ.ij. potest exhiberi, pueruli ϑ ß sufficit. Eadem pollet facultate, imo in omnibus efficacior est quavis altera. Gummi, succos, chalcitidem, & mel ab ea libenter removemus, ne aliorum vim obtundant, confusionem pariant, & ingratam reddant.

Theriaca Diatessaron.

Rec. Gentian. Baccarum Lauri, Myrrhæ, Aristolochiæ rotund. an. ʒ.ij Mellis despumati, ℔ ij. fiat Antidotus.

Mithridatum Andromachi.

Rec. Glycyrrizæ ʒ.viij. ϑ ß. Opii, ʒ.iv. ϑ.j. Folii, Nardi Celticæ, sem. fœniculi, Gentianæ, Meu, Rosarum sicc. Cardamomi, an. ʒ.iv. Castorii, Thuris, Myrrhæ, Succi Hypocistidis, an. ʒ. vi. Polii, Costi, Seseli, Cassiæ, an. ʒ.v. ϑ j. Nardi Indicę, Scordii, Cyphi, Schœnanthi, Opoponacis, terebint, an. ʒ.vi. ϑ j. Acori, Phu, Hyperici, Acaciæ, Gummi, Carpobalsami, Sagapeni, an. ʒ.ij. Croci, Cinnamomi, Zingiberis, an. dr. vii. ϑ j. Styracis, ʒ.v. scr. ij. Dauci, dr. vj. scr. ß. Petroselini dr. iv. ß. Piperis longi, dr. iij. ß. Anisi dr. iij. Thlaspi, Opobalsami, an. dr. vj. scr. ij. Galbani dr. vij. Scinci, dr. ij. scr. j. Vini optimi, Mellis despumati, an. q. s. Fiat Antidotus more Theriacæ. Dosis, ut theriacæ. Virtutes Theriacæ æquales, paulo forte debiliores, quantum ad ferarum ictus. Mithridates maximus sua ætate Regum, quem debellavit Pompejus, primus fuit inventor hujus antidoti, ex quo nomen ejus retinet.

Chy-

Chymica præparatio.

Modo a Theriaca non diverſo paratur iſthæc Antidotus. Ex omnibus fit extractum cum ſufficienti quantitate ſpiritus vini, cui loco mellis ſaccharum album ad juſtam doſim additur, Galbanum, Sagapenum, Opoponax ſolvatur prius cum aceto: percolata excoquantur ad mellis craſſitiem, quibus Terebinthinam miſcebis, & his ſaccharum, & Extractum, & omnia ad lentiſſimum ignem. Ex fęcibus oleum elice per retortam, igne cinerum; hoc autem propter graveolentiam circulabis pluries cum aqua communi, qua arte tetrum illum odorem removebis. Iterum ex fæcibus extracti olei ſalem elicies, quem extremo cum oleo miſcebis, & fiat antidotus. Doſis a gr.x. ad ſcr. j.

Theriaca Diateſſaron eadem arte paratur: Cum ſpiritu vini fit Extractum, quod in pyxide vitrea aſſervatur; neque mel, neque ſaccharum additur, nam per ſe optime ſervatur. Uſus tam Theriacæ, quam Mithridatii, longe lateque extenditur, & maxime adverſus venena, contra ferarum, viperarum, aſpidum morſus, etiam adverſus venenatos, peſtiferoſque morbos: capitis doloribus ſuccurrit, ventris torminibus, lumbricis, aſthmaticis, antiquæ, & moleſtiſſimæ tuſſi, & coli doloribus medetur. Reliqua ſtudio brevitatis omitto.

Plures ſunt hujus nominis compoſitionis ſpecies, tam penes Dogmaticos, quam penes Chymicos, quæ uſitatæ brevitatis cauſa a nobis omittuntur. Quercetanus egregias proponit, quas cęleſtes appellat, & regias; nos ob incertam, nec ſatis probatam compoſitionem, eas pariter ſilentio præterire voluimus.

Philonium Romanum Meſ.

Rec. Piperis albi, Sem. Hyoſciami albi, an. dr.xx. Opii dr. 10. Croci dr.v. Spicæ, byrethri, Caſtorei, an. dr.j. Miſce cum mellis deſpumati quadruplo. Doſis a dr. ß. ad integram.

Chymica præparatio.

Præcipuus ſcopus in parandis remediis, ad ſeparationem puri ab impuro dirigitur, & quia tria rerum principia agnoſcit Spagyrica, iſthæc ſeparare ab omni terreſtreitates ſuperfluave materia primo aggreditur. Itaque in hoc medicamenti genere, ſicuti in aliis, ſalem volatilem cum tinctura cum proprio diſſolvente ſegregat; ſulphur poſtea, & ſalem fixum elicit; & omnia ſimul miſcens, conficit medicamentum nobiliſſimum, & præſtantiſſimum.

Opium aceto, vel ſucco aliquo acido ſolvitur a Quercetano, nos ſimplici aqua vitæ contenti ſumus. Non negamus acetum, & liquores acidos ejus ferociam retundere poſſe, & ejus facultates narcoticam promovere. Antequam ſolvatur, vult ipſum prius in fruſtula exigua incidi, & in patina ferrea ordinatim diſponi, ut blando calore exhalat ejus ſulphur narcoticum, & fœtidum: quod nos experiri volentes, probavimus medicamentum ex eo confectum, minoris eſſe virtutis, & in ſedandis doloribus, eo quod non eſt uſtulatum, longe inferius eſſe; qua de re ſuadeo, integrum, & tantum ſolutum, ac defæcatum per aquam vitæ, uſurpandum eſſe.

Ad hoc Opiatæ genus reducuntur ea, quæ dicuntur Laudana, de quibus variæ extant deſcriptiones. Nos confuſionem vitantes, ſimplicem hanc compoſitionem uſurpamus fœliciter.

Laudanum simplex.

Rec. Opii depurati, defecati, ut supra diximus, dr. j. Croci Tincturæ, dr. ß. Moschi, ℈. 3. Misce fiat compositum, de quo dentur gr. iv. ad vij. & ix.

Laudanum magis compositum.

Rec. piperis longi, Myrrhæ, Galangæ, Castorii, an. ʒ. ß. Croci, dr. ij. Opii ʒ. j. Cum spiritu vini, fiat extractum, de quo exhibeantur grana 3. 6. & 7. pro dosi. Uterinis doloribus mirifice succurrit, aliis quoque doloribus medetur.

Laudanum Paracelsi.

Rec. Opii Thebaici, ʒ. iij. Succi Hyoscyami, sole inspissati, ʒ. j. Specierum Diambræ, & Diamoschi, an. ʒ. ij. Mumiæ selectæ, ʒ. ß. Salis perlarum, Corallorum, an. dr. iij. Liquoris succini albi per alcohol Vini extracti, an. dr. j. Lapis Bezoard. Unicorni, an. dr. j. Moschi, Ambræ, an. scr. j. Fiat secundum artem extractum.

Quercetanus speciosas Laudani species nobis depingit, alii alias paulo ab his diversas proponunt: Nos nostra usu, & experientia probata attulimus. Circa sulphur narcoticum vitrioli, diximus nos extraxisse pluries substantiam quandam sulphuream ex Antimonio crudo, vi narconita, & vitriolica præditam, cujus duo vel tria grana exhibita somnum excitant, & multos dolores sedant.

Laudanum novissime repertum.

Rec. *Seminis Daturæ*, ʒ. j. Contunde grosso modo, & infunde in s. q. spiritus vini. Evapora ad medietatem, & habebis soporiferum præstantissimum, de quo cochlear unum pro dosi sufficit in Phrenitide, & in omnibus doloribus. Tutius exhibetur, quam quodvis opiatæ genus.

Requies Nicolai.

Rec. Rosarum rubrarum, Violarum, an. dr. 3. Opii, Sem. Hyoscyami albi, Sem. papav. albi, nig. Cortic. Mandragoræ, Sem. scariolæ, Sem. lactucæ, Sem. portulacæ, Sem. psyllii, Nucis moschatæ, Cinnamomi, Zingiber. Sacchari, an. dr. j ß. Santal. albi, rub. citr. Spodii, Tragacanthæ, an. scr. ij. gr. v. Mellis despumati, q. s. In pulverem asservatur in officinis ut plurimum, in formam opiatæ in nonnullis locis. Dosis a dr. ß. ad dr. j.

Laudanum universale.

Rec. Opii Chymice præparati, ʒ. ß. Antimon. Diaphoret. dr. ij. Ambræ gryseæ, Croci Orientalis, an. dr. ß. Moschi, scr. j. Cum syrupo de Papaver. fiat massa. Dosis a gr. 7. ad 12. In ardoribus ventriculi, atque in hemicrania certissimum remedium.

Alia.

Rec. Aloes Chymice præparatæ, unc. s. Myrrhæ, dr. ij. Croci, florum Antimon. an. dr. j. Macis, Zingiberis, Galangæ, an. dr. s. Cum spiritu vini fiat Extractum. Dosis gr. 4. ad 7.

In doloribus arthriticis maxime conferre comperimus: doloribus colicis certissime medetur, nephriticis quoque ac uterinis; vertigini mirifice succurrit: in Phrenitide, & in ardentibus febribus, cum granis tribus lapidis bezoardicis tutissime exhibetur. Multa denique alia præstat, quæ nonnisi usu nobis innotescunt.

Hæc

Hæc de Opiatis, & Antidotis: Reſtat unica compoſitio ſine ôpio, adverſus omnia venena, & adverſus omnes peſtilentes morbos.

Antidotum peſtilentialis.

Rec. Rad. Imperatoriæ, Angelicæ, Carlinæ, Valerianæ, Vincetoxici, Anthoræ, Scorzoneræ, Biſtortæ, Gentianæ, Tormentill. an. ʒ. iv. Ex omnibus paretur Extractum, cum ſpiritu vini maceratione præmiſſa ad 25. dies. Sub finem adde ſacchari ℔. ij. Coquantur in formam Antidoti, ſub finem coctionis adde florum fixorum Antimon. ʒ. j. Præcipitati Mercur. cum auro ſine corroſivo, ʒ. ſ. Pulv. Anthoræ, Cinnamomi, Santal. albi, Ligni aloes, an. dr. ij. Magiſter. perlarum, Tincturæ corallorum, an. dr. j. Ambræ. griſ. ſcr. j. Moſchi, ſcr. ſ. Aquæ cinnamomi, unc. ſ. Miſce, fiat Antidotus. Doſis dr. ij. ad dr. iv.

SECTIO V.

(a) *De Pilulis.*

PIlulæ ad deglutiendum repertæ, partim ob earum amaritudinem; partim eo quod hac forma diutius hæreant in ſtomacho, quam in forma liquida; partim propter nonnullos, qui facilius ſolida deglutiunt, quam liquida. In his tradendis inſtituti rationem ſervabo, communia, uſitata, & utiliora proponam, cætera conſulto omittam.

(a) *De Pilulis.* Panacæa ſolaris ſive *Wildeganſii* Rec. Opii l. a. acido correcti & depurati uncias duas, coralliorum rubrorum præparatorum, croci, trochiſcorum de viperis, myrrhæ electæ, aloes ſuccotrinæ ana dracmas duas, auri drachmam unam in aqua regis ſoluti & abſtractione depurati, olei caryophyllorum guttas viginti, fiant l. a. pilulæ ex drachma una nonaginta, obducantur auro. Notabile eſt, has pilulas præter virtutem anodynam, etiam leniter diaphoreticam poſſidere, propter aloen mixtam cum opio: Purgantia enim cum anodynis mixta evadunt diaphoretica.

Pilulæ *Matthiæ* ſive *Starkianæ* ſequenti modo parantur: Primo conficitur ex opio crudo extractum hac ratione: Opium in fruſtula diſſectum decoquitur in aqua, decoctio filtratur & inſpiſſatur leni calore, cavendo empyreuma, deinde recipe hujus extracti unciam ſemis, ſpiritus terebinthinæ cum ſale tartari diligenti tritura in ſaponi formem ſubſtantiam mutati drachmam unam, extracti hellebori nigri drachmas duas, extracti glycyrrhizæ drachmas tres. Hæc omnia in mortario calido invicem miſce accuratiſſime, ſic præparatum eſt illud extractum, quod mire commendatur a *Starke* medico Anglo ceu panacæa in omnibus morbis. Modus operandi videtur eſſe talis: Opium eſt præſtantiſſima medicina in morbis calidis, ſpaſmodicis, & ubi ſpirituum inordinatus ac effrenis eſt motus, illum compeſcendo, quoniam autem opium ſulphure ſuo narcotico excretiones tam ſudoris, quam urinæ & alvi ſiſtere, hinc correctione opus habet, quare *Author* immiſcet extractum hellebori nigri, quod purgans & reſolvens eſt, item ſpiritum terebinthinæ & ſal tartari, quæ diuretica & ſudorifera, extractum glycirryzæ ad expectorationem, ut hac ratione incommoda illa, quæ poſt uſum opii ſequi ſolent, avertantur, & opium horum mixtura tutiſſimum medicamentum evadat. Doſis ſunt grana duo ad

quin-

quinque in pilulis vel etiam in pulvere.

Pilulæ hypochondriacæ. Rec. gummi ammoniaci, myrrhæ electæ, extracti panchymagogi *Crollii*, ana drach. semis, vitrioli martis, diagrydii sulphurati ana gr. decem, croci, salis succini ana grana quatuor, cum essentia succini vel castorei, fiunt pilulæ ex scrupulo uno numero viginti.

Pilulæ in cachexia humorum. Rec. extracti aloe optimæ drachmam semis, salis succini, trochiscorum alhandal, ana gr. sex, limaturæ martis grana duodecim, M. f. l. a. pilulæ ex scrupulo uno numero viginti.

Pilulæ antifebriles, aperientes & laxantes. Rec. extracti centauri minoris, gentianæ, ana scrupulum unum, trochiscorum alhandal, mercurii dulcis, resinæ gialapæ, salis digestivi Sylvii ana grana octo, olei caryophyllorum gutt. quatuor, M. f. l. a. cum elix. PP. pilulæ.

Pilulæ cephalicæ. Rec. gummi ammoniaci, extracti panchymagogi Crollij, trochiscorum alhandal ana gr. duodecim, extracti ligni aloes, cinnabaris nativæ præparatæ, salis succini ana gr. quinque, moschi gr. duo, olei lavendulæ gutt. tres, M. f. l. a. pilulæ numero 44.

Pilulæ anthelminticæ. Rec. Extracti aloes drachm. 1. mercurii dulcis grana quindecim, camphoræ gr. 3. spiritus vitrioli guttas sex. M. f. pilulæ ex scrupulo uno numero viginti.

Pilulæ emeticæ purgantes. Rec. Extracti panchymagogi *Crollii*, scrupulum unum, resinæ gialappæ, tartari emetici ana gr. duo, salis succini gr. tria cum elix. PP. f. pilulæ numero triginta.

Pilulæ contra gonorrhœam. Rec. Terebinthinæ unciam unam, balsami peruviani, copayvæ ana drachmam unam, pulveris consolidæ drachmas duas, succi liquiritiæ unciam semis, resinæ guajaci, extracti rhei, oculi cancrorum ana drachmas tres, mercurii dulcis drachmam unam semis, nitri vitrioli drachmas duas, succini drachmas tres, olei guajaci, sassafras quantum suff. M. f. l. a. pilulæ ex scrupulo uno numero quatuordecim.

Pilulæ antifebriles. Rec. Chinæ chinæ pulv. drachmas tres, fiant cum mucilagine tragacanthæ pilulæ ex scrupulo uno numero 30.

Aliæ. Rec. Extracti centaurei minoris drachmas tres, chinæ chinæ drachmas duas, florum salis ammoniaci drachmam semis. M. f. pilulæ ex scrupulo uno numero viginti.

Pilulæ antivenereæ. Rec. Extracti liquiritiæ drachmam unam, mercurii præcipitati albi cum foliis auri mixti scrupulum unum, theriacæ cœlestis grana tria. M. f. pilulæ.

Circa pilulas illarumque præparationem tenenda sequentia sunt: Salia alkalia tam fixa quam volatilia & quæcunq; in aere facile patiuntur deliquium, non bene ingrediuntur pilulas, præsertim in majore dosi.

Massa pilularum si nimis dura & stabilis est, facile in mortario calido additis guttulis aliquot syrupi vel elixirii emolliri potest; nunquam tamen certa quantitas affundendi spiritus in contundendis & subigendis speciebus pro pilularum massa potest determinari, sed interlaborandum hoc demum manus artificis deprehendere potest.

Massa, quæ salia habet admixta, semper erit humida, adeoque idipsum præcavendum, reponendo eandem pulvere copioso mastiche inspersam in scatulam idoneam.

Amara, fœtida & quæ nauseam creant, percommode includuntur pilulas.

Resinæ purgantes in oleo vel vitello ovorum solvi debent, priusquam massæ addantur.

Cum mucilagine tragacanthæ subigi etiam potest diagrydium & aloe, deinde addi possunt pulveres, idem potest fieri cum syrupis.

Pilulæ aureæ Nicol.

Rec. Aloes succotr. Scammon. præparati, an. dr. v. Rosarum rub. Sem. apii. an. dr. ij. s. Sem. fœniculi, Anisi, an. dr. j. sem. Mastiches, Croci, Pulpę Colocynt. an. dr. j. In officinis cum melle rosato compingitur massa, & melius quam cum Tragacantha in aqua fœniculi macerata. Nonnulli cum syrupo, aut melle

rosato, addunt parum succi fœniculi; parum tamen interest. Basis est Scammonium, & Colocynt. Præparatio Chymica eadem erit cum cæteris, ideo ne eandem repetere cantilenam cogamur, in fine aliquid dicemus; interea de Cochiis.

Pilulæ Cochiæ Rasis.

Rec. Specierum Hieræ simpl. dr. x. Pulpę Colocynthidis, dr. iij. scr. j. Scammon. præpar. ʒ. ij. s. Turbith, Stœchadis, an. dr. v. Vini albi quantum sufficit, Fiat massa. Dosis a dr. ſ. ad dr. j. & scr. iv.

Validiores sunt aureis: aureę plus bilis, istæ plus pituitę e capite educunt.

Pilulæ Aggregativæ Mes.

Rec. Myrobalanorum flav. Rhabarbari, an. unc. ſ. Succi Eupatorii, Absinth. an. dr. iij. Scammon. præparati, dr. vj. Myrobal. Chebul. Indarum, Agarici, Colocynth. an. dr. ij. Turbith, Aloes, an. dr. vj. Mastiches, Rosarum rubr. Salis gemmæ, Epithymi, Anisi, Zingiberis, an. dr. j. Cum Elect. rosati Mesues, quantum sufficit, fiat massa. Dosis a dr. j. ad ij. Valent ad diuturnas febres, & vitia capitis, ventriculi, & jecoris: humores item biliosos, & pituitosos educunt.

Pilulæ sine quibus N.

Rec. Aloes lotæ, dr. xiv. Myrobal. flavarum, Chebul. Indarum, Belleric Emblicar. Rhabar. Mastiches, Absinth. Rosarum, Violarum, Senæ, Agarici, Cuscutæ, an. dr. j. Scammon. præp. ʒ. vj. ſ. Cum succo fęniculi solve Scammon. & compinge massam. Dosis a scr. ij. ad dr. j. Mirifice pituitam, bilem, & humorem melancholicum purgant, & ad suffusionem oculorum, & claritatem conducunt. Visum conservantes, animi dolorem sanant, & biliosis conferunt.

Pilul. Lucis Majores.

Rec. Rosarum, Violarum, Absinthii, Colocynthidis, Turbith, Cubebarum, Calami aromat. Nucis Mosc. Spic. Ind. Epithym. Carpobals. Xylobals. sem. Seseleos, Rutæ, Schęnant. Mastiches, Rad. Asari, Caryophyllorum, Cinnamomi, Anisi, Fęnic. Apii, Cassiæ ligneæ, Croci, Macis, an. dr. ij. Myrobal. Citria Chebul. Ind. Beller. Emblic. Rhabarb. an. unc. ſ. Agarici, Senæ, an. dr. v. Euphrasiæ, dr. vj. Aloes succotr. ʒ. xj. dr. ij. Succi fęniculi quantum sufficit, Fiat massa.

Aloes solvitur cum succo fęniculi depurat. & clarific. quibus sensim miscentur pulv. Nonnulli coquunt in succo fęniculi mel, & ex eo melle formant massam. Dosis a scr. ij. ad scr. iv.

Pil. Lucis min. Mes.

Rec. Xylobalsami, Carpobals. an. dr. j. Rad. Chelidoniæ, dr. v. Rosarum, Violarum, Absinth. Euphras. an. dr. iij. Senæ, Epithymi, Myrobal. flav. Chebul. Indarum, Belleric. Emblic. Agaric. Colocynt. Schœnant. Licii, lapidis Lazuli, an. dr. ij. ſ. Aloes lotæ, ʒ. vj. Succi fœnic. aur. Cheledoniæ, quantum sufficit, Fiat massa. Excrementa capitis pituitosa educunt, visumque roborant: atram tamen bilem magis evacuant.

Pilul. fœtid. mai. Mes.

Rec. Sagapeni, Ammoniaci, Opopanacis, Bdelli, Colocynthid. Rutæ agrestis,

agrestis, Aloes, Epithym. an. dr. v. Hermodact. Esulæ an. dr. ij. Scammon. præparati, dr. iij. Turbith, ʒ. ſ. Cinnamomi, Nardi Indicæ, Croci, Castorei, an. dr. j. Zingiberis, dr. j. ſ. Euphorbii, scr. ij. Dissolvantur lachrymæ in succo porri, & fiat massa. Dosis a scr. ij. ad dr. j. Vacuant pituitam crassam crudam; ob id conferunt affectibus inde natis, Arthritidi, Podagræ, Gonagræ, dolori spinæ, & illarum jacturarum, ventriculi, colico, alphis, Elephantiæ, aliisque cutis vitiis.

Pil. fætid. min. Mes.

Rec. Sagapeni, Ammoniaci, Opopanacis, Bdellii, Myrrhæ, an. dr. v. Turbith, dr. x. Colocynthid. dr. vj. Fiant ut priores. Ad idem pollent.

Pilul. Mastichinæ.

Rec. Mastiches, dr. iv. Aloes electæ, dr. x. Agarici elect. dr. iij. Cum syrup. ros. fiat massa. Dosis ad dr. j. ſ.

Pilul. Arthriticæ N. Sal.

Rec. Hermodactylorum, Turbith, Agarici, Cassiæ ligneę, Spicę nardi, Caryophyllorum, Xylobalsami, Carpobalsami, Zingiberis, Mastiches, Anisi, Saxifrag. Sem. Asparagi, Sem. Rusci, Rosarum, Milli solis, Salis Gemmæ, an. dr. ſ. Aloes optimę, ad pondus omnium Succi fęniculi quantum sufficit, Fiat massa. Dosis dr. j. ad dr. j. ſ.

Pilul. de tribus.

Rec. Rhabarbari, Agarici, Aloes lotæ, an. dr. ij. ſ. Syrup. ros. sol. quant. suff. Fiat massa. Dosis a dr. j. ad dr. ij. Educunt humores billosos & subtiles.

Pilul. de Agarico, Mes.

Rec. Agarici dr. iiſ. Rad. Ireos, prassii, Turbith, an. dr. j. Hieræ. Picræ, dr. v. Colocynt. Sarcocollæ, Myrrhæ, an. dr. ij. Misce cum sapa. Auxiliantur asthmaticis, & aliis Thoracis vitiis a crassis, & pituitosis humoribus. Dantur a dr. j. ad scr. v.

Pilul. Hieræ simplicis, Gal.

Rec. Aloes dr. j. Cinnamomi, Xilobalsami, Asari, Spicæ Indicæ, Croci, Mastiches, an. dr. iij. Mellis rosati q. ſ. Fiat massa. Dosis dr. j. ad dr. ij. adversus vitia ventriculi ex humoribus bilioſis, & pituitosis nata prosunt.

Pilul. de Hiera cum Agarico.

Rec. Specierum Hieræ simpl. Gal. Agarici trochisc. an. dr. iv. Mellis rosat. q. ſ. Fiat massa. Dosis eadem.

Pilulis Ruffi, seu Pestilent.

Rec. Aloes, Ammoniaci, an. unc. j. Myrrhæ, unc. sem. Cum succo limonum fiat massa.

Pilul. Ruffi, seu Pestil. Almans.

Rec. Aloes, unc. j. Myrrhæ, unc. sem. Croci, dr. ij. Cum syrup. ros. fiat massa.

Chymica Præparatio.

Ars recte parandi medicamenta non in alio consistit, quam in separatione puri ab impuro, in coctione crudi, & exaltatione virtutis uniuscujusque medicamenti, cui si accedat artificium quo gratiora redduntur ægris singula, puto omnem artem absolvi posse. Pilulæ utplurimum ex amaris, fętidis,

palatoque ingratiſſimis parantur, hac de re, ut ejuſmodi medicamenta certius, & commodius ingerantur intus, in formam pilularum compinguntur, nam ſic deglutiuntur facilius citra palati moleſtiam. Methodus qua parantur, non eſt diverſa ab ea, quam toties decantavimus, ideo ne eandem repetamus cantilenam, dicimus, Pilulas parandas eſſe eo modo, quo diximus de Extractis. Varia ad hæc poſſunt requiri diſſolventia ſeu media, quibus extracta fieri poſſunt. In nonnullis ſpiritus vini, in aliis aquæ ſtillatitiæ, in aliis decoctione, hydromelita, vina, ſucci, & ſimilia requiruntur. Ex fæcibus oleum parabitur, ex gummis per retortam, ex aromatis per veſicam cum ſuo refrigeratorio. Tandem ex combuſtis fæcibus ſalem conficiemus, & hæc ſimul mixta, medicamenta edent innoxia, defæcatiſſima, & ab omni prava qualitate libera.

Pilul. de Cynogloſſa, Nicol.

Rec. Radicis Cynogloſſæ, Opii, Sem. Hyoſcyami, an. ʒ. ſem. Mirrhæ, drach. vj. thuris drach. v. Caryophyllorum, cinnamomi, ſtyracis, calamitæ, an. drach. ij. Aquæ roſaceæ, q. ſ. Fiat maſſa. Doſis a gr. 7. ad 12. & 15.

Pilul. Laudinæ.

Rec. Opii Chymice præpar. drachm. j. Extracti croci, an. unc. ſem. Moſchi gr. 12. Cum vino fiat maſſa.

Pilul. Laudinæ Comp.

Rec. Opii Chymice parati, drach. j. Eſſentiæ croci, drach. ſem. Magiſt. perlarum, Antimonii Diaphoretici, an. unc. ſem. Ambræ griſeæ, Moſchi, an. ℈. j. Cum ſyrupo de Papavere fiat maſſa. Doſis a gr. iv. ad gr. vij

Pilul. Laudinæ Hyſtericæ.

Rec. Florum ſtanni, Florum ſtibii, an. ſcrup. j. Succini, caſtorei, Mumiæ, an. dr. ſem. opii præpar. ſcrup. iv. zingib. Macis, Galangæ, an. drach. j. Cum ſyrupo de Papaver. fiat maſſa. A gr. 12. ad 15. dantur, in uterinis doloribus, quos mirifice ſedant.

Pilulæ Catholicæ.

Rec. Aloes Succotrinæ, unc. ſem. Myrrhæ, drach. ij. Maſtiches, dr. j. croci Oriental. drach. ſem. Magneſiæ ſaturninæ meteorizat. drachm. j. Cum ſyrup. roſat. ſolut. fiat maſſa. Doſis a gr. 15. ad 24.

In omni morbo intemperantiæ feliciter exhibentur. Colicis doloribus medentur, Aſthmaticis mirifice ſuccurrunt. Hemicraniæ, vertigini, Epilepſiæ ſummopere conferunt, Arthritidem ſæpiſſime ſedare obſervavimus.

Piluiæ Polycreſtæ deſcript. Nicol.

Rec. Maſtiches drach. ij. Macis, Galangæ, an. drach. j. Aloes ſuccot. dr. ſem. croci orient. ſcrup. j. Mumiæ mineralis, ſcrup. iv. Cum ſyrup. roſat. ſolut. fiat maſſa. Doſis a ſcrup. ij. ad drach. j. Uſus ejuſmodi pilularum requirit Medicum exercitatiſſimum, propter ſympathiam mumiæ mineralis.

Pilul. Balſami ſulphuris.

Rec. Balſami ſulphuris cum ſpiritu Terebint. fact. unc. j. Flor. ſulphuris, Pulver. liquirit. Sacchari candi, an. drach. ij. Doſis a drach. ſem. ad drach. i. In pthiſi tutiſſime exhibentur, & maxima utilitate.

Pilul.

Pilul. Cephalicæ primæ.

Rec. Aloes ſuccotr. dr.ij. Scammonii Chymice præpar. Trochiſc. Alhandal, an. dr. j. Cum ſyrupo roſ. ſol. Fiat maſſa. Doſis a ſcr. j. ad ſcr. ij.

Pilul. Cephal. ſecundæ.

Rec. Agarici trochiſ. drach. i. Aloes ſuccotr. unc. ſem. Scammonii Chymice præpar. unc. ſem. Sennæ orient. drah. ij. Magneſiæ ſaturninæ ſemel coctæ in Balneo ſalis Balſamici, drach. iij. Cum ſyrup. roſ. Fiat maſſa. Doſis a ſcr. ij. ad drach. j.

Pilulæ ſtomachicæ D. N.

Rec. Extracti Zingiberis, unc. ſem. Aloes ſuccotr. unc. j. Maſtiches, drach. j. Macis, Galangæ, an. drach. ſem. Magneſiæ ſaturninæ, ſemel coctæ in Balneo ſalis Balſamici, drach. ij. cum Syrup. abſinthii fiat maſſa. Doſis a drach. j. ad ij.

Pilul. Martiales D. N. P.

Rec. Aloes ſuccotr. unc. j. Myrrhæ, Galbani, Ammoniaci, Opopona ci, Sagapeni, an. drach. iij. Croci martis, drach. j. ſem. Fol. Sennæ, dr. ſ. Aniſi, Cinnamomi, Macis, an. dr. j. Cym ſyrupi de Artemiſia q. ſ. fiat maſſa. Doſis ad ſcr. ij. ad dr. j.

Pil. Mart. ſec. adſtring

Rec. Succini, Maſtiches, an. drach. ij. Corall. præpar. Lapid. hæmatit. Sanguinis draconis, an. drach. j. Rad. Tormentill. Flor. verbaſci, Semin. Hypericonis, an dr. j. ſem. Croci Martis, unc. j. Cum ſyrupo mirtino fiat maſſa. Doſis dr. ſem. & ſcr. ij.

SECTIO VI.

(a) *De Trochiſcis.*

TRochiſcus a trocho, quaſi parva rota. Paſtillus alio modo. Variis quoque ex rebus componuntur. Eorum uſus hodie non eſt admodum frequens, qua de re paucis pauca complectar.

(a) *Trochiſci*. Trochiſci de Rhabarbaro. Rec. Rhabarbari drach. duas, aquæ endiviæ uncias duas, ſolve & coque leniter, adde ſacchari uncias duas. M. f. trochiſci.

Trochiſci de Vipera.

Rec. Carnis Viperinæ cum anetho, ſale, & aqua coct. unc. viij. Panis tritici puriſſimi triti, & cibrati unc. ij. Formentur trochiſci, & inungantur Opobalſamo, aut oleo nucis moſchatæ.

Trochiſci ſcylliti.

Rec. Mari, aſari, Majoranæ, Aſpalathi, an. dr. ij. Schœnant. Calam. aromat. Phu, Xyloballam. Opobalſami, cinnamomi, coſti, an. drach. iij. Myrrhæ, Folii, Nardi, Ind. croci, caſſiæ, an. dr. vj. Amomi, ℥. xij. Maſtiches, dr. j. Vini quantum ſufficit. Fiant trochiſci.

Trochiſci Galliæ moſchat.

Rec. Ligni aloes, drach. 5. Ambræ, drach. 3. Moſchi drach. j. Mucilaginis Tragacanthæ, cum aqua roſarum extract. quant. ſuffic. fiant Trochiſci parvi.

Trochiſci de Myrrha.

Rec. Myrrhæ, drach. iij. Lupinorum, drach. 5. Fol. rutæ, Mentaſtri, Pulegii, Cymini, Rubiæ, Aſſæ fœtidæ, Sagapeni, Opopanacis, an. dr. ij. Diſſolvantur Gummi cum aceto, formenturque trochiſci cum ſucco abſinthii.

Trochiſci Aliptæ Moſchotæ.

Rec. Laudani, unc. iij. Styracis, unc. j. ℈. Styracis rubræ, unc. j. Ligni Aloes, unc ij. Ambræ drach. j. Camphoræ, ſcrup. j. ſem. Moſchi, ſcrup. j. ſem. Aquæ roſarum, q. ſ. Formentur trochiſci ſecundum artem.

Trochiſci de Agarico.

Rec. Agarici, unc. iij. Salis gemmæ, unc. j. Cum Oxymelite fiant Trochiſci. Alii cum vino, in quo ſteterit per noctem Zingiber ſolitarium, Agaricum in Trochiſcos efformant.

Trochiſci Albandal.

Rec. Pulpæ Colocynthidos, drach. 10. Incidatur minutiſſime, & fricetur cam ol. roſ. unc. j. deinde ſume Tragacanthæ, Gummi Arab. Bdellii, an. drach. vj. Macerentur hæc in aqua roſata per dies 4. donec liquefiant, & diſſolvantur. Demum cum parte reſolutarum lachrymarum, formentur ex prædictis trochiſci, qui ſiccentur, & cum ſiccati fuerint, contundantur minutiſſime, & rurſum formentur trochiſci cum reliquo diluto lachrymarum, acque reponantur.

Trochiſci Bechici albi.

Rec. Sacchari albiſſimi, ℔. j. Sacchari Candi optimi, Sacchari penitii, an. unc. iv. Ireos, unc. j. drach. vij. Amyli, unc. j. ſem. Mucilaginis Tragacanthæ, cum aqua roſ. factæ q. ſ. formentur trochiſci parvi.

Trochiſci alii Bechici.

Rec. Sacchari albi ℔. j. Amyli unc. iv. Moſchi, ſcrup. j. Mucilag. Tragacanthi cum aqua roſ. fact. fiant Trochiſci.

SECTIO VII.

(a) *De Pulveribus.*

PUlveres omni fere carent artificio; fiunt enim ex ſiccis, quæ in mortariolo attrita, per cribrum vel ſpiſſum, vel clarum trajiciuntur. Fiunt ex variis rebus, purgantibus, & alterantibus. Antidotorum Pulvere in pyxide vitrea ſæpe aſſervantur, ex quibus electuaria liquida, & ſolida; hos brevitatis cauſa omittimus, cum aliis ſine arte factis.

(a) *De*

(a) *De Pulveribus*. Pulvis purgans pro homine ætatis consistentiæ: Rec. giulappii resinosi grana quindecim, resinæ gialappæ grana tria, tartari vitriolati gr. octo, olei macis guttam unam. M. f. pulvis.

Pulvis in hæmorrhagiis nariuum, uteri &c. Rec. Rhabarbari Alexandrini grana duodecim, diagrydii sulphurati gr. duo, tartari tartarisati gr. octo, olei corticum citri recentis gutt. 1. M. f. pulvis.

Pulvis antidysentericus. Rec. Rhabarbari Alexandrini scrupulum unum, cornu cervi usti gr. decem, nucis moschatæ gr. tria. M. f. pulvis.

Pulvis emeticus. Rec. Tartari emetici gr. 3. salis absynthii, tartari vitriolati an. gr. 4. M. f. pulvis.

Pulvis sudoriferus antifebrilis. Rec. Cornu cervi usti, antimon. diaphoret. concharum præparatar. an. drach. 2. salis absynthii, arcani duplicati an. drach. 1. sem. laudani opiati gr. 3. ol. caryophyllor. gutt. 4. M. f pulvis.

Pulvis stypticus. Rec. Radic. tormentill. bistortæ, hæmatitis, terræ sigill. unicornu fossilis, succini præpar. sanguinis drachon. an. drach. 1. camphoræ gr. 10. laudani opiati gr. 4. vel loco hujus seminis hyoscyami scrupulos duos. M. f. pulvis.

Pulvis antifebrilis. Rec. Coralliorum ustorum drach. 1. nitri fixi drach. semis, mercurii dulcis gr. 15. laudani opiati gr. duo, olei caryophyllorum guttas tres. M. f. pulvis. Dosis drach. semis in tertianis autumnalibus contumacioribus egregium usum habet; potest etiam addi regulus antimonii medicinalis.

Pulvis antepilepticus. Rec. Secundinæ humanæ præpar. lumbricorum terrestrium, carbonum tiliæ, radicis pœoniæ, visci querni ana drachm. 1. cinnabaris nativæ præparatæ, ungulæ alcis, rasuræ cranii humani an. scrup. duos, seminis pœoniæ drach. 2. extracti visci querni scrup. unum, castorei, croci, an. gr. 5. moschi gr. quindecim. M. f. pulvis.

Pulvis alexipharmacus. Rec. Antimonii diaphoretici vel cerussæ antimonii, lapidum cancrorum, matris perlarum an. drach. duas, nitri præparati drachmam unam, camphoræ gr. duodecim, theriacæ cœlestis gr. octo, M. f. pulvis; dosis drach. semis.

Pulvis absorbens & temperans. Rec. Matris perlarum, lapidum cancrorum, ana drach. 1. nitri præparati drachm. semis, olei cardamomi guttam unam, M. f. pulvis, addito momento laudani opiati fit pulvis anodynus.

Sal polychrestum. Rec. Solutionis lapidum cancrorum, terræ foliatæ tartari, arcani duplicati an. drachm. duas. M. dosi scrupulus unus.

Pulvis pectoralis & catarrhalis. Rec. Lapidum cancrorum, boli Armenæ, an. drachm. 1. myrrhæ electæ, florum sulphuris, pulveris glyzirhizæ an scrup. duos, croci gr. 12. olei anisi, nucistæ, an. guttas 4. sacchari canti uncias duas. Potest assumi sine vehiculo.

Pulvis bezoardicus. Rec. Radicis contrajervæ, scorzoneræ, ana drachm. duas, unicornu veri, lapidum cancrorum, mandibularum lucii piscis, cornu cervi sine igne, pulveris viperarum, cerussæ antimonii, matris perlarum, ana drachm. tres, lapidis bezoardici orientalis vel occidentalis, succini præparati an. drach. 1. olei corticum citri recentis gutt. sex, cum gelatina cornu cervi formentur globuli. Potest pro re nata misceri cum nitro crystallisato, cinnabari, camphora, theriaca cœlesti &c.

Pulvis antidysentericus. Rec. Prædicti pulveris bezoardicis drachm. duas hæmathitis præparati drachm. 1. nitri præparati drachm. semis, theriacæ cœlestis gr. 4. M. f. pulvis.

Pulvis summæ efficaciæ. Rec. Mercurii præcipitati albi optime edulcorati, foliorum auri ana drachm. 1. cinnabaris antimonii purissimi, reguli antimonii medicinalis an. drachm. duas, accuratissime trituque sufficienti hæc misceantur in mortario vitreo, addita pauca quantitate spiritus vini rectificatissimi, dosis est scr. semis. Morbos contumaciissimos expulsat prudenter exhibitus.

Pulvis antihypochondriacus. Rec. Limaturæ martis drach. duas, arcani duplicati scrupul. duos, olei menthæ destillati guttas sex. M. f. pulvis, dosis est drachma semis. In obstructionibus primarum via-

rum, cachexia, hydrope, rumore veneris incipiente, item adversus sterilitatem, mensium obstructionem, icterum, asthma hypochondriacum convenit.

Pulvis ad caput. Rec. Herbæ basilici, majoranæ, betonicæ, ana manipul. unum, florum anthos, lavendulæ, ana pugillos duos, benzoe, storacis, succini ana drach. unam sem. olei majoranæ guttas octo, ligni rhodii guttas decem, potest addi euphorbium, opium, camphora, sal volatile ammoniaci &c. Usus in affectibus capitis, ejusque doloribus, vertigine, hemicrania, epilepsia, affectibus oculorum, aurium, &c.

Pulvis præservans a calculo. Rec. Lapidum cancrorum unciam semis, seminis millii solis, petroselini, saxifragiæ, napi, genistæ violarum ana drachmas duas, pulveris glyzirrhizæ, baccarum alkekengi, juniperi, anisi ana drachmam unam, M. f. pulvis.

Pulvis diureticus in urinæ suppressione. Rec. Coralliorum ustorum drachmam unam, salis succini scrupulum unum, M. f. pulvis.

Styli dentifricii. Rec. Coralliorum rubrorum drachmas tres, pumicis usti drachmas duas, masticbes, terræ catechu ana scrupulos duos, tartari vitriolati, aluminis usti ana scrupulum unum, iridis florentinæ drach. duas, olei ligni rhodii gutt. 10. moschi gr. 5. Cum mucilagine tragacanthæ, f. bacilli.

Pulvis suaveolens. Rec. Masticbes optimi, storacis calamitæ, benzoe., succini, ana drachmas duas, florum rosarum rubr. lavendulæ, anthos, ana pugillum unum, olei ligni rhodii guttam unam, moschi granum unum. M. f. pulvis.

Pulveres medicamentosos non ingrediantur species diffusæ molis, uti sunt herbæ & vegetabilia omnia, quæ pulveres diffusos efficiunt, si prodesse velint. 2. Non ingrediantur ipsos copiosæ species, quod culpandum in veterum speciebus, ubi farraginem specierum sæpe inter se repugnantium conspicimus. 3. Non ingrediantur illos species diversæ indolis & contrariæ naturæ, quæ se invicem destruunt, vel fermentationem producunt, & peregrinum odorem, vel etiam virulentam vim medicamentis addunt. 4. Nec Aloetica, amara & fœtida.

Pulveres maxime commendant 1. minima moles & quantitas, 2. color, 3. sapor, 4. virtus, quæ omnibus præstat; Hinc consultum est propter gratiam vel extreme albicantia miscere, vel flavo aut rubicundo colore illos imbuere, & aurum in foliis immiscere. Ad saporem & odorem suavem ipsis conciliandum, laudem meretur additio moschi & ambræ grani unius, vel guttulæ stillatitii olei macis corticum citri, cinnamomi, &c.

Qui salini sunt pulveres, aut sapore ingrato instructi, optime accipiuntur cum vehiculo vinoso, vel vino saccharato frigido. Generalis enim regula est: Omnia ingrata & nauseabunda remedia non offerenda esse cum vehiculo calido.

Pulvis Viperarum.

Viperarum pulverem usurpamus frequenter, non tam in venenatis, quam in cutaneis affectibus, in febribus quoque ardentibus, & malignis, quibus maximæ sunt utilitatis. Ad ejusmodi pulverem parandum, accipe viperas capite, & cauda truncatas, nec non cute, & interaneis expeditas; has frustulatim incide in tigillo terreo vitreato, quibus affunde tantisper aquæ vitæ: tunc ex lento igne exsicca, donec friabiles sint, & in pulverem duci possint.

Ranarum Pulverem.

In primæ parte præsentis operis, Ranarum pulverem descripsimus, item vermium, viperarum, cancrorum fluviatilium, & Halecis. Pulvis eodem modo paratur, sunt denique multa animalia, quæ sic in Testudinum pulverem vertuntur.

Pulvis Vegetabilium.

Vegetabilia omnia facillime in pulverem reducuntur. Ex his Tragemata

mata cum ſaccharo conficimus, pro ſtomacho.

Pulv. digeſtivus.

Rec. Ligni aloes, Santal. cirrini, an. dr. j. Aniſi, Fœniculi, Coriand. præp. an. dr. iij. Cinnamomi, drach. ij. Macis, Roſarum, Galangæ, an. dr. ſ. Ambræ griſeæ, ſcrup. j. Moſchi, gran. x. Sacchari albi, lib. j. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, capiat Cochlear j. poſt cibum.

Alius.

Rec. Coriandri præpar. Aniſi, Fœniculi, Carui, Macis, an. dr. ij. ſ. Cinnamomi, dr. j. ſ. Zingiberis albi, dr. j. Caryophyllorum, ℈. ij. Nucis moſchatæ, dr. j. Sacchari albi, q. ſ.

Alius Rondeletii.

Rec. Aniſi cond. dr. ij. Galangæ, Cinnamomi, an. dr. iij. Piperis longi, ℈. ſ. Cort. Citri ſicci, dr. j. Sacchari ſolidi, unc. vi. Fiat pulvis.

Pulvis Cachecticus Quercetani.

Rec. Limaturæ Chalybis in tenuiſſimum alkool per ſimpl. aquam redactæ, vel cum ſulphure calcinatæ, ut artis eſt, unc. j. Fæculæ rad. Aronis, dr. j. ſ. Ambræ griſeæ dr. j. ſ. Eſſentiæ corallorum, Margarit. an. dr. ij. Succini præparati, Cinnamomi, an. ℈. v. Sacchari q. ſ, ut fiat pulvis guſtui gratus. Doſis ſemicochleare argenteum mane.

Pulvis Nephriticus.

Rec. Fol. Herniariæ, Betonicæ, Argent. Ceterach. an. unc. ſ. Sem. ruſci, Roſæ ſilveſtris, an. d. j. Miſce, fiat pulvis. Doſis dr. j. mane, & omnibus horis, cum juſculo, vel vino albo.

Alius.

Rec. Lapidum Cancrorum fluviatilium, dr. ii. Rad. ononid. ſicc. Fol. Herniariæ, Betonicæ, an. dr. j. ſ. Miſce, fiat pulvis.

Alius.

Rec. Fol. virgæ paſtoris ſicc. unc. ſ. Milii ſolis, dr. ij. Miſc.

Alius.

Rec. Lapid. lyncis, Judaici, Cryſtal. præp. Lapid. ſpongitis, Cancrorum fluviat. an. dr. j. Miſce, fiat Pulvis.

Pulv. Dentifricius.

Rec. Pumicis, dr. j. Corallorum præparat. dr. ſ. Margarit. præparat. dr. ſ. Aluminis uſti. dr. j. ſ. Salis gemmæ, dr. j. Caryophyllorum, dr. ſ. Maſtiches, dr. ij. ſ. Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Alius.

Rec. Oſſis ſepiæ, aluminis uſti, an. dr. j. Pumicis, drach. iij. Caryophyllorum, Salis gemmæ, an. ſcrup. iv. Miſce, fiat pulv.

Pulv. dentes dealbans.

Rec. Cruſtæ panis uſti, unc. ſ. Pumicis, drach. ij. ſ. Oſſis ſepiæ, drach. j. Corallorum præparat. Margarit. præparat. an. drach. ſ. Salis communis, drach. ij. Miſce, fiat pulv. ſubtil. Adde, ſi vis, moſchi dr. iij. ambræ griſeæ dr. vj.

Chymica Præparatio.

Omne quod ſub concavo Lunæ continetur, in pulverem reduci poſſe, nemo

eſt

est qui ignoret: unde facilis est cognitu modus faciendi pulveres, Chymicæ tamen methodus non est adeo trita; etsi enim Herbæ omnes vulgato modo siccentur, & terantur, Chymico non ita. Primo ab unaquaque substantiæ tres extrahuntur: quibus tinctura inest, primo ipsa, postea oleum, sal, & aqua. Quibus fragrans odor præpollet, is summa diligentia servatur; unde quia odor in oleaginea substantia residet, ea caute tractanda, maxime si in volatili, duplex est enim oleaginosa substantia, una volatilis, & tenuissima, altera crassa, & magis fixa. Tinctura, & sulphurea substantia extracta, ignis validior substernitur, & quod est fœtidum, & obscurum secernitur, seorsumque asservatur, igne tandem fortissimo adacto concremantur feces, a quibus sal, qui fixus & animalis, fixus, inquam, respectu volatilis. Eusmodi substantiæ simul miscentur in urinali vitreo amplo, & satis alto, cui proprio capitello aptato, blandissimus ignis submittitur: Hac via tenuior pars aquea, & oleaginea sursum ascendit: hæc rursum reaffunditur; ter & quater istud repetitur, donec crassum combiberit tenue: tum lentissimo calore omnia in pulverem vertuntur. Interea notandum est, ut fœtida, & tetra pars, lucidis non misceatur, terra etiam mortua abjiciatur.

Metalla, & mineralia alia methodo in pulverem reducuntur. Vel enim nonnulla solo igne calcinantur, & in pulverem vertuntur, uti Plumbum, stannum, ferrum, antimonium, &c. vel eadem cum additione, fortissimo igne adacto: vel sine igne cum spiritibus salium. Sed hæc fusissime *in secunda parte* tractavimus.

Insuper ex omnibus salis speciebus pulveres, seu potius arcana quædam paramus: ad hoc fermentum unius ex 7. metallis usurpamus, qua via dura, & incocta attenuantur, & coquuntur, atque in nostri usum facile reducuntur. Tandem ex animalibus in præcedentibus exempla satis perspicua tradidimus. Nunc pro coronide pulveres aliquot odoriferi proponuntur.

Pulv. Odoriferus præstantiss.

Rec. Rad. Ireos, unc. iv. Rad. Cyperi, Rosarum sicc. Damasc. Belzoini, an. unc. i. Labdani, Styracis cal. an. unc. i. Santal. Citrini, unc. ij. Moschi oriental. dr. s. Ambaris grisei, dr. i. Misce, fiat pulvis.

Pulv. Odorif. alius.

Rec. Rad. Cyperi oriental. Santal. Citrin. an. unc. j. Labdani, Belzoini an. ʒ. vi. Cort. arant. Rosarum; Damasc. Styracis calam. an. ʒ. iii. Cal. aromat unc. ß. Misce, fiat pulv.

Alius.

Rec. Santal. Citrin. unc. j. ß. Calam. arom. Belzoini, Styracis, an unc. ß. Moschi, ℈. j. Misce fiat pulvis.

Alius.

Rec. Zedoariæ, Folii, Cort. Galangæ, caryophyllorum, an. ʒ. ij. Calami arom. unc. ß. Cyperi, Santal. Citrin. an. unc. i. Ireos, unc. ii. Belzoini, Styracis, Labdani, ʒ. vi. Moschi, ℈. i. Ambaris grisæi, dr. ii. Misce: fiat pulvis.

Pulv. Cyprius.

Hic Bononiæ Pigmentarii pro pulvere Cyprio usupant marmoris, vel alabastri pulverem cum portiuncula moschi. Verus tamen pulvis Cyprius fit ex musco quercus, collecto mense Decembris, vel Januarii, & in umbra exsiccato: postea is

cum

cum modico aquæ roſaceæ pinſitur, & in paſtæ modum redigitur: ſi vero abſque roſacea aqua pinſeretur, nares offenderet. Ita in paſtam redactum, in pateram, & in vinariam cellam, vel in alium locum humidum repone, quoad mucidus evaſerit, ac efflorueriť, tunc iſtum ſupra tabellam extendito, & in clibano, vel ſole exſiccari facito: poſtea iterum in tenuiſſimum pulverem redigito, & ſolo belzoino ſuffumigato; vel pro ſingula pulveris jam ſicci libra, mannæ bezoinæ drachmæ decem miſceantur, & diu in mortario agitentur, & ita erit optimus pulvis.

SECTIO VIII.

(a) De Oleis.

OLea vel ſunt talia a natura producta, ut petroleum; vel artificialia. Artificialia vel per expreſſionem fiunt, vel per infuſionem, vel per diſtillationem.

(a) *De Oleis*. Semina medullari albicante ſubſtantia prædita, uti cucurbitæ, citrulli, melonum, cucumeris, ſeſamum, item nuclei, uti pineæ, amygdalæ &c. pinguibus oleoſis & aqueis partibus inſtructa ſunt, quamdiu hæc inter ſe accurate mixta ſunt, uti in recentibus ſeminibus, oleum non poteſt exprimi purum, ſed intertextum humiditati lactea ineedit facie, unde profluit fundamentum parandi emulſiones, quæ fiunt, ſi nucleis excorticatis inque mortario contuſis affunditur parum aquæ, ſic perpetua agitatione cum piſtillo exurgit pulticula, quæ expreſſa cum ſ. q. aquæ affuſæ fundit lac.

Circa oleorum expreſſionem notandum, quod ſemper prius ſemina ſeu nuclei exiccari debeant, ut aquoſitas omnis pereat, alias difficillime provenit oleum.

Non una vice olea expreſſa in magna quantitate facienda ſunt, ne rancorem contrahant facilem, ægris nocivum, atque ingratum.

Oleum corticum citri recens exprimi debet, non bene deſtillatur ex corticibus recentibus contritis, ſed remanet.

Oleum lumbricorum fit in oleo, ſola inſolatione & in vitro bene clauſo, aſt digeſtione eliciantur vires, non vero violentis coctionibus, ne ſubtiliores partes abeant. Poteſt coctio inſtitui in cucurbita, excipiendo idipſum, quod alembicum tranſcendit, iterumque dirigendo cum oleo deſtil.

Oleum chamomillæ præparatur ex floribus chamomillæ, ſi per quatuordecim dies ſtent macerati in aqua ut incipiant putreſcere. Nonnulli addunt ante deſtillationem olei philoſophorum clariſſimi uncias aliquot.

Omnia Olea expreſſa, uti etiam oleum hyoſcyami deſtillari poſſunt & ſubtiliſſima fiunt, quando affunduntur corporibus calcinatis, & ab illis abſtrahuntur.

Adipes defendi debent ab humido aere, ſic non tam facile ranceſcunt. Commodiſſime ſervantur in ſicco & temperato loco.

Oleum inunctionis ſacræ pro coronatione regis Angliæ Caroli II. tale eſt: Rec. Olei fragrantiſſimi, florum aurantiorum, per infuſionem in oleo been paratorum ana uncias ſex, Olei ſtillatitii roſarum unciam ſemis, olei cinnamomi drachmas tres, flor. benzoe alborum non aduſtorum unciam unam, ambræ gryſeæ drachmas quinque, moſchi & zibethi ana drachmam unam ſemis M. f. balſamum.

Oleum ad epilepſiam. Rec. Pinguedinis cati, caſtorei, hyoſciami, olei nuciſtæ, ana drachmas duas, olei rutæ deſtillati ſcrupulum unum, ſpiritus ſalis ammoniaci guttas viginti, M. f. unguentum, quo inungatur ſpinalis medulla.

Balſa-

Balſamum vitæ. Rec. Olei lavendulæ, majoranæ, caryophyllorum, cubebarum, cardamomi, citri recentis ana ſcrupulum unum, olei macis deſtillati ſcrupulos duos, olei cinnamomi guttas viginti quatuor, olei rutę, ſuccini albi ana ſcrupulum ſemis: hæc olea invicem miſceantur & per aliquot ſeptimanas ſtent; quando itaque extemporaneum balſamum vitæ habere volumus, de hoc oleo inſtilletur ſpiritus vini rectificatiſſimi unciæ unæ guttæ decem, quod ſi adhuc gratius reddere velimus, ambra in antea præſcripto oleo ſolvatur, & quidem addi poteſt huic oleo ſcrupulus ſemis, quod ſi autem balſamum hoc nobilioribus adhuc virtutibus balſamicis imprægnare volumus, addi poteſt balſamus Peruvianus, nimirum unciæ unæ, balſami vitæ drachma ſemis, ſic balſamum redditur apoplecticum, cujus uſus interne & externe eſt egregius; Interne in virium debilitate, doloribus colicis, ſyncope, defectu ſpirituum animalium, poteſt dari ad guttas decem viginti; externe autem in omni debilitate capitis, morbis ſpaſmodicis ſoporoſis, naribus, pulſibus, vertici capitis, nuchæ applicari poteſt.

Oleum anodynum. Eſt oleum hyoſcyami deſtillatum cum camphora mixtum, habet in colica ſpaſmodica, dolentibus hæmorrhoidibus, vigiliis &c.

Olea per Expreſſionem.

Oleum commune, quod ex olivis paratur fit per Expreſſionem, ex nucibus, amygdalis, ſeminibus Lini, Cannabis, Sinapi, Papaveris albi, &c. Contunduntur, ac vapore aquæ calidæ nonnulla tepefiunt, nonnulla etiam ſine illa evaporatione fundunt oleum in ſacculum incluſa, & torculari fortiter expreſſa. Hoc modo e baccis Lauri, ex ſeminibus ſambuci, & ſimilibus extrahitur.

Oleum ex Vitellis Ovorum.

Rec. Vitellorum ovorum indurat. No. xx. Conjiciuntur in ſartaginem æneam, & ſuper carbonibus friguntur continuo agitando, donec oleum edant; deinde ſaccnlo includuntur, tocularique oleum exprimitur.

Oleum Amygd.

Oleum Amygdalarum fit ex Amygdalis non depellatis, in mortariolo lapideo pertritis, & in calatho ſportaceo, aut ſacco cannabino in torculari calido exprimuntur.

Sic fit ex amygdalis amaris, Piſtaciis, Strobilis, nucibus avellanis, Indicis, nucleis Perſicorum, Ceraſorum, Semin. Cucurb. Melonum, Ricini, Staphyſagriæ, Cnici, Cinnabis, Lini, Papaveris, Hyoſcyami, &c.

Olea per Infuſionem.

Ex lignis, radicibus, foliis, floribus, & ſeminibus, fiunt infuſiones cum oleo communi olivarum, vel maturo, vel immaturo, quod omphacinum appellant. Item ex animalibus integris, vel ex partibus illorum, fiunt per infuſionem communiter.

Oleum Roſarum

Oleum roſarum hodie fit cum roſis recentibus, in oleo communi per aliquot dies, aut etiam menſem, ad ſolem infuſis, poſtea expreſſis; addendo inter coquendum ſuccum roſarum, vel vinum; reiteratur infuſio bis, & ter, ut validius fiat.

Oleum Chamæmeli.

Eodem modo oleum florum Camomillæ paratur: inſolantur æſtate, tota hyeme vero percolantur. In principio bis, & ter reiteratur infuſio; ultima ſervetur, ut de roſis.

Oleum

Oleum Rutæ.

Rec. Rutæ cum floribus inciſæ, & infuſæ in ſ. q. olei communis per 2. aut 3. menſes: colentur addito vino, vel ſucco rutæ.

Oleum Violarum.

Oleum Violarum itidem ex recentibus floribus violarum paratur, præmiſſa infuſione 2. vel 3. menſium in ſole, in vaſe duplici. Principio, dum recentes ſunt flores, reiteratur infuſio.

Oleum Liliorum.

Paratur & iſtud per infuſionem, quæ ſi bis, & ter reiteretur, Oleum longe nobilius, & efficacius redditur.

Oleum florum Citri.

Rec. Florum Citri probe mundatorum ab omni parte viridi, & critrina, q. ſ. infunde in oleo amygdalarum, & in tantum, ut ipſum oleum ſuperemineat duos digitos, & hoc in vaſe vitreo anguſti orificii bene obturati. Hoc autem exponitur ſoli per ſeptem dies; deinde in vaſe duplici calore aquæ tepefit, & colatur: in colato oleo novi flores reconduntur; atque ſoli exponuntur; & ut prius colantur. Tertio novi flores infunduntur, inſolantur, & colantur. Quater, & quinquies reiteratur infuſio: quo plus, eo melius.

Ol. florum Aranti, Jaſmini, florum Caryophyllorum, Myrthi, &c.

Eodem modo, quo ſupra parantur olea florum odoratorum, poſſunt fieri cum oleo communi pluries aqua communi loto; ſed omnium optime in oleo balani myrepſ. quod ſit omnis odoris expers, nec rancidum fiat, ut cætera olea. Sed elegantius Chymice parantur.

Alio modo paranda Olea ſl. Citri, Arantiorum, Violarum, Lilij convallij, &c.

Parantur ejuſmodi olea ſine infuſione, ſtratificando flores cum ſem. ben. ve. amygdalis optime repurgatis, minutim inciſis, in capſura lignea, vel in olla probe vitreata, & firmiter clauſa, ſingulo die reiterando novos flores, & veteres removendo: tandem ſemina, ſeu amygdalas prælo fortiter exprime, ſic habebis oleum flagrantiſſimum. In quo animadverte, ut flores ſint ab omni parte herbace[a] liberi; item ut antequam ſemina, vel amygdalas prælo ſubjicias, nullus ſuperſit[t] flos; ſecus quod educeretur oleum, minus fragrans, & deterioris coloris eſſet.

Alio modo.

Rec. Goſſipium lanugineum, mundum & nitidum, ad hoc pluries in aquis florum, de quibus ol. educere vis, lotum: hoc probe exſiccatum imbuitur uno ex dictis oleis: cum eo, & floribus dictis fit ſtratum ſuper ſtratum, quotidie renovando flores in olla vitreata bene clauſa. Quater aut quinquies renovantur flores, tunc prælo ſubjiciuntur, & educitur oleum odoratiſſimum. Infuſio tamen nobis magis arridet. Videndum porro ut flores colligantur ex arbore, tempore ſereno, & ne rore aut alio humido perfundantur. Sunt qui parum Moſchi, & Ambaris griſei addunt, ut gratiora evadant. Cum ejuſmodi oleis, moſcho, ambare, & zibetto, Chirothecas, pelles, & ſimilia odorata reddunt. Sed nos medica tractamus. Vires ejuſmodi oleorum in ſpiritibus recreandis mirabiles ſunt. Cordis palpitationes mirifice juvant.

Chymicæ præparationes ol. Citri, Arantii, &c.

Olea

Olea Citri, & Arantiorum, non niſi in locis, ubi abundant ejuſmodi flores parari poſſunt, nam eorum maxima quantitas requiritur; ad minus quadraginta libræ: ad hoc, ex propriis arboribus excerpi debent, nam humi collecti vim illam balſamicam pro majori parte amittunt. Hos conjiciamus in vas æneum ſtanno obductum, cui ſuperfundemus aquæ communis ſufficientem quantitatem: maceratione 5. vel 6. dierum præmiſſa, per refrigeratorium prolicitur aqua, & Oleum, blando igne admoto. Aqua erit fragrantiſſima, & oleum in exigua quantitate.

Poteſt etiam ex ſolis floribus, in vitreo urinali, ad balneum aquæ, oleum cum aqua elici, aurei coloris mirabilisque odoris, ſed quam minimæ quantitatis.

Si aquam, quæ prius ex aliis floribus manavit, ſuper alios flores irroraveris, mox diſtillaveris, exibit aqua pretioſioris odoris, & olei major quantitas erit.

Oleum deſtillatum ex floribus omnibus odoratis.

Odorati flores ſubſtantiam ſulphuream in ſuperficie continent, ideo ſumma eſt adhibenda cautela in olei ipſorum extractione, maxime circa vaſa, & calorem. Vaſa ſint vitrea cum refrigeratorio; calor ſit mitis, & blandus, qualis eſt Balneum aquæ. Flores ſint integri, & macerentur prius per aliquot dies, in ſ. q. aquæ: primam aquam cum oleo exuctam recentibus floribus reaffunde, & mox diſtilletur. Aqua hæc ſecunda cum oleo ſuper novos flores iterum affundatur, ſic copioſius erit oleum, & aqua validior.

Oleum Corticum Citri diſtillatum.

Ex recentibus & ſiccis corticibus citri, oleum elicitur. Recentes incidantur ad album medullæ, tunc indantur urinali vitreo cum aqua; igne cinerum admoto, effluit oleum cum aqua. Sicci macerentur prius in aqua per 8. dies; deinde per veſicam æneam cum ſuo refrigeratorio proliciatur oleum.

Oleum Hyperici ſimplex.

Si ſeduli eſſent Pharmacopolæ in hoc oleo parando, compoſitis balſamis carere poſſemus, & omni tempore peropportunum vulnerarium haberent in officinis. Paratur vero ſic:

Rec. Summitatum Hyperici, unc. iij. Macerentur in vino odorifero, diebus tribus, & totidem noctibus: bulliant deinde in vaſe duplici, obturato orificio vaſis: poſtea exprime, & recentis Hyperici ſummitatum bene tritarum par pondus injice, & iterum macera dies tres; ac noctes, coque, & exprime: tunc etiam tertio recens Hypericum adde, & ſi vinum minuatur, adde aliquid. Poſtea adde Terebinthinæ, unc. iij. Olei veteris, unc. vj. Croci, ℈. j. Coquantur in duplici vaſe uſque ad vini conſumptionem: cola, & repone.

Calidum eſt, & ſiccum, & tenuium partium: vulnera inciſorum nervorum conſolidat, & combuſtionem ignis: ſedat dolores femoris, & veſicæ, & provocat urinam.

Oleum Hyperici magiſtrale.

Rec. Ol. veteris, ℔. iv. Vini albi potentis, ℔. j. Florum Hyperici rec. cum Sem. Man. iv. Facta infuſione per 2. dies, & percolata recentes flores excipe, infu-

infusionem repete ter, in dicta colatura, cujus singulæ lib. colaturæ adde Terebint. unc. vj. Olei Absint. unc. iij. Distamni, Gentianæ, cardui bened. Tormentill. Carlinæ, Calamiarom. an. ʒ. ij. Lumbricorum in vino pluries lotor. ʒ. ii. Terantur omnia, & insolentur 30. aut 40. diebus, & bene obturatum reponas.

Aliud Magistrale Matthioli.

Rec. Olei vetustissimi, ℔. iij. Flor. Hyperici mense Maji collect. Man. iij. Macerentur 12. dierum spatio, & calide exprimantur: in facta colatura secundo infunde novam herbam cum floribus. Item fol. chamædryos, Calamenthi, Cardui benedict. an. Man. j. Macera triduo in balneo maris, & cola cum forti expressione, in qua expressione recentem herbam Hypericonis ad Man. iij. macera triduo, ut prius, & cola in colatura, dicti Hypericonis semina ad Man. iij. iterum infunde triduo, & cola ut prius. Reitera ter seminis infusionem, semper cum valida expressione. In qua noviter infunde Scordii recentis, Calamen thi, Centaureæ min. Cardui bened. Verbenæ, Diptamni Cretici, an. dr. iij. In facta quarto colatura, ut prius, præmissa infusione trium dierum infunde Zedoariæ, Rad. diptamni albi, Gentianæ, Tormentill. Aristoloch. rot. an. dr. iij. Scordii recent. man. j. In forti expressione post triduanam macerationem, infunde Styracis calam. Belzoini, an. dr. vi. Bacc. Juniperi, dr. iiij. Nigel. dr. ij. Cassiæ odorif. d. viiij. Santal. albi, dr. iiij. Schœnanthi, Cyperi, an. dr. j. ſſ. contusa infunde, & macera triduo, tandem cola ut supra. In colatura infunde scorpiones vivos Num. ccc. macera triduo, ut supra, & cola. In facta expressione denuo infunde Rhabarb. el. Myrrhæ el. Aloes Hepaticæ an. dr. iii. Spicæ Nardi dr. ii. Croci dr. i. Theriacæ electæ, Mithridatii opt. an. ʒ. ſſ. Stent in infusione perpetuo, & serva ad usum.

Venenis omnibus, Pesti, Pestilentibusque morbis summopere confert. Basis est Hypericum, & scorpiones. Valet & ad plures alios morbos.

Ol. Cydoniorum.

Per infusionem paratur ejusmodi oleum, ut de cæteris dictum est. Bis & ter repetitur infusio. Additur etiam succus cum sufficienti quantitate pomorum contusorum.

Pharmacopolarum major pars, cum corticibus & ramentis, quæ fiunt in mundandis pomis, infusionem parant, eamque colant hyeme cum cæteris oleis, pauco succo aut vino addito.

Ol. Myrtinum.

Ex baccis myrti contusis paratur istud oleum: infusio ter reiteratur cum succo dict. bacc.

Vel.

Fit cum selibra myrtillorum recent. ol. omphacini aut loti sesquilibra: insola, aut coque, cum vini albi austeri, unc. iv. ad vini consumptionem. Fit etiam per expressionem, & per decoctionem in aqua, donec oleum supernatet, quod concha separandum est.

Ol. Mastichinum.

Oleum Mastichinum recipit Ol. rosati, unc. xij. Masticbes, unc. iij. Vini boni, unc. viij. Coque ad vini consumptionem.

SECTIO

SECTIO IX.

(a) De Unguentis & Linimentis.

UNguentum antiquis materia luxus, e cunctis maxime ſupervacuum, quod illico expirent, ac ſuis moriantur horis. Ex odoris olim conficiebantur, nunc ex omnibus promiſcue. Corpus Unguenti craſſius eſt oleo, liquidius Emplaſtro, Linimentum tenet medium inter oleum, & unguentum. Omnium communis materia eſt oleum, & cera. Particularis ſunt Gummi, reſinæ, medullæ, adeps, pinguedo quævis, quibus accedunt pulveres cujuslibet rei. Sic parantur:

(a) *De Unguentis*. Unguenta ſunt mediæ conſiſtentiæ inter olea & emplaſtra, fluidius linimentum dicitur, mollius unguentum & durius emplaſtrum.

Reſinoſa difficilius miſcentur oleoſis, in liquatione, niſi continuo leviter agitentur, ne fundo adhæreant, melius ex tempore miſcentur ſub finem prius pulveriſata. Opium, gummata, extracta vegetabilium non commode miſcentur cum oleoſis, quia non facile ſolvuntur.

Olea deſtillata, & ſpiritus volatiles ſaltim adduntur ad penetrantiam unguentis conciliandam.

Linimentum antiſpaſmodicum reſolvens. Rec. Spiritus vini rectificati uncias duas, ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis drachmas duas, camphoræ drachmas tres, opii drachmam ſemis, nitri optimi vel artific. unciam ſemis. Uſus eſt externus in eryſipelate, podagra, arthritide vaga & fixa, & in omnibus inflammationibus, pleuritide, doloribus artuum, doloribus dentium.

Unguentum nervinum. Rec. Unguenti nervini, ſive carminativi, olei nuciſtæ expreſſi ana drachmam unam, pinguedinis caſtorei, olei hyoſcyami ana drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum ſemis, ſpiritus ſalis ammoniaci guttas quindecim. M. f. unguentum. Uſus externus in epilepſia, motibus convulſivis ſpaſmodicis, colica, diarrhæa, paralyſi, contractura, cardialgia, paſſione hyſterica.

Ungentum pro infantibus. Rec. Unguenti dialtheæ, unciam ſemis, olei laterum drachmam ſemis, olei tartari per deliquium guttas viginti. M. f. unguentum. Uſus in alvo duriore.

Unguentum vulnerarium. Rec. Balſami Peruviani, olei tartari deſtillati ana partes æquales. M. f. unguentum.

Unguentum conſolidans. Rec. Olei olivarum cum lythargyrio cocti unciam unam, adde florum mille folii, hyperici, liliorum alborum ana pugillos tres. Stet in aere liberiori per aliquot dies, deinde expreſſum novis iteratur ſpeciebus, ultimo addatur balſamus Peruvianus pro unguento.

Unguentum ad pelliculas oculorum. Rec. Tutiæ præparatæ drachmam ſemis, vitrioli albi grana decem, florum antimonii grana ſex, ſalis ammoniaci grana ſeptem, camphoræ grana quatuor, pinguedinis viperarum drachmam unam, axungiæ ſuillæ, ſive unguenti pomadi unc. ſemis. M. poteſt addi amianthus. Uſus eſt præmiſſis purgantibus mercurialibus in maculis, item cataracta oculorum.

Unguentum Aureum Meſuæ.

Rec. Ceræ flavæ, ʒ.vj. Olei communis, ℔.ij.ſ. Tereb ʒ.ij. Reſinæ pini, Colophoniæ, an. ʒ.j.ſ. Thuris, Maſtiches, an. u.j. Croci, dr.j. Liquantur ſimul Cera, reſina Colophon. Maſtiche, & Terebinthina: ſub fine adde Thuris in pulverem redacti, cum Croco, & fiat unguentum. Vulnera certo, & ſalubriter glutinat.

Unguentum Baſilicum Minus.

Rec. Ceræ flavæ, Reſinæ pinguis, Picis Græcæ, an. ℔. Ol. communis q. ſ. Liquentur ſimul, & fiat unguentum.

Un-

Unguentum Basilicum Majus.

Rec. Ceræ albæ, resinæ pini, sepi vaccini, Picis Græcæ, Picis nigræ, Terebinthinæ, thuris, myrrhæ, an. ℥.j. Olei communis q.s. Fiat unguentum.

Unguentum Ægyptiacum.

Rec Æruginis, drach. x. Mellis, drach. xiv. Aceti albi drach. vij. Coque igne, & tantisper movet, donec fiat rubrum.

Unguentum Apostolorum.

Rec. Ceræ albæ, therebinthinæ, resinæ, ammoniaci, an. drach. xiv. Aristolochiæ longæ, Thuris, Bdellii, an. drach. vj. myrrhæ, galbani, an ℥.iv. Lithargyr. ℥.ix. Opoponacis, æruginis, an. ʒ.ij. Olei communis, ℔. ij. Hyeme vero ℔. iij. Misce, fiat unguentum secundum artem. Solvenda sunt Gummi cum aceto eaque coquenda ad mellis crassitiem; his Terebinthinam, refrigerato fere unguento, misce paulatim, cum pulveribus.

Unguentum Album, sive de Ceruſſa.

Rec. Ceruſæ lotæ, lib. ij. Ol. ros. lib. iv. Ceræ albæ, ℥.iv. Misce, fiat Unguent.

Sunt qui Caphuram, qui Albumina ovorum, qui lithargyrium, & qui ol. amygdalarum dulcium addunt.

Unguentum Dialthæa simpl. Nic.

Rec. Rad. altheæ, lib. ij. Sem. Lini, Sem. Fœnugræci, an. lib. j. Ol. communis, lib. iv. Ceræ lib. j. Terebinth. ℥ ij. resinæ, ʒ.iv. Radices & semina contusa macerentur tribus diebus in aquæ lib. 8. aut q.s. Quarta die coquantur, donec remittant crassam, & viscidam mucilaginem, eam deinde exprime: mox recipe expressæ mucilaginis lib. ij. & coque cum oleo. Quum tandem aquosum illud in mucilagine consumptum fuerit, ceratu addito, & fac secundum artem.

Unguentum Dialthæa comp. Nic.

Rec. Rad. Altheæ, lib. ij. Sem. Lini, Fœnugræci, an. lib. j. Scillæ recentis, ℥.vj. Olei, lib. iv. Ceræ, lib. j. Terebinth. Gummi hederæ, Galbani, an. ℥. ij. Colophon. resinæ, an. ℥. vj. Radices, & lini semina contusa macerentur tribus diebus in aquæ q.s. deinde coquantur, donec mucilago crassescat. Postea recipe mucilaginis expressæ lib. ij. cui adde reliqua, & fac unguentum secundum artem.

Unguentum Populeon.

Rec. Oculorum populi arbori recentium, lib. j. sem. Axungiæ porcinæ præparatæ lib. ij. Oculi populi contundantur, & macerentur cum axungia, donec sequentes herbæ colligi queant. Deinde

Rec. Fol. Papaver. agrestis, fol. mandragoræ, cymarum rubi tenerrimarum, fol. Hyoscyami, Solatri, Vermicularis, Lactucæ, Semper vivi maj. Bardanæ, Violarum, umbilici Veneris, an. unc. iij. Vini optimi, quantum suff. Coquantur ad vini consumptionem; deinde cola, exprime, & fiat unguentum.

Contra nimium calorem valet, & temporibus illitum somnum conciliat.

Unguentum Diapompholygos, seu de Tuthia Nic.

Rec. Ol. rosati, unc. x. Ceræ albæ, unc. v. Succi fructus solani sativi, unc. viij. Ceruſſæ lotæ, unc. iv. Plumbi usti, & loti, Pompholygis, Tuthiæ præpar. an. unc. ij. Thuris, unc. j. Confice secundum artem.

Ad ſiccanda eryſipelata, vulnera ſordida, & ulcera cava, optimum eſt. Cicatricem obducit, & refrigerat.

Unguentum de Minio.

Rec. Minii tenuiſſime pulveriz. man. iij. Lithargyrii, Ceruſſæ, an. unc. j. Ol. roſati, lib. j ß. Ceræ albæ, unc. iij. Miſce, & fiat unguentum.

Unguentum Refrigerans Gal.

Ceræ albæ, lib. ß. Ol. roſati omphac. lib. ij. Liquentur ſimul, & aqua fontis frigidiſſima diu laventur, & tandem aceto albo ſubigantur.

Unguentum Santal.

Rec. Roſarum, drach. xij. Santal. rub. drach. x. Santal. albi, Santal. citrini, an. drach. vj. Boli armeni, drach. vij. Spodii, dr. iv. Camphoræ, dr. ij. Ceræ albæ drach. 30. Ol. roſati, lib. j. Miſceantur ſecundum artem, & fiat unguentum.

Unguentum Comitiſſa.

Rec. Cort. median. Caſtanearum, Glandium, Cort. median. Quercus, Bacc. myrti, Caudæ equinæ, Gallarum, Cort. fabarum, Anicor. Uvar. Calycum glandium, Sorborum immaturorum ſicc. Meſpilorum immaturorum ſicc. Fol. Capparis, Fol. prunelli ſilveſtris, Rad. Chelidonii, an. unc. j. ſem. Contundantur aliquantulum, & coquantur in decocti plantag. quant. ſuff.

Inceptum abortum prohibet, hæmorrhoides ac laxatos renes corroborat.

Unguentum Reſumptivum.

Rec. Axungiæ porci recentis ſine ſale, unc. iv. Axungiæ Gallinaceæ, Anſeris, Anatis, an. unc. ij. Oeſypi humidæ, unc. ß. Olei violati, Chamæmel. Anethini, an. ʒ. ij. Butyr. recentis, lib. j. Ceræ albæ, unc. vj. Mucilag. Tragacant. Mucilag. Sem. Coroneorum. Lini, Bismalvæ, Gummi arab. an. ʒ ß. Miſce, & fiat Unguent.

Unguentum de Arthanita Minus.

Rec. Succi Cyclaminis, Succi glutinoſi, Rad. filicis, Succi Ebuli an. unc. ix. Succini ſummit. Tamariſci, unc. ij. Oeſypi humidæ, unc. v. Ol. Irini, lib. ij. Bdel. Ammoniaci, an. unc. j. ſem. Aceti q. ſ. ad ammoniacum diſſolvendum, Ceræ Citrinæ, unc. vj. Cort. rad. Capparis, unc. j. ſem. Spicæ, drach. iij. Confice unguentum ſecundum artem.

Unguentum de Arthanita Majus Meſ.

Rec. Succi Arthanitæ, lib. iij. Succi Cucumeris aſinini, lib. j. Ol. Irinis, lib. ij. Butyri Vaccini, lib. j. Pulpæ Colocynthidos, unc. iv. Polypodii, unc. vj. Euphorbii, unc. ſem. Arida omnia contundantur, & macerentur in ſuccis per dies octo, affuſo etiam oleo, in vaſe vitreo diligenter obturato: Nono deinde die coquantur lento igne aliquandiu, poſtea colentur: colaturæ adde Sagapeni in aceto diſſoluti, aur. v. Confice ſecundum artem.

Rec. Myrrhæ, aur. ij. Coquantur iterum ad conſumpt. ſuccorum, poſtea adde Ceræ, unc. v. Fellis Taurini, aur. v. Ferveant ſimul, donec liqueſcat cera: poſtea inſperge ſequentium rerum tenuiſſimum pulv.

Rec. Scammoneæ, Aloes, Mezerei, Colocynthidos, an. aur. v. Euphorbii, aur. ij. Salis gemmæ, aur. iij. Turbith, aur. v. Piperis longi, Zingiberis, Camomillæ, an. aur. ij. Confice ſecundum artem.

Illitum ſtomacho vomitu purgat, Hypogaſtrio autem inunctum, alvum dejicit,

dejicit, ob id Hydropicos mire juvat, seorsum excrementum educendo. Vermes quoque necat, & educit.

Unguent. Citrinum.

Rec. Boracis, unc. ii. Caphuræ, unc. i. Coralli albi, unc. i. ſſ. Cypſi, unc. i. Umbilici marini, Tragacanthæ albiſſimæ. Amyli, Cryſtalli, Entalii, Dentalii, Thuris albiſſimi, Nitri; an. dr. iii. Marmoris albi, dr. ii. Gerſæ ſerpentariæ, dr. i. Ceruſſæ, dr. vi. Axungiæ porcinæ rec. ℔. i. ſſ. Sepi Caprini præp. unc. i. ſſ. Adipis Gallinacei præp. unc. i. Axungiam porcinam, & adipem gallinaceum liqua ſimul, & impone tepidis adhuc, corticum citri ſatis magnam quantitatem, & macerentur per menſem unum. Poſtea eximito cortices, & liquato porcino adipi, adde adipem gallinaceum, & Sebum Caprinum; deinde addantur reliqua tenuiſſime trita; ultimo vero inſperge Caphuram ſubtiliſſime tritam.

Faciei maculas emendat, ſcabiem corrigit, cicatrices exterminat, ruborem oculorum aufert, aſpera lævigat.

Unguent ex ſuccis.

Rec. Ol. roſati comp. ℔. i. Ol. roſ. Omphac. ℔. ß. Succi fol. Plantag. Succi Solan. hortenſis, Succi Centaur. min. Succi Lapathi, an. unc. iii. Bulliant olea cum ſuccis ad eorum conſumpt. Deinde adde Ceræ albæ, q. ſ. ad formandum unguentum molle; quibus bene agitatis, donec tepida fiant, inſperge Lithargyrii tenuiſſ. pulv. unc. iii. Pompholygis præp. unc. ß. Recrem. plumbi pulv. dr. vj. Miſce, fiat unguentum.

Aliud Unguent. ex ſuccis.

Rec. Lithargyrii loti, ℔. i. Ol. roſati, q. ſ. Succorum plantag. Solatri hort. an. q. ſ. Nutriantur in mortariolo, & fiat unguentum.

Unguent. de Lithargyrio.

Rec. Lithargyrii, Ol. communis, aut potius roſati, Aceti, an. q. ſ. Nutriatur primo lithargyrium cum oleo roſato longo tempore; adde poſtea acetum ſenſim, & iterum oleum, & ſic viciſſim fiat unguentum.

Unguentum Roſatum.

Rec. Axungię porcinę recentis, q. ſ. Lava multoties in aqua tepida & toties donec omnem odorem depoſuerit: in ea infunde roſas tuſas per vii. dies, poſtea lento igne coq; in vaſe duplici, & cola, in colatura recentes roſas tuſas iterum infunde, coq; & cola, ter, terepete, & habebis unguentum perfectum.

Unguent. florum Arantiorum, Citri, Iaſmini.

Rec. Florum arantiorum, q. ſ. Integros infunde in ſ. q. axungiæ porcinæ, optime lotæ cum aqua tepida, & tandem frigida: lento igne excalefac quotidie, & tandem cola. In colatura novos flores integros affunde, macera in ſole, vel hypocauſto: cola iterum, ut prius: ter & quater reiteretur dicta infuſio.

Vel alio modo.

Rec. Supradictorum florum, q. ſ. Infunde in ſ. q. olei ben, macera per aliquot dies, cola, & reitera ter infuſionem; ſi volueris ſexies, & ſepties: in ultima colatura liqua Ceræ albæ q. ſ. ut inſpiſſetur.

In oleo amygd. dulc. pariter fiat infuſio; at brevi tempore aceſcit, & amittit ſuavitatem omnem, & ſit rancidum, ac graveolens.

Chymica Præparatio.

Ex ſupradictis floribus, extillatur oleum per veſicam, vel vas refrigeratorium, ut ſupra diximus, in eo liquatur ceræ albæ, quantum ſufficit ad juſtam unguenti craſſitiem.

Rec. Ceræ albæ, ℔. ii. Olei, ℔. viii. aut q.ſ. Roris marini, Fol. lauri, Rutæ, an. ʒ. viii. Tamariſci, Ebuli, Sabinæ, Balſamitæ, Salviæ, Polii, Calamenthæ, Arthemiſiæ, Enulæ, Betonicæ, Brancæ Urſinæ, Spatgulæ, Herbæ venti, Pimpin. Agrim. Abſinth. Ocymi, Herbæ paral. Coſti, Cymarum Sambuci, Craſſulæ, Mille folii, Sempervivi, Chamædryos, Centaurii, Centumnerviæ, Fragariæ, Quinq; folii, an. ʒ. iv. ſ℈ Rad. Altheæ, Cymini, Myrrhidis, an. ʒ. iii. Fœnugræci, Butyri, an. ʒ. i ſ℈. Sem. Urticæ, Violarum, Papav. albi, Menthæ Saracenæ, Menthæ Criſpæ, Laparioli, Polytrichi, Cardoncelli, Matriſſilvæ, Flor. camomill. Herb. moſchatæ, linguæ cervinæ, Criſpulæ, Camphoratæ, Styriacis calamitæ, Medullæ cervinæ, an. ʒ. iii. Adipis Urſini, Adipis Gallinacei, Adip. Anſerini, Maſtiches, an. ʒ. i. Thuris, ʒ. iii. Ol. Nardini, ʒ. ii. Herbæ omnes Majo menſe colligantur; & inciſæ macerentur in vino odorifero per dies ſeptem; octavo deinde die coquantur, donec fere conſumatur vinum: poſtea cola, & colaturæ expreſſæ adde oleum, & coq; donec conſumatur vinum fere; mox adde ceram, & reliqua ſecundum artem. Adverſus torporis frig. mala, reſolutionem coxendicum, nephrit, convulſionem, & id genus alia valet. Tumores reprimit, durities emollit, livoremque cutis emendat.

Unguen. Aregon.

Rec. Rorismarini, Majoranæ, rad. Jari, (1. *Serpentariæ.*) Serpilli, Rutæ, Rad. Cucumeris aſin. an. ʒ. iv. Fol. Lauri, Salviæ, Sabinæ, an. ʒ. iii. Pulicariæ maj. minoris, an. ʒ. iv. Rad Bryoniæ, u. iii. Laureolæ, fol. Cucum. aſinini, Nepetæ, an. u. vi. Maſtiches, Olibani, an. ʒ. iiii. Pyrethri, Euphorbii, Zingiberis, Piperis, an. u. vi. Olei Moſchelini, unc. ſ℈. Ol. communis ℔. v. Petrolei clari, unc. i. Butyri, unc. iiii. Herbæ, & radices Majo menſe collectæ in oleo macerentur diebus ſeptem, deinde coquantur, & colentur, colato oleo adjice reliqua, atq; adde Ceræ, ℔. i. u. iii.

Prodeſt malis corporis frigidis, convulſionibus, reſolutionibus partium: item dolori colico, renum, articulorumque.

Unguent. Agrippæ Regis.

Rec. Rad. Bryoniæ, ℔. ii. Rad. Cucum. aſinini, ℔. i. Scillæ, lib. ſ℈. Ireos, unc. iii. Rad. filicis, Ebuli, Tribulorum aquatic. an. unc. ii. Ceræ albiſſ. u. xv. Ol. albiſſ. lib. iv. Macerentur radices recentes contuſæ per dies octo in oleo, deinde coquantur, & exprimantur: in colato oleo diſſolve ceram, & fiat unguentum.

Hydropicis, & omnibus corporis œdematis ſuccurrit: Nervor. mala ſanat, urinam movet. Extrinſecus illitum ventrem ſubducit, doloriq; renum utile eſt.

Unguent. Vulnerarium.

Rec. Ol. Vulnerarii in *prima parte* deſcript. lib. i. Ceræ Citrinæ, un. iii. Terebinthinæ, unc. i. Maſtiches, unc. i. ſ℈. Liquentur ſimul, & fiat unguentum.

Aliud.

Rec. Fol. Ophiogloſſi, Man. iii. Bugulæ, Saniculæ, an. Man. ſ. Infundantur in ſufficienti quantitate olei Hypericonis, coquantur lento igne, & colentur: in colatura infunde Flores Tapſi barbati, Flores ſolis, ſeu Helianthemi, (alias Hyſſopi,

Hyſſopi nemorenſis) Hipericonis, an. part. æqual. Coquantur lento igne, poſt macerationem 8. vel 10. dierum. In colatura ſolve Maſtiches, unc. iii. Ceræ Citrinæ, q. ſ. Fiat unguentum ſecundum artem.

Unguentum Armarium.

Rec. Adipis verris aprugni, urſini, an. lotones viii. Pul. Lumbricorum, Cerebri Aprugni ſiccati, Sandali rubri odoriferi, Mumiæ, Hæmatit. an. unc. i. Uſneæ, circiter unc. i. Fiat unguentum ſecundum artem.

Aliud ex Theoph. Parac.

Rec. Uſneæ in cranio humano aliquando ſub cœlo relicto prognatæ, unc. ii. Mumiæ unc. ß. Adipis humani, unc. ii. Sanguinis humani, unc. ß. Ol. lini, dr. ii. roſarum, unc. i. Boli armeni, unc. ß. Hæc in mortario tunde tamdiu, donec in purum ungentum redigantur.

Vires, & uſus in medium non propono; non ſolum utilitati, ſed etiam curioſitati conſulere oportet.

Chrymica Præparatio.

Unguenta ſuperius facta variis modis poſſunt Chymice præparari, de quibus varia jam tradidimus præcepta; at quia antiquorum methodum ſequimur eam merito intactam relinquimus.

Unguentum Bezoardicum A. S.

Rec. Succi Nicotianæ, ℔. iiii. Succi Rutæ, Abſinthii, Abrotani, Card. benedict. an. ℔. ii. Axungiæ Cervi juvenis, ℔. ii. Ol. Scorpionum optimi de Sem. Citri expreſſi, an. ℔. ß. Bulliant ſimul in olla vitreata, lento igne ad ſuccorum conſumptionem: mox cola, & refrigerari ſine: poſtea unguentum ſuperius, a ſuccorum reſidentia, (quod viridiuſculum, ſulphureiſque dictarum herbarum ſubſtantiis valde repletum erit) ſepara; adde: Extracti Alexiterii ſpecifici, unc. iii. Extracti opii Thebaici, Eſſentiæ mumiæ, Caſtorei, an. unc. i. Ol. Balſamici Peruviani odorif. per retortam diſtillati, Ol. de liquidambar. Ol. de ſtyrace liquid. Ol. ſuccini albi, an. unc. iiij. Ol. Caryophyllorum, Ligni Saſſafras, Thymi, Roriſmarini, Camphoræ, an. unc. ii. Miſce, fiat unguentum.

Unguent. pro Scabie.

Rec. Unguent. Roſati, ℔. i. Balſami Peruviani, unc. i. Mercurii dulc: ſublim. unc. i. Miſce, fiat unguentum.

Aliud.

Rec. Styracis liquidæ, unc. i. Ung. Roſati, unc. ii. Miſce, fiat unguentum.

Aliud.

Rec. Unguent. de lithargyrio, Unguent. Roſati, an. unc. ii. Styracis liquid. unc. i. Miſce, fiat unguentum

Aliud.

Rec. Terebinthinæ lotæ, unc. ii. Vitellorum ovorum. No. ii. Ol. Roſati unc. iii. Sulphuris ſubtil. triti, dr. iii. Ceruſſæ, unc. ß. Miſce, fiat unguentum.

Aliud.

Rec. Lithargyrii loti. Ol. roſati, q. ſ. Succi herbæ Reginæ, q. ſ. Nutriantur ſimul in mortariolo, & fiat unguentum.

Aliud.

Rec. Ung. de Lythargyrio, Unguent. Rosati, an. unc. ii. Styracis liquidæ, unc. i. cinnabaris, dr. iii. Misce, fiat unguentum.

SECTIO X.

(a) *De Cerotis, & Emplastris.*

BOnoniæ, ubi hæc medicamur, Emplastri nomine abutuntur Medici, & pro Emplastro Cataplasma intelligunt, pro Ceroto Emplastrum. Emplastrum, & Ceratum secundum consistentiæ modum differunt: ut enim linimentum, & unguntum; ita Ceratum, & Emplastrum; nimirum Ceratum Emplastro minus duram habet consistentiam, ad Emplastri tamen duritiem fere accedit. Dicitur Cerotum, & Ceratum a cera, quod majorem partem Ceræ recipiat, & componitur hodie ex pulveribus, oleis, gummi, pice, terebinthina, & cera, additis interdum pinguedinibus, medullis, & mucilaginibus. Emplastrum, ἀπὸ τῦ ἐμπλάττειν, quod extendi, & linteo vel alutæ induci, vel illini possit. Est enim Emplastrum, medicamentum corpori admovendum, durum valde, & solidum, eique firmiter adhærescens.

(a) *De Emplastris.* Emplastrum stomachale. Rec. Emplastri de crusta panis, oxycrocei ana unciam semis, olei menthæ, caryophyllorum ana guttas 15. balsami Peruviani, olei nucistæ expressi ana dr. s. M. f. l. a. emplastrum, in morbis ventriculi, nausea, vomitu, febribus intermittentibus, diarrhæa, dysenteria, &c.

Emplastrum anodynum. Rec. Empl. Vigon. de ran. cum mercurio, spermatis ranarum ana unciam unam, olei hyoscyami q. s. balsami sulphuris scrupulum semis. M. f. emplastr. In doloribus dorsi, lumborum, pleurit. raucedine, doloribus podagricis, & tumoribus, etiam doloribus pectoris, omisso emplastro mercuriali.

Emplastrum ad tempora. Rec. Olei nucistæ expressi drachmam semis, opii scrupulum semis, camphoræ gran. sex, olei caryophyllorum guttas quinq; balsami Peruviani scrupulum unu. M. f. emplastrum: Usus in vigiliis ad somnum conciliandum doloribus dentium, aurium, capitis.

Emplastrum in hæmoptysi. Rec. Emplastri spermatis ranarum, unciam semis, aluminis usti scrupulos duos, olei hyoscyami q. s. M. f. emplaustrum, usus in hæmoptysi ad præservandum.

Emplastrum polychrestum. Rec. Axungiæ humanæ, sive equinæ unciam unam, minii, cerussæ ana unciam semis, saponis Venet. drachmas sex, camphoræ parum. f. Emplastrum, potest addi oleum hyoscyami. Usus in catarrhis, ulceribus falsis, ambustis & inflammatis partibus, in tumoribus, hydrope, vulneribus.

Emplastrum ad mammas; Rec. Gummi ammoniaci drachmas duas, ceræ albæ unciam semis, spermatis ceti drachmam unam semis, olei hyoscyami drachmam unam, camphoræ scrupulum semis, nitri scrupulum unum, opii grana decem, M. f. emplaustrum. Usus in mammis induratis contra lactis coagulationem & grumæ factionem.

Emplastrum emolliens. Rec. Pulveris fœnigræci, lini, rad. altheæ, ana uncias duas, curcumæ unciam semis, olibani unciam unam semis, myrrhæ drachmas tres, farinæ fabarum drachmas sex, aluminis usti unciam unam, tartari drachmas sex, ceræ & terebinthinæ ana libram unam, olei lini uncias tres. M. f. l. a emplastrum.

Nervinum, Rec. Axungiæ humanæ unciam unam, picis albæ, ceræ ana un-

cias

cias duas, olei juniperi, ſuccini ana drachmas duas. M. f. l. a emplaſtrum.

Emplaſtrum iſchiaticum. Rec. Picis albæ, colophoniæ, ſuccini, ſulphuris ana drachmas duas, axungiæ humanæ unciam unam, olei hyoſciami drachmas tres, mercurii dulcis drachmam unam, M. f. l. a. emplaſtrum.

Emplaſtrum matricale. Rec. Tacamahacæ, galbani, myrrhæ electæ, ana drachmas tres, unguenti nervini drachmas duas, eſſentiæ caſtorei, ſuccini, ana drachmam unam, olei ſuccini guttas decem, M. f. l. a. emplaſtrum.

Emplaſtrum odontalgicum. Rec. Gummi elemi, animæ, ſtoracis, ladani optimi ana drachmam unam, olei nucis moſchatæ expreſſi drachmas duas, balſami Peruviani ſcrupulum unum, olei ligni rhodii, ſuccini, majoranæ, ana guttas tres, M. f. emplaſtrum.

Emplaſtrum dialtheæ peruſitatum eſt eximiiq; affectus & emplaſtrorum ſimpliciſſimum, nihilominus ejus præparatio non infimi momenti eſt. Optime & quidem albiſſimum paratur hoc modo: ſemen fœnugræci & lini probe abluantur, non autem contundantur, & radix altheæ non minutum incidatur, infunde cum aqua calida per dies duos, in aheno æneo leniter fiat ebullitio, ſic fit mucilago quæ tranſcoletur, quæ fiat ſpiſſa per ignem leniſſimum. Rec. hujus mucilag. frigidæ & olei olivarum portionem æqualem, adde ſenſim atq; ſenſim lithargyrii tenuiſſime cribrati quantum ſatis, per integrum diem fiat leniſſima tinctura uſque ad conſiſtentiam.

Emplaſtrum ſpermatis ranarum. Sperma pellucidum aſſumatur, & oculi nigri remaneant, quod cum oleo & aqua ſalſa coquatur, quæ ceruſſam aggreditur, & tunc non opus eſt cera.

Argentum vivum ſi velimus addere emplaſtris, extinguatur prius in terebinthina.

Emplaſtrum triapharmacum longiſſime coquatur.

Oxycroceum ſequenti modo optime fit: Pix, cera flava, colophonia terebinth. junctim fluant, per linum colentur, & cal. ſervantur, item? Secundo fiat infuſio croci cum ſpiritu vini; Tertio ſoluta gummata cum aceto ſeorſim ſervantur, item pulver. Hæc quatuor invicem alternatim miſceantur & bene agitentur, non ſuper ardentem flammam, ſed in diplomate colliquando vel immergendo ultra medietat. patellam in aliud vas aqua fervente plenum, ſic omnium optime coibunt in maſſam minime friabilem aut grumoſam, ſed ductilem: ſub continua agitatione ſinas refrigerari.

In emplaſtris lithargyrium exactiſſime trituratum & cribratum ſemper prius cum oleo, axungia, vel ſuccis coquatur, deinde addi debent gummata, pulveres &c.

Quando lithargyrium vel ceruſſa cum oleo vel axungia coquitur, ſemper addatur acetum fortiſſimum.

Cera flava terebinthina, colophonia ſeparatim ſemper liquentur, in ſartagine; ſicque non nimis calide ſuperioribus gummatibus ſenſim ſub continua agitatione infundantur: & alternatim inſpergantur pulveres ex gummatibus.

Gummata etiam prius ſolvi poſſunt vel in aceto, vel in terebinthina, deinde addatur cera.

Maſtiche, thus inferatur emplaſtris, quando maſſa remota fuit ab igne.

Ad reſinas & extracta reſinoſa non ſemper ſpiritus vini rectificatiſſimus aſſumendus, ſed rectificatus.

Olea vel axungiæ tamdiu coquantur cum minio & lithargyrio, donec ſupra unguem gutta concreſcat, nec defluat amplius, tunc adde ceram, colophoniam & terebinthinam.

Emplaſtra diapalmæ ob vitriolum it. ſaturninum ſudorem eliciunt, maxime ſi partibus tumentibus & dolentibus applicentur.

Emplaſtrum Diachylon Simplex. Meſ.

Rec. Lithargyrii, unc. vi. Ol. veteris, unc. xii. Mucilaginis Sem. Lini, Fœnugræci. Rad. Maluæ, an. unc. iii. Coquantur ſimul lithargyrium, & oleum, donec craſſeſcat; poſtea ſenſim adde mucilagines, omnia ſemper rudicula ſeu ſpatula movendo, & fiat Emplaſtrum.

Emplaſt. Diachylon magnum Meſ.

Rec. Lithargyrii tenuiſſime triti, lib. i. Ol. Irini, Anethini, chamęlini, an. unc. viij. Mucilaginis ſem. Lini, Fœnugræci, Bdellii, an. drach. v. Terebinth. und. i. ſem. Ficus pingues No. xii. Sepi Hircini, Reſinæ, an. unc. ii. ſem. ceræ, drach. vi. Ol. Sampſuchini, & de ſpica, q. ſuf. Miſce, fiat Cerotum.

Emplaſt. Diapalma, ſeu Diachalciteos.

Rec. Lithargyrii, lib. iii. Ol. veteris, lib. iii. Axungiæ porci, lib. ii. Chalciteos unc. iv. Coquantur ſimul Litharg. & oleum, ſpatula ſenſim movendo, lento igne, dein Axung. & poſteá adde ſub fine chalcit. Nonnulli aquam addunt, & album fere redditur.

Emplaſt. Album, ſive de Ceruſſa.

Rec. Ceruſſæ, lib. i. ſem. Ol. roſati, lib. ii. ceræ albæ, unc. iv. Ut album evadat, plus ceruſſæ addunt, interim maxime providentes, ne coquantur; ubi vero coxerit, nigrum evadit.

Emplaſt. de Janua.

Rec. Succi Betonicæ, Plantag. Apii, an. lib. i. ceræ, Picis, Reſinæ, Terebinthinæ, an. lib. ſem. Fiat Emplaſtrum, M.

Empl. de Gratia Dei Nic.

Rec. Terebinthinæ, ℔. ſſ. Reſinæ, ℔. i. ceræ albæ, unc. iv. Maſtiches, unc. i. Verbenæ, Betonicæ, Pimpinell. an. man. i. Fiat decoctio herbarum in vino albo generoſo ad conſumptionem tertiæ partis. In colatura diſſolve, ceram, reſin. Maſtich. bulliant, donec incorporentur, & agitentur. Tunc ab igne deponantur, & Terebinthina injiciatur, agitando cum ſpatula, & fiat Emplaſtrum.

Emplaſt. contra rupt. ſive de pelle arietina.

Rec. Lithargyrii, Lapid. Hæmatit. Sanguinis draconis, Boli Arm. Opii, Maſtiches, Ammoniaci, Mumiæ, Galbani, Thuris, coſti, Lumbricorum, an. drach. ſem. Picis nigræ, Picis Græcæ, ceræ albæ, cerę rubræ, an. drach. i. Rad. conſolid. mai. minoris, an. drach. iii. Roſar. rub. Myrrhæ, Aloes, an. gr. 17. Succi Hypocaſtidis Gallarum immaturarum, Balauſt. Ariſtolochiæ rotundæ an. dr. vi. Viſci quercini, Terebinthinæ, an. drach. ii. Sanguinis hominis ruffi, unc. ix.

Fit autem hunc in modum: Pellem Arietinam integram cum omnibus pilis coque in aqua, donec fere omnino diſſoluta ſit in lentorem quendam: quem colabis. Hujus colaturæ ſume lib. i. immitte in vas novum, in quo viſcum liquabis lento igne, rudicula ſemper agitando: injice deinde lumbricos, poſtea ceram, terebinthinam, & maſtichen: his liquatis, adde gummi aceto diſſolutum, & coque ad cerati craſſitiem. Poſtremo injice, quæ terenda ſunt, probe trita: Probe miſceto, & confice magdalias. Arnaldus.

Emplaſt. de Ranis Jo. de Vigo, nonnullis de Vipera.

Rec. Ol. chamæmeli, Aneti, de ſpica. de Lilio, an. unc. ii. Adipis porci, Vituli, an. lib. ſem. Euphorbii, drach. v. Thuris, drach. x. Ol. Laurini, ſeſcunciam, Adipis viperæ, unc. ii. ſem. Ranas viventes, No. ſex. Lumbricorum in vino lotorum, unc. iii. ſem. Succi rad. Ebuli, & Enulæ, an. unc. ii. Schœnanthi, Stœchadis, Matric. an. man. i. Vini odoriferi, lib. ii. Coque omnia ſimul ad vini conſumptionem colentur. Colato adde lithargyrii

aurii,

aurii, lib. i. Terebinthinæ claræ: unc. ii. Cum cera alba fiat Emplaſtrum, addendo in fine ſtyracis calamitæ, ſeſcunciam. Et igni ablatum piſtillo tribuletur, donec ſit tepidum. Tunc adde argenti vivi, ſaliva extincti, unc. iv. miſce diu piſtillo.

Emplaſtrum, ſeu Cerotum de Vipera.

Rec. Pinguedinis Viperæ, ʒ. 3. Ung. Populeonis, ℔ ſem. Litargyr. ʒ iv. Picis Græcę, unc. 6. ceræ albæ unc. 4. Coquantur in unguentum, & ſub finem adde ſpinæ viperinę ſubtil. pulver. unc. 2. Minii ſubtil. pulver. unc. j. Fiat Cerotum ſecundum artem.

Valet ad diſcutiendos tumores duros, & ad gummata Gallica reſolvenda.

Emplaſtrum oxycroceum.

Rec. Croci, Picis, colophoniæ, ceræ, an. unc. iv. Terebintinæ, Galbani, Ammoniaci, Myrrhæ, Thuris, Maſtiches, an. unc. j. Miſce, fiat Emplaſtrum, Galbanum & ammoniacum diſſolvi prius debent, in Aceti ſ. q.

Emplaſtrum de Meliloto Andromachi.

Rec. Nardi Gall. Cyperi, Iridis, Myrrhæ, an. drach. 8. croci, unc. ſem. Meliloti drach. 25. Terebinthinæ, an. drach. 50. ceræ, drach. 100. Olei cyprini, unc. 6. Aceti, quantum ſuff. Fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum ſtiticum Crolli.

Rec. Minii, Lapid. calaminaris, an. ℔ ß. Lithargyr. auri, & argenti, an. unc. 3. Ol. lini, Olivarum, an. ℔ j. ſem. Laurini ℔ ß. cerę, colophonię, an. ℔ j. Vernicis, Therebinthinę, an. ℔ ß. Opoponacis, Galbani, Serapini, Ammoniaci, Bdel. an. unc. 3. carabę citrinę, Olibani, Myrrhę Alexandrinę, Aloes epat. Ariſtolochiæ utriuſque longę & rot. an. unc. j. Mumiæ. Magnetis, Hæmatit. an. unc. j. ß. Corall. alb. & rub. Matris perlarum, Sangu. draconis, Terrę ſigillatæ, Vitrioli albi, an. unc. j. Florum Antimon. drach. j. Croci Martis, parum, camphoræ, unc. j. Coque primo Lithargyrium, & minium, cum oleis; paulo poſt adde lapid. calam. ceram poſtea, & tandem Gummi cum Terebinthina mixta, eaque prius ad mellis craſſitiem cocta, quibus ultimo addantur pulveres. Mira de hoc Emplaſtro efferuntur, maxime in cruentis, & in inveteratis ulceribus.

Aliud ex Chirurg. Magna Theophr. Parac. P. p. T. ii. C. vj.

Rec. ceræ virg. ℔ j. Picis græcę tantundem, Terebinthinę quart. j. Colliquatis ad ignem, inſperge Pul. Maſtiches, Succini, Myrrhæ, thuris, an. unc. v. Mumię, unc. 2. Aloes Epaticę, unc. j. ſem. camphorę, unc. ſem. Miſce, fiat Cerot.

Aliud.

Rec. Ceræ, ℔ j. colophoniæ, Picis, an. unc. 3. Gummi Ammoniaci, unc. 2. Bdellii, unc. j. Magnetis ſubtil. triti, unc. 3. Miſce, fiat Cerotum.

Aliud deſcript. noſtra.

Rec. Maſtiches, unc. j. ſem. Succini, unc. ſem. camphoræ, drach. 2. ceræ citrinæ, unc. 4. Ol. Balſamici vulnerarii, quantum ſuff. Liquentur ſimul: ſub finem adde. Terebinthinæ, Picis nigræ, an. unc. j. Thuris, Ariſtolochiæ rotundæ, Mumiæ, an. drach. 6. Miſce, fiat Cerotum.

Aliud.

Rec. Lythargyr. auri loti, lib. j. Ol. vulnerarii *in prim. part.* deſc. lib. 2.

Succi

Succi Ophiogloſſi, Bugulæ, an. unc. 3. Coquantur ſimul, ſpatula ſemper movendo, donec in Emplaſtri craſſitiem evadant : Refrigeratis fere adde Terebinthinæ, Gum. Opoponacis, Ammoniaci, Sagapeni, an. unc. 2. Pulver. Thuris, Ariſtolochiæ, Mumiæ, an. unc. ſem. Miſce fiat ceratum.

Ceratum, ſive Emplaſtrum de Cruſta panis.

Rec. Maſtiches, menthæ, Spodii, coralli rubri, Santal. albi, rubri, an. dr. j. cruſtæ panis toſtæ, & maceratę in aceto per horam mediam, unc. 2. Ol. maſtich. cydoniorum, an. unc. j. Farinæ hordei q. ſ. Fiat Emplaſtrum, ſeu potius Cataplaſma. Valet in vomitu puerorum, & his qui cibum retinere non poſſunt.

Ceratum Diaphœnicum Calid. Meſ.

Rec. ceræ, unc. 2. Ol. roſati, Nardini, an. unc. 4. Dactil. ficc. No. 40. Panis biſcocti, drach. 8. Macerentur biduo in vino opt. poſtea rec. carnis cydonior. in vino coct. unc. j. Maſtiches, Tur. Abſinth. an. drach. 2. ſem. Ligni aloes, macis, myrrhæ, aloes lotæ, ſpicæ nardi, acaciæ, galliæ moſchatę, Trochiſc. ramich, calam. arom. an. drach. j. Ladani, dr. 1. Miſce, fiat Emplaſt.

Chymica præparatio.

Olea, Unguenta, Linimenta, Cerota, & Emplaſtra, quæ interiores partes, forinſecus admota juvare creduntur, ſi diſtillatione attenuentur, depurentur, & exaltentur, id facilius præſtare nemo eſt qui ignoret. In utroque Ceroto, ſeu Emplaſtro, præcipua vis in aromatis, pane, maſtiche, & paucis oleis conſiſtit. Qui de cruſta panis conficere voluerit, accipiat ſpiritum panis cum ſuo oleo, & cum oleo maſtiches, & menthæ : in his liqua ceram, & forma Emplaſtrum, cui adde ſi voluerit ſalia corallorum, & ſpodii.

Si Cerotum diaphœnicum tam calidum quam frigidum. Accipe aromata in eo deſcripta, macera in vino optimo rub. diſtilla per refrigeratorium : eadem via tincturam, & ſalem conficies. His miſce ſpiritus, & olei panis tantillum, quibus maſtiches oleum adjunges, & tandem in his ſolve ceram, & fiat Cerotum. Sed minori cum labore parabis Emplaſtrum ſtomachicum præſtantiſſimum, hoc modo.

Rec. Olei Maſtiches per retortam deſtill. unc. ſem. Ol. Menthæ, Abſinthii, Nucis moſchatæ, caryophyllorum, an. drach. j. gummi Tacama haca, unc. j. ſem. ceræ citrinæ, unc. 4. Miſce, fiat Ceratum.

Aliud.

Rec. Schœnant. calami aromat. ſpicæ nardi, macis, caryophyllorum, Abſinthii, an. unc. j. Thuris, Labdani, an. unc. ſem. Maſtiches, unc. 2. zingiberis, unc. ſem. Macerentur triduo in ſ. q. vini optimi; poſtea per refrigeratorium oleum, & aquam prolice. Prima aqua prolecta auge ignem, & habebis oleum graviter olens, rubicundi coloris. In utroque oleo ſolve gummi Tacamahacę, unc. j. ceræ citrinę unc. 3. Miſce, fiat Ceratum.

Emplaſtrum pro ulceribus ſordidis.

Rec. Ol. Plumbi, unc. ſem. Ol. vulnerarii Balſamici, unc. 3. Succini, Maſtiches, an. unc. ſem. Lithargyr. loti, unc. j. cinnabaris, & Ol. mercurii, drach. j. Miſce, fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum Magneticum Angeli Salæ.

Rec. Antimonii crudi, Sulphuris flavi, Arſenici albi, an. ʒ. 2. Pulverizentur omnia ſubtiliſſime, & in mortariolo ſeu phiala, ſepeliantur in arena, uſque ad aliqualem eminentiam, ſubminiſtretur ignis, donec omnia liqueſcant, id quod ſtylo ferreo experiri licet, ſi nimirum materia eidem adhæſerit, & inſtar terebinthinæ ductilis fuerit coloris rubei ſubobſcuri. Vaſe refrigerato eximitur materia, quæ eſt dura inſtar picis, vocaturque magnes arſenicalis. Hic magnes Arſenicalis venenatus amplius non eſt; ſine enim noxa omni animalibus dari poteſt. Præterea cauterium potentiale eſt inſigne, quod ſine ulla inflammatione, aut corroſione dolorifica operatur. Uſus ejus eſt in peſte, ex hoc componitur Emplaſtrum.

Rec. Hujus lapidis Arſen. Magnet. drach. ʒ. Terebinthinæ laricеæ, cerę, an. unc. ſem. Gummi ſerapini, ammoniaci, galbani, an. dr. ʒ. Ol. Succini, drach. 2. Terræ vitrioli optime lotæ, ʒ. j. Diſſolve prius gummata in aceto ſcillitico: ſolutionem per pannum lineum cola, & exprime, eamque tamdiu bulliendo inſpiſſa, donec acetum fuerit conſumptum, & gummata ad priorem conſiſtentiam redierint. Deinde ſeorſim Ceram, & Terebinthinam eliqua, & extra ignem aliquandiu agita, donec ad ſpiſſitudinem unguenti redigantur. Porro adde gummata purificata, & inſuper pulverem magnetis arſenicalis, cum vitrioli terra, & oleo ſuccini.

Hoc Emplaſtrum ulceribus, & carbunculis peſtilentialibus more conſueto applicatum, ſubito rumpit eadem, & venenum ex imo inſtar magnetis potenter attrahit, nec apertum ulcus coire patitur, ante perfectam extractionem omnis venenoſitatis.

Emplaſtrum Attractivum.

Rec. Litargyrii, Lapid. calamin. Succini, magnetis, an unc. 2. Pulveriſata omnia tenuiter, coque in Olei lini lib. ſem. ceræ, lib. j. Terebinthinæ, lib. ſem. Vernicis, unc. 4. Coque aliquandiu, donec inſpiſſetur. Adde poſtea gummata ſequentia, vulgari modo in aceto ſoluta, & colata, viciſſimque, Opoponacis, Serapini, Galbani, Bdellii, Ammoniaci, an. drach. j. ſem. Ebulliant leviter; In fine adde pulverum, maſtiches, thuris, myrrhæ, aloes hepaticæ, an. unc. j. Diligenter move ſpatula, & tandem malaxando in magdaleones redige. Valet in tumoribus podagricis, quos in aquam ſolvit, & extrahit.

Aqua Cardiaca pro malignis Peſtilentialibus Febribus, omnium præſtantiſſima, cujus uſus erit ad curationem, & præcautionem.

Rec. Meliſſę, cardui benedicti, cicerbitæ, Veronicæ maris, Ulmariæ, Pimpinellæ, an. man. 4. Ex his ſuccum exprime, in quo macera radicum Angelicæ, Tormentillæ, Enulæ campanæ, Biſtortæ, Gentianæ, cinnamomi, an. unc. 2. Vini albi, libras duas, digerantur triduo in vaſe vitreo bene obturato; & tum per alembicum vitreum, calore balnei Mariæ, extilletur aqua.

Doſis eſt ab unciis duabus ad uncias quatuor. Sudorem excitat, roborat vires, & non raro extinguit febres.

Aqua Panis.

Rec: Micæ Panis albiſſ. lib. xv. In vaſe vitreo infunde, & macera in ſimo equi-

no

no per menſem in ſufficienti quantitate aquæ communis, & diſtilla per Balneum Mariæ: & excipies aquam fragrantem primo, inſipidam poſtea. Antequam diſtillationem inſtituas, vini albi generoſi adde drach. v. Cinnamomi contuſi uncias tres. De hac aqua unciam unam, aut duas dabis pro doſi, cui addere poteris tantillum ſacchari albi, ut pro unc.2. unc. dimidiam Sacchari. Hæc aqua vires mirifice recreat, ac reſtaurans eſt præſtantiſſimum.

Aqua Margaritarum.

Rec-Margaritas Orientales, Aceti albi diſtill. an. q. ſ. diſſolve uniones cum aceto diſtillato, acetum evapora in ſatis lento igne, & in fundo vaſis ſalem invenies, qui per retortam pellatur, & habebis aquam fragrantiſſimam, reparandis viribus idoneam: cujus doſis eſt dimidia dragma cum juſculo carnis.

Aqua Reſtaurativa.

Rec. Pulpæ Caponis lib. j. Pulpæ Perdicum lib. ſem. medullæ Panis albi, lib.ij. Aquarum roſarum, meliſſæ, florum citrii, an. lib. j. vini albi generoſi, lib.vj. Schęnant. galangæ, macis, caryophyll. an. dr.vj. Cinnamomis dr.iij. indantur omnia urinali vitreo, ſatis amplo, & detineantur in fimo equino per 15. dies, urinali primo ſuo capitello bene obturato. Diſtilla poſtea ad calorem Balnei Mariæ, & habebis aquam optimam, viribus reparandis idoneam. Dantur unciæ duæ cum pauco ſacchari, ſemel, aut bis in die.

Antidotus Antipyretos non ſolut.

Rec. Conſerv. florum Boraginis, florum centaurii min. florum violarum, roſarum, an. unc. ij. Salis Antimonii optime depurati, unciam dimidiam, florum Antimonii diaphoretici, drachmas ſex, cum ſyrupo de corticibus citrii miſce, & fiat Antidotus, de qua dantur drachmæ duæ, tres, aut quatuor pro doſi. Sanguinem ſenſim repurgat, obſtructionem reſerat, lienis & jecoris duritiem emendat: neque vomitum, neque alvum movet: febres quaſcunque radicitus evellet.

Antidotus Antipyretos Purgans.

Rec. Extracti radicis Tithymali cypariſſiæ, Scammonii per aquam vitæ depurati, & præparati, an. unc. j. conſerv. florum roſarum, conſerv. florum Boraginis, florum Antimonii diaphoretici, an. drach. vj. cum ſyrupo roſ. ſolut. fiat Elect. de quo doſis erit drach. ij. & unc. ſem.

Electuarium de Croco Martis ſimplex.

Rec. Corticis citrii ſaccharo conditi, conſ. pulpæ cydoniorum, an. unc. ij. croci martis, unc. dim. Miſce, & fiat Electuarium, cujus doſis eſt a drach. ſem. ad duas.

Electuarium de Croco Mart. ſol.

Rec. Conſ. Borag. violar. roſarum, an. unc. j. pul. ſennæ Orient. drachmas vj. croci martis, drach. v. ſyrupi de pomis Saporis Regis, q. ſ. Miſce, fiat Electuarium, cui adde ol. aniſi gr. 8. Doſis a drachma una, ad duas, & tres.

Utriuſque Electuarii vires ſunt imperſcrutabiles: in cachexia quantum valeant, ſatis notum eſt. Obſtructiones tam jecoris, quam lienis optime reſerant.

Decoct. Catholicum.

In *noſtris curationibus* ſæpe fit mentio Decocti Catholici, tanquam potionis admodum univerſalis: Deſcriptionem ipſius ſic habeto.

Rec.

Rec. Radicis Graminis unc. iij. ſaliſæ parillæ, unc. ij. fol. cichorii, agrimonii, pimpinellæ, betonicæ, capill. ven. an. man. j. ſennæ Orien. epithym. an. unc. j. florum violarum, borag. an. p. ij. aniſi drach. ij. liquirit. unc. dimidiam. Coquantur omnia in libris 8. aqu. communis in duplici vaſe, calore Balnei Mariæ. Doſis erit ab unc. iij. ſem. aut iv. ad ſex.

Decoctum Hydroticum

Decocti Hydrotici pariter frequens fit mentio in *noſtris curationibus*. Paratur vero in hunc modum.

Rec. Raſuræ ligni Indi, ℔ j. Corticis ejuſdem ligni, uncias tres, Baccarum Juniperi, unc. ij. Macerentur ſimul in vaſe terreo devitreato, ſtricti orificii, cum ℔ 20. aquæ communis, & ſpiritus ſulphuris dulcoacidi, drach. ij. in loco frigido per 10. vel 15. dies, donec certam quandam fermentationem acquiſiverint, quod fit citius aut tardius, pro aeris & tempeſtatis conditione. Tunc per Balneum Mariæ coque ad medietatem, & aquam evoca ſimul inter coquendum, quod facile fit cum amplo urinali, cum ſuo capitello. Utrumque liquorem ſeorſum ſerva. In Decocto, quod erit circiter librarum x. infunde radicis Chinæ ſelectæ in taleolas diſſectæ, Salſæ parillæ, an. unc. ij. ligni Saſſafras, unc. j. Santal. albi, unc. dimidiam. Coquantur iterum ad medietatem, quæ circiter ℔ v. erunt: quibus addimus, vel liquiritiam, vel ſaccharum, vel aniſum ſaccharo conditum, ſaporis gratia. Item ſi laxativum exoptemus decoctum, ei ſennam addimus; hermodactyllos non raro. Doſis ab unc. iv. ad vj. Sudorem movet: & in lue Gallica præſtantiſſimum eſt medicamentum. Item in Hydrope, & aliis.

Electuarium de Baccis Juniperi.

In Paralyſi, in morbis ventriculi, renum, & inteſtinorum, frequenter uſurpamus Electuarium de baccis Juniperi. Parandi autem modus ſatis eſt communis: Coquuntur enim baccæ maturæ Juniperi in ſufficienti quantitate aquę communis.

Unguen. Magiſtrale.

Rec. Fol. bugulæ, alchymillæ, plantag. peti, ſive herbæ reginæ, ſummitat. Hipericonis, an. m. ij. Infundantur s. q. Olei roſati per octo dies, & colentur: In colatura liquentur ceræ citrinæ, unc. tres, pro qualibet liqu. Terebinthinæ claræ, unc. j. Antimonii ſubtiliſſime triti, Tuthiæ præparatæ, an. drach. vj. Ceruſſæ lotæ, cinnabaris lotæ, an. unc. j. Miſce fiat unguentum.

Unguentum Vulnerarium.

Rec. Ol. Baſſamici cum herbis vulnerariis, (de quo in *ſectione de oleis*) ℔ ij. Terebinthinæ, unc. tres ceræ citrinæ, lib. ſem. Galbani depurati, unc. ij. Pulv. præcipitati albi dulcorati, pulv. Vernicis, an. unc. ſem. Miſce, fiat unguentum.

De Auro Diaphoretico.

Pro auro Diaphoretico, recentiores nonnulli putant intelligendum eſſe magiſterium auri cum aqua regia factum, de quo in *ſecundo libro cap. de auro*, nec in totum errant: nam dictum aurum, cum duplici portione florum ſulphuris, iſtam amittit volatilitatem ſuam, & in pulverem rubicundiſſimum vertitur: Id ſi in vaſe circulatorio ſub fimo equino circuletur per quindecim

dies,

dies, cum aqua vita alkalizata, acquirit magnam tenuitatem, & pĕnetrandi potentiam. Ejus usus nobis fuit olim satis communis, modo vero sequenti utimur.

Rec. Auri purissimi partem unam, mercurii Antimonii qu. s. dissolve, & fiat amalgama: hoc vero coque blando igne per spatium 4. dierum, in vase vitreo sesquicubitum alto, cujus pars inferior fit ampla & lata, superior vero stricta, & longa. Ignis sit blandus & continuus. Hoc modo amalgama in rubicundissimum pulverem vertitur, qui per 15. dies circuletur cum spiritu vini in fimo equino. Spiritum tandem evoca, & habes aurum tuum præparatum. Dosis erit a granis 3. ad 5. aut 8. ex conserva quavis, etiam in vino, aut jusculo carnis.

Aurum Diaphoreticum Theop. Par. lib. de male curatis restit. lib. 3. c. 25.

Rec. Auri, drach. j. ex eo duæ patellæ fabricentur, ac per essentiam vini secundum artem, in primo gradu Athanoris, illæ in liquorem resolvantur. Dosis est gr. iij. in vino.

Theriaca metall.

In *nostris observationibus* non raro fit mentio Theriacæ metallorum, non alia de causa, nisi quod ea metallis medicina fit Theriacalis adversus venena, & quæ pesti, pestilentibusque morbis conveniat. Paratur vero sic:

Rec. Mercurii resuscitati, partes quatuor, Reguli stellati antimonii, partes duas, Auri purissimi, partem unam. Liquetur aurum cum regulo, cui adde mercurium concalefactum seorsum, misceantur invicem, & fiat massa, quæ pulverizetur super lapidem porphyreticum. Hęc materia coquatur lento calore, in sufficienti quantitate balnei Hermaphroditici, donec omnia probe fixentur. Dosis erit gr. vj. ad x.

Mumiæ mineralis.

In mineralibus summa est dulcedo, quæ proprie in illis mumia dicitur. In plumbo magna est, ut patet per salem ipsius. Hoc accipimus cum duplo mercurii, excoquantur simul secundum artem, & fiat pulvis, qui commode unguentis admiscetur. Olea, quæ ex his parantur, verius mumiæ appellantur: at quia non ita facile parantur, hac de re præsertim contenti sumus.

Liquor dulco-acidus sulphuris.

In nonnullis male curatis, & his quibus mercurius fuit prave exhibitus, maxi mo cum fructu præsentem liquorem exhibemus. Fit vero ejusmodi liquor more olei Sulphuris, vitra tantum, sive campanam foliolis auri inducimus, foliola ad hęc communia, quibus unusquisque utitur vulgariter, intelligimus. Liquor qui hac via exstillatur, mira dulcedine donatur, & multas possidet vires, quas studio brevitatis omittimus.

Pilulæ Polychrest.

Rec. Aloes succotrinæ, ℥ j. Mastiches, 3. ij. macis, galangæ, an. drach. dimid. mercurii dulcis præcipitati sine corrosivis, drach. j. & dim. cum Syrupo rosato solutivo, fiat massa, cujus dosis erit 3. j. & 3. j. ß.

Ejusmodi pilulæ vero multarum sunt virtutum; Clementissime purgant: tuto noctis tempore exhibentur. Cerebrum maxime purgant, ventriculum pariter,

riter, & inteſtina; vermes enecant: mira etiam alia præſtant, de quibus *in centuriis*.

De ſpecifico ſtomachico.

Specificum ſtomachicum dicitur, quod ſpecialiter juvet ſtomachum, quo nomine non ſolum ventriculum intelligimus, ſed omnem locum in quo fit concoctio, & quia in unoquoque membro peculiaris fit digeſtio, adeo in his ventriculum, ſeu locum concoctionis adeſſe ſtatuimus: quod alii de glutine, rore & cambio dicunt, idem atque nos ſentire videntur. In ventriculo, quem vulgus ſtomachum appellat, prima fit concoctio, quæ ſi ex ſententia perficiatur, omnia læta ſunt. Et ut in ſingulis membris coctionem fieri diximus, ita & ſeparationem alimenti ab excremento: Alimentum in membri ſubſtantiam tranſit; excrementum tanquam inutile foras truditur, vel per commune, vel per proprium emunctorium. Eſt vero multiplex excrementum totius corporis, unum ſenſibile, aliud inſenſibile. Senſibile varia obtinuit emunctoria: ſic inteſtinorum, habet alvum: Renum, veſicam; de Capite idem cenſendum, ſputum eſt Cerebri, ſicuti & mucus narium. Aures flavam quandam materiam continuo emittunt. Oculi pariter lachrymas fundunt pro excremento, & maxime poſt ſomnum. Ubi proba fit concoctio, ibi pariter facilis excrementi ſegregatio. Hoc medicamenti genus ubique locorum concoctiones juvat, & ob id univerſale dicitur. Particulare redditur etiam alterius interventu, uti ſi univerſale deſideras, fac ut Solis ſplendore illuſtretur, cujus influentia non tantum ejus tenebræ removentur, verum & ejus beneficio calore, illius compacta materia attenuatur, & vere fermentatur. Ab aliis planetis influentias pariter recipit, & magis particularis fit. Hæc vero materia ubique reperitur, in uno plus quam in alio. Ejus medio quandoque fœcundantur agri, vegetant plantæ, adoleſcunt & fructificant arbores. Sine ipſa nulla fit concoctio, terra ejus præſentia orbata ſterileſcit. Sola coctione indiget, ſi ſemel ab omni terræ illuvie repurgetur. At hæc ſatis, alibi fuſiori ſermone ſperamus genuinam ejus præparationem docere. Interea ſcias velim, hoc medicamenti genus naturam ad coctiones promovere, humores mitigare, efferatos ſpiritus coercere, pacificare, & ad propria officia reducere.

PETRI POTERII DE FEBRIBUS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

In quo instituti ratio, & scribendi occasio.

FEbrem, malorum omnium, quæ humanam salutem impetunt, eamque demoliuntur, primas tenere, cæteriſq; malorum generibus palmam præripere, obſervamus quotidie; neque mali genus eſt, cui magis homo ſit obnoxius. Mortales cujuſcunque ſortis, & conditionis adoritur, nulli ætati parcens; & revera immanis hæc fera in quamcumque regionem graſſatur, neque tempeſtati, neque hominum conditioni indulget, æquo pede pulſat, pauperum tabernas, regumque turres. Sancitum fuit olim, neminem ſine febre mori; unde ſatis mirari non poſſum, cur homo in tantum hoſtem hucuſque ſatis haud ſibi proſpexerit. Fateor equidem de hoc truculento hoſte librorum myriades conſcriptas eſſe, in quibus de ejus eſſentia, ortu, & curatione, & pari ſilo, nec minori dicacitate de illas ſanandi methodo, at infelici eventu; nam etiam ſi eorum dogmata ad unguem ſectari, nonniſi umbras, & mera figmenta comperies. Quid mehercule turpius, quam in re tam clara (ut ipſi jactitant) turpiſſime deficere? Adeſt tertiana, quartana, aut quævis alia febris, parati ſint hi milites, inſtituant omnes artes, baliſtas, arietes, catapultas, & quotquot recenter inventa ſunt tormenta bellica, dirigant ad eorum ferociam retundendam, nihil plane opis, ſpretis eorum artibus ſuam tyrannidem non minus in nos exercent: earum paroxyſmus, durationis tempus, & ſæva earum ſymptomata nec minimum remittuntur: curati atque incurati eadem afflictio; immo qui Medicorum caſtra effugiunt, in minori anguſtias incidunt; unius ſaltem hoſtis tela in ſe vibrata ſentiunt: fœtidas, amarulentas, & horridas potiones non deguſtant; cruces, & tormenta, utpote phlebotomias, cucurbitulas, hirudines, veſicatoria, inuſtiones & alia morbis ipſis graviora experiri non tenentur. O felices ruſtici! & vos Orientales, & Auſtrales gentes beatæ! quæ ejuſcemodi artibus caretis, non cum larvato amico, tanquam cum truculentiſſimo hoſte, vos dimicare oportet, uti nos cives Europæos, qui non ſolum aperto Marte, cum communi hoſte, morbo videlicet, decernendum habemus de pace, ſed fucato amico vires nobis a Natura conceſſas opponere, & ubi integris viribus tanto hoſti reſiſtere decet, diver-

ſione

sione quadam eas dividere necesse habemus: sic non unita, sed dispersa virtute, coram sævissimo tyranno succumbere cogitur patiens. His & aliis pluries apud me subductis, unde tantus sapor tamdiu mortalibus insedit: unde in re tam aperta, tanta socordia? unde in tanta necessitate, tanta penuria? hoc potissimum in causa esse visum est, quia documentis effascinati, his facile acquiescimus, & supra eorum sensa, nihil scire posse, falso arbitramur: immemores, quod quotidie nova in rerum natura emergant, quod antiqui non omnia sciverint, & quod longe majora sint, quæ nescimus. Quid plura? nonne sunt infinita Dei opera, quæ cacodæmonis astu nobis perpetuo obscurantur, nec nisi ejus benignitate, in lucem se proferunt? Hujus luminis splendore delinitus, qui in re tam utili, tam jucunda, & mortalibus necessaria sentiam, in medium proferre omnino statui; quid in contrarium sentiant larvati isti miselli, parum refert: etenim veritatis clypeo muniti, nihil timebimus; atque adeo etsi totus laberetur orbis, impavidum ferient ruinæ. Tu interim inconcussa Veritas, lux incomparabilis, scientiarum & disciplinarum fax indesinens, benigno tuo splendore ab intellectu nostro, ignorantiæ Cimmerias perfecte remove tenebras, ut ad te fidissimum doctorem, pervenire possimus. Interea non me latet immensum pelagus assidue ventis, procellis, & turbinibus agitatum; syrtibus, scopulis, & variis ignorantiæ voraginibus refertum, ingredi me, in cujus velificatione nauclerus peritissimus maxime requiritur: nec satis confido ad tantam velitationem vires meas sufficere posse, at in arduis voluisse sat est. Hic in solum nostræ sunt partes, de universa humani generis salute agitur, de proximi bono sermo habetur, de hominum securitate tractatur. Sed modo itineris cursum instituamus, navis nostræ imbecillitatis proram & puppim, ad Deum nostrum, fidissimam Veritatis cynosuram, dirigamus, & velis ac rudentibus explicatis, ad eum tutissime contendamus: in quo peragendo, veterum, & neotericorum placita primo expendere licebit, quæ si agitata, & satis firma haud reperiantur, nova experientiis & rationibus confirmata, eorum loco reponere decrevimus. A definitione febris essentiam aperiente exordiar; a qua ad divisionem &c. & tandem ad curationem.

CAPUT II.

Febris nomen.

FEbris a fervore, vel feritate Latinis dicitur, & revera immanis est fervor, & ingens feritas suam tyrannidem in omnes æqualiter exercens. Græcis πυρετὸς, a nomine πῦρ, quod est ignis. Unde apud Hipp. legimus febrem Causonidem appellari, quasi magnum ignem: etenim Causus idem, quod ardor ingens, & ustio, hinc καῦσα γίνονται πυρετοὶ, ardores vertuntur in ignes, aut febres Causonides sint ignes. Hebræis דלחת *Dalechet*, a verbo דלח *Dalach*, quod etiam est ardere, accendere, & urere: & dicitur *Descheph*, רשף quod est pruna, & carbo accensus: *Deuteron. c. 24.* הגו רעב ולחנני רשף Dicitur etiam קלחת *chadachat*, quod pariter est ardere, incendere, a verbo קדח *chadach*, *Deuter. c. 24.* ופד להת יבכה יהוה כשתפה זבקרהת qua nominis appellatione,

febris essentiam satis explicatam haberemus, ni nostrates verbi plus justo oblectarentur; ea est enim linguæ sanctæ proprietas, ut rerum essentias propriis nominibas designet: & revera si febris naturam solo naturæ lumine perpendamus, vere ignem Microcosmicum appellabimus. At quia de nomine lis nobis non est cum Grammaticis, ad ejus essentiæ notitiam descendamus. Scimus enim veram febris nomenclaturam, ejus notitiam, & curationem effugere non posse.

CAPUT III.

Febris Definitio discutitur, & incerta redditur.

OMnis nostra cognitio, vel nobis a Natura insita est, vel ratiocinio colligitur: ratiocinamur de singularibus, a quibus progredimur ad universalia; & quia non possumus ex illis scientiam instituere, oportuit ab universalibus præcepta trahere: universalia quippe in ordinem deducta, per proprias differentias, genera suprema, & infima statuunt. Sic equum erat partes essentiales, quibus res constarent, prius exponere; etenim ut res naturales constant materia & forma, ita res ratiocinio comprehensæ, genere & differentia, Febres non dissimili ratione: qui enim febrium notitiam posteris tradiderunt, dixerunt febrem esse calorem præter naturam totum corpus infestantem, ut ex Gal. patet *l.5.de morb.differ.c.5.* alibi dixit *l.1.Aph.com 16. & l.1.de ratione victus acut.com.18.* febrem esse calorem extraneum accensum in corde, procedentem ab eo, mediantibus sanguine, & spiritu, per arterias, & venas in totum corpus. Fernel. non diverso modo dixit, febrem esse calorem pręter naturam e corde per omne corpus diffusum. Quibus liquet ejus essentiam duabus illis partibus constare, calore videlicet, & præter naturam. De hoc calore multa alii decantant, sunt qui intemperiem simplicem, sunt qui cum materia esse dicant: qui substantiam, qui qualitatem puram, qui corpus adventitium, qui qualitatem auctam, qui forinsecus advenientem, qui dispositionem, qui habitum, qui qualitatem passibilem. Mirum videre est, quot quæstiones vanæ, & inutiles. Unusquisque jactat se rem acu tenere: sed his brevitatis studio omissis, commune ab omnibus simplici sermone receptam examinare placet, sive sit Avicennæ, sive Fernel. parum refert, eadem est cum Galenica: quod enim Galenicæ adjicitur, essentiam non variat, sed modum, & sedem connotat. His ergo constat, calorem esse genus, præter naturam, differentiam. Quod calor non possit esse genus, satis patet, si genus vere sumatur pro natura quadam universali univoca, quę de pluribus differentibus specie dicatur, in eo quod quid est, calor enim non potest dici natura universalis, sicut Animal. Dum intelligo Animal, quidpiam seorsum consistens intelligo; dum vero calorem, nonnisi affectionem, qualitatem, aut affectum alicujus rei. Præterea calorem nil aliud esse quam singulare accidens, nec posse prædicari de pluribus, satis clarum est. Nec valet, eum ab intellectu abstrahi posse a singularibus, & in universalem conceptum verti. Eodem modo chimeras, mille nullas possumus intellectu formare,

re, nec propterea ſunt in rerum natura. Non me latet, Ariſt. dixiſſe univerſalia eſſe tanquam accidentia, & ſignificare quale quid, non hoc aliquid, quod partes ſint hoc aliquid conſtituentes; non propterea ſingularia ſunt. Sunt equidem partes, ſed univerſales, & ſeorſum in rebus: per intellectum conſiſtentem, & in eorum conceptu ſubſtantia quædam univerſalis intelligitur, & hæ ab Ariſt. ſecundæ ſubſtantiæ appellantur. Rurſus quod dicit, tanquam accidentia, ſatis notari non eſſe accidentia, ſed veluti accidentia, quæ inſunt rebus, ſic univerſalia de ſingularibus prædicari. Non ita calor, cujus eſſentia in ſola hæſione conſiſtit. Quid vero ſit illud cui inhæret, nec ignem, nec ejus portionem aliquam eſſe certum eſt, cum in rerum mixtione, nullum elementorum maneat actu. Quod virtualiter, & potentia dicunt, mera ſunt figmenta. Ut res puræ, actu, & realiter ſunt, quærimus; quæ non ſunt adhuc, & ſola opinione concepta rejicimus.

CAPUT IV.

Varia traduntur argumenta, quibus iterum febris definitio exagitatur, & nulla redditur.

EX præcedentibus etſi pateat, quam parum firma ſit communis Febris definitio, in præſenti ſuperius dicta firmabo, & inconcuſſa reddam. Inprimis ſi dicant, definitionem ejuſmodi non eſſe formalem, ſuam magis produnt inſcitiam; etenim ſatis patet ex Ariſt. 2. *Poſt. c.* 10. definitionem eſſe orationem naturam alicujus rei denotantem; hanc vero dividi in formalem ſeu eſſentialem, & accidentalem; hanc rurſus in caſualem, & deſcriptivam. Medico qui morbi eſſentiam quærit, formali, & eſſentiali uti neceſſe eſt; nam neq; accidentalis, neque caſualis, neque deſcriptiva rei eſſentiam aperire poſſunt: eas tamen non parum lucis afferre poſſe, in veris definitionibus tradendis, non negamus. At in re tanti momenti, ubi non umbras, ſed res ipſas ſectari, Medico conſilium eſt, certum ad febrium eſſentiam cognoſcendam ejuſcemodi definitiones non ſufficere. Quod ſi ejuſcemodi diſcuſſio, ſubtilis ac nimis philoſophica eſſe videtur, & a ſenſato artifice aliena, demus (quæſo) calorem ejuſmodi verum eſſe genus, idque univocum, quid, abſurdum per abſurdius? Res agunt ut ſunt: calor per ſe non eſt: ergo nec per ſe quicquam efficit. Idem eſt quod ab omnibus recipitur, nihil agere ſupra gradus ſuæ activitatis, vel ab immobili nullus motus. Quod de potentia poſſunt afferre, mera ſunt ſubterfugia. Res non ut futuras, ſed ut ipſæ ſunt, inquirimus. Calorem ſanguini hærere, & ſanguinem ſeipſum deſtruere, reclamat omnis Philoſophia. Rurſus ſingulæ res a locis naturalibus ſervantur: Calor in ſanguine, in venis, & in viventibus in loco proprio manet. At jam illos intelligo adverſus nos reclamare, & putredinem efficientem in medium protrahere; hanc vero putredinem ab obſtructione; & obſtructionem a plenitudine & craſſitie; & hanc plenitudinem, & craſſitiem ab extrinſecis, aere, cibo, potu, &c. Quid? mehercle circulum agimus res in infinitum progreditur: ad unum tandem deveniendum. Si putredo eſt cauſa caloris, & putredinis cauſa obſtructio, obſtructionis, alimenti multitudo; ſic de abſurdo in ab-

furdum incidimus. Dandum erat reale efficiens, quod ut esset, efficeret, quod a se, non ab alio actionem ederet, quod in se potentiam haberet agendi, quod formaliter a nullo penderet, sed per se subsistens, juxta suæ activitatis gradum & conditionem, effectus produceret. Sed quorsum isthæc? Peripateticam forte non sequuntur doctrinam, Empedoclis potius dogmata sectantur. Quid si sæpissime non audirem, Aristotelem ab his communem magistrum appellari, eos plane potius Empedocleos, quam Peripateticos dicerem. Verum enim vero quotiescunque de caliditate, & siccitate garriunt, & de temperamentis mille quæstiones effutiunt plane inutiles, quis non videt eorum doctrinam a Peripatetica alienam? Quod si his acquiescere nolint, ad calorem, earum basim, veniamus.

CAPUT V.

Quam irrita sit febris definitio per calorem tradita.

FEbrium cognitio non alia de causa pervestigatur, nisi ut ex ea, ejus contrarium nobis innotescat; nam qui contrarium novit, idem ejus curationem cognoscit, alterum, alteri applicando. Etenim contrariorum indesinens proprietas est, se invicem expellere: Atqui Medicus, qui dicit febrem esse calorem, & frigida ipsi opponit, & eam non curat, ostendit clare, frigus non esse febri contrarium. At ipse iterum respondet, materiam caloris subjectum, primo esse removendam. Si hoc est; cur non prius materiæ, talis caloris subjecto quæsivit contrarium, & ab ea deduxit febrem? Multa de putredine obganniunt, nec minora de obstructione fingunt, & semper ad idem revertuntur: Sed purgent, quantum velint, deobstruentia porrigant, & refrigerent quantum possint, quid inde? eadem namque via mors, & sanitas; ne ad minimum quadrantem retardatur paroxismus. Verum antequam rem serio aggrediamur, quid sit calor, quotuplex, quomodo Philosophis, & quomodo Medicis, primo dicendum.

CAPUT VI.

Quid calor, & quotuplex.

UT omnis vitetur homonymia, calor Græcis dicitur θερμὸν, θερμότης, θάρπος, καῦμα, αἶθος, quod Latinis uno nomine calor appellatur. Calor abstractum est, calidum concretum; abstracta sui juris sunt, concreta ab abstractis pendent, calidum a calore, non calor a calido. Sicuti candor a candido, lux a lucente; sic calidum calore calet, & candidum participatione candoris, quę nomina sunt entia, vel entium actu, vel potestate. Rursus eadem ad substantiæ categoriã pertinent, vel ad alia prædicamenta: substantiæ non suscipiunt magis nec minus; substantiæ nihil est contrarium: at calori frigus est contrarium, & calor intenditur ac remittitur. Rursus substantia nulli est accidens, calor contra; substantia hoc aliquid significat, calor non sic, sed quale denotat. Ex

quibus

quibus ſatis liquet, quam male calor dicatur ſubſtantia. Nec obſtat Argentierii exceptio, qua coloris appellationem diverſam facit, alteram ſecundum Philoſophos, & alteram ſecundum Medicos: ad illorum mentem accidens, ad horum ſubſtantiam. Accidentis eſſentia eſt inhærere, & eſt entis potius quam ens. Veritas non eſt duplex: Philoſophi ut ſunt res, contemplantur; Medici ſi contra, non ſunt audiendi, nam omni rationi adverſantur. Conſulant ſi velint Ariſt. *Phyſ. c.* 3. *text.* 16. intelligent, quomodo ſubſtantia nulli ſit accidens. Plura non addo, nam res ipſa loquitur. Neque vobis objicio, quomodo in igne poteſt eſſe forma, & accidens, eruntne duæ ſubſtantiæ in eodem? Sed his miſſis, dicamus, quid intelligant de calore nativo inſito, adventitio, cœleſti, naturali, non naturali, febrili, peſtilenti: plures ſpecies exiſtimemuſne? Inter recentiores ſunt, qui affirmativam ſequuntur. Ariſt. ſibi fautorem dicentes *l.* 2. *de gener. Animal. c.* 3. ubi aſſerit calorem, quo animantium vita continetur, quo pereunte omnis eorum actio moritur, nec ignem eſſe, nec ab igne ortum ducere; ſed in ſpiritum lapſum cœlitus incidere: item Conciliat. *diff.* 48. *&* 49. Marcellum in *ſuo lib. de Anima, c.* 143. *&* 144. Picum Mirand. *lib.* 3. *adverſus Aſtrologos, c.* 3. Bartholom. Angl. *de rerum proprietate, lib.* 3. *c.* 1. Niphum. 1. *Meteor. com.* 35. *q.* 2. Fernel. *ſuæ Phyſiologiæ, cap.* 3. Qui negativam amplectuntur, Anteſignanum D. Thom. Aq. Ægid. Albert. Mag. D. Bonavent. Marſil. Sax. Achil. Thom. Aveg. & alios complures producunt. Ariſt. non ſibi contrarium; ſed oppoſitum demonſtrant. Loca, & argumenta, hinc inde nota ſunt. Dum ſic inter ſe de calore rixantur, ſatis aperte videre licet, quam perperam febrium doctrina inde deducatur. Neoterici nonnulli, qui de calore, calidove innato explicationem ſuſceperunt, plus obſcuriratis, quam lucis afferunt: Ex his nonnulli adeo Philoſophiæ expertes reperiuntur, ut omni ratione repoſita, velint calorem eſſe ſubſtantiam corporalem, actionum noſtri corporis opificem, cujus præſentia vivimus, & cujus abſentia morimur. Hieronymus Capivaccius (ut alios taceam) ſupra *Aphor.* 14. *ſect. primæ*, definitionem talem exhibet: Calor nativus eſt corpus mixtum, a ſemine, & ſanguine materno, ab agente animali genitum, pro actionibus animæ obeundis. Ejuſmodi definitionem eodem in loco fuſius explicat, verbis magis apertis demonſtrans ex Gal. quomodo calor ſit ſubſtantia, non accidens: Ad quem craſſiſſimum errorem confutandum, ſatis ſupra dictum eſt, & adeo eſt clarum, ut ſuperfluum foret, in id tempus inſumere. Fernel. non ſubſtantiam, ſed accidens, cujus ſubjectum facit ſpiritum naturalem. Recentiores plurimi, Capivaccii errorem ſequuntur. Montanus, vir ſenex, quid ſit calor nativus ignorare ſe fatetur, quem tandem vocat quintam eſſentiam, ſpiritualem, tenuiſſimam, & ſubtiliſſimam ſubſtantiam. Hieronymus Mercurialis, Capivaccio contemporaneus, & noſtræ ætatis Medicus magni creditus, eundem calorem dicit eſſe ſubſtantiam calidam, & humidam *in* 14. *Aphor. ſect.* 1. Alios authores, aut potius tranſcriptores, ad confutandum in medium minime protraho, quod ſupra ſatis ſuperque factum eſſe exiſtimo: ex quibus ſatis videre eſt, quam parum certa, & tuta ſit Febrium definitio.

CAPUT VII.

Febris diviſio examine perpenditur & incerta redditur.

COllapſa Febris definitione, ejus diviſionem pariter corruere neceſſe eſt; attamen clarioris doctrinæ cauſa, quam communiter in medium proponunt, examinare placet: Primo nonnulli febrem dividunt, in materialem, & non materialem; in putridam, ſimplicem, & peſtilentem; in continuam, & intermittentem; in acutam, & mitem; in humoralem, ſpiritualem, & in ſolidis conſiſtentem; unde ſanguineæ, bilioſæ, & melancholicæ, Diariæ, & Hecticæ: quas rurſus in Synochum, tertianam, quartanam, & quotidianam. Omnium communiſſima eſt, in putridam, non putridam, & venenatam. Ejuſmodi diviſiones pluribus modis redargui poſſunt. Primo cum ea ad id inventa ſit, ut rem, de qua ſermo habetur, clariorem, & certiorem reddat; hæ cum contrarium præſtent, certum eſt ejuſmodi diviſiones eſſe inutiles: quod maxime patet ex ſuperioribus. Præterea patet, ejuſcemodi diviſiones eſſentialia prædicata febrium minime tangere: non materiam, non formam, aut aliud horum vices gerens. Rurſus neq; ſunt ipſæ diſtributiones generis in ſuas ſpecies. Etenim cedo febrem eſſe genus, putridum & non putridum ſpecies: quid? nonne eſt ignotum per ignotius? ut jam, & infra patebit. Species dum prædicatur de aliquo, hoc maxime fit in eo quod quid eſt, non quale quid, diviſio continuæ, & intermittentis, non quid, ſed quando reſpondet. Sed ſapienti pauca, modo ad cauſas.

CAPUT VIII.

Febrium cauſæ ponderantur.

HIc non omnes Febrium cauſas examinare ſtatuimus, ſed univerſales tantum, & magis communiter, ex quibus particulares manifeſtæ fient. Iſtæ vero ſunt triplices, caloris exceſſus, putredo, & peſtilens aer. Quod ad caloris exceſſum, dicunt ejuſmodi exceſſum fieri, per additionem novi caloris; At hoc fieri nequit, ſine novæ materiæ appulſu, quæ ſit ſubjectum novi adjecti accidentis; at in febribus ſimplicibus negant fieri novæ materiæ adjectionem; ergo ejuſmodi exceſſus, eo quo dicunt modo, non datur. Quod vero a ſe extendatur, ſine materiæ adventu, demonſtrandum eſſe primo, quo pacto accidens poſſit eſſe ſine materia; item quomodo accidens poſſit moveri, cum omnino ſit immobile; etenim auctio, & diminutio ſunt motus. Ex quibus conſtat, præfatum caloris exceſſum non dari, nec per conſequens fieri poſſe cauſam febris.

CAPUT IX.

De Putredine, & an talis detur in nobis.

JAm de putredine: de qua nemo hucuſque dubitavit, putredinem eſſe dependentem ab alio, a putrefaciente videlicet: ex quo ſatis videre eſt, alterius

terius esse effectum; at effectus alicujus rei non potest esse causa. Sic patet putredinem non posse generare febrem, aut febris esse causam. Putredo est transmutatio totius substantiæ putrescentis corporis ad interitum, vel corruptelam ab externo calore. Gal. 11. *Method.* Putredo, Græce πυθεδὼν, σηπεδὼν, σῆψις, & διαφθορὰ. Aristoteles putredinem dicit esse corruptionem proprii naturalisque caloris in unoquoque humido ab extranea caliditate: σῆψις δὲ ἐστι φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, *lib.* 4. *cap.* 1. Eodem in loco dicit putredinem esse simplici generationi contrariam, τῇ δὲ ἁπλῇ γενέσει τὸ ἐναντίον μάλιστα κοινὸν σῆψις. Verum enim vero, quia tria sunt in considerando putredinem, quæ quodammodo putredo dici possunt, Alteratio, Generatio, & Corruptio, quæ proprie putredo dicitur, de qua in præsenti: putredinem esse actionem agentis in passum putredini aptum, negabit nemo. Agentium finis est assimulare sibi passum, eorum formam annihilando, & resolvendo ad ultimam materiam, quam modo incognito ad novam formam præstitutam disponunt; sic dum res putrescit; novam acquirit formam, & eodem tempore antiquam deponit, & ita novum esse, novamque recipit denominationem. Demus itaque sanguinem, cætetosque humores putrescere, corrupti, ut supra patet, desinunt esse, novamque induunt naturam, non sunt amplius sanguis, sed quippiam toto genere diversum. Sic non putrescenti sanguini, sed cuipiam alteri diverso tribuenda esset ejusmodi febrium causa.

CAPUT X.

Quid obstructio? & an ipsa possit esse causa febris Putridæ.

CAusas febrium universales enumerat quinque Galen. *lib.* 1. *de differentiis febrium, cap.* 6. *& de morborum causis, cap.* 2. At quia putredo causa est potissima febrium, quas appellant humorales, de ea præcipue differere nobis est animus. At Gal. *lib.* 11. *meth. medendi*, obstructionem, (hanc vero putredinis præcipuam causam esse asserit) explicat per suum contrarium, eam dicens esse obturationem quandam, cujus contrarium ἔγκρᾶξις, quod est reseratio, & recluſio. Obstructionis, inquit, idem est symptoma, ac transpirabilium retentio, cujus excretio eorundem contrarium est. Trincavellius *lib.* 1. *Epist. med. cap.* 12. volens explicare, quid sit obstructio, dicit esse humorem vias occludentem, & transitum intercipientem: quo in loco causam pro effectu sumit, negans se posse obstructionem cognoscere, nisi per obstruens, & occludens, qualis est crassus, & viscidus humor, quo (inquit) sublato, nulla est obstructio. Argenterius *lib. de febribus*, obstructionem esse dicit occlusionem viarum, vel internarum, vel externarum, a densantibus, exsiccantibus, & indurantibus. Alibi, ut in *Comment. lib.* 2. *Aphor. Hipp.* addit, & quantitatem humorum parere obstructionem. Galenus *loc. cit.* obstructionem vocat morbum instrumentalem; quod negat Trincavellius *eo in loco*, dicens esse symptoma, & nunquam morbum per se. Sed his missis, videndum quomodo ipsa, quæ alterius est effectus, & per consequens accidens, possit esse alterius causa. Sed hoc dato, & non concesso, in humore

crasso & viscido, duo considerandа veniunt, humor, & crassities. Humor, ut humor non est nisi aqua. Crassities a terrestri quadam materia ipsi aquæ mixta pendet. Crassities rursus varie consideratur, vel simplex est terrestreitas, vel aliis mixta infinita. Simplex, vix sola reperitur; mixta, infinita prope sub se continet, apprime diversas salium species, mineralia, bitumina, metalla, &c. Hinc non sufficit dicere crassum, lentum, viscidum, &c. sed crassi, lenti, & viscidi causam. Nec rursus satis est mixti rationem reddere, sed & miscentis originem afferre necesse est. A jecoris calida intemperie cum ventriculi imbecillitate, aut frigida temperatura, id deducere, eadem est ruditas. Fit circulus, principii petitio: esse a non esse repetunt, motum ab immobili, actionem a non agente. Scio juniores nova ad hoc in nos dirigere tela. Crassitiem, visciditatem, lentorem, & ejuscemodi secundas qualitates a primis dependete. At quid inde? calor non nisi calorem producit. Quæ ex hujusmodi evaporatione venit crassities, lentor, & visciditas, a mixtione, quæ erat in humido, venit. Qui corporum vivam anatomiam callet, in ejuscemodi nugis tempus haud inutiliter erit. Equidem me pudet in re tam clara veritatis splendorem quærere; etenim satis ex his manifestum est, obstructionem non esse causam febris.

CAPUT XI.

De motu, quomodo possit esse causa febris.

GAlenus causas febrium universales enumerat quinque *de differentiis febrium, cap.* 3. *de morborum causis, cap.* 2. motum esse unam ex præcipuis febrium causis statuit, quam opinionem sequitur universa Medicorum schola. Videndum quam opportune. Circa ipsius motus cognitionem, animadvertendum, quid moveat, quid moveatur, in quo, a quo, & ad quid. Motus, actus est entis potentia mobilis; est vero in nobis unicum, quod est potentia mobile, quod movet, & a nullo movetur, principium omnium motuum, qui fiunt in homine. Dicitur potentia, quod non actu; etenim indesinenti quiete cuncta in corpore humano regit, & gubernat, & moderatur. At non sic Medici motum intelligunt: circa materiam, eamque quantam versantur. Motum intelligunt rei corporalis motionem, hic locus cum suis terminis requiritur, a generatione ad corruptionem. In motu semper fit mutatio: de tempore, & continuitate, nulla fit mentio, de præsenti intelligunt. Motum itaque hic intelligimus actionem entis actu mobilis, quod simul agat, & patiatur. Aqua ab igne calefit, & hæc nostra est propositio; at falso arbitrantur, calorem de igne ad aquam migrasse. Qui in aqua percipitur calor, e potentia aquæ educitur; non migrant accidentia de subjectis in subjecta; minus datur corporum pene tratio; insuper duo contraria eodem in loco minime hospitantur. Hic non inquiro, an supra vires aliquid agere possit, nec peto an agentium fines terminati sint. De generatione, tanquam de non ente ad ens, satis evidens est, mutationem ejusmodi fieri per medium, non enim sine alteratione fit. De corruptione

ptione idem censent Philosophi. Gal. *loco præalleg.* postquam quinque illas causas enumeravit, pro motu, Solis operationem proponit, quæ sanguinem & spiritus movens, calorem parit non naturalem, a quo febris. Ita pariter proponitur, in cujus motione alii moventur humores. Exercitium etiam calefacere humores inducit. At ut melius ejusdem Galen. mentem assequamur, quid ipse περὶ διαφορᾶς πυρετῶν dicat, tam ex propria, quam ex Hippocr. sententia, satis videre licet. Ibi simplicis caloris mentionem affert, ubi de febrium differentia, cujus verba sunt hæc: πυρετοὶ οἱ μὲν δακνώδεες τῇ χειρὶ, οἱ δὲ πρηΐες, διὰ δ' ἃ δακνώδεις μέν, ἐπαναδιδόντες δὲ διὰ ὀξέες μέν, ἥσσωμενοι δὲ τῆς χειρὸς, &c. Qui plura desiderat de motu, causa febris, legat ipsum Gal. *in cit. lib. cap.* 6. Licet ex prædictis, motus, ut motus est, non possit ex se quicquam efficere; nihilominus ex Gal. decretis, movendo spiritum, & humores, varie exagitat calorem nostrum, eumque augendo, non naturalis evadit, qui ad cor detrusus febris dicitur: si spiritus apprehendit, ephymera; si humores, humoralis, & putrida; si in substantia, seu pulpa, habitualis, & hectica. Quid de calore, caloriſve actione sentiendum sit, supra exposuimus. Hinc patet moveri humores, & spiritus. Locus sunt vena, arteria, & universus corporis habitus. Ad quid? finisne sit per accidens, an determinate ad hoc, dicendum alio distulimus.

CAPUT XII.

De contactu, & vicinia rei calidæ.

QUi rerum proprietates, virtutes, & facultates ex vero fonte scrutatur, contactus, & viciniæ potestatem non ignorat: Nos, ubi de calore, calido, obstructione, & putredine locuti sumus, singula tetigisse arbitror. Ubi de pororum constrictione, & calidi effluvii retentione, in præcedentibus pariter singula solvisse, & omne dubium sustulisse satis reor. Quæ etiam in subsequentibus clara, & firma docebimus. Sed veriores, & certiores demus febris causas.

CAPUT XIII.

Febris Quidnam morbi genus.

INter quænam entium genera reponantur morbi, non est dictu difficile, si morbus διάθεσις appelletur, & ut accidentia definiri non possunt, nisi per subjecta quibus inhærent, sic neque febris, ni prius illius subjecti cognitionem habeamus. Hoc vero sunt partes similiares, vel organice, vel utrique parti commune. Febrem ab hisce generibus, maxime exceperunt, quod in nulla dictarum partium potissimum insideat; sed universaliter corpori molesta, nec minus uni, quam alteri infensa, sic totius morbus est febris, quæ vel in humoribus, vel in spiritualibus, vel in solidis habituve corporis, tanquam in propriis domiciliis hospitatur. Dum hæc effutiunt, proprium, & particulare febris subjectum minime docent; esse vero calorem naturalem auctum, (ut ipsi somniant) vel novum calorem extrinsecum intrinseco mixtum, ridiculum plane videtur; sic enim accidens, accidentis erit subjectum, & quod pejus est, &

contra

contra omnem rationem, erit aliquid, quod sui ipsius destructionem quæret. Etenim si calor naturalis est subjectum non naturalis, sequitur quod non naturalis destruit naturalem; sed quid magis a veritate alienum, quam accidens esse accidentis, & idem sola quantitate diversum diversa sortiri subjecta? Qui plura desiderat, præterita consulat, ubi de calore fusissime disseruimus. Ex his manifeste constat, febrem in genere qualitatis esse repositam. Nos doctrinæ gratia, & veritatis luce collustrati, quid de ejuscemodi entium distributionibus censeamus, alio dicendum distulimus; in præsenti non res nominibus, sed nomina rebus aptare decrevimus. Febrem nos impense exagitare, & destruere, quotidie experimur; demum ipsam vehementissimas actiones reddere, & supra vires nostras se erigere, non minus observamus. Fundamentum in humana natura possidere non est credendum; nihil sui ipsius detrimentum quærit. Oportet hac de re humanæ naturæ inimicum pervestigare, & hunc vel in eo genitum, vel forinsecus introductum. Quod in nobis generatur, nonnisi ab eo quod intus superflue ingeritur; ea est enim nonnullorum depravata natura, ut quam a primordiis nacti sunt conditionem, hanc servare, & adversus naturæ hostes tutari satis haud possint, vel a quibusdam occultis impuritatibus nobis congenitis destinatis temporibus foras erumpentibus, vel forinsecus ab ambienti aere, ab astris, venenis, & divinis. Cur vero entis pulchritudinem, & bonitatem reformidabimus, in collocandis morborum generibus? Imperfecti sane sunt morbi, & apud nos nullum merentur ordinem; ac qui fatali, & inevitabili ἀταξίᾳ ortum nostrum in hac mundana scena donavit, necessitatis lege ejuscemodi morborum imperiis nos obtemperare voluit: atque adeo eos respectu suæ originis inter entia completa connumerabimus, quamvis nobis quidem adventitii, & mala sorte accidant. Quam vero sedem, quemve occupent locum in humana natura, paulo post dicemus.

CAPUT XIV.

De sede febris in humano corpore.

FEbres in universum corpora humana diversimode incolunt. Superius statutum fuit ex Medicorum præscriptis, tria domiciliorum genera eas obtinere; spiritus Ephemeræ, Putridæ humores, & habitum corporis Hecticæ possident. Pro febrium loco totum corpus intelligere possumus, cum in ipsum totum irruant, viresque suas intendant; at loca peculiaria, & in quibus generantur, & in quibus per tempora delitescunt, non ita facile deprehenduntur: nam ut earum ortus sensus nostros decipit, ita earum loca non sunt manifesta nobis. Matrices, agri, & elementa, in quibus rationes seminales vigent, non modo statuenda veniunt in venis, & arteriis, sed & in singulis locis, in quibus coctiones fiunt: sic quot sunt loca in corpore humano, ubi coctiones & separationes fiunt; quot matrices, & elementa proprietatibus seminum insignita: tot sunt febrium loca. Sic febres omnes continuæ, tertianæ,

næ, quàrtanæ, quotidianæ, ſpuriæ, erraticæ, hecticæ, &c. in ventriculo, inteſtinis, liene, hepate, renibus, meſenterio, ſedes & fomites habere poſſunt. Iſthæc locorum cognitio multum facit ad curationem: nam ubi ſedem habent in ventriculo, facili negotio per vomitum expelluntur; ſi in hepate, per ſpecificum febrile jecorarium; ſi in liene, renibus, inteſtinis, per propria arcana. Ejuſcemodi locorum cognitio peculiaribus indiciis, & propriis ſignaturis, ex ſingularum partium anatomia depromptis, habetur. Neque eſt, ut quinque ſigna, a Gal. & ab univerſa ſchola tradita, in medium afferamus; ad præſens enim inſtitutum, parum aut nihil lucis afferunt.

CAPUT XV.

De his, qui magis parati ſunt ad febrem.

CONſuetudo, & experientia in hac re perpendenda, quæ pluris facienda eſt, quam quodvis ratiocinium humanæ opinioni addictum. Communiter ratiocinatur vulgus de corporibus calidis & humidis, quæ putredini magis ſunt obnoxia; item de calidis & ſiccis, ut quæ intemperiei calidæ opportuna. Sic ſanguineis, & bilioſis febres paratæ dicuntur; hac de re juvenes ad febres procliviores ſunt. Verum non his acquieſcendum; etenim omnem ætatem æqualiter adoritur. Videtur tamen febris peſtilens juvenum majorem ſtragem edere, & quo validiores ſunt homines, eo vires ſuas magis intendere. Cur illi, qui in argenti vivi fodinis aſſidue verſantur, raro, aut nunquam febre corripiuntur; item cur qui hydrargyrii unguento perunctí fuerunt, ad longiſſimum tempus febre minime corripiuntur, etſi ejuſmodi ſint complexionis calidæ, & humidæ? Contra videmus nonnullos febribus opportunos, etſi complexionis frigidę, & humidę? Qui excrementis nitroſulphureis abundant, illi ſunt maxime parati ad febres, item quibus pori ſunt obſtructi, & qui crapulæ ſunt dediti.

CAPUT XVI.

De ſymptomatibus, & ſignis, quibus febres dignoſcuntur.

EX præcipuarum partium læſione, varia ſuppullulant ſymptomata: vel enim febris calore ſuo omnes partes vexat, vel ſaltem præcipuas: & hic ex primis ſymptomatibus, ubi jecur, & ventriculum, nauſea, vomitus, inappetentia, diſtentiones, eroſiones, dolores defatigant, ibi partes naturales læduntur; ubi capitis dolores, phrenitides, deliria, lethargus, vigiliæ, &c. apparent, ibi animales partes; ubi cordis morſus, pulſatio, palpitatio, pulſuum celeritas, & frequentia, vitales lædi dicuntur. Demum unaquæque febris, propria & peculiaria habet ſigna, & ſymptomata, hac de re ſingulis dicendum fuſius. Sat in præſenti præcipua ſigna notaſſe: ea in ſumma ſunt pulſus celer, ac frequens, aliquando inæqualis, virium languor, & imbecillitas, cum ſpontanea corporis gravitate, calor aut foris acer ac pungens, aut intus certe moleſtus.

CAPUT XVII.

De febrium magnitudine.

FEbris magnitudinem cognoſcere oportet, tam ad curationem, quam ad prædictionem. Ad curandum quidem, quia magnitudo morbi magnitudinem

nem remedii indicat; nam ex Hipp. 1. Aphor. 6. ἐς τὰ ἐχθρὰ νοσήματα, αἱ ἐχθραὶ θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισαι. Ad prædicendum, quia magni morbi non vacant periculo. Febris magnitudo duplex est, una comparate spectata, altera simpliciter. Etenim febris mediocris suis cum symtomatibus, cum viribus debilibus, magna dici potest. Simpliciter magna dicitur ea, quæ nulla facta comparatione cum viribus, magna censetur. Dicitur etiam magna, ex Galen. 4. *lib. meth. cap.* 6. tribus rationibus: symptomatum magnitudine, partis obsessæ præstantia, & malignitate, sive κακοηθείᾳ. Magnitudo symptomatum consistit in multitudine eorum, vehementia, & duratione: quo enim plura sunt, vehementoria, & diuturniora symptomata, eo majora existimantur. Pars præstans duobus magis dicitur: aut ratione vitæ, aut publici officii; ut ventriculus, pulmo, renes, vesica. Omnia signa specifica, sive pathognomica, propria & inseparabilia, omnia item epigenomena, sive propria, sive communia possunt magnitudinem significare. Omnia etiam, maligna, magnitudinem ostendunt: præterea omnis febris maligna, est magna.

Rursus febris magnitudo ex causæ magnitudine, magna censetur. Magnitudo etiam cognoscitur ex indispositione subjecti ad recipiendam causæ efficientis actionem: quo enim subjectum minus est dispositum, ad causæ efficientis vim recipiendam, eo, cum receperit, majorem causam adesse necesse est: contra, quo major est dispositio, eo minorem. Quocirca scribit Hipp. *Aph.* 34. *lib.* 2. *minus pernicioſe laborant hi, quorum temperaturæ, vel conſuetudini, vel tempori familiaris eſt morbus, quam quibus horum nulli affinis.*

CAPUT XVIII.

De More Febrium.

MOs attribuitur morbis improprie; in hominibus autem quibus accommodatur proprie, est proclivitas ad agendum comparata. Is ratione finis, bonus, vel malus dicitur. In morbis, similitudine quadam appellatur malignus, ducta ab hominibus malignis similitudine, qui specie recti decipiunt: apparent enim boni, revera autem mali sunt. Quare Gal. *lib. de defin. med.* scribit: Malignus est morbus, qui facultate magnus est, difficiliſque, specie tamen apparet perexiguus, nec statuta ad judicandum habet tempora.

Maligni morbi sunt, aut specie tota, aut symptomatibus quibusdam. Specie pestis est maligna. Pleuritis, si quando maligna dicatur, talis est symptomatibus, quod scilicet maligniora habeat symptomata, quam morbi species ferat, & clam ob malignitatem labefactentur facultates nostri corporis.

Mos morbi cognoscendus est ad curationem, & ad prædictionem: nam maligni morbi alexiteriis sunt oppugnandi; tum maligni pleni sunt periculo, quod est prædicendum.

Cognoscitur vero ex symptomatis Epigenomenis (*supernascentibus*,) & ex propria morbi specie, ut a Galeno scribitur *cap.* 3. *lib.* 1. *& cap.* 4. *libri* 3. *criseon*. Maligna vero symptomata appellantur, quæ perniciem præcipuis nostri corporis facultatibus afferunt, quæ maxime elucent in pestiferis morbis. Et

quia

quia critica ſymptomata nonnunquam mentiuntur ſigna malignitatis, ne nos decipiant, ita diſtinguenda ſunt. Omnia maligna, quæ apparent ante ſigna coctionis, morbi pravi ratione fiunt; at poſt coctionem pendent a conflictu naturæ, & morbi nihilque maligni habent, præter ſpeciem & apparentiam.

CAPUT XIX.

De Motu Febrium.

MOtus Febrium cognoſcere neceſſe eſt, tam ad prædicendum, quam ad curandum. Ad prædicendum, celeres enim morbi cito finiuntur; tardi tarde: & ad medicandum, nam Hipp. *Aph.* 10. *lib.* 4. ſcribit: *medicari in valde acutis eadem die oportet, ſi materia turgeat; tardare enim in talibus, malum.* In longis autem morbis expectanda materiæ coctio.

Cognitio motus morbi pendet a cognitione ſymptomatum ſubito aut tarde naſcentium: Morbus enim qui parit ſymptomata magna ſubito, celer eſt: qui vero tarde, longus.

Præterea ab acceſſionum temporibus, & a temporibus morbi ipſius: Nam principium breve, aut tardum reliquorum temporum brevitatem, celeritatem, aut tarditatem oſtendit.

Ex ſignis pariter coctionis, & cruditatis: nam coctiones ex Hipp. *lib.* 1. *Epid. conſt.* 2. celeritatem criſeos demonſtrant, ut cruditates longe poſt morbi principium apparentes, tarditatem.

Ex quantitate excretorum, & modo: Nam in quibus pauca, & paulatim excernuntur, in his tarditas expectanda eſt, cum vero multa, & confeſtim, celeritas.

A viribus etiam comparatis cum materiæ quantitate: Nam robuſtæ cum pauca materia, celerem fore oſtendunt morbum: debiles cum multa, longum, & tardum.

CAPUT XX.

De tempore Febrium.

FEbres, vel natura ſunt breves, vel chronicæ & longæ: omnes habent propria tempora, principium, incrementum, ſtatum, & declinationem.

Principium aliquando capitur pro primo morbi infultu; aliquando pro primis quatuor diebus, in morbis qui progrediuntur ulterius. Proprie ſumitur pro eo tempore, in quo materia morbifica cruda eſt. Tempus etiam dignoſcitur ex morbi ſpecie: nam quartana, tertiana, &c. peculiaria habent tempora.

Itidem ex partibus anni, nam *quartanæ æſtate magna ex parte ſunt breves: autumnales longæ, & præſertim quæ hyemem attingunt.* Ex circuituum incremento; oportet enim acceſſiones invicem conferre, ſi citius fiant, vel non. Nam ſi hæc omnia conjunxeris, ad exquiſitam dignotionem propius accedes. Principia tandem vere ea ſunt tempora, in quibus cuncta cruda ſunt; etenim quamdiu cruda ſunt excrementa, morbus eſt in principio: quod probatur ex *Aph.*

22. *lib.* 1. *Concocta medicari, & movere oportet, non cruda: neque in principiis, nisi turgeant.*

Incrementum febris cognoscitur non tantum ex anticipatione accessionum, sed etiam ex earum longitudine, tum ex magnitudine, & more: nam malignitas ut plurimum in incremento elucescit. Anticipatio enim sola non est sufficiens signum incrementi, quod sæpe morbi proprietatem sequatur potius, quam ejus incrementum, cum & quartani (inquit Gal. *cap.* 3. *lib.* 1. *de crisibus*) & tertiani quidam paroxysmi, usque ad integram solutionem, anticipare visi fuerint.

Status cognoscitur ex accessionum æqualitate, & symptomatum paritate.

Declinatio, accessionum brevitate cognoscitur, nam accessiones breviores fiunt, & symptomata mitiora fiunt. Scribit Hipp. *Aph.* 30. *lib.* 2. *In principio, & fine morborum, omnia sunt mitiora; in statu vero deteriora.*

CAPUT XXI.

De præcedentibus nostra, & Iatrochymicorum placita exponuntur.

ALiter, & alio modo de supradictis sua interponunt placita Jatrochymici. In primis fundamenta temporum in donis & scientiis seminum continentur, ibi termini, horæ, minuta, menses, anni, lustra, secula, longe antea definita sunt: Et unicuique semini, ut colorum, saporum, figurarum, caliditatis, frigiditatis, duritiei, asperitatis, lævitatis, coagulationis, resolutionis, magnitudinis innatæ leges existunt; ita quoque temporum prædestinationes, silentii, ortus, maturitatis, senii. Tempus nihil est aliud, quam progressio, & fluxus seminum ex Orco, vel Iliado in Rempublicam Jovis. Quocirca semina diversa, temporum quoque varietatem ostendunt. Vegetabilia omnia certis temporibus germinant. Mineralium, & metallorum tempora, quia ex radicibus procedunt invisibilibus, paucis comperta sunt, tarditate, & varietate difficultatem augente. In his omnibus duplicia tempora observare licet: Digestionum vel maturitatum, & Resolutionum. Differunt enim inter se plurimum: nec omnia, quæ tarda habent digestionum tempora, tardas quoque fructuum resolutiones ostendunt. Digestionum tempora in omnibus continua sunt: Resolutionum vero in multis interrupta. Metalla longa habent digestionum tempora; seculorum enim terminis plenilunia describunt: resolutionum deinde tempora, continua quidem, sed tarda adjungunt. Mineralium digestiones breviores sunt: resolutiones vero ut plurimum interruptæ, ut in Thermis certis anni temporibus, effervescentibus, & similibus salium radicibus apparet. Vegetabilia digestionum tempora annua, menstrua, bimestria, trimestria obtinent: Resolutiones deinde continuas, vel interruptas, citas, vel tardas demonstrant. Digestionum quippe temporibus sobolis fœcunditatem, fructuum numerum; resolutionum repetitiones, & durationes decernunt, & consilia ineunt futuræ progressionis: ita prædestinatione accepta, mirabili desiderio ad officia, & terminos festinant. In arborum resolutionibus continuitas major apparet. Hæc temporum rudimenta, si ad Anatomiam humanam debite accommodentur, sanitatis & morborum periodos, paroxysmorum circuitus, silentia,

lentia, plenilunia; decreſcentias, criſes, & decretoriorum dierum rationes, magna facilitate demonſtrabunt, multiſque difficultatibus, & obſcuritatibus ſublatis, a Pythagoricorum numerorum injuſtis uſuris, a melancholiæ, & humorum phantaſticis mixtionibus, a menſis medicinalis laborioſa computatione, ab excrementorum geometricis fluxionibus, & expultricis facultatis otioſæ patientia nos excuſabunt. Qui morbi in alimentis ſemina habent, ſive inferioris globi, ſive ſuperioris, inſitionum leges imitantur, & digeſta temporum citius abſolvunt. Locorum quoq; & agrorum diverſitates, tempora digeſtionum variant. Citius enim fermentantur, & ad efferveſcentias promoventur, quæ in ventriculi anatomia inſeruntur morborum ſemina, quam quæ in hepatis, renum, ſynoviæ, ſanguinis, & ſimilium partium elementis recipiuntur, ſervata tamen ſeminum analogia. Citius enim febrilia ſemina in rerum Anatomia implantata, ad germinationes venient, quam colicæ Tincturæ in inteſtinis, vel ventriculo: & in ventriculo citius tertiarum radices, quam quartanarum, digeſtiones abſolvent. Ita Ephemeræ febres, id eſt, aereæ, vel ocius aſcendent, fermentatione peracta, quam hecticæ, vel igneæ. Et quia in febribus tempora digeſtionum, & reſolutionum manifeſtiſſima ſunt, & circuitus paroxyſmorum conſtantes, conſideratione dignum eſt, qua ratione regionum, ætatum, ſexuum, alimentorum, conſuetudinum neglecto diſcrimine quartani, tertiani, & quotidiani circuitus maneant perpetui, & conſtantes. Semina tandem, & impuritates febriles, ſulphureæque nitroſitates, in omnibus alimentis copioſiſſimæ inveniuntur, in vino, pane, leguminibus, carnibus, piſcibus, oleribus, fructibus, &c. Atque ſic cauſas frequentis, & communis calamitatis febrium inveniemus. Ex his patet, quæ poſſint eſſe non modo febrium, ſed & omnium morborum tempora, & eorum cauſæ. Motus febrium, earum loca, magnitudo, & conſimilia febribus communia, pari paſſu dignoſcuntur: Verum enim vero, quia inaſſuetum iter ſuſcepimus, his paucis contenti ſumus, nec parum exiſtimamus certiorem, & tutiorem nepotibus viam præmonſtraſſe. Loca, mos, magnitudo, & ſimiles febrium affectiones, eodem calle incedunt: at ut ipſa ex arte exponantur, longum tempus requiritur, & integris voluminibus vix poſſunt abſolvi. Sed partim data occaſione ſingula luſtrabimus, maxime ubi de prognoſticis acturi ſumus.

CAPUT XXII.

De legitimo ordine febrium.

VErum antequam noſtram de febrium generatione afferamus ſententiam, videndum, quid ſenſerint Chymici Medici. Petrus Severinus Danus, Vir doctiſſimus, & eruditiſſimus, in ſua *Idra Medicinæ philoſophicæ*, (ut refert Sennertus in ſuo *de Conſenſu, ac deſſenſu, chymicorum cum Ariſtotelicis, & Galenicis, cap.* 16.) inquit: ex permiſtis impuritatibus generantur morbi ſulphurei, fœti febrium ſymptomatibus, id eſt, ſiti, calore, linguæ amaritudine, capitis dolore, frigore, horrore moleſti, quos vulgo febres appellamus; ipſe vero rectius, a radicibus nitro-ſulphureos dicendos putat. Statuit enim febres habere ſemina, & radices, in quibus ſulphuri impuro, fœtido, reſoluto, mu-

mucilagines, ac ſpiritus ſalini nitroſi permiſcentur. Statis ergo temporibus; dum germinare incipit minera nitroſi ſulphuris, horrores, rigores, pandiculationes, oſcitationes,& ſimilia ſymptomata, pro differentia nitroſi ſulphuris induci exiſtimat. His floribus ſuperficialibus, acetoſis, frigidis, mercurialibus exhauſtis, vapores, & ſpiritus ſequi pingues, inflammabiles ſulphuris, ſalium tamen commixtione tranſplantati naturam magis referentes, qui nota febrium ſymptomata inducant, donec reſolutis ſpirituum inimicis tincturis,& quocunq; evacuatis modo, naturæ quies concedatur, ſed cum recidivæ metu ſuſpecta. Quercetanus in ſua *Tetrade cap.* 7. idem ſentit. Narrat inter Chymicos Scheunemannum Dan. Sennertus, cujus opinio ſatis eſt frivola: formari inquit globum in ventriculo, cum ſulphure excrementitio, una cum mercurio, & ſale, lamellis ipſi globo toties inductis, quoties dictus globus ictu cęli percutitur,& accenditur. Sed hanc opinionem ſomnio perſimilem tribuit Paracelſo. Sennert. id quod a veritate ſatis eſt alienum. At ipſe dicit materiam febris eſſe nitroſulphuream; cum enim humores per ſe accendi nequeant, oportet ut quod incenditur, ſit de natura ſulphuris. Alibi dicit febrem eſſe obſtructionem ſpiritus vitę,& omnium febrium eandem eſſe Theoriam. Lege Henricum Petreum in ſua *Noſologia Harmonica Dogmatico-Hermetica.* Diſſent. lib. *de febribus in genere.* Idem ſentit Johannes Harmannus in ſuis *diſputationibus Medico Chymicis*.

Hippocrates *lib. de flatibus*, dum febrium cauſas ſpiritus eſſe dicit, a Chymicis non eſt valde alienus: Inquit enim multitudinem ſpirituum ſanguinem concalefacere, & excitare febres: generari vero multitudine ciborum, & qualitate aeris. Hic animadverto, Franciſcum Valeriolam audiendum non eſſe *in ſuis enarrationibus*, ubi librum Hippocrat. περὶ φύσεων ſpurium eſſe dicit: minus, ubi ſingula carpere tentat contra Divinum ſenem. Litem in præſenti, cum ab inſtituto ſit aliena, dirimendam non ſuſcipio. Sed ad recentiores, penes quos veritas magis eluceſcit, revertor. Recentiores appello eos, qui aliquid lucis in artem invexerunt, non tranſcriptores, qui ut magni videantur, magna volumina hinc inde convaſata condere non erubeſcunt. Inter recentiores primas tenet Theoph. Parac. qui ipſe ſolus auſus eſt antiquorum ſenſa ad veritatis cenſuram provocare. De nomine primo. Erronea eſt, inquit, febris appellatio, ac citra rationem; febris enim a fervore deducitur, at fervor ſignum eſt ſaltem morbi, non materia, non cauſa. Nomen ſiquidem procedere debet a materia, & proprietate, & natura ipſius ſubſtantiæ. Veluti urtica eſt vere urtica, quia urit: ſed verius ſal urinæ; unam enim Anatomiam habent. Quare febris tale nomen eſt. Eſt ergo morbus nitri ſulphuris incenſi: unde etiam corpus quatit, unde horrore ferit, unde intervalla dat.

Idem Theophr. Parac. 1. *Tom.* 3. *tit. de peſtilitate*, *Tract.* 1. dicit febrem eſſe morbum nitri, & ſulphuris incenſi.

Idem Autor *de Tartaro lib.* 2. *cap.* 7. dicit febrem eſſe calorem ex oppilatione, generatam ex putrefactione tartari in regionibus hepatis.

Idem *Paragraph. lib.* 9. §. 1. febrem ſic deſcribit: Febris eſt calor putrefactus, cum tremoribus, ex ſua oppilatione a materia inſequeſtrata, in clauſis poris ex vi ſtyptica.

Fa-

Fateor ejuſmodi deſcriptiones ſcholam minime ſapere, & proprio marte ſine artificio prolatas eſſe. Logicalem definitionem ad tantam ſimplicitatem introducere non quæro; noſtram propria experientia partam in medium proferamus.

CAPUT XXIII.

De febris generatione, atque de vera ejus eſſentia.

IN ſuperioribus communem febris notitiam non eſſe tutam, Lydioque veritatis lapide probatam, ſatis ſuperque probavimus. Nunc certiorem, firmiorem, & veritati magis conſentaneam demus, non e logodædalis, vaniſque Scholaſticorum ſophiſmatibus, ſed e fidiſſimis naturæ oraculis, ratione, & experientia comprobatis. Itaque cum febris ſit ardor, & immanis quædam caliditas, ut experientia monſtrat; a quo poſſit fieri ejuſmodi ardor, perveſtigare neceſſe eſt. In hac conſideratione, duo inquirenda veniunt: quodnam ſit illud quod flagrat, aut quænam ſit materia incendii, & quid ſit illud, quod incendium præſtitit. Materiam flagrans eſt, ut optime animadvertit Fernelius, ſubſtantia quædam oleaginea, quam Chymici ſulphuream appellant: illud vero, quod incēdit dictam materiam, non poteſt eſſe aliud, quam ignis actu; at talis non reperitur in viventibus: quapropter alio modo cauſas ejuſcemodi incendii inveſtigare decet. Ad quod intelligendum, notandum eſt, duas eſſe in ſanguine ſubſtantias ejuſmodi incendium facientes, unam mere ſulphuream, alteram ſalinam. Et cum iſtæ ſubſtantiæ ſeorſum ſegregatæ, & exaltatæ ſunt, vel proprio, vel alieno impetu mixtæ, ardorem & incendium febrile concitant. Verum qui ejuſcemodi Philoſophiæ principia ignorant, vix poſſibile eſt, ut tantæ lucis ſplendorem aſpicere valeant. Reperiri tamen ejuſmodi ſubſtantias in viventium ſanguine, non eſt adeo cognitu difficile, maxime ubi quis ſingularum partium mixtum componentium notitiam habuerit; & hæc diviſionis notitia, viva anatomia appellatur, docens unum quodq; in ſuas partes dividere. Exemplum eſto de quavis re: facillimum omnium eſto vinum, cujus duplex eſt materia ſulphurea, volatilis una & tenuiſſima, altera craſſa & terreſtis. Volatilis, igni æmula, ſurſum aſcendit; altera craſſa, & ad terram deorſum vergit. Uti eſt de ſulphurea, ita eſt de ſalſa: nam una eſt ſalſedo, quæ præ tenuitate ſurſum aſcendit, altera craſſa & fixa, quæ deorſum vergit. Rurſus unaquæque materia, tam oleaginea, ſeu ſulphurea, quam ſalſa, naturam ſui ſeminis retinet; unde febrium infinitæ ſpecies. Quod de vino diximus, de ſingulis rebus animatis, & inanimatis cenſendum eſt. Qui de ſanguine humano periculum facere aves, de ipſo accipias ſufficientem quantitatem, eumque peculiari fermento in vaſe vitreo, collo oblongo, in fimo equino contineas, ad 15. vel 20. dies; poſtea per Alembicum vitreum ad Balneum Mariæ extilla ſpiritum primo, aquam poſtea. Rectifica ſpiritum bis & ter, ſi opus fuerit. Hunc ſpiritum ſeorſum ſervabis, & interim ſalem e fecibus parabis, in cujus extractione varias etiam obſervabis ſalium ſpecies. Si vero recte operatus fueris, unam invenies cæteris copioſiorem, eamque ſubacidam cum quadam dulcedine, & hanc magis de nitro, & armoniaco

participare judicamus. Est alia species valde amara, sali communi finitima: Ex superiori per retortam vitream prolice spiritum, qui pariter seorsum asservatur in ampulla vitrea. Ambæ ejusmodi substantiæ actu sunt frigidæ, & tactu nihil quicquam caloris percipitur; at ubi in tertio vase permiscentur, tantum caloris & fervoris concitatur, ut vas nullo pacto manibus contineri possit. Sed quod majus est, ex utroque rumor & fragor exauditur tantus, ut non minus quam de bello cogitare possis. In hoc conflictu, vapor quidam teter ab utroque spirat, non sine graveolentia quadam. Hæc vera & genuina febris generatio in universum. Species inde deducere non erit impossibile, dummodo te non pigeat laboris, sed primo communem febrium doctrinam enodare placet, ad nostram postea veniemus.

CAPUT XXIV.

Febris communiter dividitur.

QUando ad febrium singularium notitiam deveniendum, multiplices observationes rimari necesse est: at has longo usu, & experientia congestas invenimus apud Galenum, Avicennam, &c. Quapropter quid de his dixerint, videamus. Primo pro varietate subjecti, in quo versari calorem autumant, in tres species ipsas dividunt: in spiritales, & has ephemeras appellant; in humorales, & has in sanguineas, biliosas, melancholicas, & pituitosas partiuntur; & inhabituales: quæ sedem in solidis selegerunt, & hecticæ appellantur.

CAPUT XXV.

De Ephemera febre.

EPhemera Græcis, Latinis diaria, quod unius diei, seu 24. horarum spatio terminetur. Hæc sedem habet in spiritibus, & in humores aliquando se diffundit. Causas brevitatis studio omitto, cum sit febris quæ sponte evanescit, & communes habeat cum supra narratis.

Signa ephemeræ sunt calor mitis per corpus diffusus: rigor, aut horror nullus, aut paucus, citoque evanidus: periodorum carentia: Pulsus sanis non valde dissimilis: Urinæ pariter a sanis non sunt dissimiles, moxque aut sedimentum bonum, aut enæorema, aut nubeculam exhibent, & omnino bene coloratæ sunt: Terminatur per sudorem, madorem, aut vaporem suavem, plerumque intra diem naturalem.

Periculosa non est, modo recte tractetur, imo sæpe utilis, poros enim aperit, fuligines expellit, sudores provocat, & putrefactionem prohibet.

CAPUT XXVI.

De humorali febre in genere.

HUmoralis febris ea est, quæ dicitur sedem habere primario in humoribus: quæ quadruplex est, juxta quatuor humores. Hæc rursus dividitur in putridam, & non putridam. Putridam in continuam, & intermittentem.

Non

Non putrida, ſynochus ſimplex appellatur, in ſanguine conſiſtens citra putredinem. Eſt & altera ſynochus putrida, in ſanguine putreſcente, dicitur & continens, & continua.

Febris continua ſine remiſſione eſt, quæ nullo ſtato excandeſcentiæ ordine, ab initio ad finem ſine ulla remiſſione perſeverat. Ferunt in hac putredinem in vaſis cordi vicinioribus ſtabulari, veluti in venæ cavæ ramis, quæ proprius ad cor accedunt, unde cor aſſiduo pari impetu aſficiatur.

Febris continua cum remiſſione eſt, quæ quidem nunquam intermittit, ſed tamen in ſingulis paroxyſmis ſenſibilem habet remiſionem. In hac putredinem dicunt a corde diſtantiorem eſſe, ideoque indeſinenter eadem violentia id ferire nequit. Hæc rurſus, vel inordinata eſt, quæ in paroxyſmis nullum ſervat ordinem, & pluries uno die excandeſcit: vel ordinata, quæ certum in paroxyſmis ordinem ſervat.

Intermittens febris eſt, cujus acceſſio non perpetuo durat, ſed certis temporibus intermittit, & ad quietem integritatemque deſinit. Dicunt ejuſmodi febrem oriri ab humore putreſcente, vel extra vaſa, vel in vaſis a corde remotiſſimis, atque minoribus. In hac diſtincte conſiderantur paroxyſmi, & intermiſſio, ſive ἀπυρεξία. Paroxyſmus nihil aliud, quam id tempus, quo febris poſt quietem de novo exacerbatur, corpuſque gravius affligit. Ἀπυρεξία tempus eſt a paroxyſmis, caloriſque febrilis moleſtiis liberum.

Continua febris rurſus, vel ὁμότονος, & ἀκμαστικὴ dicitur, ex eo quod in eodem robore, ac rigore permaneat; quæ a principio ad criſin uſque æquali magnitudine, ac vehementia perduret, eundemque vigorem, ac tenorem ſervet. Vel continua dicitur ἐπακμαστικὴ, & ἀναβατικὴ, id eſt, invaleſcens, & incrementum accipiens, ut quæ a principio ad finem indies augetur, ſemperque exiguum aliquid adjicit. Vel tandem παρακμαστικὴ dicitur, ut quæ de die in diem minuitur, & decreſcit, a principio ad finem.

CAPUT XXVII.

Putridarum febrium ſigna.

SIgna febrium putridarum continuarum ſunt invaſio repentina; nullo rigore, horrore, aut frigore prægreſſo, pulſus inæqualitas major, quam in intermittente, duratio ultra 24. horas, intermiſſio & deſinentia nulla, uſq; dum plane conquieſcat. Hæc ſunt propria, & pathognomica. Communia, & aſſidentia varia ſunt, ex quibus interdum multa, interdum pauca comitantur, ut æſtus immodicus, ſitis, linguæ ſcabrities, deglutiendi difficultas, guſtus depravatio, nauſea, vomitus, ciborum averſatio, ſingultus, alvi profluvium, animi deliquium, ſyncope, oppreſſio, reſpiratio difficilis, lumborum gravitas, corporis jactatio, veluti contuſio, capitis dolor, vigiliæ, delirium, corporis conſumptio, &c.

Intermittens febris, vel eſt Quotidiana, & quotidie ſimili typo recurrit, & hanc a putreſcente pituita fieri dicunt: quæ ſi intra vaſa putreſcit, continuam; ſi extra, intermittentem producit. Acceſſio ejus eſt horarum 18. intermiſſio 6. Nonnulli putant, ejuſmodi febrem eſſe rariſſimam, & qui quotidie febricitant, potius hoc eſſe a tertiana duplici, aut ex aliis intermittentibus mixtis.

Tertiana febris ea est, quæ singulo tertio die nova invasione ægrum affligit, & est exquisita, vel notha.

Tertiana exquisita fertur ex pura, & sincera bile fieri. Statim initio, singulisque accessionibus rigorem vehementem affert, torpusque pungi ac velut ulcerari videtur: pulsus æqualis est; in accessionis tamen incremento vehemens, magnus, ac frequens: in vigore sitis, & æstus magnus: vomitus supervenit biliosus: urina subrufa, subflava, & moderate crassa. Accessio ejus longissima est 12. horarum, interdum 7. aut 4. Septem circuitibus judicatur: Primus est debilis, secundus fortior, tertius vehementior, quartus vehementissimus, post quem paulatim remittit.

Tertiana notha ea est, quæ non ex pura, sed ex permixta aliis humoribus fit. Accessiones ejus ultra 12. horas extenduntur, nulloque ordine recurrunt: Nunquam 7. raro 14. circuitibus solvitur; sæpe vero longius excurrit. Calor in ea minus pungens.

Quartana febris ea est, quæ singulo quarto die nova invasione ægrum affligit. Hæc ab horrore incipit, cum olcitatione, pandiculatione, & molesta quadam totius corporis inæqualitate, quam rigor sequitur, qui initio parvus est, vel loco ejus refrigeratio, & horror, at progressu temporis fit major, donec fiat vehementissimus, qui talis est, qualis accidit iis, qui tempore hyemis refrigerantur, sensumque exhibet non rei pungentis, sed gravantis, & quasi contundentis ossa. Calor in hac febre ab aliis febribus differt; succenditur enim paulatim, neque ut in tertianis, velut adurens est, & æstuosus, sed submissus. Pulsus in his rarus est, & tardus. Sudores pauci primis diebus, progressu temporis copiosi. Urinæ primis diebus tenues & aquosæ, sensim postea coloratiores & crassiores. Sed hæc brevi epilogo dicta sint de putridis: supereſt tertia species.

Tertia febris species, Habitualis, aut Hectica dicitur, ex eo quod in habitu, aut in solidis hospitetur. Signa hujus febris propria sunt calor lentus, visque tactu perceptibilis, qui duabus a sumpto cibo horis exacerbatur: corporis macies, & extenuatio sine causa manifesta: urina pinguis & oleosa: facies livida & plumbea, oculi cavi & profundi: vigiliæ immoderatæ, appetitus debilis, frequens aerem frigidum trahendi desiderium. Ejuscemodi febris tres dantur gradus. Est præterea Hectica simplex; & composita ex simplici, & putrida. Rursus vel per se est, vel cum tabe: vel primario, vel secundario diuturnitate collecta. Cætera non addo, nunc ad propria.

CAPUT XXVIII.

De febrium Natura.

AD veram febrium cognitionem stabiliendam, intelligere oportet principiorum, seminum, & Elementorum potestatem, nec non temporum, & corporum cœlestium vires. Mitto transmutationum & transplantationum leges, Principia realia, non logicalia intelligimus, ampla est enim principii significatio: sed hic nonnisi corporum, tamquam generationi, & corruptioni subditorum, principia realia inquirimus. At vero ne corpora citra loca & tem-

& tempora conſtituere videamur, & pariter ſolitaria propriis formis deſtituta deſeramus, ea inveſtiganda ſunt Elementa, tanquam propria domicilia, in quibus generantur; nec generantur ſine ſeminis beneficio, & hæc ſemina in hanc mundanam ſcenam venire non obſervamus propriis deſtituta corporibus. Pro quo intelligendum eſt, corpora iſthęc non aliunde, quam ab iiſdem ſeminibus fuiſſe efformata, quæ cum a primordiis tali ſcientia donata ſint, peculiaria induunt veſtimenta: & ſub verbi omnipotentis vexillis militare audent. Eſt vero ſemen viſibile ſenſibus obvium, ut inviſibile ſenſuum criterium effugiens, e naturæ potentia eductum, propriis ſcientiis, & artibus inſtructum, ut per ævum propriæ ſpeciei deſerviret propagandæ. Sed hæc longe nimis petita videntur, & altiorem requirunt indaginem; modo reſolutionis via contenti ſimus docere corporum principia. Cum ergo corpora omnia in ſalem, ſulphur, & mercurium reſolvi obſervamus, iiſdem ipſa corpora conſtare neceſſe eſt. Scio quid adverſus hæc dixerint complures, quibus pariter ſatisfactum fuit: negare tamen non poſſunt, ea ſaltem contineri potentia, cum eadem actu educantur. Non obſtat, ſi eadem pro principiis nolint recipere, ſat enim eſt ipſa ubique reperiri, cum ea non otioſa propriis non deſtitui, fateri pariter teneantur ea, quæ ſenſuum criterium profert. At rudibus abſonum videbitur ſulphur, ſalem, & mercurium communiter ſumpta, in rebus conſtituere; hæc tria analogice ita appellantur, ut pro ſulphure intelligatur omne id quod flagrat, atque igni eſt amicum; pro ſale, omne id quod in aqua ſolvitur (unde tam ſaccarum, quam omne ſalis genus amarum, acidum, auſterum, &c. in aqua ſolubile, ſal appellatur:) pro mercurio, aqua omnis, ſeu omne liquidum oleo impermiſcibile, & incendio minime aptum. Aqua vitæ, & alii liquores flammam ſuſcipientes, ſulphuri volatili permixti ſunt. Non nego Scholaſticos de corporum principiis alio modo philoſophari, & contendere hæc noſtra nimis eſſe ſenſibilia, experientia potius, quam ratiocinio comprehenſa; non decere cathedrantem Philoſophum ad palpabilem demonſtrationem deſcendere, reſolutiones, diſſolutiones, exaltationes, coagulationes, & conſimiles operationes luſtrare. Facilius eſt enim cum Ariſtotele, & ejus aſſeclis, de principiis a nemine comprehenſis delirare, quam de rebus omnibus obviis verba facere. Qui contentionibus & rixis impenſe delectantur, materiam, & privationem mordicus tutantur: At quis ſenſuum capere unquam poſſit rudem, inaſpectabilem, nulla dimenſione formatam, ſola opinione conceptam puram illam potentiam? De eo quod dicunt de forma, ut ea ſit quæ dat eſſe rei, minus intelligo: intellectus non operatur, ubi ſensus deficiunt. Oculi ſine colore, tactus ſine corpore, nares ſine odore, aures ſine ſono, guſtus ſine ſapore non judicant. Itaque cum noſtra, ratione, & experientia fundata ſint, cauſa non eſt, cur ad imaginaria, inutilia, ad contentiones tantum excogitata, ac incerta confugiamus. Sed veniamus ad experientiam: Demus Piper, Zingiber, & ſimilia, quid per materiam, formam, & privationem acquirimus? Ad Elementor. mixtionem confugiunt. Iſthæc an inibi actu, an potentia reperiantur, infructuoſe nimis deblaterant: ignem ibi levitatem amiſiſſe, virtutem ipſius principatum obtinere, conſimilia denique effutiunt de aliis. Quicquid de gradibus proponunt,

cum ſuis temperamentis, non minoris eſt levitatis. Nos vero qui de rebus ſenſuum criterio philoſophamur, ſpretis his, qui ſupra ſenſus elati, erronea quadam opinione tumidi, nihil præter inutilem quandam dicacitatem nobis obtrudunt, dicimus tria iſthæc in omnibus reperiri, & unumquodque eſſe fundamentum, & ſedem omnium virtutum rerum naturalium: virtutes vero pendere a ſeminibus tam viſibilibus, quam inviſibilibus. Ejuſmodi vero ſeminum qui quærit principia & origines, fateri omnino tenetur, ſui ipſius cognitionem prius eſſe examinandam, in cujus contemplatione non minus cæcutit intellectus, quam in rebus etiam minimis. Sed demus cujuſvis rei formam indagandam, ipſa in indiviſibili eſt poſita, non eſt quantitati alligata, & in ſe in infinitam vim ſe propagandi ab omni ævo obtinuit. Quid inſuper? contemplare artem & induſtriam, qua pollet in propria ſpecie propaganda, & conſervanda: obſerva in his mirabilem ordinem, proportiones, & figuras, cum peculiaribus lineamentis inimitabiles. Si colores incomparabili artificio collocatos contemplaberis, eas videbis cum coloribus & odoribus certare. Ab hiſce minimis liceat ad te devenire, a qua contemplatione Deum factorem omnium quoquo pacto ad te venire ſenties. Supra cujus meditatione non eſt, ut ad ea quæ ſupra te ſunt, devenire contendas. Alta quæris, & incognita, & ima ſub pedibus tuis penitus ignoras: multa de Marte, & Saturno deblateras, & eorum conditiones, naturas, & proprietates non agnoſcis. Propinquiorum cœlorum materiam videmus quidem, ſed quæ ſit, neſcimus.

Viſibilium ergo ſenſibus comprehenſorum noſtra ſit cognitio, nec immerito, Medicus dicitur artifex ſenſatus. Statutum ergo ſit, in cunctis rebus ineſſe tria illa corpora, quæ ſive principia, ſive ſecunda dicantur, parum refert; & ea in homine copioſiſſime, ex quibus febres deducere contendimus.

CAPUT XXIX.

Quomodo fiat humorum incendium, ex quo febris.

SUpra ſatis copioſe demonſtravimus, incendii materiam eſſe ſulphuream, ſeu oleagineam; id vero quod incendit eam, eſſe non poſſe ignem actu, uti in cunctis rebus fit, & requiritur, ſed ex ſalis poteſtate ſpiritum ſegregari ſaltem, qualem in artificialibus obſervamus. At quia per ſe ſatis potens non eſt, ut ſulphuream illam ſubſtantiam incendat, ni pariter dicta ſubſtantia oleaginea attenuata ſit, & rite diſpoſita, iſtæc tunc ambæ mixtæ febrile incendium efficiunt. Miſcentur vero, vel ſpirituum miniſterio, vel motu proprio, vel univerſæ naturę poteſtate: hinc prima febrium genera. Spiritus, vis eſt & poteſtas uniùs cujuſq; rei, a quo omnis actio venit. Quod dicimus eos eſſe donatos variis ſcientiis, & his inſtructos eſſe, non alia ratione accipiendum, niſi quod demiremur mirabile eorum artificium, tam in ſuis ſpeciebus propagandis, quam in miris eorum effectibus, in noſtri uſum, & commodum paratis. Hujuſce rei exemplum in quavis herbula, in quavis arbore. Vide Quercum, quam ex minima glande in proceram arborem aſſurgat! Partes dictæ quercus ſi rite examinentur, incredibile artificium deprehendemus: in uno folio ordinem ſtructuræ, quæſo, obſerva,

observa, nervos seu fibras, aut filamenta per corporis spatium dispertia, cum uniuscujusque folioli faciei exterioris proportione & symmetria. Taceo seminis illius cum cæteris perpetuam, & indesinentem generandi facultatem. Quot terræ creata meditor, tot miracula video. Si sapores, odores, colores, & proportiones stirpium inquiro, stupet animus. Unumquodque nascens incredibili arte instructum. Ad hęc alimenta e terra communi matre seligenda. Quid magis mirum est, quam in uno eodemque loco, in quo nullus sapor, nullus odor, nullus color, peculiarem saporem, odorem, & colorem seligere, eoque frui, & incrementum suscipere? De Animalibus longe majora rimari oporteret, at ea, quia nobis sunt ubique obvia, intellectus nostri captum excedunt. Dico quia sunt nimis communia, nam quæ sunt remota a nobis, humanæ cogitationi magis videntur exposita. Quoties apud me ridiculum, & phantasticum reputavi, homines haberi philosophos, qui relictis veris philosophandi principiis, ad utilissima opinionum sophismata se perpetuo devolvunt. Spirituum notitjam si attente perpendamus, incendii febrilis cognitionem habebimus. In venis majoribus, ubi sanguis maxime luxuriat, quotiescunque purus manet, integra sanitate gaudet, & homo perfecte vivit sanus; ubi contra adest impurus, excrementitiis fæcibus mixtus, varias excitat motiones, quæ cum sint a natura alienæ, bellum ipsi indicunt, ex cujus conflictu variæ incandescunt spiritus: quod quidem incendium, Febris est. Nec alia ratione, quam propter antipathiam, quam inter se habent. Unde vero ejuscemodi antipathia, odium & inimicitia, quam inter se exercent; non aliunde, quam a ratione quadam seminali, a primævo rebus cunctis indita. Elementa non diversa ratione inter se pugnant: Ignis æstue aquæ contrarius, quasi ex se, & a nullo dependens, qui cunctis rebus primus agendi potestatem dedit; Elementis pariter movendi principia concessit? Hæc prima, & universalis febrium ratio. Ad particularem, & specialem intelligendam, varia sunt primo enodanda; & quia a communi, & trita via declinare necesse est, quid sit spiritus, quæ ejus origo, & potestas, materia quoque ex qua febres, aperire necesse est.

CAPUT XXX.

Quid spiritus.

SPiritus in sacris *Ruah*, quasi ventus, & virtus creatoris, sic enim: *Veruah Eloim merachephæt galpene Tehom*, *Spiritus Domini ferebatur super faciem abyssi*. Græcis ψυχὴ, quasi animus, & πνεῦμα, idem pariter, quod aer, ventus, & tenuissima substantia sit. Fernelius *lib. 2. de abditis rerum causis, cap. 7.* elegantissime spiritus descriptionem exhibet, dicens *eius propriam significationem ventum esse: Atque quum ventus præpotens sit mirabiliaque efficiat, & oculorum obtutum effugiat, affinitate quadam, & similitudine factum est, ut spiritus nomen adrem omnem, quæ sub aspectum non cadit, transiret, sive corporea ea sit, sive incorporea. Hinc fit, ut quæ in nobis inest substantia, auræ tenui perssimilis, spiritus appellationem subeat*. Hippocrates, ut est in om-

nibus mirabilis, in *libro* cui titulus eſt περὶ φύσεων, eſt quidem Divinus: ibi enim vim & poteſtatem ſpiritus manifeſte declarat, ibi per ſpiritum modo ventum, modo aerem intelligit, ἀπανγέρ inquit, τὸ μεταξὺ γῆς τε, καὶ οὐρανοῦ, πνεύματος συμπλέον ἐσίν. Hermetici per ſpiritum intelligunt omnem vim, & potentiam e cunctis rebus expirantem, radicem, & fontem, a quo dimanant omnes actiones. Per ſpiritum etiam intelligunt tenuiſſimas illas ſubſtantias, quæ per halitum educuntur, ſegreganturve e rebus per diſtillationem, ſed hoc analogice. Triplicem ſpeciem ſpirituum faciunt, corporeos, aut in corporibus demerſos; incorporeos, qui vix ulli viſibili ſubſtantiæ inſunt, & medios, qui utriuſque naturæ participes ſunt: aut ipſos dividunt in craſſos, tenues; & tenuiſſimos. Qua in re non valde diſſentiunt Medici: quum enim de calido, & humido inſito tam multa dicunt, pertenuem ſubſtantiam ſemper intelligunt. Verum ut pluries annotavimus, in re tam periculoſa tutum non eſt opinari Efformare ſibi philoſophandi principia ex probabilibus, non ex certis, & veris fundamentis, idem eſt ac quærere lucem in tenebris. Præter ejuſmodi traditam diviſionem, dicunt in humano corpore unicum eſſe vitæ ſpiritum, qui ſpiritus virtus eſt unica per totum corpus diffuſa, ex qua omnia membra vivunt, & prout ipſa diffunditur, & extenditur, varias ſortitur denominationes, a quo non diſſentiunt ipſi Medici. Fernelius enim in *ſua Phyſiolog. lib. 4. cap. 2.* dicit ſpiritum eſſe corpus æthereum, caloris, facultatumque ſedem, & vinculum, primumque obeundæ functionis inſtrumentum: ut qui in cerebro animalis, qui in corde vitalis, qui in jecore naturalis appelletur. Hermetici unicum vitæ ſpiritum ſtatuunt, quem per membra diffuſum, diverſum per operationem agnoſcunt, ſed re ipſa unus tantum eſt. Robur ipſius a membrorum fortitudine pendet. Intelligendum pariter vires ſuas ſervare, ubi libere per membra poteſt tranſire.

CAPUT XXXI.

Spirituum alia diſquiſitio, & diviſio.

CUm ſpiritus ſint omnium rerum opifices, & morborum ac ſanitatis potiſſimæ cauſæ, ratio maxime poſtulat, ut de horum natura ampliſſime ſimus inſtructi. Etenim ſpiritus nomen ſæpiſſime pro aere, & pro vita rerum omnium ſumitur. Vita ſiquidem rerum nihil aliud eſt, quam eſſentia ſpiritualis: inviſibilis, & impalpabilis res, ſpiritus, & res ſpiritualis. Spiritus eſt, ergo a corpore diverſus: nam corpus eſt viſibile, & tangibile; ſpiritus vero inviſibilis, & impalpabilis. Spiritus adeſt naturalis cuilibet rei creatæ, unde vis & energia cujuſcunque rei. In herbis ſpiritus eſt, qui modo in floribus, ſeminibus, fructibus, &c. modo in foliis, radicibus, &c. conſiſtit. Ejus medio quotannis renovatur, & tamdiu durat, quamdiu ſpiritus ille manet. Nec plantæ ſolum vitali ſpiritu donatæ ſunt, ſed & omnis res corporalis; nullum enim corpus ſine proprio ſpiritu creatum eſt, & hunc occulte in ſe continet. Quid enim eſſet corpus ſine ſpiritu? eſt profecto ſpiritus, id quod occulte rei virtutem & potentiam poſſidet: & ut ſpiritus vita eſt, ita corpus mors. Perire præterea conſtat corpus, ſpiritum vero non; is enim in ſua ſpecie immortalis eſt: in everſione ſui

cor-

corpòris recedit, & ab eo ſeparatur, ac mortuum relinquit corpus, reditque in ſuum locum, unde venerat. Ex quibus patet, varios eſſe ſpiritus, ſicut varia ſunt corpora. Rurſus ſpiritus eſt balſamus omnium rerum corporalium: dicitur etiam cœleſtis, ac inviſibilis ignis, & incluſus aer.

CAPUT XXXII.

Febrium nova diviſio.

EX ſupradictis ſatis apparet, febres fieri ex mixtione ſpirituum antipathiam inter ſe habentium. Spiritus eſſe genitos ex materia excrementitia, quarum una eſt naturæ ſulphureæ, altera mercurialis: utraque tartarea eſt, id eſt, triplici materia, ſalina, mercuriali & ſulphurea conſtant. Cum vero materia iſthæc tartarea excrementitia ſit, & otiari neſciat, ſequitur ut ex ſe vaporem, ſeu ſpiritum emittat, qui cum ſit a ſpiritu vitæ alienus, mirum non eſt, ſi cum eo bellum moveat perpetuum, ex quo humores, & corpus univerſum mirifice incandeſcit. Incendium modo tertianarium, modo quartanarium, modo continuum fit, pro varietate materiæ tartareæ, & loci, in quo coacervatur dicta materia excrementitia.

CAPUT XXXII.

De Tartaro.

TArtarus, ſeu Tartarum nomen ſortitur a fæce vini, quod trina ſubſtantia conſtat, cum propria tinctura, ſalina, ſulphurea, & mercuriali. Tinctura cum dictis tribus, naturam ſeminis, ex quo primum genita fuit, retinet. Sic in homine ſanguinis fex Tartarus appellatur. Duplex vero eſt Tartarus: unus craſſus & fæculentus, qui ima tenet; alter tenuis, qui vini corpori miſcetur. Rurſus iſte duplex eſt: unus qui, exempli gr. ſeorſum a vino liquoreve alio, vel a ſanguine ſegregatur, & doliis vaſis adhæret; alter tenuiſſimus, qui perpetuo vini, vel liquoris corpori mixtus manet, neque unquam a corpore liquoris ſegregatur: Coagulatur vero a ſpiritu ſalis, qui formam ipſi dat, juxta locum in quo reperitur. Eſt ergo materia quædam excrementitia, ab alimentis ſub forma reſoluta, ita ut diſcerni nequeat, & ad coagulationem apta. Differt Tartarus per regionum terrarum, & aquarum varietate, atque prout aliæ terræ, & aquæ puriores. Rurſus eſt Tartarus, vel viſcidus, vel bolaris, vel arenoſus, vel calculoſus. In univerſum tot ſunt Tartari differentiæ, quot ſunt liquorum ſpecies.

Interea audiendi non ſunt illi, qui putant Tartarum idem eſſe, ac Phlegma: Nam Tartarus in omni re liquida, etiam in aqua, omnibus ſuccis, fructibus, eduliis, &c. reperitur; non ita Phlegma, quod extra corpus humanum non eſt. Præterea pituita incoctus eſt ſanguis; non ita Tartarus, qui ubique adeſt, nec coctiones reſpicit. Non nego reperiri ipſum in humore, nec propterea idem eſt. Caſeus eſt in lacte, nec propterea lac eſt. Et ut clarius Tartari notitiam habeamus, intelligendum eſt, materiam Tartari eſſe ſuperfluitatem naturalem, hoc eſt, a natura rebus inſitam, & ſegregationem quandam, quæ juxta concordan-

tiam

tiam cum seminis parte miscetur. Et ut rem magis intelligas, suppone quòdlibet corpus debere esse simplex, nulla re miscellanea contaminatum, ita ut aqua non esset, nisi aqua purissima, absque ullo additamento; sic succi herbarum, puri & sinceri absque ulla permixtione: quod tamen ita esse minime videmus, imo contra in omnibus purum cum impuro mixtum esse cernimus, hoc est, fæces, & Tartarum; ut cum aqua lutum, cum vino fæces mixtas reperimus. Illud igitur impurum, quod separari debet, Tartarus ipse est, non quod Tartarum cum fæcibus, quæ sub impuritatum nomine comprehenduntur, confundamus; magna enim differentia inter illa est: Nam impuri materia duplex est: una quæ resolutioni; altera quæ coagulationi apta est; illa fundum petit, hæc vasis parietibus adhæret; nam fæces ex sui natura fundum petunt, Tartarus vero nonnisi beneficio spiritus salis coagulatur. Exemplo res illustrabitur. Alimentum quod assumitur, in ventriculo post concoctionem separatur in fæces, & humorem sanguini gignendo idoneum. Fæces per intestina rejiciuntur, tanquam res impura; materia sanguinis, imo ipse sanguis, Tartarum in se continet, qui variis in locis coagulari potest. Usque adeo ut clare appareat, omnem humiditatem e terra provenientem, habere in se innatam quandam salsedinem & tartaream quiddam, quasi viscositatem apparentem, quæ a reliquo humore se separat, & in corpus solidum coagulatur.

Quod si facultas concotrix, seu calor naturalis in liquoribus tartaream impuritatem non separat, sed permixtam cum alimento esse patitur, fit ut in hominem quoque perveniat: Nam quia necessum est nutrimentis quotidie uti, ali, ac sustentari; tartarea autem materia in ipsis nutrimentis cibi, & potus sita sit, ex necessitate indies purum cum duplici impuro assumimus, unde morborum maxima pars originem ducit. Ex his satis patet, quid sit Tartarus. Qui plura desiderat, Paracels. adeat, & ejus *Libros de Tartaro* legat.

CAPUT XXXIV.

Species Febrium.

JUxta communem medendi methodum febres in suas species dividimus, & diximus alias esse spirituales, id est, sedem habentes in spiritibus, alias humorales, hoc est, in humoribus, & tertiam speciem dici habituales, & hecticas, quod in solidis, seu habitu corporis. At quia ejuscemodi divisio, curationis certitudinem nullam denotat, necessarium esset docere diversionem aliquam, qua via ad certitudinem nobis pateret. Verum enim vero, quia vera divisio pendet a diversitate materiæ tartareæ, quæ generat febrem; & quia ejuscemodi varietas adhuc non est nota, & necesse est per universalia procedere: nullus enim auctor de hac materia scripsit; solus Theophr. Paracel. viam nobis præmonstravit: at is plusquam 200. species esse refert: Nos cum ipso quasdam esse in jecoris substantia consistentes; alias in liene; alias in ventriculo; alias in renibus; alias in pulmonibus; nonnullas in cerebro; & tandem in singulis corporis partibus generari febres pronuntiabimus.

Etenim sicut in singulo membro contingit esse peculiare tartarum; ita in pecu-

peculiare fieri potest incendium. In alias tamen species, eaſque generaliores distinguit febres Thoph. Parac. *in 5. Tomo operum ſuorum, Tab. 7. de Gener. febrium*, 1. in Opiaticum. 2. in Centaureum. 3. in Erroneum. 4. in Litteriſtum, & 5. in Albugineum.

1. Opiaticum, ex ebullitione paroxyſmalis ſpiritus febris oritur, cujus hæc unica cauſa eſt, quod ſpiritus furibundi incendantur per externorum elementorum accidentia; quæ viciſſim per elementorum reverſionem dividuntur, & ut opiata operantur: unde etiam nomen impetrarunt ab eo, quod eas ſanat.

2. Centaureum. Hæc febris eſt ſuperfluitas in corpore ab humoribus genita. Eſt autem ipſorum ſtercus, quod aliquamdiu colligitur, quod ejiciendum ſi egredi non poteſt, tunc paroxyſmos movet in ſpiritibus febrilibus. Res ergo illæ, quæ ſtercus humorum conſumunt, eædem etiam has febres tollunt, nomenque ac morbus res una eſt.

3. Erroneum. Febris hujus generatio eſt, ſi febriles ſpiritus errent, & extra materiam rapiantur, ac contra motum ordinemque ſuum agitentur moveanturque per diſſolutionem loci, & materiæ, & per accidens.

4. Litteriſtum. Hæc febris eſt præter naturam, hoc eſt, ſupra vires naturæ. Et eſt commotio ſimilis febri, non tamen per ſe febris eſt, ac per litteriſtum tantum curari debet, non naturaliter.

5. Albugineum. Febris hæc partem nullam habet cum quatuor prædictis communem, ſedem ſuam in centro humorum figit, unde retropellitur per humorem albugineum. Et paulo inferius aliam tabulam de febrium generibus ponit, & 4. dicit eſſe, Sanguinis, Terræ, Aeris, & Ignis: & in quolibet genere tres potentias in peccante materia haberi tradit: Oppilatum, Putrefactum, & Superfluum.

Sanguinis

Oppilatum eſt, quando ſanguis ſuum greſſum, curſumque habere non poteſt. Eſt opilatio in venis ex vitio ſanguinis, quando congelatur, vel quid ſimile.

Putrefactum eſt, quando humor trium primarum coctionum ſequeſtratione facta, labitur in putrefactionem. Hæc putrefactio eſt in loco, ubi dolor eſt.

Superfluum eſt, quando ultra debitum, ſanguis abundat in corpore, & auget virtutes ſuas ultra ſuum pondus: & iſta ſuperfluitas eſt generatio febrium.

Terræ

Oppilatum eſt terra. Hujus eſt generatio, ſi terreus humor in nobis, qui membris innatus eſt & infixus. Si talis non poteſt libere ſtare, eſt generatio febris terrenæ.

Putrefactum. Et ſi ille tanquam Elementum non exiſtit, ſed propria ex natura ſe tranſmutat, & abſque corruptione eſt iſta generatio febris terrenæ ex putrefactione facta ſui Elementi.

Superfluum eſt, quod ſi ille humor terreus Elementatus, & in hoc membro pro Elemento aſſumitur: quando ultra gradum ſuum apparet, & fit, tunc eſt generatio febrium terrenarum ex Elemento ſuperfluo.

Op-

Aeris

Oppilatum est, quod si aer in nobis, qui tanquam chaos existit; cum oppilatur, non habeat regressum, generatio est febris istius.

Putrefactum. Quod si in putrefactionem convertitur, uti aer externus, tunc est febris generatio ex putrefactione aeris, scilicet interni.

Superfluum. Quod si superabundat in ventos quasi, & ultra suum debitum, hæc est generatio febris ex superfluitate.

Ignis

Oppilatum est, quod si ignis in nobis circumflat, non potest habere suffimigium suum. Hæc est generatio febris ex oppilatione ignis.

Putrefactum est, si in ipso corpus ignis sua virtute per se putrefit. Hæc est generatio febris ex putrefactione ignis.

Superfluum est, quod si ultra suum Elementum igneum abundat, tunc est febris ex Elemento Ignis, propter superfluitatem ignei caloris.

CAPUT XXXV.

Febris alia Divisio.

OMnis febrium doctrina, propter earum curam comparatur; hac de re, quia alio modo curatur febris ventriculi, alio jecoris, &c. ea de causa pervestiganda fuerit pars, in qua hospitatur febris: & cum ea maxime obsideat ventriculum, jecur, &c. ea de causa juxta dictas partes eam dividere oportet.

In ventriculo, in hepate, & in renibus, potissimum fit febris Tertiana, Quartana, & Quotidiana.

Paroxysmus febris, ut fiat.

Nemo huc usque febris Paroxysmos pervestigare satis potuit: ad veritatem omnium optime collimare Theoph. Parac. existimo. Dicit vero Paroxysmum fieri, quando putrefactionis ebullitio deberet penetrare per poros in vias urinæ, & cum urina exire, quæ ubi oppilatæ sunt, furit, & inde venit tremor; sicut olla, quæ habet operculum, quando fervet: vel operculum decidere debet, vel olla frangitur.

Quando fæces incipiunt fervere, tunc vapor ascendit, inficitque aerem; inde tremor: nam in fæcibus a vi digestiva Paroxysmum per nos fieri, ex prægressis satis patet; & quia diximus conjunctas, & efficientes causas immediatas esse spiritus.

CAPUT XXXVI.

De causis febrium.

IN præcedentibus febrium ortum, & generationem satis aperte demonstravimus, dicentes mixtionem duorum spirituum, antipathiam inter se habentium, causas esse proximas febrium. Spiritus vero ejusmodi oriri a Tartaro, materia videlicet excrementitia, sale, sulphure, & mercurio, cum sua tinctura, aut virtute seminali constante. Tartarum ejusmodi, & ratione loci ubi generatur,

ratur, & materiæ, ex qua fit, diversas sortiri species: Hinc tot esse febrium species.

Cur vero misceantur ejuscemodi spiritus, adhuc inexplicatum reliquimus: Diximus tamen ejuscemodi materiam Tartaream, diversam sortiri naturam pro ratione edulii, quo quotidie nutrimur: Insuper pro ratione coctionis membri, in quo fit, & generatur: Præterea spiritus vitæ, qui utriusque impetum sustinet, non parvam affert differentiam; sed hæc omnibus communis est. Diversitas pariter, quæ a temporum constitutione venit, non est parvi facienda. Verum si exacte singula perpendere velimus, integra volumina scribere oporteret, id quod non fert instituti ratio: nunc nobis sat est viam demonstrasse. Qui interim plura desiderat, consulat Theoph. Parac. pluribus in locis, & maxime in *libris de Tartaro*. Nec te deterreat, quid in contrarium clamitent nonnulli scioli, qui non scientiam, sed affectatam quandam garrullitatem magis affectant. Quod si authoris nomen tibi displicet, universam naturam contemplare, & Tartarorum varietas, & potestas tibi innotescet.

CAPUT XXXVII.

De Prognosi instituenda in febribus.

PRognosis febrium varie colligitur ab Hipocrat. & Galeno, quod ab his factum fuit per diversas observationes. Est vero Medico perneccssaria, non tantum ad curandum, verum etiam ad futuros eventus prædicendum: etenim ex futuræ mortis præsagio, judicamus manus ægro esse, vel non esse admovendas.

Prognosis, seu prædictio est doctrina, qua futuros morbos, & illorum eventus prædicimus per signa. Prævidentur vero febres, salus, mors, crises, symptomam, morborum translationes, & alia permulta.

Prædictio triplex institui potest: una generalis, altera specialis, tertia particularis. Hic generalem meditamur ex Hipp. & Gal.

Prædictio partim est possibilis, partim impossibilis; difficilis semper, & utilis. Mutationes febrium insignes, sive in melius, sive in deterius, judicia, & crises nominant.

Bona judicia certis coctionis signis prænuntiari debent, atque inde memorabili, seu consentanea excretione, absccssive celebrari.

Crudo morbo, vel immaturo aliquem excerni, damno est: & memorabilem excretionem dicimus ἀξιόλογον, quam quidem, ut ex toto, vel saltem bona ex parte superetur morbus, κατ' ἴξιν fieri, & judiciali die, necesse est.

Majores excretiones naturam dissolvunt: minores autem præterquam quod nihil efficiunt, aut imbecillitatem, aut malignam humoris conditionem arguunt, & recidivis materiam suggerunt.

Coercendis morbis sic est naturæ urgentis institutum: concoquere, attenuare, incidere, temperare materiam: ac denique ita comparare, ut sepositа utili ejus portione in alimentum, reliquum inutile, aut redundans modo excretione abjiciat, conficiatve pepasmo, modo in ascessus transferat. Natura enim

suo

ſuo calore, & ſpiritu ſolidas partes tuetur fovetque, & humoribus incumbens; ejus virtute mirifica elaboratos conficit, ſecernit, repurgat, excluditque foras. Et quidem illa in hunc modum progredi ſolet: niſi cum turgentes materiæ, id eſt, furentis impetu, quem ὀργασμὸν vocitant, cogitur excernendo moras præcipitare, ac pepaſmi leges aſpernari, quo impetu, & acrimoniæ majoris aut qualitates malignæ ſtimulis varie agitatus, impulſuſque humor, horrendas movere ſolet perturbationes. Is enim æſtu orgaſmi, modo in hanc, modo in illam partem inſiliens, nullo ſubſiſtit loco, donec tandem irruptione facta in aliquam nobiliorum partium, exitialem inferat vitæ calamitatem. Tum igitur ea de cauſa ſibi metuens natura, ſuiſque rebus caute proſpiciens, & ſecura cruditati, turgentem humorem quam citiſſime poteſt, etiam incoctum amoliri larga excretione contendit.

CAPUT XXXVIII.

De Criſi, Pepaſmo, & Apoſtaſi.

QUoniam tribus modis natura ſolet febres conſopire: hac de re de illis tribus breviter. Vel etiam humores excernendo κατ' ἔκκρισιν; vel eos concoquendo, κατ' πεπασμὸν; vel transferendo, κατ' ἀπόστασιν. Hic ἔκκρισιν non omnem intelligimus, ſed eam, quæ ad judicialem diem vehementi motu, ac repente fiat, & ea quantitate, ut inde vel morbi remiſſio, vel etiam integra ejus ſolutio conſequatur. Excernuntur humores, vel ſudoribus, vel hæmorrhagiis, vel urinis, vel dejectionibus, vel vomitibus, vel ſputis, non crudi quidem, nec incocti, ſed prius juſta maturatione rite mitigati. Et ſic per acutas febres, diebus imparibus ſubita vacuatione prorumpunt.

Nam judicis deſtinati dies conſtant omnes impari numero, nempe ad ſeptenarios critica ratione revocati. Quia 14. 20. 34. & 40. veri judiciales, viderentur partes in ſuo numero ſimpliciter conſiderati, niſi ad Lunares ſeptimanas referrentur. Imparibus (inquam) diebus judiciales excretiones ita moveri ſolent, ut ab earum labores vires excitari potius, quam labefactari videantur. Et vere ſalutares exiſtunt, ſi fiant κατὰ λόγον, pro ratione, & κατ' ἴξιν e directo. Cæteri impares uſque ad vigeſimum, tertius, quartus, quintus, nonus, undecimus, & decimus ſeptimus vim judicandi quidem etiam retinent, judicandi autem præcipue: Quartus primiſeptenarii; undecimus ſecundi; decimus ſeptimus tertii ſunt indices. A vigeſimo ad quadrageſimum perit quaternarii poteſtas: quin etiam ipſius ſeptenarii langueſcit virtus. A quadrageſimo ad centeſimum vigeſimum ſolus regnat vicenarius: atque inde in morbis languoribus, veluti partubus, ſolius quadragenarii dominio uſque ad ſeptimum, judicia reguntur. Alii vero ſic ſtatuunt, quadrageſimum in longis morbis primum eſſe dierum judicialium: inde per vicenarios progrediuntur ad centeſimum viceſimum, cui duobus adjectis menſibus, ſex conficiunt menſes, quo fere ſpatio verni morbi autumno, autumnales vere ſolvuntur. Sextum menſem ſequuntur bini: octavus decimus, duodecimus; ab hoc deinde quaterni, 16. 20. 24. judiciis plane familiares.

CAPUT

CAPUT XXXIX.

De coctione.

PEptica ſigna antecedunt judiciorum motus, natura inſurgente adverſus cauſas morbificas. Deinde ſub ipſum judicandi tempus fit variorum ſymptomatum concurſus, febrium exacerbationes, deliria, æſtuans per habitum, perque artus calor, arteriarum undoſa pulſatio, interdum etiam rigor, aliaque horrenda, ut ἀφωνία, ἀσφυξία: unde illa ταραχή, turbatio judicialis, tam expetenda bonis Medicis, quam imperitis metuenda. Illi enim taciti animis exultant, cum imperiti, veluti deploratis rebus, mœrentes præcipiti curſu confugiunt ad divina. Natura concocto morbo hoſtilem humorem, mediis venarum atque arteriarum ſpatiis excluſum, tranſmittit in habitum, inde ſubitus rigor membra concutit. Inito illic certamine, ubi paratas habet veluti præſidiarias copias ſpirituum, & caloris inſiti, victrix natura, aut ſudore per ſpiracula corporis, aut vomitu, aut hæmorrhagia, aut urinis, aut dejecti one, infeſtum humorem extrudit. Sin minus, & parta in habitu corporis victoria, inde recurrat potentior hoſtis, etiam collata interius præſidia exiguo labore opprimit, vitamque diſſolvit.

CAPUT XL.

De Bonis ſudoribus.

SUdores optimi, quicunque per univerſum corpus, ac judicialibus diebus fiunt, calidi, & febrem prorſus auferentes. Optimi etiam, qui judiciali die ſolvunt febres. Utiles qui eas remittunt.

Boni ſudores ſunt illi qui calidi, & per totum corpus diffluí, concocto morbo, & die critico, & in declinatione fiunt: ſiquidem boni die 3.5.7.9.11.14. 17. 20.27.31.& 34. hi enim ſudores morbos judicant, nam eo tempore natura movet. Qui aliis diebus fiunt, naſcuntur a morbi violentia.

CAPUT XLI.

De Malis ſudoribus.

MAli ſudores frigidi ſunt, qui vel univerſum corpus pervadunt, vel partes aliquot particulares, & mortem prænuntiant, maxime in acutis. In aliis vero non acutis, ἢ ἀκρισίας, ἢ χρόνους, ἢ πόνους, ἢ ὑποροφάς; aut judiciorum defectus, aut longas dierum prorogationes, aut labores, aut recidivas portendunt, cum febre acuta exitium, cum remiſſiori longitudinem. Quinimo etiam in moribundis, ſub calidus quidam, tenuiſque ſudor διαφορητικὸν, ſimul omnes artes proluens, ac ſenſim refrigeſcens, non deſiſtit, quin fatiſcente natura, prorſuſque exolutis viribus, calorem vitæ penitus extinguat.

CAPUT

CAPUT XLII.

De Excrementis.

NAturalis facultatis potestas in excrementis potissimum elucet. Qua propter ab excrementis multa trahuntur prognostica. Excrementa, quantumvis mala qualitate, & quantitate, bonis ægri rebus expelluntur, si die critico, præcedentibus signis coctionis, & cum ægri adjumento extrudantur: signum namque est, corpus a facultate expultrice robusta excrementis purgari, quod bonum est. In excrementis justa moderatio esse debet, quæ vel omnino solvat morbum, vel leviorem reddat: largior siquidem excretio vires solvit; parcior vero debilitatem naturæ ostendit. Quæ si fuerit pauca & frequens, præterquam quod denotat naturæ debilitatem, insuper ostendit ejus inanem conatum; nihil omnino juvans, sed potius tendens ad ægri perniciem, omnis enim suppressio corruptæ, & malignæ materiæ, mala est.

In Excrementis contemplanda sunt coctio, cruditas, & pravitas. Coctio in febribus salutis securitatem, & judicii celeritatem ostendit: nisi quid præter rationem coctum sit; tale enim in morbo acuto pravum censetur ab Hippocr. in *Coacis prænotionibus*. Id præter ratione censetur, cujus nulla antegressa signa coctionis, quod peculiari exemplo expressis Hipp. *capite de Urinis*, inquit enim, *Urina, quæ derepente coquitur, prava est*. Cruda excrementa longitudinem morbi significant, si perseveraverint longo tempore: Arguunt enim naturæ debilitatem; nam debilis natura non potest coquere materiam, nisi longo tempore. Cæterum coctio, ut certam ostendat salutem, & judicii celeritatem, oportet ut sit vera, continua, & universalis. Vera quidem, quia non raro falluntur Medici, opinantes veram esse coctionem in urinis, ex crudo humore in fundo earum subsistente, quasi verum sit sedimentum. Continua etiam debet esse coctio, ut fida sit. Fit enim aliquando, cum non ex toto humora natura superatur, ut mane appareat cocta, vespere autem delitescat coctio.

Quare scribit Hipp. *in Prognost.* Urinam coctam debere perseverare usque ad Crisin ad Gal. *cap.* 4. *lib.* 3. *de Crisibus*, præsagivit ex coctione primi diei, morbi terminum. Verum hoc esse potest, si intelligamus in fine primi diei, & in simplici affectu, neque etiam coctio continua certa est. Debet etiam esse universalis, & totius materiæ morbificæ, frustra namque in parte quapiam coctio suscipitur, morbo in reliquo corpore incocto existente. Prava excrementa simpliciter periculum denotant, ex Gal. *l.* 1. *Cris.*

Omnes excretiones, quæ morbos non judicant, aut non minuunt, malę sunt. Omnia excrementa morbis supervenientia, quæ dolorificum malum foras existere testantur, propterea que in bonis ducenda, meliora existimantur, cum cito apparent: ostendunt namque naturæ robur: & per consequens minus bona, cum sero exeunt, ex contrariorum lege.

Omnis sincera excretio mala, quod naturę miscentis imbecillitatem ostendat.

Excretiones plurium, & variorum calorum malæ sunt, pejoresque quo

illi

illi colores praviores erunt, ut æruginosi, porracei, virides, nigri. Omnis pinguis, & oleosa mala, quod colliquationem significet. In omnibus morbis nihil excerni, malum.

CAPUT XLIII.

De Urinis.

URina optima est, ut inquit Hipp. *in Prognost.* si candidum habue rit sedimentum, læve, & æquale, omni tempore, donec morbus judicetur. Coctio ex superioribus securitatem salutis, & celeritatem crisεos demonstrat. Si vero intermiserit, atque interdum mingatur sine sedimento, & aliquando habeat sedimentum album, læve, & æquale, morbum diuturnum, & minus securum ostendit, inquit idem Hippocr. Iterum idem in *Coacis prænotationibus* scribit, *Urina bonum sedimentum habens, quod derepente evanescit, laborem, mutationemque significat.* Item:

Si urina fuerit subrubra, & sedimentum subrubrum, ac læve, diuturnior hac quidem est, quam prior, valde tamen salubris.

Qui *in urinis celeriter sedimentum habent, celeriter judicantur* ex iisdem *Coacis prænotationibus*. Celeriter, id est, intra paucos dies; nam urina derepente cocta, mala judicata fuit.

Subsidentiæ in urinis, speciem crassioris farinæ referentes, malæ sunt; iis vero pejores sunt squammosæ.

Tenues vero & albæ, valde malæ.

Urina quæ alba funditur, atque pellucida, mali est hominis, atque potissimum in phreniticis. Iis vero pejores sunt furfuraceæ. Nebulæ vero albæ, bonæ, quia coctæ; nigræ vero malæ.

Quamdiu urina erit ruffa, & tenuis, crudum significat esse morbum, ex quo colligere licet longum fore; quod si diuturnior sit, & urina talis perstiterit, periculum est ne æger non possit sufficere, donec urina coquatur.

Ex urinis magis exitiosæ sunt fœtidæ, quod magnam putredinem denotent.

Aquosæ malæ sunt urinæ, ob debilitatem coctricis facultatis.

Nigræ, a calore adurente malæ censentur.

Viris, & mulieribus urinæ nigræ pessimæ sunt, pueris vero aquosæ.

Pingues urinæ similes telis aranearum, damnandæ sunt. Hæc pro instituti ratione sufficiant.

CAPUT XLIV.

De Alvi dejectionibus.

OPtima dejectio (inquit Hippocr. *in Prognos. & Coacis*) mollis est, constans tempore, sicut per valetudinem excernitur: quantitate ingestis respondet certa proportione. Sic enim exeunte, imus venter bene habebit, bonaque existimabitur.

Utile est lumbricos excerni teretes cum dejectione, ubi ad crisin pervenerit

nerit morbus ; nam si exeant cum dejectione, crisi instante ; naturæ robur significatur. Si vero per os, aut per anum expellantur sine dejectione, aut sine fæcibus, ostenditur eorum copia, aut malignitas materiæ, quam vermes fugiunt : quæ omnia sunt mala.

Dejectio aquosa, quæ a debilitato coctricis pendet, diuturnitatem morbi significat. Si candida fuerit, aut crocea, aut spumans, a flatu, & fervore, aut rubra, mala est. Nam candida obstructionem meatus cholidochi; crocea pura, imbecillitatem naturæ; spumea, nativi caloris imbecillitatem significat, quæ omnia mala sunt. Mala etiam dejectio est, si fuerit parva, glutinosa, alba, subcrocea, ac lævis.

Magis autem lethales sunt nigræ atrabiliariæ.

Pingues, vel lividæ, vel æruginosæ, vel fœtidæ, malæ, ex *Progn. & Coacis.*

CAPUT XLV.

De Vomitu.

Hippoc. in *Prognost.* inquit: *Vomitus utilissimus est, si quam maxime ex bile & pituita flava fuerit commixtus, non admodum crassus, nec multus idem. Si id quod vomitur porraceum est, vel lividum, nigrumve, malum censetur. Si omnes colores*, qui possunt excerni, *quis vomuerit, lethaliter habet*: deterius siquidem est, vomere diversos colores, quam excernere, quia humores vomitu dejecti proximiores sunt partibus præcipuis, quam qui per alvum dejiciunrur.

Celerrimam mortem ostendit vomitus lividus, si fœtidum oleat.

CAPUT XLVI.

De singultu.

Lethalis omnino est acuta febris, in qua frequens singultus, & prope continuus est: Significat enim Siccitatem superioris orificii stomachi ab ardore febrili, quo dissipatur calor nativus.

Singultus in laboriosa febre, malus est.

Quomodocunque singultus fiat, magis periculosus est in virium dejectione, & in senibus, quam in aliis.

Singultus a siccitate, lethalis: fit autem quod venæ exinanitæ mutuum beneficium reposcant a nervis.

Sternutatio, inquit Avicenna, *in statu morbi nata, bona esse censetur; in principio vero significat coryzam, & humoris mordacitatem.*

In omnibus pulmonis morbis gravedines, & sternutationes, tum praire, tum subsequi malum, ex Hippocr. *in Progn.*

CAPUT XLVII.

De Pulsibus.

Tanta est pulsum varietas a Galeno notata, ut vix nullus sit tam felicis, & tam pertinacis memoriæ, ut ipsam in usum revocare possit. Placet in tanta

tanta multitudine pauca annotare, ut 1. Pulsus vehemens semper bonus æstimandus est, licet nonnunquam facultatis ostendat irritationem, conantis expellere quod noxum est, ut initio dolorum, & in conflictu critico. Bonus tamen existimandus, quia robur facultatis demonstrat. Pulsus contra languidus semper malus, quia facultatis debilitatem ostendit.

Pulsus celerrimus, & creberrimus, mali sunt: denotant enim caloris nativi, & spirituum dissipationem.

Tardissimus etiam, & rarissimus, pessimi sunt, ob ingentem refrigerationem corporis cordis.

Molliſſimus, & duriſſimus pessimi habentur. Languidissimus, tardissimus, & rarissimus, omnium pessimi sunt; ab illis minimus, molliſſimus, & duriſſimus; postea creberrimus.

At non celerrimus & maximus; sed sunt hi modice periculosi. Unus vero inter extremos optimus est, vehementissimus, ob facultatis vitalis robur quod demonstrat.

Pulsus intermittens, & debilis, lethalis Intermittens, in quo duarum pulsationum tempore arteria quiescit, est lethalis; Gal. enim *cap. 3. lib. 2. de præsagitione ex pulsibus*, scribit, *Nescio an cum tali pulsu superstes quisquam esse possit*: Nam intermissio illa non tantum facultatem opprimi, sed summe debilitari portendit; summa vero debilitas facultatis vitalis, periculi plena est.

Intermittens, qui tempus unius motus æquat, aut plus aliquantulum habet temporis, periculosus valde non est, præsertim in senibus, quod eorum facultates debiles a parvis causis offendantur; firmæ vero tantum dejiciantur a maximis. In pueris etiam minime formidandus, quia in illis facultas, quæ pulsibus præsidet, est imbecilla plurimum.

Pulsus incurrens non raro judicatorius, sive criseos est prænuntius. Est namque veluti conatus naturæ ad pugnandum paratæ, differtque ex Gal. ab intermittente, quod in intercurrente decertet natura cum noxiis; in intermittente vero hoc piget illam facere.

Intermittens in uno pulsus, cum diversus sit, varia, demonstrat: siquidem vehementior sit secundus motus, aut celerior primo, melior est pulsus; debilior autem, & tardior, pejor.

Inæqualitas in uno pulsu, inæqualitatum omnium incommodissima est: Nam easdem causas habet, quas collectiva, sed deteriores. Ad hæc, collectiva multos habet pulsus sine intermissione; hæc vero nullos, sed cum semel inceperit, in intermissione semper perseverat: at malum quod caret intermissione, pejus est habendum eo, quod aliquando intermittit.

Pulsus undosus ex se debilitatem ostendit. Si vehementiam aliquam habeat conjunctam, nec non altitudinem, sudoris est prænuntius, maxime si indicia appareant coctionis materiæ morbificæ. Undosus enim solus per se significat mollem arteriam, & facultatem satis debilem, quæ simul & semel omnes arteriæ partes movere nequit. Mollis arteria fit ab humore in corpore redundante, quem copiosum esse oportet, cum mollis reddatur arteria: humor vero copiosus est materia sudoris. Quare cum undosus utcunque vehemens est &

altus, robur facultatis satis magnum declarat, a qua potest expelli humor redundans: quam ob causam sudor in tali pulsu sperandus est.

Vermiculosus pulsus majorem, quam undosus debilitatem significat.

Formicans vero vermiculante multo est deterior, propter majorem debilitatem, quam denunciat. In febribus autem diuturnis, est mortis prænuntius certus.

Myuri pulsus, seu (ut Barbari dicunt) cauda muris, aut cauda soricina, vel decurtati, omnes ostendunt facultatis debilitatem. Sunt tamen diversi; nam aut in uno pulsu, aut in diversis pulsibus sese consequuntur. In uno pulsu, præter debilitatem, ostendunt etiam corporis gracilitatem, qui autem est in acervo, potest contingere sine gracillitate.

Decurtati pulsus in acervo, id est; in pluribus pulsibus, aut sunt reciproci, aut deficientes. Reciproci, minus periculum denuntiant: Deficientes vero aut omnino tales, aut pauco quidem intermisso tempore recipiocantes, qui minus periculosi sunt, quam cum omnino deficiunt; tunc enim in propinquo mors est.

Pulsus errans, quanto est manifestior, tanto est deterior; quia ingentem humorem testatur, qui longa eget coctione; & nisi æger fuerit robustus, succumbet.

Convulsivus pulsus, alius aliis præferendus: nam qui post plurimos sudores, aut vomitus, aut alvi dejectiones accidit, ægre restituitur in pristinum statum, & malum significat prope insanabile.

Qui vero nascitur repente, & statim in principio, vel paulo post principium, non est adeo periculosus; modo a re venenata non oriatur, qui solet esse perniciosior.

Pulsus vibrans indicat naturam cum morbo pugnare, unde futurum terminum in febre speramus.

Pulsus tremulus, syncope in febribus acutis est, & mortis omen, ob extremam, quam ostendit, facultatis debilitatem.

Pulsus palpitans nullum creat periculum.

CAPUT XLVIII.

De respiratione.

BOna respiratio, quę facilis, magni facienda est in febribus acutis, & magnam vim habet ad salutem: signum est enim integrę fatultatis motricis. Non est tamen certa prędictio ex respiratione captanda, nisi laborantis mentem, ac propositum distinxeris, ex Gal. *lib. de difficultate respirationis*: nam si ex composito & prudente, audacem responsionem, malam dicat Hippocr. non tamen audacium hominum, neque talem responsionem solum, sed neque desipientiam, magnum quidpiam indicare putes. Ita quoque res habet in respiratione, nam delicati & molles, in omni opere respirabunt inæqualiter, etiamsi nihil agant insigne; laborum vero cupidi, & qui generoso sunt animo, nunquam nisi deducta ad summam debilitatem virtute, respirationem producent inæqualem.

Respiratio frequens dolorem significat, aut inflammationem in partibus, quæ supra septum transversum sunt: In dolore namque illarum partium non potest esse magna respiratio.

Frigidus

Frigidus respiratus ex ore & naso prodiens, valde lethalis est: quia significat extinctionem caloris nativi.

In Coacis scribitur: *lethalis est febrilis, & fuliginosus spiratus; minus tamen quam frigidus*: demonstrat namq; intus latere incendium, a quo calor nativus dissipatur

CAPUT XLIX.

De mentis alienatione.

DEsipientiæ cum risu, minus molestæ esse solent: quod sanguinem dominari patefaciant; illæ vero quæ sunt cum studio, & ferocitate malæ. Quæ pauco tempore feroces fiunt desipientiæ, in ferinas evadunt. *Insaniæ vehementes, lethales sunt*, ex *Coacis*.

Quæ deliria paulatim transeunt in temeritatem, firma sunt, atque convulsionem prænuntiant, ex *Coac.*

In quo morbo somnus delirium sedat, bonum, Aphoris. 2. lib. 2. In quo vero *laborem affert, malum, Aphor. 1. lib. 2.*

In composito modestoque homine ferox responsio, mala. Mente constare, & bene se habere de illa quæ offeruntur, bonum.

Si bonis oblatis cibis æger offendatur, difficilis morbi indicium est.

Cum rigore non cognoscere familiares, malum est.

Malum quoque oblivio a perfrigeratione, cerebri calore prope extincto.

CAPUT L.

De Decubitu, Motu, Quiete.

CUbantem oportèt inveniri ægrum a Medico *super latus dextrum, aut sinistrum, manibus, cervice, ac cruribus parum inflexis, & universum corpus molliter jacens: sic enim sanorum plurimi decumbunt. Optimi enim decubitu sanorum similes*: arguunt enim facultatis motricis robur, cujus proprium est corpus movere, & in loco continere.

Difficilius vero est cubare in latus quam supinum. *Supinum autem cubare, manibus, cervice, & cruribus extensis, minus bonum est*: nisi quis sic cubare consueverit; significat enim facultatis motricis imbecillitatem.

Quod si proclivis ad pedes de lecto delabatur, gravius est, propter facultatis motricis prostrationem.

Gravitas totius corporis, manuum, & pedum mala est. Si vero ad gravitatem lividi accedant digiti, & ungues, in propinquo mors est. Si vero habeant manus, cervicem, & crura inæqualiter dispersa, ac nuda, malum est: inquietudinem namque significat, & anxietatem.

Lethale est hiantem dormire: ostendit enim animalis facultatis languorem; vel debilitatem cerebri, os comprimere non valentis; vel obstructionem nervorum tertiæ conjugationis. Si vero a consuetudine pendeat istud, non est malum.

Super ventrem cubare eum, qui non ita dormire consuevit, dum esset sanus, delirium significat, aut dolore partium, quo circa ventrem sunt.

Stridere dentibus in febribus, quibus a puero consuetum non est, maniam, aut mortem significat. Verum ex utriusque oportet prædicere periculum futurum. Quod si etiam deliranti id accidat, valde lethale est.

De manuum gesticulatione hoc nosse oportet. Quibuscunque in febribus acutis, vel peripneumonia, vel phrenitide, capitisque doloribus manus ante faciem feruntur, vel ægri venantur festucas, & colligunt, id omne malum, & exitiale est.

In quo morbo somnus delirium sedat, bonum. Aphor. 2. lib. 2.

CAPUT LI.

An moriturus, & evasurus sit æger.

ACutorum morborum salutis aut mortis omnino incertæ sunt prædictiones, inquit Hippocrates. Galenus tamen, an moribundus sit æger, colligit *lib. 3. de crisibus*, ex magnitudine morbi, specie illius, more, virium robore, & viæ longitudine, quæ qualitate motus dignoscitur; Magnus namque morbus in ægro debili, qui longo tempore est duraturus, lethalis censetur; ut parvus in ægro robusto, qui celeriter sit finem habiturus, est salubris.

Quædam febres sua specie sunt lethales, ut malignæ, & pestilentes; aliæ salutares, ut febris tertiana simplex, Ephemera, &c. Mortis in universum signa erunt, virium debilitas, cruditas, malignitas, & morbi magnitudo. Nam debilitas conjuncta, cum cruditate, longum ostendit morbum. Magnitudo autem illius, significat naturam esse in itinere defecturam: debile enim corpus magnum pondus longo itinere ferre non potest. Malignitas vero clam naturam labefactat. Salutis signa sunt superioribus contraria, utpote virium robur, coctio, morbi benignitas, & parvitas.

CAPUT LII.

Quo tempore sit periturus æger.

OMnis febris mortifera ægrum perimere solet eo tempore, in quo majus est illius robur supra ægri vires.

Ex victoria morbi supra naturam, non tantum mors prævidetur, sed etiam mortis tempus. Temporis nomine intelligimus universalia morbi tempora: Principium scilicet, incrementum, statum, & declinationem; tum partes temporis, ut paroxysmorum partes, & diei.

Ex quantitate ergo superationis, (ut ita dicam) mortis tempus prædicari potest. Nam si multum excedat morbus naturam, in principio æger morietur: quod utplurimum accidit in febribus inflammationum partium interiorum, cum subita fit novæ materiæ ad inflammationem defluxio. Item in morbis malignis, ut in peste, & in quibus natura debilis superatur nimia humorum copia, ut ignis parvus lignorum multitudine. Si paulo minus, in incremento: quod solet sæpe accidere in principiis febrium pituitosarum. Pro principio, intelligimus ex Avicenna, illud quod est paroxysmi, quod cum advenit, perfrigeratio longa est, neque recalescit æger, pulsus ejus parvus est, & vermicularis, incidit-

ciditque in earum. Si adhuc minus, in statu: uti solet contingere, ex Avicenna, in febre ardente. In declinatione autem universali nemo moritur, nisi ægri vitio, aut Medici, quia morbus a natura superatur, quando ad declinationem ventum est: nisi hoc contingat, ex Avicenna, in variolis, & morbillis. Advertendum autem duplicem esse declinationem, unam veram, alteram falso creditam. Has distinguit potissimum pulsus: Nam in vera declinatione, quæ fit robore naturæ, vehementiores semper sunt pulsus, & magis ordinati, & æquales; in falsa vero debiliores, & magis inordinati, ac inæquales.

In declinatione vero particulari, hoc est, paroxysmi, plurimi moriuntur, quod calor innatus expandatur per universum corpus, cor deserens: quam ob causam plurimi illorum syncope extinguuntur subito, alii sensim.

CAPUT LIII.

De Terminis febrium.

TErminantur febres, ut supra diximus, κατ' ἔκκρισιν, vel κατὰ πεπασμὸν, vel κατ' ὑπόστασιν, id est excernendo humores per subitam evacuationem, eos coquendo, vel eos alium in locum transferendo. Excernuntur humores, vel sudoribus, vel hæmorrhagiis, vel urinis, vel dejectionibus, vel vomitibus, vel sputis: non crudi quidem, nec incocti, sed prius justa maceratione rite mitigati.

Criseos futuræ signa petuntur ex morbi magnitudine, conjuncta cum celeritate, anni tempore, ætate, victus ratione, viriumque robore. Magni namque morbi, & celeres, in quibus adest virium robur, reliquis consentientibus, crisi sunt finem habituri, quod natura a magnis morbis graviter molestetur: unde ad excretionem incitatur. Celeres vero morbi, ut qui nascuntur ex tenui materia, & calida, apta ad expulsionem, nisi in pulmones delabatur: in cujus expectoratione, materiæ mediocris consistentia requiritur. Præterea vires robustæ nituntur expellere, quod noxium est: quod expellunt, nisi aliquod impedimentum interceserit. Quocirca cætera consentiant oportet, ut crisis subsequatur.

PETRI POTERII
DE FEBRIBUS.
LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Methodus medendi febribus.

VEritas una est, immutabilis, naturæ amica, & magistra, cujus in medicina suprema lex, Populi sanitas est. Et quia hoc in loco de summo mortalium

lium bonō agitur, ideo ab hoc rixæ, contentiones, & jurgia procul amandentur, odia pariter, calumniæ, & persecutiones longe recedant. Solus vigeat candor, mutua charitas & amor. In hac quiete methodum medendi febribus contemplamur. Quod si in Jatrochymicorum vireta aliquando divertere placeat, fiet hoc non contendendi animo, sed veritatis inveniendæ gratia.

Dogmata non juro in Paracelsi, *aut scita Galeni,*
Vera utriusque placent, falsa utriusque jacent.

Per hanc medendi methodum intelligimus institutionem quandam alicujus ordinis, in multis rebus diversis, ad aliquod unum primum pertinentibus, & relatis, quæ eundem gradum non servant. Sic ad nostrum propositum, institutio est ordinis in multis indicatis, ad Medici intentionem facientibus. Etenim primo Medicus sibi proponit finem, sive scopum; deinde regrediendo, quærit remedia ad ipsum scopum acquirendum, idque per indicationes, a quibus indicata nascuntur, ut indicationes ab indicantibus, quæ dum methodo, & ordine disponuntur a Medico, is dicitur methodice mederi. Finis, & scopus Medici, sanitas est. Media quibus ad scopum, & finem pertingit, sunt præsidia, auxilia, & quævis alia ad sanitatem comparata, juxta commune axioma, ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα, contraria contrariorum sunt medicamenta: quod quidem axioma, regula, & norma est generalis omnium indicantium, cum altera in qua perhibetur, similia similibus servari.

CAPUT II.

Norma Indicationum examini subjicitur.

COntrariorum contraria esse medicamenta, & similia similibus servari, sanxit universa Medicorum schola. Et hæc duo curanti Medico veniunt indaganda semper. Ejuscemodi dogma ab antiquis jamdudum confirmatum, sapientum consensu magno applausu receptum, & in legem stabilitum, cui nemo hucusque est contradicere. Jatrochymici soli, adversus hoc insurrexerunt, & similia similibus sanari asserunt. Sed hæc tela in se vibrata sentiunt. Ita enim: Omne quod pellit morbum, idem contrarium est; ea namque contrariorum conditio & natura est, ut mutuo se jugulent, nec in unius provinciæ regimen unquam convenire possunt. Præterea omnis actio est contrariorum, *lib. 2. de Gen. & corruptione, cap.* 7. Similia enim non agunt in se invicem, siquidem agens eo fine agit, ut assimilet sibi passum. At curatio est actio remedii contra morbum. Igitur contraria ut sint necesse est. Huc facit, quod quorum termini sunt extremi, eorum etiam motus, & natura habentur pro extremis: illius quidem destruere, hujus restaurare naturam. Extat celerrimum jam citatum divini senis effatum, *lib. de flatibus*, & *Aphor.* 22. *lib.* 2. τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα. Quicquid tandem morbum e corpore, tanquam hostem expellit, non potest ei esse simile: ergo contrarium. De intemperie nihil dico; doctrina lippis, & tonsoribus satis nota.

Cedo contraria invicem se expellere. Atqui medicamentum non est morbo con-

contrarium etsi adhibito remedio sequamur morbi depulsio, hoc non est medicamenti, sed naturæ opus. Natura ipsa est quæ morbos expellit, ipsa, vel medicamento roborata, vel eodem irritata. Nonne ex Hippoc. Medica est? Idem *lib. περὶ φύσεων.* Ἰητρικὴ μὲν ἐστὶ προσθέσις καὶ ἀφαίρεσις: ἀφαίρεσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων, πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλειπόντων. Medicina addit, & subtrahit quando opus est. Natura est vere morborum medicatrix: ipsa sola per se utplurimum sanat morbos. Qui citra ullum medicamentum consanescunt, id verissimum esse satis testantur.

Quod contrarium est, id esse debet propriis viribus instructum: at nullum remedium sanat morbos propriis viribus. Ergo contrarium nullo modo dici debet. Quis est tam ingenio hebes, qui putet medicamentum in nostro corpore eo fine agere, ut assimilet sibi passum, humores videlicet? Natura in medicamentum agit, non medicamentum in naturam. Quid, si adversus medicamentum insurgens, vitrix ipsum cum morbo foras propellat? Sed de contrario satis.

CAPUT III.

Indicationes ponderantur.

UT pulchre solent circumforanei in plateis plebem verbis decipere, ludicris semper, aut novis visus illecebris populo objectis; Ita quidam novissimi methodorum scriptores, tentant lectorum mentes subtili quadam dicacitate deludere, & affectata sua garrulitate intellectus aciem præstringere: Sed veniamus ad rem. Indicatio ex Gal. *c. 7. l. 2. Method. med.* dicitur demonstratio, sive insinuatio rei agendæ. Capivaccius tres affert ex Gal. definitiones indicationis, quas brevitatis gratia omittimus, & dicimus cum eo, ab indicatione comprehendi indicans, quod dicitur agens. Indicatio in corpore humano (sanabili) est permanens quid, & notum intellectus, quod per propriam suam naturam aliquod auxilium indicat; atque indicatum quod postulat, ad sese dirigendum esse monstrat: ut sanitas amissa hominis restituatur. Lege Sennertum, & Capivaccium. Et hi tres faciunt species: curatorum, præservatorium, & vitale; alii pluries, quas brevitatis causa omitto. Primarium indicans est, ad quod omnia referuntur, & hoc morbus est. At reclamant; dicentes, cum morbus sui expulsionem indicet, primarius non potest esse scopus, sed sanitas: de quo lege Gal. *9. ad Thrasybulum, cap. 48. & 9. method. medend. & 1. med. 5. ibidem lib. 2. cap. 7. lib. 5. cap. 7. & 9. c. 2. l. 9. c. 7.* Posito vero indicante curatorio, semper & ex necessitate debet sequi curatio, siquidem per propriam suam naturam atque essentiam indicet, quod conveniens est. At posito morbo non semper sequi debere curationem constat, sed prius vires consulendas, num ipsæ admittant, aut perferre possint: sæpissime vero non admittunt. Ergo morbus proprie indicat. Præterea omne indicans est permanens in corpore humano; a nullo enim eorum, quæ non permanent, indicatio sumitur, ait Gal. *4. method. med. 3.* Et propter ejusmodi rationem symptomata non indicant, quia propriam permanentiam non habent; morbo enim ablato, & ipsa secedunt. Morbus

bus item non est perpetuo manens, aut stabile malum, 1. *method. med.* 1. quia cum sua causa ita sustentatur, ut cum eadem simul concidat. Rursus indicans est id cui debetur juvativum, sui enim causa indicat, & ad sese indicatum dirigendum esse monstrat. At morbus non sui causa indicat, neque quod juvet sibi exposcit. Deinde quam sit absurdum, quidquam destructionis suæ media indicare, eaque appetere, satis notum est. Igitur morbus natura sua neque indicat, neque medendi viam demonstrare potest. Videndum esset, cuinam alteri, meliori jure, id muneris competat: num symptomatibus, causæ morbificæ, an viribus. Non symptomatibus, quia permanentiam nullam habent, nec propriis nituntur facultatibus, sed sub alienis signis militant. Minus causæ morbificæ, ut tradit Capivaccius, rationibus ab eo allatis in *sua medendi methodo*. Præterea cum ea sit humanum corpus corrumpens, nihil inhibens corruptionem indicare potest. Quod ad vires spectat, non sui destructionem, sed conservationem demonstrant. Ex quibus satis clare patet, quam parum firma sit ista hæc indicationum doctrina.

CAPUT IV.

Vera medendi methodus breviter traditur.

QUoties decantavimus Medicum esse naturæ ministrum, post Galenum, & universam Medicorum scholam, toties diximus naturam ad se convertere omnem medendi viam. Utitur equidem variis præsidiorum generibus, tanquam instrumentis, quibus hostem, seu morbum conficere, debellare, & foras detrudere possit. Esse præterea in ipsa natura principium quoddam sanativum, quod proprio motu ad sanitatem tendat. Talis est enim potentia corporis sanabilis ad sanitatem, qualis corporum mobilium ad formam suam naturalem; & hæc potentia est activa, & productiva sui effectus. Et hoc certissimum est, cum enim cuivis agenti, patienti insitum sit sese tueri, & ab omnibus injuriis, quantum potest, vendicare, jure merito idem debetur corpori sanabili. Præterea id quod universam λειτουργίαν microcosmicam moderatur, etiam sanationi præest: quia sanitas non otiosum mentis est πλάσμα, sed naturæ interioris mechanici ἀποτέλεσμα. At balsamus ut universi corporis μεταβύθισιν occupat, sic ministeria singula, & ἐνεργήματα moderatur; quare idem & sanationi præerit. Quid de calido nativo, quod συγκρίνον & συνορίζον τὰ ὁμόφυλα, τὰ δ' ἀλλότρια ἐξαίρον, eruditates omnes maturat, impuritates secernit, siccum cum humido perfecte terminat, miscet, & unit, ad harmonicam unitatem omnes excessus revocat. Idem igitur πανακὲς, morborum omnium ἀντιφάρμακον, & convalescentiæ author recte dici poterit. Hermetici ejusmodi calorem nativum, naturam, principium sanativum, & potentiam activam sanitati aptam appellant, Balsamum, Mumiam, Quintam essentiam, Archæum, Solem, Cœlum, &c. fontem actionum, & sanitatis auctorem.

Hoc est illud, quod in Microcosmo generationes, transplantationes, mutationesque omnes moderatur, quod expellit superflua, attrahit ὁμόφυλα, quod accipit, omniaque suis locis adaptat, alterat, & contemperat. Istud tandem

omnia.

omnia operatur, pro varietate infinita artium & scientiarum, quibus donatum est, & pro ratione seminali, tincturis, & prædestinationibus, &c. Platonici ejusmodi substantiam ab elemantari diversam faciunt, qua veluti cæmento anima immortalis cum immortali jungeretur corpore. Fernelius Humidum primogenitum, spiritu & calore nativo undique perfusum. Hoc est, ad quod omnes Medici indicationes dirigi debent, non per inanes, & inextricabiles contrarietatis propositiones, sed per indelebilem veritatis constitutionem, in qua sine verborum strepitu, sine rixis, & contentionibus, singula Medicis adaperta erunt. Placet tamen prius, ut huc usque consuevimus, communem medendi viam perlustrare, & ob oculos candidatis utramque methodum afferre, ut contraria juxta se posita melius eluceſcant. Prætera unicuique liberum erit, unam atque alteram amplecti.

CAPUT V.

De Curatione febrium in genere.

COmmunis medendi methodus per indicationes incedens, in simplici febre curanda duas sibi proponit generales indicationes. Et quia febris dicitur calor, sive intemperies calida & sicca, tot erunt indicationes, per contrarium retrocedentes, ut refrigerare, & humectare. Itaque in communi medendi methodo, in simplici febre, refrigerare, & humectare tantum requiritur. Refrigerant vero, & humectant infinita pleraque, quæ tibi enumeranda non censeo, maxime cum inania, & prorsus inutilia, longo usu, & experientia semper compererim. In Diaria, seu Ephemera, nullius medicamenti prorsus usus est; sponte enim evaneſcit intra diem naturalem. In his qui edaces sunt, nec unius diei abstinentiam perferre possunt, laudo jusculum carnis, cum lactucis cichoraceis, boragine, acetosa, portulaca, &c. Mulieres utplurimum in plerisque locis, in jusculis solvunt vitella ovorum, cum succo limonum, arantiorum, & similia. Ubi non est ejusmodi fructuum copia, omphacium, vel acetum accipiunt. Ad sorbendum, aquam coctam, alii aquam in qua incoctum fuerit hordeum, alii vinum granatorum, ceraſorum, & nonnulli lac, seu emulsionem seminis melonum: tandem quot capita, tot sententiæ. Rustici, & multi populi qui carent Medicis, vinum impune bibunt, nec minus consaneſcunt: quod tamen non laudo; nam tunc victus humectans & refrigerans magis est opportunus, naturæ magis gratus, & conveniens; sitim siquidem extinguit, & vapores ad caput sublatos reprimit.

CAPUT VI.

De curatione febrium in specie.

VEritas paucis contenta, non sophismata, aut verborum onerosam multitudinem quærit, sed nudo & aperto sermone sese nobis offert. Supra triplicem febrium speciem fecimus, & hoc maxime, ut Medicorum multitudini conveniat præsens nostrum ratiocinium. Prima species ea est, quæ dicitur in

spiri-

ſpiritus conſiſtere: Et hæc ſpecies Ephemera, ſive unius diei appellatur, cujus curatio prius abſolvitur, quam cognoſcitur. Hac de re, quæ diximus in *ſuperiori capite*, ubi de febrium curatione in genere ſufficiant.

CAPUT VII.

De Synocho ſimplici.

PRima ſpecies, quæ dicitur fieri in humoribus, eſt ſynochus, quam duplicem faciunt, putridam, & non putridam. Eſt vero ſynochus ſimplex ſine putredine, rara febris, ut inquit Fernelius *lib. de febribus, cap. 4. de ſynocho.* Hanc dicunt eſſe ſimplicem inflammationem ſanguinis. Recentiores definitionem, aut potius deſcriptionem tradunt, at hanc tanquam inutilem omittimus. Rurſus ejuſmodi febrem triplicem faciunt: illa, cujus calor ſibi ſimilis eſt toto febris decurſu, homotonos dicitur: illa vero, cujus calor continuo incremento invaleſcit, epacmaſtica appellatur: Tertia illa eſt, cujus calor ſtatim a ſummo vigore incipiens, ſenſim minuitur dum deſinat, & paracmaſtica appellatur. Ejus duratio eſt trium, & quatuor dierum, quod ejus fervor ſit in tenuiori ſubſtantia ſanguinis, materia videlicet facile diſſipabili.

In hac febre cutis non eſt ſicca, ſed madore quaſi perfuſa.

Urina eſt naturali ſimilis, craſſior tamen, & rubicundior.

Pulſus vehemens, celer, frequens, plenus, & magnus, atque æqualis. Facies & totum corpus rubet. Caput grave eſt. Reſpiratio difficilior. Somnus plerumque profundus.

In hac prognoſis non eſt inſtituenda, quia ipſa vacat periculo. Dicunt tamen putridam fieri poſſe, ob Medici imperitiam: Ad hanc curandam, ſatis patet indicatione eſſe communem, refrigerare videlicet. Refrigerant vero infinita prope medicamenta. Inter præcipua ſunt ea quæ ſeriatim ab aliis deſcribentur, quæ cum nimis nota ſint, facile emittuntur. Verum quia putatur ſanguis copioſior eſſe cauſa potior ipſius febris, ideo potiſſimum eſſe remedium detractionem patet. Hac de re apud antiqnos duo ſunt celeberrima remedia, Phlebothomia, & frigidæ potus. Quoad Phlebotomiam, ſive ſanguinis evacuationem, audacter affirmant, ejuſmodi febrem curari non poſſe ſine dicta ſanguinis evacuatione: Ratio eſt, quia ſine ſanguinis copia non generatur ejuſmodi febris, ut ſupra dictum eſt. Ajunt requiri neceſſario ejuſmodi evacuationem, propter eventilationem, & diffflationem: etenim dicunt, quod imminuto ſanguine liberior & facilior reddatur tranſpiratio, & ſanguinis fervor remittatur. Immo addunt, ſine ejuſmodi phlebotomia non fieri liberam tranſpirationem, augeri obſtructionem, & per conſequens putredinem; a qua febris major: Sic, quæ ſimplex erat febris, Medici negligentia fieri putridam, & periculoſam. Ne ſuis ineptiis finem imponant, addunt cautelam in detrahendo ſanguinem, dicentes cum Galeno 9. *method. med. cap. 4.* videre oportere, ne cruditas ſit in ventriculo, nam tum differendam eſſe venæ ſectionem, donec cibus concoctus ſit, & ad inteſtina deſcendat: Quod & ſi ſuſpectio ſit de pravis humoribus, in ventriculo, & inteſtinis, præmittendam eſſe blandam, & mitem aliquam evacuatio-

tionem, utpote cum manna, syrupo rosarum, Cassia, Tamarindis, Diacatholicone, & similibus, præmisso aliquando Clystere leniente. Quod si suscipio sit, ne ad septimum diem ipsa protrahatur, addunt Rhabarbarum, agaricum, sennam, & similia cum suis correctivis. Sanguinis evacuatio erat olim in usu ad animi deliquium, qua gloriatur Galenus se pluries jugulasse febres, maxime ubi vires erant validæ. Nostris temporibus male cessit nonnullis Medicis sanguinem immodice detrahentibus. Quin hic paucis annis exactis fuerunt nonnulli ita audaces, ut sanguinem extraherent ad animi defectum, & ipsos ægros eadem die perdiderint. Fuit & quidam ex his magnæ æstimationis Medicus, qui cum ipse febre continua immodice vexaretur, bis in die sanguinem sibi detrahi curavit, singula vice plusquam tres libras; secunda die viribus adhuc valentibus eandem quantitatem sibi detrahi voluit, & ecce infelici homini pro sibi pollicita sanitate, immatura & præcipitata mors contigit. Plures aliis in locis novi Medicos, qui in similem errorem impegerunt. Sed quod dolendum, de sua ignorantia pœnas in seipsis dederunt.

CAPUT VIII.

An Phlebotomia unicum sit febrium Alexipharmacum.

CEleberrimum, & unicum remedium apud Barbaras gentes est sanguinis evacuatio, maxime in Ægypto, & fere per totam Asiam, & Africam. In Europa, major pars Hispaniæ eodem morbo laborat. Gallia olim non tanta sanguinem detrahendi prurigine tenebatur, modo in pluribus locis phlebotomia non minus est frequens. Italia mediam tenet viam. Sed quid ad nos, sinamus unumquemque proprio abundare sensu: nec nos deterret errantium multitudo; solo veritatis clypeo tecti adversariorum tela non timemus. Est vero sanguis naturæ thesaurus, quo valente, robustum fit animal: est quoque vitæ nostræ sedes, a natura omnium rerum parente illi destinata. Quod si cuipiam animantium generi vulnus inflictum sit, ni cohibeatur cruor, & e venis exire ipsum contingat, una eademque via sanguisque animusque feruntur. Id satis testantur antiqui, inter cæteros Seneca, nefando Neronis decreto morti adjudicatus. Rursus, ut patet ex sacris, anima carnis sanguis est, *Levitic. cap.* 17. Sic enim habet: *Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima omnis carnis sanguis ejus est*, id est, vita. Quibus per magna vulnera multum sanguinis exhaustum est, pallor perpetuus adest, languor, & segnities totius corporis. Mitto ventriculi imbecillitatem, jecoris refrigerationem, & singularum partium debiles, tardas, & imperfectas operationes.

At sanguis, quia copiosior, lædit hominem, & parit febres, ergo minuendus est, ut ad pristinum statum ipse redeat. Dicunt ipsum lædere venas nimis distendentem, & spiritus aditum liberum cohibentem, sicque fieri vaporum evanidorum retentionem, & caloris eventilationis prohibitionem.

In hac veritate examinanda duo consideranda veniunt. Primo sanguis, ut est sanguis, omnium humorum optimus, & temperatissimus, cujus beneficio vivit animal, in cujus bonitate sanitas, & robur. Secundo, ut ipse est nimius,

cujus

cujus causa, &c. Quod ad primum, satis manifestum est, illum nos lædere non posse nec ullum generare morbum. Etenim boni accessio malum producere non potest. Itaque sola immodica quantitas potest aliquid mali producere. At quomodo sola quantitas, cui nulla agendi potestas a Philosophis demandata fuit? Quantum rei bonitatem non mutat, sed eandem potius amplificat, & naturam perficit, non destruit, bonum nunquam excedit: Quid plura? si quantum afficit, ruit omnis nostra Philosophia. Quod si nimium dicitur naturæ inimicum, hoc de re aliena intelligitur. Sed hæc nimis nota sunt. Verum dicamus, unde sanguis aliquando immodice generetur in nobis. Pro quo intelligendum est, id fieri sæpe ratione eduliorum, quæ quotidie assumimus: Vel eà intemperanter intus ingesta, vel eadem ita sunt a natura comparata, ut facile in nostri alimoniam cedant, vel proprio impetu in sanguinis substantiam transeant, nonnunquam flatulenta sunt, venas subeunt, & sanguinem attenuant, ac dilatant. Aer non raro corpora nostra tentans venas ingreditur, & sanguinem fermentat, attenuat, & amplificat. Non propterea a se immodicus redditur, sed ab aliena causa quantus est factus. Rursus etsi quantus sit, nihil potest afferre. Quod si aliquod damnum potest afferre, non ratione quanti, sed mixti alicujus superflui; & hoc Medico cognoscendum, ut idipsum removeat. Ex quibus satis clare patet, sanguinis quantitatem non generare febres, & per consequens ejusdem diminutionem easdem sanare non posse.

CAPUT IX.

An frigidæ potus possit extinguere febrem.

TAnta est hac in re Medicorum concordia, ut fas non sit hoc in dubium vertere, & maxime in simplici febre, ubi nihil nisi caloris excessus incusatur. Decantatissimi dogmatis, *Contrariorum contraria sunt remedia* veritas nota satis videtur. At quia effectus dogmatis fieri non respondent, jure merito de eo quærendum est. Quotidie experimur, frigidæ potationem non modo febrem extinguere; sed nec tantillum juvare. Non sat est Galeni, & aliorum quorundam exemplum nobis afferre: Jactat se Galenus, multas febres curasse solo frigidæ potu. Extat Amati Lusitani pulchra historia de quodam Mercatore Flandro, quem unico haustu aquæ frigidæ sanavit ex febre. At nos quoties contrarium experti sumus, & hoc millies inaniter a nostris Præceptoribus expertum vidimus? Pluries nonnullos observavimus, in Cachexiam, & Hydropem præcipitatos fuisse, hoc unico frigidæ potu. Ejusmodi errorem eo argumento tegere conantur, videlicet ut humores crudi sint prius; item ægri per alia tempora frigidis potionibus assueti sint; quibus accedit ipsius aquæ tolerantia: sunt enim nonnulli, quibus internæ partes sunt adeo debiles, ut aquæ potum sufferre non possint. Mitto incommoda, quæ solet afferre aquæ potatio, tam ex Hippoc. quam ex Gal. in biliosis dicunt biliosam fieri, nullius esse nutrimenti, in Hypochondriis flatus, & cruditates parere, &c. Sed certiores afferamus rationes. Supra statuimus febrem accendi a spiritibus nitrosulphureis, naturalem antipatiam inter se habentibus: at ad pacem ejuscemodi spiri-

ſpiritibus conciliandam, aqua plane non modo eſt inutilis, verum etiam non raro flatus, & cruditates ingenerans; naturæ officium perturbat, & febres in longum protrahit, ſpiritus inter ſe magis concitans. Præterea nonnullæ aquæ ſale acido abundant, naturæ ſalis ammoniaci, nitro valde inimici, cujus præſentia magis fervet ſpiritus nitroſulphureus. Noſtros tamen exaudio Medicos de contrariis qualitatibus diſceptantes, permoleſto cachinno in hæc noſtra effata prorumpere, quibus ſatisfacere volumus, poſtquam intellexerint.

CAPUT X.

Quomodo contrariæ qualitates reperiantur in rebus.

NE ſemper cum Chymicis de rerum proprietatibus ſentire videamur, quid cum Dogmaticis Peripateticorum decretis addictis intelligere poſſimus, in medium protrahere placet; hac enim via probe explanata, per ſentes, Syrtes & aliorum itinerum anfractus tuto incedere poſſe non diffido. Etenim cum nobis continuo occinant rerum qualitates contrarias in ſubjectis, rebuſve naturalibus ſimul pacifice hoſpitari, ut de Opio, Aceto, Coriandro, &c. quo pacto id fieri poſſit, non eſt cognitu facile: nam ſi contraria ſeſe expellant, & mutuo in ſe agant, & patiantur, quomodo aut quibus vinculis ſeſe amice amplectantur, & eodem in loco maneant? De mixti generatione, non minima intellectus perplexitate inter ſe digladiantur. Qui qualitates poſt mixti generationem, ſub unius formæ imperio manere dicunt, in varias ſententias abeunt. Alii enim volunt, eas manere actu cum Elementis, ita ut formæ Elementorum in mixtis ſint actu, & ex earum combinatione forma mixti oriatur, adeo ut forma mixti ſit quid ex his compoſitum, quo nihil abſurdius. Alii dicunt, eas quidem manere, ſed refractas, & ad temperiem adductas, propriis ſubjectis, Elementis videlicet, quibus primo hærebant, orbatas, & ſoli formæ mixtæ ineſſe. Et hæc hodie ab omnibus recipitur, tanquam verior. At dum hæc concedunt, in alias Syrtes incidunt: Nam inde ſequitur, alienas qualitates alienis ſubjectis hærere, hinc rerum ortus non naturalis, ſed vi, & violentia factus; in rebus nuſquam quies: nam qui ab igne ad ignem, a terra ad terram contendit. Poſtea quid nobis continuo obtrudunt, propriam cujusvis affectionem nullibi reperiri poſſe, quam in proprio ſubjecto? Mitto alia brevitatis cauſa. Taceo inſuper ſupinum errorem eorum, qui rerum formas eſſe temparamentum arbitrantur. Sententia etiam aſſerentium pluralitatem formarum omnino exploditur. Sed antequam veritatem ſerio aperiamus, quid per contrarium intelligant, videndum.

CAPUT XI.

Quid contrarium.

QUoad contrarii nomen ſatis notum eſt. Ejus proprietas graphice depingitur ab Ariſtotele in 4. *Metaphyſ. c.* 6. ubi inquit: φανερόν ὅτι οὐδέ τ' ἐναντία ἅμα ὑπάρχειν ἐνδέχεται τῷ αὐτῷ. Quod contraria non poſſint eſſe ſimul, rationem affert evidentiſſimam, dicens, *cum affirmatio, & negatio ſimul veræ eſſe non poſſint,*

possint, ita, &c. Sic verum, & falsum simul stare nequeunt, sed sese invicem expellunt. Rursus ubi sunt contraria, ibi pugna jugis, nulla quies: Idem non potest esse in eodem loco, & eodem tempore agens, & patiens: Idem Aristoteles *lib. 2. de Gen. & corrupt. cap.* 3. apertis verbis suam sententiam confirmat, dicens, contraria simul copulari non posse, sicut calidum & frigidum, siccum & humidum. Rursus contrarietas est oppositio secundum formam, rationemve specificam, ut 10. *Metaph. cap.* 23. *tit.* 26. & sic quælibet contraria in quocunque gradu sint, propriam, & specificam habent formam oppositam, & contrariam. At duæ formæ simul, & in eodem loco stare non possunt. Nec obstat, si dicant aquam natura frigidam incalescere, sicque calor; & frigus erunt in eodem subjecto. D. Thom. *quæst.* 76. *art.* 4. Cajetan. *ibid.* Henric. Gandav. *quod lib.* 12. *quæst.* 12. Scotus, *in* 3. *distinct.* 2. *quæst.* 9. Capreol. Marsil. Argent. Javellus, &c. Ad primum: suppositum esse falsum, ea ratione existimo, quod cum supponant aquam esse frigidam, non vident quibus se involvant erroribus: Nam cum petimus quid sit aqua, non respondemus, corpus esse frigidum, verum potius dicimus, eam esse corpus fluxile, terræ terminis circumscriptum; cui oppositum erit non fluxile, & immobile. Rursus calidum & frigidum quæstioni quale, non quid respondent, sicuti siccum & humidum. Quod si iterum petamus, quid sit aqua, certius per molle, fluxile, & mobile, quam per frigidum definietur. Equidem ubique mollis, madida, fluxilis, &c. reperitur, ut maris, fluminum, fontium, puteorum, thermarum, &c. non tamen ubique frigidæ sunt regiones, ubi aquæ perpetuo sunt calidæ; nullibi vero, ubi non sint madidæ, fluxiles, & mobiles. Ex his satis patet, quid contrarium, & quomodo intelligendum sit. Ad tot nugas in artem male introductas diluendas accedamus.

CAPUT XII.

Methodus medendi febribus iterum perpenditur.

FEbrium communem medendi methodum fidissima experientia, & validissimis rationibus non esse tutam, nec certam, supra commonstravimus: Nunc certiorem fidissimis experientiæ fundamentis stabilitam, Philosophicis rationibus sartam, tectamque exhibemus.

In *capite superiori* fundamenta jecimus, & supra diximus quomodo natura ipsa ad solum membrorum pacem, quæ sanitas est, sese erigit, & quidquid agit, nonnisi ejus pacis gratia agit.

Est vero nostra medendi methodus, vel generalis, vel particularis.

Utraque ad febres arcendas sese diversimode accingit, vel impuritates tartareas nitro-sulphureas expellere contendit, vel naturam adeo robustam, & validam reddere avet, ut ea sponte se ab onere sibi infenso liberare, ipsumque excutere possit; vel naturam adeo tutatur, ut pro ea depugnare possit, subsidiarios milites, viresque novas ipsi submittens.

Ad tartareas impuritates e corpore humano deturbandas, non pauca requiruntur. Ea enim vel sunt in primis viis, inanibusque spatiis, vel in venis, vel in arteriis, vel in habitu corporis. Quæ sunt in prima regione, vel in superioribus, ventri-

ventriculo, &c. vel in inferioribus sub diaphragmate. Quæ sunt in prima regione, & in superioribus natura sagax, & morborum curatrix, & provida nimis, simplici vomitu ipsas foras extrudit: vel in inferioribus laxata alvo sæpissime ipsas deturbat, fugatque foras.

Rursus Generalis, febres omnes in quovis loco subsistentes sedat, & mitigat, iratis spiritibus pacem, & concordiam concitare studiose satagens: At quia multis modis irati incandescunt, pluribus etiam modis ipsos placare, & ad pristinam concordiam revocare deliderat.

Particularis, febres singulares seorsum expendit: Antecedentes tam ad cognitionem, quam ad curationem respicit.

In generali methodo duo contemplamur universalia remedia: unum, quod universaliter tartareas omnes impuritates e corpore fugat; aliud quod mitigat, contemperat, & reprimit. Primum id præstat citra ullam præparationem, modo sursum, modo deorsum. Hoc medicamenti genus a Theoph. Parac. Diaceltatessón appellatur. Sed hoc vocabulum nimis barbarum paucis innotescit, & quid sibi velit, non satis percipio. Hoc unum expertus sum, quod datum tempore, & loco, & ægro convenienti, febrem omnem extinguit, intra tres aut quatuor horas: nec tantum acutas, verum & chronicas. Ejusce rei fidissimum testem habeo, Dominum Johannem Polanum, cui tempore pestis tantum arcanum concredere volui. Is, etsi non esset artis medicæ satis peritus, meo tamen consilio se insignem Medicum Bononiensi Senatui obtulit, unde necesse erat se talem operibus commonstrare, quod fideliter præstitit, pauperibus infectis erogans istud medicamentum. Eo siquidem assumpto, intra 3. vel 4. horas omnis sedabatur febris; in nonnullis sequenti die revertebatur ipsa, & his idem reiterabatur medicamentum, ex quo in totum recedebat febris. Quibus non cedebant ipsa, & secunda die reversa perseverabat, signum erat, quod febris jam depasta erat partem aliquam, vel nobilem, vel officio ita necessariam, ut ea corrupta mori cogeretur æger. Indies centum, & pluribus ægris porrigebat medicamentum, & ex centum vix peribant 10. Possunt nonnulli mihi objicere, quod dictus Polanus præscriberet suis ægris nonnulla communia, ut Mannam, Tamarindos, Cassiam, Rhabarbarum, Sennam, Agaricum, &c. & etiam phlebotomiam aliquando usurparet, sed hoc data opera faciebat, ne purus Empiricus haberetur, sed pro quodam docto Dogmatico ab omnibus excuperetur: tantum prævalet in hac arte Medici anticipata opinio, ut sæpe ignarus doctis præferatur. Sed ad nos. Quod de dicto Polano dixi, verissimum id pluries comprobavimus. At humanæ sortis tam mala est conditio, ut si quis probus Medicus consimili uti velit medicamento, statim mille convitiis ab aliis excipiatur, & ut angue pejor cunctis digito commonstretur.

Hoc insigne, & mirabile Alexipharmaci genus, Antipyreton nominavimus, cujus descriptionem paulo inferius dabimus. Hoc est primum, & præcipuum febrile medicamentum, ipsas febres eradicans, & funditus e corpore evellens. Restat secundum, quod mitigatorium appellabimus, istud vere febres non sanat, sed eorum fervorem in tantum reprimit, ut interea æger viribus recuperatis, ad pugnam validior reddatur.

Particularis Methodus naturam ſtudioſe imitatur, ejuſque leges ad unguem ſervat. Ubi febrem ad criſin accedentem obſervat, ad eam properare ſolicitat: uti ſi ad ſudorem, eum ipſum per diaphoretica juvat; ſi ad alvi, urinæ, aut alterius evacuationis propenſionem prona eſſe videtur, mediis ad id opportunis ejus partes ſuſcipit: tandem ad id perficiendum omnino ſe accingit. Ubi febres per coctionem ſuperare nititur, hanc promovere, & humores refrænare, & mitigare aggreditur. Ubi vero per apoſtaſin, ſeu materiæ tranſpoſitionem, ſedare febrem contendit, eandem viam ſuſcipit, & ab hac regia minime digrediens, auxiliares copias eo dirigit, donec confecto hoſte, partaque victoria, ſub ſalubriora vexilla ſe recipiat. Tædioſas, & ærumnoſas indicationes, declamatoribus tanquam peculiares cibos relinquimus, & quod decet, noſtros edocere tantum curamus.

CAPUT XXV.

De purgandi ratione in febribus, & maxime ad legitimam methodum.

PUtreſcere humores in corpore humano, maxime in febribus, perpetuo docent Medicorum ſcholæ; putrefactionem etſi dari ſuſpectam excogitavimus non alia de cauſa, niſi quod ejuſmodi ſit effectus, non cauſa: quæ purgatione quatuor humorum afferunt, longa diſquiſitione indigent. Nos vero, qui brevitati ſtudemus, quæ noſtra ſit opinio in purgatione incunda primo adaperiam; deinde ſi liceat per otium, ſingula ad veritatis Cynoſarum revocare, id præſtare non recuſabo.

Interea dicimus purgationem eſſe rei noxiæ, & inutilis evacuationem: & hanc duplicem inſtituunt, unam per ſanguinis detractionem alteram per alvi ſubductionem.

Nos purgationem veram eſſe monemus, quæ morbum una cum materia foras protudit; vel quæ evacuando humores, morbum ſanat. Rurſus eſt purgatio multiplex, vel enim per alvum, vel per urinam, vel inſenſibilem tranſpirationem fit. Notandum præterea, unumquodque membrum proprio excremento præditum eſſe. Etenim nihil puri in his inferioribus eſſe reperitur, & quicquid comedunt viventia cuncta, purum cum impuro admixtum accipiunt. Impurum excrementum illud eſt, quod tempore ſtatuto deponunt. Et quia ſingula membra peculiari nutriuntur cibo, ita & proprio abundant excremento. Id vero ſi deſtinato tempore, abſolutis videlicet coctionibus, non excernitur foras, partem, ſeu membrum, in quo continetur, lædit & vexat, pro conditione excrementi. Inſuper non omnia excrementa ſunt ſenſibilia, ſingulæ enim partes peculiarem tranſpiratum habent, qui ſenſibus vix apprehenditur. Proinde vis ſeparativa quovis in loco proprio fungitur munere. Sed hæc contemplatio hujus non eſt loci. Ex his patet, noſtram purgationem non eſſe omnem alvi ſubductionem, & in ea incunda, naturæ leges obſervare: Ubi ad vomitum eſt prona vomitum procuramus; ubi ad alvum, eam ipſam excitare curamus; ubi ad urinam, ſudorem, &c. eo artem noſtram convertimus.

Quod

Quod si ad insensibilem transpirationem, ad id omnes ingenii vires intendimus; nam major pars febrium hac via fugatur. Verum hucusq; de purgatione in universum egimus: nunc de ea, quæ convenit febribus, dicemus.

CAPUT XIV.

De particulari purgatione in febribus.

PUrgandam materiam, ex qua fit febris, sanxerunt omnes: hanc fecerunt bilem, pituitam, & melancholiam: hos humores putrescentes, & putrefactos, causas esse proximas febrium. Nos quantum potuimus observare quadraginta quinque annorum decursu, quo artem medicam exercemus, eo animi candore, cujus a natura participes facti sumus, cunctis rei veritatem aperire statuimus. Itaque oportet scire, purgationes, quas continuo celebramus, desideratis effectibus minime respondere: Veluti si in tertiana bilem millies purgemus, in quartana melancholiam, in quotidiana pituitam, quid efficimus? febris ferocia ne minimum retunditur, imo æger duplici labore pressus, febris tyrannidi facilius cædit: natura coctionibus intenta ab incepto opere avertitur. Non est ut nobis succenseant, ejusmodi humorum præparationem, ut pote attenuationem, incrassationem, &c. negligentibus. Sicuti nec medicamenti electionem, præparationem, & dosim. Nam quo ad primum, verissimum est commentum: solius est naturæ opus, & vanum est, quempiam scire modum, quo utitur natura in suis operibus perficiendis. Non in medium protraho, coctricis, assimilatricis, & expultricis facultatis potestatem. De his quæ circumferuntur, de medicamine seligendo, eoque præparando, nec non de ejus dosi, ac cæteris ad id requisitis, nihil dicam; nam in his non minor vanitas, quam in aliis. Observa quæso illos Medicos, qui cæteris studiosiores censentur, & qui majori sedulitate ægros suscipiunt sanandos, & videbis illos in pejores, & crassiores errores impingere. Utinam mentirer, & quam in aliis culpam animadverto, in me solo agnoscerem. Sed bone Deus! mentis nostræ tenebras procul a nobis remove. Quod si de bilem purgantibus apud me percunctari velim, dubia haud pauca statim nobis se offerent: calor citrinus, flavus, ærugineus, portacinus, &c. ab assumpto medicamento venit; etenim puerile satis est, credere talem humorem eductum fuisse e venis. De Cassia, Tamarindis, Manna, Rhabarbaro, non aliud credendum est; tingunt id quod educunt, irritant potius quam attrahant: non sunt tamen inutilia, & sæpe eorum auxilio, una cum ipsis, tartareos humores in intestinis considentes foras amandat natura, & sæpe ubi non valet ars, fortuna & casu id contingit. Ne tamen communem viam deserere in totum videar, placet selectiora, tam simplicia, quam composita, tanquam in tabella proponere, ut cuilibet liberum sit, hęc vel illa seligere, his maxime, qui nihil didicerint, præter illa, quæ mortua littera docet. Inter illa, quæ putantur bilem purgare, lenientia, & benigna sunt, Cassia, Tamarindi, Pruna, Violæ, Rosæ, &c. Inter valentiora Manna, Rhabarbarum, Scammonium. Hæc usitata sunt: inusi-

tata brevitatis gratia mitto. Sunt & compoſita, maxime quæ hodie in officinis proſtant, ſyrupus roſarum, violarum, Electuaria, diacatholicum, diacaſſia, diaprunis, diaphœnicum, diacarthami, de citro, de ſucco roſarum, Nic. diamanna, &c.

Et quia commodior fit purgatio, quando præceſſerit clyſter emolliens: ideo cum primum advocatur Medicus, ipſe præſcribit clyſterem emollientem, ex decocto herbarum emollientium, ut pote ex foliis malvarum, violarum, branchę urſinę, betæ, parietariæ, mercurialis, &c. in cujus decocti ℔.j. diſſolvunt, vel ſacchari rubri, vel mellis violati, vel roſati uncias tres, lohoch de Caſſia, diaprunis, vel diacatholic. ʒ.j. ol. violati, vel roſati, ʒ.iij. vel iiij. ſalis communis addunt nonnulli p.j. Sequenti mane potionem purgantem porrigunt. De quibus formulas non ullas hic apponere decrevimus, maxime ne hic quicquam deſideretur.

Rec. Syrup. roſ. ſol. ʒ. iij. Mannæ Calabrinæ, ʒ. ij. Decocti flor. & fruct. cord. ʒ. v. Miſce, fiat potus.

Alio modo.

Rec. Rhabarb. el. ʒ. j. ß. Infunde in ſ. q. aquæ cichorii per noctem, in expreſſione matutina diſſolve Mannæ Calab. ʒ. ij. Miſce, fiat potus. Vel

Rec. Pulpæ Tamarind. ʒ. ß. Caſſiæ e ſiliquis extract. ij. fol. Sennæ, ʒ. ij. aniſi, ʒ.j. Bulliant ſimul in ſ.q. aquæ communis, clarificentur albumine ovi, & dragma una cremoris tartari, colentur per ſacchettum, & fiat potus calore, & ſapore gratus. Item præſcribitur, vel Manna in juſculo carnis, ad 2. 3. & 4. uncias.

Caſſiæ pulpa ſeorſum pariter exhibetur ad ʒ j & ʒ.j. ß cui vel ʒ. una, vel una & ß. Rhabarbari additur. Cum Electuariis ſic parantur potiones.

Rec. El. Diaphœnici, Elect. de ſucco roſ. an. ʒ. ij. Syrup. roſ. ſolutivi, ʒ. j. vel ij. Diſſolve cum decocto flor. & fruct. cordial. & fiat potus. Cum Diacatholic. Elect. Lenitivo, Tryphera Perſica, Confectione hamech, Electuario Diacarth. El. de citro ſol. El. de ſucco roſ. & c. parari poſſunt, potiones purgantes, quæ clarificari quoque poſſunt, & cum albumine ovi, & cum cremore tartari, eas per ſacchettum laneum percolando, ſic gratiores & palato, & oculis redduntur. Qui ſub fine cinnamomo, vel ejus oleo, item ſantalo citrino eas odore gratiores reddere cupiunt, iis liberum eſto.

Quando quis tres humores ſimul purgandos opinatur, potiones ſequentibus ſimiles præſcribit.

Rec. Fol. Sennæ ʒ. iij. aniſi. ʒ. j. agarici trochiſc. ϑ. iiij. Bulliant ſimul in ſufficienti quantitate aquæ Cichorii: in colatura diſſolve Elect. Diacathol. ʒ. ß. Syrup. roſ. ſol. ʒ. ij. Vel ſic:

Rec. Fol. Sennæ, ʒ, iij. aniſi, & Rhabarb. parum contuſi, Agarici trochiſcati, an. ʒ. j. Bulliant ſimul in ſ.q. aquæ communis, & colentur: in colatura diſſolve El. lenit. vel diacathol. an. ʒ. iiij. diaphœnici ʒ. ij. Miſce, fiat potus.

Præter ejuſcemodi formulas, alias prope infinitas excogitare poſſumus. Noviſſime recens quoddam inventum in Italia frequentiſſime modo uſurpatum habetur, quod appellatur Syrupus aureus, & fit ejuſmodi ſyrupus in ſola infuſione Julepi ex ſimplici ſaccharo facti. Ad hoc accipiunt foliorum recentium roſarum eo mane collectorum, rore matutino adhuc madentium, ℔.j.

pro

pro qualibet libra julepi parum tepidi. Unica infusione absolvitur syrup. cujus ʒ.ij.iij.aut iiij.plus efficaciæ præstant, quam multæ uncię syrupi comm. ex 9. infusionibus. Sunt qui pro dicto syrupo componunt quendam syrupum cum Manna, & Senna, falso dictam compositionem titulo aureo designantes.

CAPUT XV.

De tempore instituendi purgationem.

SI qua in re, maxime in hac requitur temporis opportunitas: purgatio enim apto tempore data, secura sanitas est; non apte vero, mors. Hippocrates in *primo Aphorismorum* tempus videtur determinare, dum dicit: Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ τὰ δὲ πλεῖστα ἐκ ὀργᾷ. *Concocta medicari oportet, & cruda non movere*, &c. Raro vero concocta est materia in principio morbi: Ideo ad Hippocratis normam, nunquam medentur ægris nostræ ætatis Medici, qui in omni morbo tam acuto, quam chronico, statim in principio quum accersiti fuerint, detrahunt sanguinem, humores purgant atq; repurgant, nulla expectata coctione. Præterea si scisciteris ab his, quid sit coctio, quibus cognoscatur signis, eos invenies non minus a seipsis dissentientes, quam in ratiunculis super hoc jactatis maxime discrepantes. Hic intelligendum est de coctione, quæ fit a natura, humorum excrementitiorum, tam in prima, quam in secunda, & tertia regione. Coctione humorum pravitas, feritas mitescit, & ubi ex allatis signis facta cognoscitur, nullis indiget remediis, quia natura jam victrix, quæ majora potuit, minora facilius consequetur. Sed dicant mihi quæso, an hac coctione crassiores, aut tenuiores reddantur humores, & undenam ad evacuationem dictorum humorum proclivitas? apud Hippocratem *lib.* 2. *Aph.* 9. verba sunt hæc τὰ σώματα χρὴ, ὅπως τις βούλεται καθαίρειν, εὔρυτα ποιέειν, *corpora cum quis purgare voluerit, liquida sunt facienda*. At non omnis materia coctione attenuatur, sæpius incrassatur. De turgentia humorum non minor perplexitas; impetus enim dictorum humorum non a se, sed a spiritibus, ut alibi annotavimus. Si consulas Danielem Sennertum *lib.* 2. *de febribus*, *cap.* 6. videbis ejuscemodi doctrinæ fundamenta labilia, & facile ruitura. Sed melius Joannes Manardus *lib.* 13. *epistolarum suarum*, *epist.* 1. *ad Bartholomæum Carandinum Mutinensem Medicum*, ubi fusissime de præparatione, & coctione humorum scribit. Inter multa; perpauca verissima protulit; dicens recentiores concoctionis nomine abuti, & quam concoctionem appellant, a vera concoctione longo distare intervallo. Quod enim vere concoquitur, ideo concoquitur, ut quantum fieri potest, simile evadat concoquenti; quod vero expulsioni paratur, quanto magis id patitur, tanto redditur animali dissimilius, atque ab ejus natura magis alienum. Addit postea, concoctionem fieri a natura, non ab arte expulsionem vero ab arte. Verum in his tricis diu immorari non contendo; altiora enim & certiora contemplamur. Qui venales pro suggestu de verbis declamare solent, ejuscemodi doctrinam non tam parvi faciunt, sed in ea exaltanda, tabularum adinstar, forum literarium longo strepitu implere non cessant. Superest modo de tempore, in quo humores purgare debemus; nihil enim hucusque statuimus. Verum primo quid sentiant de præparatione dicendum.

CAPUT XVI.

De præparatione humorum.

QUod ſupra de humorum coctione diximus, de eorum præparatione repetere non decrevi: ideo qui plura deſiderat, legat præcedens caput. Cui adderem, quid intelligere velint per præparationem, & forte quod dixit Galenus poſt Hippocr. dicentem, τὰ σώματα χρὴ, ὁκόσα βέλεται, &c. fluida enim facilius fluunt, quam tenuia, & omni lentore carentia. Et paulo poſt: *Tunc enim* (inquit Gal.) *purgatio bene procedit, cum humores craſſi, tenues facti fuerint, & tenaces inciſi, & meatus aperti, per quos tranſmittuntur.* Eſt itaque ejuſcemodi præparatio, inciſio, & attenuatio. An vero arte incidi, & attenuari poſſint humores, non videt, quia hoc eſt naturæ opus. Sæpiſſime acida, quæ putant eſſe maxime attenuantia, & incidentia, contrarium præſtant. Cryſtallus in pulverem reducta ſolius aceti beneficio priſtinam duritiem recuperat. Acidum vitrioli, & ſulphuris, multa liquida in lapidem cogunt. Sunt multi liquores, qui craſſitiem acquirunt, acidorum appulſu: Verum qui chymicarum operationum periti ſunt, rei veritatem vident: plus valet de viſu teſtis, quam centum auriti. Rurſus quis non videt operationes naturæ inviſibiles eſſe. Quod de calore effutiunt, jam pluries rejecimus; ſed de hoc alibi fuſiſſime dicturi ſumus.

Materia ex qua humores præparare contendunt, ſunt cunctis obvia, & alterantia vocantur: ea vel frigida, & humida dicuntur, vel temperata, vel calida & humida, &c. ſimplicia, vel compoſita: Verum cum ejuſmodi præparatio naturæ tantum opus ſit, indignum arbitramur ea recenſere. Nequid tamen hoc in loco deſideretur, quæ cenſentur uniuſcujuſque humoris præparantia, explicanda ſunt. Quod ad bilem, potiſſimam febrium cauſam, (ſic enim ipſi) ex his nonnulli extenuantia, & incidentia repoſcunt: alii contra reclamant, dicentes ipſam bilem ſatis eſſe tenuem, ſed potius incraſſandam; alii neque attenuandam, neque incraſſandam, ſed ſine ulla præparatione ipſam eſſe purgandam. Eſt recens opinio, quæ hanc, & illam damnat, neque eam attenuandam, ex eo quod dicta bilis ſit per ſe ſatis mobilis. Rurſus timendum, ne his calidis magis incaleſcat ipſa, & febris, & ſymptomata magis augeantur: & quod Gal. 1. *Aphor.* 24. dicit in acutis febribus de hyſſopo, & origano in aqua mulſa coctis, hoc non eſſe ob bilem, ſed ob meatus obſtructos ab humore craſſo. Quare ſine ulla præparatione dicunt bilem eſſe purgandam. Non minus falluntur, qui referunt, dictæ bilis magnum eſſe fervorem acrimoniam, & propterea dictas qualitates ad quandam mediocritatem eſſe reducendas, ne ſi ita fervida, & acris purgetur, in internis viſceribus ſeſe inſinuet, & aliquod damnum maximum excitet. Quapropter concludunt, bilem primo frigidis attemperandam, & ejus tenuitatem incraſſandam, antequam ipſa purgetur. In hoc ratiocinio, quantum ſit vanitatis, facile videre eſt: Putant operationes rerum in nobis fieri, pro capacitate ingenioli ſui. Quæ putant refrigerare, ſæpius contrarium præſtant. Non miſcentur res in viventibus, perinde atque in demortuis. Quæ intus ingeruntur, eo fine id fit ut in noſtri

alimoniam cedant: cum primum intus detrusa sunt, in ventriculo excoquuntur. Mutant naturam, antequam ad venas perveniant, quæ sanguini generando idonea sunt. Exsugitur a venis, quod est idoneum in chylo; quod est ineptum ad fæces stercorales demandatur. Jam videre est, quoties ipsa mutantur, quomodo in ventriculo putrescere incipiant cum acore gravi: deinde in intestinis tenuioribus omnino putrescant, & mutent naturam, ex quibus per mesaraicas educuntur, & per portam ad jecur deferuntur: ubi iterum elaborata, per cavam ad singula membra distribuuntur. Videant, si sapiunt, quoties mutentur intus assumpta, tum medicamenta, tum alimenta, si naturalem crasim servaverint, antequam ad sanguinem pervenerint. Ad ipsorum qualitatum permixtionem, satis abundanter nos dixisse supra arbitramur, ubi de calore & calido, item ubi de contrario, contrariisque qualitatibus. De digestione, & aliis humorum præparationibus nihil dico, cum per se adeo manifestæ sint, ut merito eas silentio involvere satis ducam, quam inaniter scriptis nostris interserere.

CAPUT XVII.

De reserandis obstructionibus.

DE obstructionibus, quas in febribus putridis primas tenere arbitrantur, tam Dogmatici, quam Jatrochymici, non modica est difficultas: Nam crassitiem, & coagulationem, quibus fit obstructio, non a se, sed ab alio fieri manifestum est. A calore, aut frigore statuunt Dogmatici, Jatrochymici a spiritu salis Qui a calore, aut frigore obstructionem fieri dicunt, per contrarium incedunt; qui a spiritu salis, per simile. Quibus addo virtutem, seu rationem seminalem, in ipso tamen sale, tanquam in proprio domicilio, hospitantem. Solvere ergo obstructiones, atque vias ab infarctu crassorum, & viscidorum humorum liberare, non est facile cum his, quę incidentia, & attenuantia appellant: ut sunt Acetum, syrup. limon. syr. Acetosus, de succis Citrii. Granatorum, syr. de Cichorio, Endivia, Acetosa, de radicibus, Oxymelita tam simplicia quam composita, &c. quæ medicamenta opinione potius, quam rei veritate comprehensa. Cocti, & præparati humoris, obstructis meatibus reseratis, requiritur purgatio, de qua in *capite præcedenti*. Sed his Dogmaticorum placitis præmissis, propria, & Jatrochymicorum sensa hic interserere volo.

CAPUT XVIII.

De vera, & legitima ratione purgandi in febribus.

PEccantem materiam purgare, idem esse ac morbum sanare, qui non admittit, multiplici modo peccat. Primo, qui purgat, & non tangit materiam peccantem, non modo non minuit morbum, sed naturam inutiliter defatigando, morbo incrementum præstat; natura enim nunquam victrix, ubi morbo inferior. Secundo, purgantia ubi non tangunt vitiosam materiam, humores innoxios educunt; unde sitis, ventriculi, & omnium naturalium partium imbecillitas. Tertio, ubi cathartica inutiliter adhibentur, cacoethia inducitur,

transpiratio inhibetur, & alia graviſſima ſymptomata; mitto inappetent iam, nauſeam, capitis dolorem, & alia a Meſue annotata. Quapropter ad febrem purgandam, omnino e corpore eliminari, fugarive oportet. Hoc vero præſtat multorum medicamentorum ſeries: & hanc e triplici penu depromere ſolemus Verum quia omnes febres non uno eodemque modo curari poſſunt, expedit Medico, ſingulas Tartari ſpecies cognoſcere, ut unicuique peculiare, & opportunum remedium adhibeat. Nec adhuc ſufficit, peculiarem tartareum cognoſcere, ſed & locorum proprietates; nam alio modo pellitur tartarus ventriculi, alio modo qui in inteſtinis, jecore, liene, renibus; tandem qui in venis, & carnibus. Qui in ventriculo generatur, facillime per vomitum ejicitur. Qui in inteſtinis, per alvum purgatur. Qui in ſanguine, partim per phlebotomiam, & partim per ſpecificum. Qui in habitu, ſive in carnibus, per diaphoretica. Hæc eſt vera, & legitima ratio purgandi in febribus. Materia, qua in hoc utimur, peculiarem requiritur indaginem. Modo ab univerſale quoddam deveniendum, quo in omni febre tuto poſſimus uti, maxime ubi notæ non ſunt peculiares tartari ſpecies, ſicuti ſupra monuimus: impoſſibile eſt enim ſingulas ſpecies cognoſcere, niſi longo tempore, & uſu.

CAPUT XIX.

Medicamentum univerſ. pro febribus putridis ex Tartaro vegetabili.

Rec. Centar. minor. cum floribus, ℔.x. fol. Acetoſæ, Cichor. Meliſſæ, Borag. Hederæ terreſtris, Cicerbitæ, Pimpinellæ, an. ℔.vj. Contundantur omnia ſimul, & in vaſe vitreo capaci bene clauſo, retundantur ſub fimo equino, ad menſem. Extilla poſtea per Balneum Mariæ. Primam aquam ſeorſum ſerva; ſicuti & ſecundam. Extremos ſpiritus ſenſim prolice, & hos reaffunde fæcibus toties quoties a fæcibus expirant. Fortiori igne tandem adacto, crementur fæces, ex quibus ſal extrahe cum ſecunda aqua, cujus medio ipſe pluries ſolvatur, & coaguletur. Doſis erit a ℈ j. ad ʒ.j. cum uncia una primæ aquæ. Et dicta aqua datur ſola, uſque ad duas & tres uncias ſingulis diebus, loco ſyrupi, Aliquando exhibeatur, una, vel duabus horis ante paroxyſmum.

Aliud Medicamentum febrile.

Ex Zingibere, infuſo in ſuff. quant. vini per 15. dies, & poſtea calore Balnei Mariæ per alembicum exugitur aqua, quæ ad uncias duas exhibita, una, aut altera hora ante paroxyſmum ipſum, mirifice ſublevat, & minuit. Præter iſthæc eſt noſtra Aqua febrifuga, de qua in noſtra *Pharmacopæa Spagyrica ſect.* 4. de aquis deſtillandis ejus deſcriptionem hic repetere placet.

Rec. Hederæ terreſtris cum fol. & radic. Apii item integri, Cichor. Acetoſæ, Centar. minor. an. M.vj. Macerentur triduo herbę omnes contuſæ, & per Balneum Mariæ proliciatur aqua, quæ recentibus herbis reaffuſa; iterum extilletur, ut prius. In dictæ aquæ ʒ. iv. ſi per noctem infundatur Magneſiæ Saturninæ calcinatæ, ʒ.ß. & mane coletur, fit aqua vere febrifuga: cujus doſis erit ʒ.iv. v. & vj. paulo ante paroxyſmum. Et quia non raro in ventriculo, inteſtinis, & primis viis venarum reperitur tartarus excrementorum: ideo purgans febrile dandum eſt. Inter quæ iſthæc pauca annotare placet.

Rec.

Rec. Rhabarb. electi ʒ.ij. Infunde in ʒ.v. aquæ Cichor. per noctem, cum tantillo Spicæ nardi, vel Cinnamomi. Facta forti expressione mane, dissolve Electuarii de succo ros. drach. tres, syrup. ros. uncias duas, Misce, fiat potus. Qui oculis, & palato consulere vult, clarificet cum drachma una cremoris tartari, tantillo albuminis ovi, & per sacchettum laneum trajiciatur. Vel

Rec. Extracti Esulæ ʒ.j. capiat mane, & desuper bibat parum jusculi carnis. Ubi temporis & loci opportunitas non fert, habendi extractum, capiat de dictę Esulæ radice ʒ.ß. vel integram drach. pro robustis, in pulverem, cum jusculo carnis. Pro Esula Tithymalus Cyparissias hic intelligitur.

Rec. Scammonium Chymice præparatum: ad 15. & 20. grana tuto exhibetur; & est purgans febrile eximium. Vel

Rec. Extracti rosarum, drachmam unam pro delicatis, pro robustis. ij. & iij. Blandum, & tutum est medicamentum.

Parantur extracta via, & composita, quæ Medici judicio relinquuntur. Quæ ex Cassia, Tamarindis, Rosis, Violis, parantur medicamenta, in plerisque febribus, & certis regionibus, ac æstivis diebus, non possunt satis laudari. Manna pariter non est parvi faciendum, etsi medicamentum sit flatulentum nimis.

De Sennæ Extracto, radice Mechoacan. Agarico, Jalappa, & similibus nihil dico; omnibus nota sunt: tantum ad hæc adhibenda, vere Medici judicium requiritur.

CAPUT XX.

De ratione purgandi per Vomitum.

NOn raro stabulatur in ventriculo, tartarea quædam materia, quæ commodius, & facilius per os, quam per alvum expurgatur. Ad hoc conducunt inter vegetabilia, radix Ellebori, Asari, Bryoniæ, item planta gratiolæ, & pleraque alia. Inter mineralia Vitriolum album, Turpethum minerale, Antimonium, Mercurius, &c.

In nonnullis febribus acutis, ubi ventriculus nausea premitur, nihil tutius quam exhibere semidrachmam Vitrioli albi, vel florum, vel vitri antimon. gr. iij. & iv. Item Asarum pulverisatum, vel ejusdem extractum, &c. In omni vomitu concitando, liceat post assumptum medicamentum, ebibere ad libram jusculi carnis. Sequenti die aliquando reiteratur. Vomitoria, quæ cum oxymelite, Aceto, Oleo, & Aqua tepida fiunt, nobis non probantur; neque illa, quæ cum semine Genistæ, Raphani, flor. Chamomillæ, & similibus.

Qui auctoritates consulere velit, adeat Hippoc. *lib. 1. Aphor. 21. & lib. 4. Aphor. 3. 16. & 17. & lib. de salub. diæta.* Item Avicennam 4. 1. *cap.* 18. Inter recentiores, Fernelium, Josephum Quercetanum, &c.

CAPUT XXI.

De aliis medicamentis, promiscue ad febrem.

CUm adhuc non sit compertum verum, & legitimum Alexipharmacum febrium, tamen multa sunt, quæ si non in totum ignem istum microcosmicum

micum extinguunt, eum nihilominus leniunt, reprimunt, & mirifice mitigant: de quibus nunc. Verum quia Chymicorum princeps, Theoph. Parac. genuinam febrium curationem adeo clare nobis pollicetur, cum primo in medium protrahere placet. Etenim ipse *lib.* 1. *de Tartaro, cap.* 9. dicit, curationem febris in cura Tartari contineri, & omnia medicamenta, quæ tartarum resolvunt, febres curare asserit. Et *lib.* 2. *de vita longa, cap.* 5. inquit: *De febribus breviter sic habeto. Principio fiat purgatio febrilis: deinde cura specifica, & minutio causalis, ita ut Diacelta tesson (ex Antimon.) præcedit secundum medicamen: nam hac purgatione pellitur omnis febris in materia peccante. Plerumque integram curam complectitur. Sin morbus in membra spargitur, sequitur continuo opopyron laudani, id quod febrim una cum dilatione propellit. Minutio autem sive salvatellæ, sive cephalicæ, sive ea quæ per spinam dorsi fieri consuevit, materiam peccantem in sanguine, idque intra cutem, & carnem tollit, &c.*

In ardoribus nonnullarum febrium, haustus aquæ cum guttulis iv. vel v. ol. salis decrepitati, ol. vitrioli, ol. sulphuris per campanam mirifice juvat. Tinctura rosarum cum supradictis ol. acidis facta, & in suff. quant. aquæ frigidæ data, ardorem pariter febrilem reprimit.

Nitrum rite præparatum ardorem febrilem pariter egregie compescit. Sal, quem appellant prunellæ, idem præstat. Extat Crollii haustus elegans.

Rec. Ol. Vitrioli, ℈. j. salis absinthii, ℈. j. & ℔. aqu. Cichorii, ℥. j. Misce, fiat potus. Detur paulo ante paroxysmum.

Idem Crollius scribit, pulverem ex longis testis Cochlearium, quæ prope lacus, & piscinas reperiuntur, antidotum esse adversus febres. Ejusmodi pulverem præparat cum aceto, eas infundendo in dicto aceto per noctem; & ab his mucorem, quem contraxerunt, diligenter abradendo cum scopis ferreis, quibus aurifabri utuntur: postea testas illas oblongas calcinando, incinerandoque ad albedinem, ac pulverizando. Dosis a ℈. ij. ad ʒ. j. Bis, vel ter reiteratur. Sudorem movet, si maneant in lecto.

CAPUT XXII.

De medicamentis in genere, pro Tartaro tam animali, quam minerali.

TRiplici alimentorum genere nutriri hominem, alibi demonstravimus: triplici pariter excrementorum genere ipsum divexari diximus; ad quæ, natura nimis provida, præsidiorum quoque totidem genera adinvenit. Superius, vegetabilia quædam brevi spatio connotavimus: Quæ animalia respiciunt, aut saltem dubiæ naturæ sunt, in *proximo capite* indigitabimus. Quæ modo mineralium sortem nacta sunt, describere aggredimur. Præcipuum, & fidissimum febrium rhizotomos est vulgare stibium; & hoc veluti alter Protheus, varia induit vestimenta, pro conditione Medici propinantis, & natura ægrotantis. Quid id jamdudum in usum vocarunt, modo satis crasso dederunt, de quo Mathiolus, qui mos ad tempora nostra usque duravit. Viam tamen antea præmonstraverat, Theoph. Parac. At quia præparationes legitimas subticuerat, factum fuit, ut pro legitimis, vitrum substitutum fuerit.

Est

Est modo ars magis culta, quæ pro febribus præsentes adinvenit.

Flores Antimonii, tam albi, quam rubri, præstantissima sunt cathartica in omni tartaro minerali. Dantur per se ad tria & quatuor grana: miscentur cum quavis re, vel saccharo rosaceo, aut conserva quavis. Macerantur & in vino, vel in quovis alio liquore. Parantur & ex his syrupi, julepi, pilulæ, rotulæ, & trochisci. Dantur mane 4. vel 5. horis ante prandium: hora 1. post, ad faciliorem vomitum provocandum, datur haustus 1. jusculi carnis.

Flores itidem, qui fiunt ex butyro Antimonii; in aqua communi præcipitati, & postea loti, idem præstant.

De ejusmodi medicamenti præstantia, licet consulere recentiores Medicos, eos maxime, qui propria experientia Medicinam ditarunt, uti Mathiolum, Quercetanum, Hartmannum, Crollium, &c.

Sunt alii flores per alvum purgantes, de quibus vide Hartmannum, tam *in Crollium*, quam in sua *practica jatrochymica*. Præterea sunt flores jam dicti fixi, qui diaphoretici appellantur, de quibus Jatrochymicos consule.

Vitrum Antimonii suo non caret usu: etenim in tartaro fugando tam ex ventriculo, quam intestinis, datur similiter a tribus, 4. 5. & 6. granis; vel in potu cum quovis liquore, vel in forma boli, cum quavis conserva. Jusculum carnis hora una post exhibeatur, ad facilitandum vomitum.

Præparatio Antimonii cum æquali portione salis nitri, Crocis metall. immerito dicta, facta ut diximus in *nostra Pharmacopœa Spagyrica*, purgat blande omnem tartarum, existentem in prima, & secunda regione corporis.

Fit & Calix vomitorius cum Regulo Antimonii, in quo calice manet vinum per noctem, ad unam, aut duas uncias: Parantur & pilulæ, cum dicto regulo. Formentur dictæ pilulæ, sicuti formantur pilæ parvulæ plumbeæ, in formam earum, quibus utuntur in sclopetis parvulis.

Vel pulvis ad 7. aut 10. grana infusus per noctem in vino: Datur vinum mane colatum. Eadem præstat, paulo cæteris vehementius.

Medicamentum istud perpetuum est: nam sive Calix, sive Pilulæ, sive Pulvis, nunquam virtutem amittunt.

Ex Vitriolo datur vomitorium præstantissimum. Ex eo fit sal aptissimus. Album Vitriolum citra ullam præparationem idem præstat.

Mercurius inter medicamenta, quæ adversus febres parantur, non infimum tenet locum. Qui a Joanne Hartmanno describitur in sua *Practica Chymiatrica*, sub titulo Mercurii laxativi, novis maxime arridet.

Mercurius quoque albus, de quo in nostra *Pharmacopœa Spagyrica*, & apud dictum Hartmannum.

Item Mercurius cum Auro, quem in *loco citato* docuimus, & apud dictum Hartmannum adinvenimus, nobis quoque probatur.

Mercurius per se præcipitatus, de quo in nostra *Pharmacopœa Spagyrica*, omnes alias præparationes excellit. Dosis & usus doctis facile innotescit. Ad tria, 4. 5. 6. usque ad 10. grana, porrigitur.

Ex argento puro fit pariter medicamentum purgans, de quo in *loco citato*.

Ex

Ex plumbi ſale purgans pariter reducitur, ſed ejus uſus exercitatum non loquacem requirit Medicum.

Ex aliis mineralibus, & metallis, educuntur medicamenta, tam alterantia, quam purgantia. Qui dictorum mineralium, & metallorum conſonantiam, quam habent cum noſtris humoribus, cognoverit, poterit ex ſe comprehendere uniuſcujuſque virtutem & poteſtatem.

Inter præſtantiora, unicum & omnium ſaluberrimum medicamentum uſurpare ſoleo, a Quercetano in *ſua Tetrade, cap.* 31. deſcriptum in hanc formam,

Rec. *Florum rubrorum Antimonii, unc. iv. florum Sulphuris ſublimatorum ad perfectam albedinem, unc. iij. Miſceantur cum duplo colchotaris Vitrioli Ungarici aut Cyprii, ac terſublimentur, habebis flor. rubicundiſſimos, ſi bene operatus fueris. Hic cum aciditate Vitrioli Veneris primo, deinde cum Saturni æthereo Spiritu eſſentificentur. Huius* (inquit) *eſſentificationis ſi callueris artem, medicinam ſuſcipiendam concinnabis, verum Antidotum Lyſipyretòn, omnis generis febris, peſtiferas etiam, ſedantem ac extinguentem, ſi ad iv. aut v. guttas de ea, ex idoneo liquore propinaveris.*

Aliud non minus præſtans.

Rec: Minervæ, ſeu Marcaſitæ Saturni Philoſophici, partem unam: Salis Balſamici rite præparati, partes quatuor, Terantur fortiter invicem, & retortæ vitreæ luto ſapientiæ probe munitæ indantur. Per furnum venti, ſpiritus elice in recipiente amplo, & capaci. Materiam e retorta educta in aceto acerrimo ſolve, & tincturam extrahe, aceto fæcibus pluries reaffuſo: Tincturam ab aceto ſegrega cum ſpiritu vini; hanc pluries cohoba in fimo equino, & vaſe ad id opportuno. Reſiccatæ tincturæ dantur gr. 5. 6. ad 10. in quovis liquore, paulo ante paroxyſmum, quavis hora & quovis tempore. Ardores extinguit & omnia ſymptomata ſedat, ſæpe intra unam, aut 2. horas.

Bezoar minerale in febribus non eſt ex infimis, ſudorem movet, & tranſpirabile reddit corpus. Sitim pariter extinguit, & ardores reprimit, alvum lubricam reddit, & omnem humorum acrimoniam corrigit. Eſt aliud Bezoardicum auri de quo alibi.

Formicarum aquam a Joanne Hartmanno deſcriptam in *Practica Chymiatrica*, etſi experti non ſumus, quia tamen a viro docto deſcriptam habemus: ſatis laudare non poſſum, eam vero ſic deſcribit.

Rec. Aq. fragorum, Centaurii minor. an. ℔.ij. Mellis albi, ℔.iij. M. in cucurbita detruncata, eamque ſine integumento in acervo formicarum ſepeli uſque ad ſummitatem, & formicæ confertim admodum irruent in vaſculum dulcedine mellis ſcilicet allectæ. Poſt collectam harum ſufficientem quantitatem exime vas, omnia invicem probe mixta agitando: per alembicum ex cineribus eliciatur aqua, quæ diligenter ſervanda. Doſis ejus eſt, in principio paroxyſmi, Cochlear ß. ad ſummum. Hæc aqua (inquit) interdum vomitum movet, & vehementer; ideo videndum, an æger ad vomitum ſit aptus. Idem Auctor Aquam Tabaci proponit, quam probare, nec reprobare poſſum, cum de ea nullum habeam uſum.

Aluminis dulcedo, uti in noſtra *Pharmacopœa* deſcribitur, *cap. de Alumine*,

ne, insignem potestatem obtinet extinguendi febres. Datur a drach. ß. ad dr. j. cum jusculo carnis.

Narcotica pleraque in quibusdam febribus, optima sunt, ut alibi notavimus. Paramus vero Laudanum ad hunc effectum, in hanc formam.

Rec. Opii Thebaici præpar. unc. ij. succi Veronicæ, florum Papaveris erratici, an. unc. iij. Liquetur opium in succis, & inspissetur lento igne in formam extracti: cui adde pulv. lapidis Bezoar, smaragdorum more nostro præpar. an. drach. iij. Bezoar. mineralis, unc. ß. magisterii unionum drach. j. Ambræ grisea. moschi, an. ℈ j. Misce, fiat massa, de qua dentur grana 10. 12. & 15. Sunt alia prope infinita, quæ brevitatis gratia omittimus.

CAPUT XXIII.

De curatione febrium in specie, juxta communem medendi methodum.

HActenus de curatione febrium in genere tractavimus; nunc in specie dicendum videtur. In præcedentibus vero de triplici Tartari genere, causa febris, e corpore eliminando, & ejus ardore compescendo, egimus, brevi compendio quatuor humoribus prius expositis. Species, quas communis schola docet, in principio quoque aperuimus, & quas putridas, & non putridas vocet, enarravimus, continuas esse & intermittentes diximus, earum causas, indicationes, & prognosin tetigimus. Superesset modo de uniuscujusque speciei curatione differere, primo juxta communem medendi methodum. Non est difficile cognoscere, quæ particularis cura conveniat unicuique speciei, etenim ut in genere agitur de quatuor humoribus; tum purgandis, tum alterandis, ita etiam in specie. Et ut a synocho incipiam, sola sanguinis missione, & frigidæ potione curatur. De detractione sanguinis ad lipothymiam dissentiunt infiniti, ne una cum febre juguletur homo. Ad hoc præmittere solent Clysterem emollientem in hanc formam.

Rec. Decocti communis clysteris, ℔. j. lohoch de Cassia, vel Diapruni, vel Diacatholic. unc. j. vel unc. j. ß. mell. & ol. viol. an. unc. iij. salis communis, p. j. Misce, fiat Clyster.

Quæ tundenda sit vena, parum refert; omnes enim venæ ab uno eodemque ramo dimanant. Pro aqua frigida nostrates aquas stillatitias Cichor. Endiviæ, Borag. Acetosæ, & similium propinant, vel solitarias, vel cum syrupis acetosi simpl. de succo limonum, &c. vel decocta earundem herbarum, cum liquir. hordeo, uv. pass. &c. Nonnulli aquam hordei simplicem, in nive, aut in loco frigido asservatam.

In Putri synocho eadem via incedunt, & easdem indicationes sibi proponunt, causæ videlicet remotionem, & caloris febrilis extinctionem Sanguini putri prospiciunt per venæ sectionem, & per evacuationem, præmisso semper Clystere. Et quia incusant bilem simul cum sanguine putrescentem, ideo medicamentum cholagogum in hunc modum præscribunt.

Rec. Rhabarb. el. ʒ. ij. pulpæ Tamar. ʒ. ß. Bulliant simul in s. q. Aquæ Cichor. In colatura dissolve syrup. ros. sol. ʒ. 2. vel 3. vel Mannæ Calab. ʒ. ij. Pro alterantibus,

tibus, dictis aquis utuntur, vel eorum decoctis cum ſyrupis acidis.

De cauſo, ſeu febre ardente, quam alii tertianam continuam appellant, eo quod ex eadem materia fieri exiſtiment, quicquid de ejus diſcrimine garriant noſtrates, & multis hinc inde deductis ſermocinationibus, curam non eſſe diverſam a quavis febre bilioſa obſervamus. Totum negotium pariter pendet ab evacuatione humoris bilioſi, & extinctione caloris febrilis. Ad id, ut in omni febre, Chirurgia, Pharmacia, & Diæta utuntur. Major pars Medicorum præmittit Phlebotomiam, Clyſtere præmiſſo. In ea celebranda, alii ſunt liberales, & maximam fundunt ſanguinis copiam; alii non ita audaces, malunt mediam tenere viam. De opinionum varietate & inconſtantia, non eſt ut dicam, ne eandem recoquere cramben videar. Detracto ſanguine, mane ſequenti potius purgans infirmo porrigitur. Formulæ potionum a ſupradictis non diſcrepant; ne quid tamen hic deſideretur, ſubſequentes apponere voluimus.

Rec. Pulpæ Caſſiæ recenter extract. ʒ. j. vel ʒ. x. cum Saccharo fiant boli. Eadem pulpæ addi poteſt Rhabarb. ʒ. j. ad ʒ. j. ß. Ex eadem Caſſia paratur potio in hanc formam.

Rec. Caſſiæ fiſtulæ, ʒ. iv. fol. Sennæ ʒ. iij. Aniſi ʒ. j. Tamar. ʒ. ß. Bulliant in ſ. q. aquæ commun. clarificentur omnia albumine ovi, & cum ʒ. j. cremoris tartari, trajiciantur per ſacchettum, & fiat potus. Vel ut hic fit:

Rec. Syrup. roſ. ſol. ʒ. iv. vel v. decocti fl. & fruct. ʒ. ij. Miſce, fiat potus brevis. Vel cum Manna Calab. ab ʒ. ij. uſque ad v. Vel

Rec. Syrup. roſ. Mannæ Calab. an. unc. ij. cum decoct. fl. & fruct. cord. q. ſ. fiat potus. Sunt qui ſerum lactis propinant, in cujus ℔. j. vel ij. diſſolvunt Mannæ, vel ſyrup. roſ. ſol. ʒ. 2. vel ʒ. Nonnulli accipiunt El. lenit. alii Diacathol. El. de prunis ſol. &c. Tandem quot capita, tot ſententiæ. Purgato corpore hiſce lenientibus, ad ſyrupos refrigerantes, & humectantes ſe convertunt, male arbitrati, relictos pravos humores, eorum medio attemperari, & mitigari. Ejuſmodi formulæ tales ſunt.

Rec. Aqu. Cichor. Acetoſ. Borag. an. ʒ. ij. Syrup. Acetoſi ſimpl. vel de ſuc. lim. ʒ. j. Miſce pro ſingula doſi. Vel accipiunt fol. Cichor. Cicerb. Lactuc. Endiv. Borag. Acetoſ. an. M. i. Bulliant in ſ. q. aquæ hordei. Nonnulli addunt fl. Viol. ſem. 4. frig. an. ʒ ß. In hujus decoct. unc. vj. diſſolvunt ſyrup. Acetoſ. vel de ſuc. Roſ. ʒ. j.

De ſpiritu, & ol. Vitrioli, ſicuti & de ſero lactis, albi diſſerere conſtituimus.

Exhibitis ad 7. & 9. dies dictis potionibus refrigerantibus, reiterant prædicta purgantia, quibus addunt aliquid de ſequentibus Electuariis, uti de ſucco Roſ. Nicol. Trypheræ Perſicæ, Diaphœnici, & ſimilibus.

Hic in omni febre ardenti, & continua, cardiaca propinant, maxime veſpertinis, & ſerotinis horis: & hic omnes febres appellant malignas, & peſtilentes, propterea in omni febre continua, dicta Cardiaca uſurpant. Hic uſitata ſunt Confectio Hyacinth. Conf. Alkerm. Spec. Diamarg. frig. & de Gemmis. Simplicia ſunt Lapis Bezoar, Smaragdus, Uniones, Contrajerva, ſem. Citr. ſcordium, & ſuccus Acetoſæ. Hæc miſcere ſolent cum aliis ſuccis, aut cum juſculo carnis, pulveres cum conſerv. florum citr. Viol. Borag. &c.

Julepus gemmatus inter præcipua cenſetur arcana. Ejuſdem valoris ſunt nonnullæ aquæ, cum dictis cardiacis factæ.

Dum

Dum hæc interius peragunt, exterius isthæc admoventur.

Rec. Ol. florum Citr. q. s. inungatur regio cordis frigide, nec expiret odor, in quo præcipua vis. Vel Ol. Scorpionum compositi Mathioli Regio ventriculi inungatur oleo Absinthii, cum oleo nucis moschatæ.

Epithemata regioni cordis admovent nonnulli ad quæ usurpant.

Rec. Specierum Diamargarit. frigidi, unc. sem. Pulv. santal. rub. & alb. an. drach. ij. Aquarum Borag. Melissæ, Lactucæ, an. ℔ j. Aquæ rosarum ℔ ß. Miscentur pro Epithemate. Vel sic:

Rec. Specierum Diatrium sant. Diamarg. frig. an. unc. sem pulv. ros. drach. ij. moschi, & Ambræ grisæ, an. gr. 4. Aquæ florum Citrii, Rosarum an. ℔ ij. Vini albi unc. iv. Misce pro Epithemate: Vel alii admovent.

Rec. Conf. Viol. Conf. Borag. Conf. Nenuph. an. unc. j. Conf. Alkermes, spec. Diamargariti frigid. an. drach. ij. Misceantur simul, & extendantur super petiolam lineam, & admoveantur regioni cordis.

Capiti admoventur frontalia, si adsit ingens, vel solo oxyrrhodino inungitur frons. Hæc potiora sunt, quæ exterius admoveri solent. Interim de Chirurgicis sola phlebotomia non sunt contenti; etenim, ubi de revulsionibus cogitant, Cucurbitulas scapulis admovent cum scarificationibus. Ubi non solum de derivandis humoribus a capite, sed etiam de diminutione atræ bilis cogitant, hirudines podici admovent. Ubi atrox est dolor in capite, neque cucurbitulæ, neque podici admotæ Hirudines prosunt, pone aures, & ad nares applicari curant.

Ubi pertinax est febris, & fortioribus revulsionibus opus esse judicant, Cantharidum pulverem, cum fermento acri, brachiis, cruribus, aut tibiis apponunt. Sunt qui ejuscemodi crucibus, non contenti, Cauteriis actualibus nucham, vel synciput inurunt. Frictiones nonnulli fortes, etiam cum sacculo salis, in usum advocant. Tandem sunt ægrorum tormenta, quot opinionum fluctus, ejuscemodi Medicorum mentes exagitant. Hæc est cura, quæ in Causonide, continua biliosa, & ardenti febre fit. Quæ vero in ea fiat, quæ ab his maligna, & pestilens dicitur, examinabo: postea de Tertiana notha, Hemitritæo, &c. Quoad earum curam, eam ab his, quas supra diximus, parum diversam esse, satis videre est, etsi subtili, & prolixo nimis ratiocinio, de salsa pituita, & atra bile loquantur. Quoad qualitatem malignam, sive occultam, satis nostram ignorantiam denotat. Malignam febrem interea a pestilenti distinguunt, & dicunt malignam cacoethia, pravaque habitudine perniciosam esse; pestilentem, non cachoetia, sed contagio multos perimere. Pestilentem rursus pluries interimere, & brevi; malignam, nec tam cito, nec tam multos. Sed de his paulo inferius.

Tertiana, (quam notham appellant) etsi magna contentione diversam constituant, sola mixtione pituitæ, & humores melancholici, eam differre autumant: Unde cura tantum erit diversa ab exquisita, per solam mixtionem medicamentorum purgantium pituitam, & melancholiam, uti Agaricus, & Turbith, Senna, & Epithym. Sunt qui addunt radices Mechoacan. Jalappa, & similia; sicuti.

Rec.

Rec. Rhabarb. el. ʒ. j, ß. Agar. trochiſc. ʒ. j. Infunde per noctem in ſ. qu. decoct. fl. & fruct. cum Senna. In expreſſione diſſolve El. Diacathol. ʒ. ß. Syr. roſ. ſol. ʒ. ij.

Purgatis dictis humoribus, & ſanguine fuſo e brachiis, uti mos eſt, ad refrigerantia, & humectantia ſe conferunt, & ſupra nobis dicta uſurpant. His quidam addunt radices aperientes, uti fœniculi, apii, ruſci, aſparigi, graminis, &c. cum herbis betonicæ, capill. ven. abſinth. agrimon. ceterach, fumariæ, cum paſſulis, & liquir. Hæc omnia coquunt in ſuff. q. aquæ communis: colatura dulcoratur ſacharo, clarificatur albumine ovi, & aromatizatur, vel Cinnamomo contuſo, vel Santalo citrino: & fit Apozema, de quo dantur unc. vj. pro ſingula doſi. Mitto rotulas diarhodon. Abb. Aromatici, roſati, Diatrium ſantal. & conſervas roſarum, violarum, borag. beton. &c. tanquam inutilia. Item Julepos Byzantinos, de 2. & 5. radic. tum ſyrup. cichor. ſimplici, & compoſito.

Quotidiana cenſetur orta a pituita. Hæc multorum judicio non datur, & quæ quotidie venit, eam cenſent eſſe vel duplicem tertianam, vel triplicem quartanam. Id quod facile crediderim, cum eæ, quæ tales cenſentur, dictarum tertianarum, & quartanarum ideam plane repræſentent. Sed demus tales eſſe, cura eſt, per phlegmagoga, per phlebotomiam, & per humectantia, & refrigerantia. Inter phlegmagoga, vomitoria proponunt. Præcipua phlegmagoga ſunt, Agaricus, Turbith, Mechoacan. Trochiſc. Alhandal, Diaphœnicum, Diacarthamum, &c.

Tertianam intermittentem eandem habere materiam cum tertiana continua, fatentur omnes. Intermittens alternis diebus ſuos reperit paroxyſmos, quos rigor maxime excipit. Sedem non in venis majoribus, ſicuti continua, habet, ſed in præcordiis, ut inquit Fernel. circa ventriculum, diaphragma, jecoris cavum, lienem, &c.

Cura dictæ febris, a tertiana notha, de qua ſupra, non eſt diverſa; item, ut tertiana continua, diminutionem materiæ biliioſæ requirit, ita præſens tertiana intermittens. Sunt qui dubitent, an die acceſſionis miſſio ſanguinis, aut purgatio inſtitui poſſit? Omnium conſenſus eſt, die laboris neque purgationem, neque phlebotomiam præſcribere. Et cum eaſdem indicationes habeat cum aliis febribus, materia biliioſa expurgata, ſanguinem detrahunt ad refrigerandum ſanguinem, humectantia pariter & refrigerantia porrigunt. Et quia in primis viis, & in melaraicis dicunt materiam peccantem ſtabulari; ideo nonnulli optimum putant, a vomitoriis curam incipere, quanquam in Italia hoc minime admittant, neque in majori parte Galliarum. Hac de re lenientibus curam auſpicantur, quibus primæ viæ a ſordibus repurgantur. Qui vomitoria uſurpant, his potiſſimum utuntur, quæ paſſim in aliorum libris reperiuntur, de quibus alibi. Lenientia ſupra narravimus, ubi de tertiana, continua, & notha. Primis viis repurgatis, ſanguinem detrahunt, ad 6. 9. aut 12. uncias. Perpauci, imo nulli a phlebotomia abſtinent; nec viderentur eſſe Medici, ni ſanguinem funderent. Detracto ſanguine, Julepos, Syrupos, & Apozemata humectantia, & refrigerantia porrigunt.

Tempus detrahendi ſanguinem, multi cenſent opportunum eſſe, poſt tertium paroxyſm. alii ante, prima regione tamē prius purgata. Die potiſſimum quietis,

ad

ad quantitatem quatuor, quinque, aut ſex unciarum. Quo peracto, humectantes,& refrigerantes ſyrupos, julepos,& ſimiles porrigunt,ut ſupra diximus, quas formulas pariter in cura tertianæ continuæ deduximus.

Victus rationem in his tertianis, tam continuis, quam intermittentibus,eandem eſſe obſervamus, humectantem & refrigerantem ſemper præſcribunt. Circa ciborum conditionem tantum variant pro regionum varietate. Antiqui vero alio, & ſatis diverſo ab eo, quo nunc, utebantur regimine, ut videre eſt apud Hippocratem, & Galenum.

Antiqui febricitantibus præſcribebant Hydromel, Oxymel,ptiſanam, & cremorem ptiſanæ. Hodie non ſic, at loco ſupradictorum, juſcula,emulſiones,hordeata, panatam, & ſimilia præſcribunt. Juſcula carnis Vitulinæ,vel pulli, vel ipſa ſolitaria,vel alterata cum Cichoraceis, Endivia,Lactuca, Acetoſa, Borag. &c. In multis locis ova ſorbilia, vel cum juſculis ſoluta porrigunt; in nonnullis locis ab ovis, tanquam a calidis, & contrariis abſtinent. In quibuſdam locis lacte amygdalarum cum ſaccharo paſſim utuntur; hic ab ejuſmodi lacte omnino abſtinent: & pro ipſo uſurpant lac, ſeu emulſionem ſeminum melonum i. In potu aquam hordeaceam, & aquam coctam,cum Vino Ceraſorum, aut Granatorum uſurpant. In Gallia, aqua, in qua incoxerint hordeum, cum prunis ſiccis, & liquiritia, utuntur frequenter. Sunt qui acido citrii condito cum aqua cocta: ſunt qui ſyrupo de ſucco limonum; ſunt qui ſyrup. acetoſo ſimpl.utantur: quot capita, tot ſententiæ! Tempus cibandi debet eſſe,longe ab acceſſionibus, & tantum ante acceſſionem, quantum ſufficere videtur ad concoctionem, & diſtributionem cibi; aut expectanda eſt acceſſionis declinatio, ne protrahatur acceſſio. Habenda tamen eſt ratio virium. Conſuetudo ægri,regionis conditio, & tempeſtatis qualitas ſummopere conſideranda veniunt. Sed hæc breviter dicta ſint pro cura Tertianæ febris: nunc de Quartana febre.

Quartana febris omnium contumaciſſima, Medicorum curam omnino ſpernit,& revera Medicorum opprobrium eſt. Hæc non ut cæteræ febres ſponte evaneſcit: vel enim artem requirit, vel longiſſimum tempus. At quæ ars cum invitis Medicis ad præſtitutum finem properare vult? Non ſat eſt Melancholicum humorem purgare, ipſumque ad nauſeam præparare: jugulare,potius ægrum purgando,quam ut tantillum febrem imminueres. Deobſtruentia, attenuantia, incidentia, & detergentia porrigant, quantum velint;humectent pariter, & refrigerent, quantum poſſunt, nihil plane efficient.

Diverbium Gallicum hic maxime locum habet:

En la fievre, & en la goute:
La Medicin ne void gautte.

Nos hic, quam communiter uſurpent curam, afferamus.

Principio emollienti Clyſtere alvum ſubducunt. Sequenti die potionem leviter purgantem exhibent, in hanc formam:

Rec.Fol.Sennæ Orientalis,dr.iij. Aniſi,dr.j. Bulliant in ſ.q.aquæ communis: In colatura diſſolve Diacathol.unc.ſem.Syrup.roſ.ſol.ℨ.ij.Miſce,fiat potus.Vel

Rec.Mannæ Calab.Syrup.roſ.ſol.vel de Polypod.an.unc.ij.cum decoct.cord. q.ſ.fiat potus. Tertia die venam in brachiis ſecant, & ſanguinem ad v. vj.

aut x. uncias fundunt. Basilicam, vel medianam seligunt, & in brachio sinistro. Detracto sanguine veniunt ad Julepos, syrupos, & Apozemata attenuantia, incidentia, & detergentia. Præparantibus, concoquentibus exhibitis, purgationem reiterant: & quidam sanguine e salvatella, seu vena minimo digito proxima in sinistro brachio, detrahunt; alii e venis sedalibus, quas hæmorrhoides appellant. Medicamentum istud purgans fit ex iisdem supradictis, addito Elect. de Citro, syrupis de Fumaria, de Polypodio, &c. Et cum nulli ex his cedit remediis, Oxymel longum ad tempus præscribunt. Jusculæ item alteratæ cum rad. aperientibus, foliis Cichorii, Capill. Ven. Melissæ, Pimpinell. Absinth. Chamædryos, Chamæpithyos, Centaur. min. &c. Ex quibus Apozemata etiam, & Oxymelita præparant. Sunt qui ad vomitoria veniunt, & duo potissimum exhibere solent, Asarum, & Antimon. De Asaro 3. j. ℈. iv. in pulverem, cum jusculo carnis, vel cum vino. De Antimonio, ad gr. iij. iv. aut v. pariter cum jusculo carnis, vel cum vino. Multa brevitatis causa mitto, quæ appropriata appellant, eo quod traditæ experientiæ non respondeant. Topica etiam prætereo, etsi vesicatoria quibusdam aliquando profuerint, ut cortex medianæ flammulæ, radix ranunculi, & similia, quæ carpo admota sæpe sanant, vesiculis eo in loco excitatis.

De diæta pauca sunt dicenda: vitandi sunt cibi mali succi, crassi, visedi, crudi, & omnes difficilis digestionis. Potus sit vinum album, tenue, maturum, non austerum, &c.

De compositis, implicitisque febribus variis varie disceptant: Nos, qui brevitati studemus, & hoc in loco nudi transcriptores sumus, recentiorum placita recensebimus. Pro compositis implicitisque febribus, febres intelligimus, quæ simul combinatæ, diversos producunt paroxysmos, & uno, atque altero die varia producunt symptomata, modo cum rigore, modo cum horrore. Sed de his disputat Fernelius, post eum omnes moderni: utinam de earum cura diserte scripsissent.

CAPUT XXIV.

De semitertiana.

NUlla est febris, quæ magis Medicorum mentes suspensas teneat: Ea nunc tertianæ formam in principio servat: modo tanquam continua incipit, & in Semitertianam desinit; vel primis diebus sit talis, & in hac forma perseverat. Hæmitritæus dicitur, sesquitertiana, & horrida febris. De ejus mixtione cum quotidiana, inter recentiores lege Spigelium in *peculiari libro de semitertiana*, item Sennertum. Sed maluissem ab his ejus curam intelligere, quam tot verba inaniter jactata. Etenim quicquid de bilis cum pituita mixtione dicunt, meræ sunt opiniones, sublevandis ægris plane inutiles. Ecquid fingis tibi mille miscendi modos? quid inde? Phlegmagoga cholagogis misce, quantum voles, quibus melanagoga ad libitum addas, nihil efficis, caput Æthiopis lavas: non modo levamen nullum afferunt ægris, sed afflictionem afflicto adjicis. Nolo in re tam clara quempiam monere, saltem hoc in loco vellem Medicos humaniter

se

se gerere erga infirmos,& eos blande, ac fideliter curare,& sævitiem, qua plerique ex his utuntur, deponere. Novi quosdam, qui non sola phlebotomia, & purgatione contenti,carnificinam potius in dictos ægros exercent, quam Medicinam. A cucurbitulis incipiunt, languisugas ano apponi curant, naribus aliquando, vesicatoriis ex Cantharidibus studiose utuntur, & plurimum in fine, quando conclamata est salus. Verum,quod pejus est,nonnullis morientibus,vidi candens ferrum futuræ coronali,& nuchæ apponi, & hos carnifices pro magnis Medicis haberi. Aliquando interrogabam senem Medicum, cur similes cruces in usum advocaret, cum optime sciret, consimilia tormenta plus damni, quam utilitatis afferre? Responsum tulit, id vero se non ignorare, sed ad hoc adstrictum teneri propter consuetudinem,& ut officiosus appareret coram cunctis, maxime amicis, & parentibus. Sed ad nos. Dicimus ergo curam ejuscemodi febrium a supra allatis non esse diversam, & quod dictum fuit de simplici quartana, item de duplici, & triplici quartana, item de tertiana duplici, dictum esto.

CAPUT XXV.

De febris Hectica curatione.

HEcticæ febris essentia, si veraciter nobis esse tradita, ejus curatio omnium esset facillima, maxime ubi Medicinæ dogmata veritati essent consona. Etenim si ejuscemodi febris sit simpliciter intemperies calida & sicca, ut omnis febris, & solo subjecto,cui inhæret, differat: cur non frigidis & humidis, ipsi contrariis, adhibitis, non evanescit? Frigida incusantur, si nimia, quia verentur,ne debilem calorem extinguant. Humectantia non sufficiunt,quia non solum humectare oportet, sed & refrigerare necesse est. At ad quid ejusmodi ratiocinium? Practicantium infelices eventus rei veritatem satis probant. Verum ne ab instituto discedere videar, communem methodum demus. Itaque ad ejus curationem aggrediendam, tradunt ejus tempora esse consideranda. Ejusmodi tempora per tres gradus supputantur. In primo, eam esse cognitu difficilem, & curatu facilem, quod nos ipsis gratis concedimus; in secundo, curabilem; in tertio, omnino incurabilem. Medicamenta ad eam curandam duplicia sunt, quæ simpliciter humectantia & refrigerantia appellantur: uti Violæ, Borrago, Buglossum, Nymphea, Rosæ, Endivia, Lactuca, Cichor. sem. 4. frigid. maj. sem. Papav. amygd. &c. His præmittere solent blandas purgationes, cum Cassia, Manna, syrup. viol. syrup. ros. & similibus. Item ante dictum medicamentum Clyster emolliens injicitur. Formulæ erunt:

Rec. Fol. Malvæ, Viol. Borag. Lactucæ, an. m j. sem. 4. frig. maj. an. p. j. coquantur in s. q. aq. communis. In colaturæ lib. j. dissolve lohoch de Cassia, unc. j. mellis violati, ol. Nymphææ, an. unc. iij. Misce, fiat Clyster prima die injiciendus. Secunda die porrigunt.

Rec. Pulpæ Cassiæ recenter extractæ, unc. j. Vel

Rec. Syrup. viol. syrup. ros. sol. an. unc. ij. dissolve cum unc. iij. decoct. flor. & fruct. cordial. Vel

Rec. Mannæ Calabr. unc. ij. dissolve cum jusculo carnis.

Purgato corpore præbent Julepos refrigerantes ex ſupradictis rebus. Nonnulli adeo ſitiunt ſanguinem humanum, ut nullo pacto ſanguinis miſſionem prætermittere poſſint: ideo poſtridie phlebotomiam inſtituunt; reliquis diebus ſepradictos Julepos, & Juſcula. Nonnulli ex his, ut oculationes appareant, neſcio, quas obſtructiones ſomniant, quarum cauſa galli, & pipionum juſcula, quæ appellant brodia, præſcribunt. Mitto emulſiones melonum, amygdalarum cum Saccharo, & aqua roſarum. Item hordeaceum ſuccum cum ſaccharo coctum. Item morſulos, rotulos, conſervas, electuaria, & condita, quibus unuſquiſque ad libitum uti poterit. Extrinſeca erunt Balnea, fotus, unctiones, & embrocationes. Balnea in aqua dulci, in lacte, decoctis herbarum refrigerantium. Fotus item fiant ex dictis herbis, & naturalibus partibus adhibeantur. Unctiones fiant ex oleo amygdal.dulc.Butyro recenti, oleo roſato,&c. Embrochæ pariter parentur ex dictis rebus. Lac Aſininum, Caprinum, & muliebre medium tenent inter medicamentum, & alimentum.

Ad Hecticam, quæ fit ex Phthiſi, recurrendum ad ea, quæ dicuntur de phthoe, ſeu ulcere pulmonum. Hæcque in ſpecie, de communi methodo medendi febribus, afferre placuit.

CAPUT XXVI.

De methodo curandi febres per victus rationem.

VIctus ratio, tam in acutis, qnam in chronicis febribus, omnino, conſideranda, nam vix ſine illa quiſquam recte ſanari poteſt. Eſt vero victus ratio, commoda rerum non naturalium adminiſtratio, ad febres ſanandum. Res vero non naturales ſunt, aer, cibus, potus, ſomnus, vigilia, motus, quies, animi pathemata, inanitio, & repletio. Et quia in his, & in medicaminibus adminiſtrandis ſæpe mutationes fiunt, de illis primo dicendum. Etenim ex Hippocr. *lib.3.Aphor.1.αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρίων, μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, mutationes temporum potiſſimum morbos pariunt*, præcipue autem maxime, *& in temporibus magnæ mutationes caloris & frigidis.* Et *Aph.51.lib.2.Plurimum, & repente vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel quovis alio modo corpus movere, periculoſum, quoniam omne nimium natura inimicum eſt.* Mutatio vero ſit, ut ait Gal.*comm. de humoribus*, in 4. rebus, utpote in admotis, in eductis, in his quæ fiunt, & extrinſecus incidunt. Quæ admoventur, ſunt potus, cibi, medicamenta, quæ vorantur; itemque aer, quem reſpiratione ducimus. Ea quæ fiunt, ſunt frictiones, deambulationes, & omnes motus. Quæ extrinſecus accidunt, ſunt balnea, unctiones, & alia remedia extrinſeca.

In aere conſiderantur ſubſtantia, qualitas & conſiſtentia. Tota aeris adminiſtratio in febribus, ut reliquarum rerum non naturalium, hac communi regula indicationum nititur, Contrariorum contraria ſunt remedia. Quare in febribus aer eligendus eſt frigidus, & humidus; qui ſi talis a natura non extiterit, arte eſt præparandus, utpote Aqua, roſis, flóribus, herbis frigidis, & aliis ſimilibus.

Somnus ſemper humectat, & auget intus calorem inſitum, refrigerat, extin-

extinguendo calorem febrilem. At Galenus *comm. in Aphor. 67. lib. 4.* scribit in febribus semper nocere somnum, nisi ratione concoctionis plus afferat utilitatis, quam damni, quod ex motu ad interiora proficiscitur, ut febricitans debilis, cui dati sunt cibi, dormire debet. Vigiliæ siccant, humorem dissipando, & spiritus. Vigiliæ, & somnus: utraq; si modum excesserint, malum. *Aph. 3. lib. 2.* Otium, & quies refrigerant, & humectant: contra motus calefacit, & exsiccat. Hinc facile videre est, quid fugiendum, & quid amplectendum.

Quod ad victum attinet, is quo hodie utimur, longe diversus est ab eo, quem antiqui usurpabant. Illi enim præscribebant Hydromel, Oxymel, Ptisanam, cremorem ptisanæ, &c. Nos jusculà carnis, hordeata, lac seminum melonum, panatam, &c. multis in locis ova sorbilia. Quod ad quantitatem, Gal. multa dicit in *Aphor. 4. l. 1.* ubi tenuem, plenum, & tenuissimum victum introducit. Sed cum nostra ætate nullibi hæc victus ratio servetur, de ea frustra differi existimo. In Gallia, Italia, & Germania Medici victus rationem variant: Imo in Italia singula quæque regio peculiarem victum servat. Hic lac melonum, panata, cum jusculo carnis, & ova sorbilia, cibi sunt, quibus utuntur. Potus est Aqua cocta, Vinum granatorum, cerasorum, vel Aqua cum conserva acidi citri, succo limonum, & saccharo. Pomum, & pyrum coctum non raro concedunt. Regionis tandem habenda est ratio. Item, ægrotantium consuetudo non est negligenda. De quantitate cibi non est minor perplexitas, maxime ex Hippocr. *lib.* 1. *Aphor.* 19. desumpta.

Impura corpora, quanto magis nutries, tanto magis lædes. Contentiones, & rixas hoc in loco concitatas brevitatis causa omitto. Hoc tantum te monere volo, ut loci consuetudinem serves. Sunt nonnulli Medicastri ita morosi, ut nullo pacto ova sorbilia suis ægris concedere velint; dicentes ova esse nimis calida, & bilem producere, & esse concoctu difficilia. Eadem ratione jusculà carnium vituperant. De vino non est, ut dicam: nam miselli ad paucas qualitates respiciunt, corticem quærunt & nucleum amittunt. Sunt revera febres, in quibus vinum non est dandum; sunt nonnullæ, in quibus non modo est utile, sed valde necessarium.

In acutis febribus, in causonide, in tertiana continua, & in hemitritæo a vino penitus abstinemus, nisi sit vomitus, summa virium dejectio, item & syncope. Hippocrates tamen in omni febre vinum porrigit. Flatus, nonnunquam febrium causæ, vinum pariter admittunt. Quo in loco animadvertere licet, vina esse multiplicia: generosa hic nullum habent usum; alba, debilia, & aquosa probamus. De ptisana, aqua cocta, hydromelite, aqua mulsa, &c. non sum quicquam dicturus, cum ipsa hodie non sint in usu. Sola ptisana nominatur, & qua nunc utimur, aqua, aut decoctum hordei potius nuncupandum, quam ptisana. In Galliæ nonnullis locis coquunt cum hordeo pruna Damascena sicca: Anisum, & coriandrum, cum liquiritia coquunt in dicto decocto hordei. Ptisanam suam parabant antiqui cum hordeo decorticato, coquentes, donec in formam cujusdam chyli transmutaretur, cui parum aceti addebant, ut gratior redderetur gustui, & sub tempus eam vorandi, salis tantillum.

CAPUT XXVII.

De Aquæ Potu.

SUmma aquæ neceſſitas in victus regimine inſtituendo, peculiarem requirit contemplationem: ut ejus uſus non tam mortalibus, quam cunctis animantium generibus aptus, nobis innoteſcat. Potior pars ejus ſalſa eſt, & merito, ut tot piſces in ea viverent, & ab ea ſervarentur. Dulcis, ſeu inſipida nobis familiaris, vel a fontibus, & puteis, vel e fluviis, vel ex imbribus: mitto ſtagnantes, & e torrentibus promanentes. Probatur ea, quæ omnium leviſſima facillime incaleſcit, ac demum quæ ſimul inſipida, nulliuſque ſaporis, & cenſetur frigida, & humida: etſi vix talis reperiatur; nam ubivis locorum varias e terris mixtiones admittit. Hic Bononiæ, ubi degimus, plurima pars aquarum aliquid ſalis ammoniaci continet. Quæ e propinquis montibus in Civitatem per artificiales ductus corrivantur, tartaro marmoreo & gypſeo abundant. Duobus miliaribus a Civitate, in loco Sancti Raphaelis dicto, ſunt aquæ amaræ, & gypſeæ; ibi rara eſt aqua pura, & ſimplex. In noſtro præſidio, ad ripam fluvii Sapinæ, in medio montium gypſeorum, mirabile eſt, quomodo tres ſcaturigines optimæ aquæ reperiantur, & in toto illius ambitu damnatæ, ſicut crudæ, & graves. Hinc videre eſt, quæ ſit habenda conſideratio in ſeligenda aqua, in puriſſimis locorum intervallis: Hippocr. lib. de vict. rat. acut. ſect. 3. text. 40. de aqua ſcribens, inquit, ipſi *nullum illud officium tribuere ſe, præterquam quod in acutis bibatur morbis: non enim peripneumonicis tuſſim ſedat, neque ſputum educit; imo cæteris, ſi quis aquæ potione prorſus utatur, magis obeſt. In naturis bilioſis, eſt bilioſa, hypochondrio mala, atque etiam peſſima, bilioſiſſimaque & vires maxime labefactat, ubi in vacuitatem venerit. Adde quod lienem auget, & jecur, ubi inflammatum eſt, fluctuatque & innatat; tarde ſiquidem meat, quod frigida ſit, & incoctilis, nec alvum commovet, nec urinas provocat. Atque ex eo quoque noxia eſt, quod ſtercoris ſuapte natura expers ſit*; alvum namque non ſubducit: *eam vero, ſi pedibus frigentibus aliquis biberit*, id eſt, incipiente febre, *multo magis nocebit*. Quod ad nos, aquæ potum maxime probamus in febribus tartareis, & in his quæ a noſtra intemperantia veniunt. In his quæ cœlitus in nos demittuntur, uti in malignis, & peſtilentibus, vinum magis probamus. Aqua pura ſit, & ſimplex, ſine ſapore, & odore, levis, & minime craſſa. Coctam probat Gal. in *comment. de rat. vict. in acut.* Deſtillatam improbamus, quia ipſa cito putreſcit, poſtea Balſamica parte illa, quam a terra, aut aere ducit, orbatur. Aqua tandem aliis viis probatur, propter tartarorum, & ſalium diverſitatem; nulla enim eſt aqua, quæ peculiari tartaro, & ſale non ſit dotata. At hæc hujus non ſunt loci.

CAPUT XXVIII.

De Vino.

VInum, ut inquit Plinius, ſanguis terræ, ſolis hominibus ad uſum comparatum, in epulis præcipuum ſolatium. Qui ejus dotes meditari avet, Plinium adeat, apud quem ejus peculiares facultates & vires habebit. A noſtris in febribus maxime damnatur, idque quoniam calidum, & ſiccum, & febris pariter calida, & ſicca: at juxta communem regulam Contraria contrariorum ſunt medicamenta. Ratio clare patet. Supra ſatis contrariorum leges deduximus, febrium etiam ortum, & eſſentiam abunde aperuimus. Si nobis liceat per Hippocratis authoritatem, rei difficultatem aperire, victoria ſtatim in vini favorem erit. Verum plures ſemper feci experientiam cum ratione factam, quam ullius cujuſvis authoritatem in medium productam: & cum febris, quantumvis leniſſima pendet a Tartaro vegetabilium, vini uſum minime admittit; cum a Tartaro animali, vinum maxime requirit: ſi Tartaro minerali, vinum ſummopere neceſſarium erit. Sunt præterea quædam ſymptomata, quæ vini uſum vel admittunt, vel rejiciunt. Cardialgia, nauſea, &c. vinum admittunt. Capitis dolor, delirium, & omnis inflammatio idipſum reſpuunt. In malignis febribus, atque in ipſo contagio, vinum eſſe tutum agnoſcimus. At quia infinita prope ſunt vinorum genera, de quibus Galenum, Plinium, &c conſule: minus generoſum ſeligendum venit, & ex hoc cenſu, quæ minus tartaro abundant, & quæ aquoſa dicuntur, natura tamen, & minime auſtera. In regionibus vero, in quibus generoſa nimis generantur aqua communi diluantur ad libitum. Ubi anceps eſt Medicus de ipſius vini uſu, ſatius duco ut aqua utatur; puto enim aquam minus nos lædere poſſe. Quod ad vina Granatorum, & Ceraſorum, quibus hic utuntur Medici, quia ipſa palato grata ſunt, & ſpiritus noſtros tantiſper recreant, laudare ſatis non poſſum.

CAPUT XXIX.

De Hydromelite, Oxymelite, &c.

POtus cum melle & aqua cocta, melicratum appellabatur, & apud antiquos maximo erat in uſu. Hodie factum eſt celebre Hydromel Vinoſum. Id quod erat in uſu apud majores noſtros, parabatur cum melle, & aqua copioſa, tantiſper his ipſis ſimul bullientibus, quoad ſpumam emitterent: deſpumatum ſervabatur ad uſum. Vinoſum fit cum certa quantitate mellis, utpote lib. 1. pro ſingulis aquæ libris: excoquitur, & expumatur ad certam aquæ conſumptionem. Id in dolio aſſervatur, & detinetur in loco tepido, in quo fermentationem recipit, & acquirit ſaporem vini. De hoc lege Quercetanum, Penotum, &c.

Oxymel constat melle, aqua, & aceto. Dicitur simplex, & compositum: Illud ex tribus tantum perficitur: Compositum ex pluribus, ut Scilliticum, Helleboratum, &c. Gal. in *comm. de morbis acutis*, præfert Oxymel coctum crudo; nam aceti vis coctura imminuitur. Loquitur ibi Hippoc. de simplici, hoc modo: *Oxymel spatium educit, & facilem reddit respirationem*. Quod ad Hydromel, Hippoc. *loco citato*, scribit: *Melicratum, epotum per totum morbum in acutis morbis, omnino biliosis, & magna viscera habentibus, minus utile esse, quam aliis qui hujusmodi non sunt. Siticulosum minus est, quam vinum dulce: mollit enim pulmonem, sputum educit mediocriter attenuando, tussim lenit, & (ut Gal. scribit) provocat urinas abunde, & provocat biliosa excrementa*. Hæc pauca ex Hippotr. & Galeno sufficiant.

Nos loco mellis, saccharo utimur, & ex eo varias potiones paramus, modo cum simplici aqua, modo cum aquis stillatitiis, modo cum Limonum, succo Citrii, vino Granatorum, Cerasorum, & aliquando cum aceto. Sed hæc ipsis mulierculis nota sunt: ideo manus a tabula.

CAPUT XXX.

De Ptisana, & Aqua Hordei.

QUia Hippocrates *lib. de Victus ratione in morbis acutis*, magni facit ptisanam his verbis: *Ptisana* (inquit) *omnibus condimentis frumentaceis recte præfertur in morbis acutis. Nam lentor ejus est lævis, continuus, & jucundus, lumbricus, & mediocriter humidus, & sitim extinguens, & si quid elui oporteat, facile abluit: neque adstrictionem habens, neque turbationem malam, neque intumescit in alvo; intumuit enim in coctione, quantum intumescere potuit*. Verum enim vero quæ sit antiquorum ptisana, vix scire possumus: major pars recentiorum vult ptisanam esse decoctum hordei decorticati, quousque in formam chyli transmutetur. Sed hic potus esset ingratus, ideo a nemine in usum vocatur, minus ejus cremore nostrates utuntur. In Gallia coquunt hordeum, & integrum, & excorticatum in sufficienti quantitate aquæ communis: Nonnulli addunt pruna Damascena, & sub fine nonnihil liquiritiæ rasæ, & parum contusæ; alii sem. anisi, & coriandri addunt, & hoc decoctum appellant ptisanam. Hic, ubi degimus, decoctum hordei simplex usurpamus, & ipsum refrigeratum ægris concedimus, & hujusmodi decoctum simplex, Aquam hordei appellant. Hordeaceum, quod est hordeum decorticatum excoctum in jusculo carnis, & saccharo conditum, quoquo pacto respondet ptisanæ, etsi saccharum illis temporibus invisum. In omni febre tandem veterum opinionem sequor, qui consuetudinis potestatem agnoscentes, nihil temere immutare volebant, & revera (ut ajunt) consuetudo est altera natura, & plane ea est servanda, etsi vitiosa.

CAPUT XXXII.

De vino Granatorum, seu succo mali punici.

MAli punici succus, hic Bononiæ, ubi nunc degimus, in omnibus febribus maxime usurpatur, ex eo forte, quia, ut omnia acida, refrigerat. Sunt vero ex his, non solum acida, sed & dulcia, & vinosa, de quibus copiose scripserunt Dioscorides, & Plinius. Dioscor. *lib.* 1. *cap.* 129. inquit, *malum punicum omne esse boni succi, stomacho utile, perexiguum præbens alimentum. Dulcia stomacho utiliora habentur, sed aliquantulum in eo calorem gignunt, & inflationes pariunt, unde in febre abdicantur. Acida adstringunt, æstuanti stomacho auxiliantur, & multo magis contrahunt, ac urinam cient. Vinosa vero mediam sortiuntur naturam. Nuclei acinorum acidi punici in sole siccati, & obsoniis insperſi, co[illegible]ctive fluentem alvum, stomachumq; sistunt*, &c. Plinius *lib.* 23. *c.* 6. *Punica* (inquit) *dulcia quæ Apyrena alio nomine appellavimus, stomacho inutilia habentur, inflationes pariunt, dentes gingivasq; lædunt. Quæ vero ab his sapore proxima, vinosa diximus, parvum nucleum habentia, utiliora paulo intelliguntur. Alvum sistunt, & stomacho prosunt duntaxat pauca, citraq; satietatem. Sed dulcia alimenti minimum dant, atq; omnino nulla in febri, nec carne acinorum utilia, nec succo. Medentur æque vomitionibus, ac bilem rejicientibus*, &c. Ex his conjicere licet, quisnam possit esse eorum usus in febribus. Quod si vi pollent adstringente, merito in febribus damnantur; quia in febribus laxare, non adstringere oportet: materia enim peccans per propria emunctoria extruditur foras. Quod refrigerent, & putredinem cohibeant, nulla est certitudo, nam eorum succus, sive vinum, propriis non caret impuritatibus, unde citissime acescit & acorem contrahit.

CAPUT XXXII.

De Succo Cerasorum.

NOnnulli Cerasorum succo utuntur, loco vini granatorum, & forte majori cum utilitate. Cerasa enim stomacho æstuanti conducunt, & succum corpori laudabilem suppeditant; refrigerant pariter & adstringunt, sed non eadem adstrictione, qua Punica. Cerasa sunt multiplicia: dulcia hic non intelligimus, de Acidulis tantum, quæ sola febribus utilia sunt succum usurpamus. Acidula quoque sunt multiplicia, & inter præstantiora, ea quæ valde rubra sunt, acidula, & usui oppido grata. Eorum succus facile exprimitur, in Phialis vitreis asservatur, Soli per aliquot dies exponitur, ibi defæcatur, & oleo superfuso in loco apto reponitur. Idem succus in formam extracti reducitur, ipsum Soli expones, donec crassescat. De eo exigua quantitas solvitur in aqua communi, & fit potus palato gratissimus.

CAPUT XXXIII.

De Mineralium Acidis.

EX Sale communi, Vitriolo, & sulphure liquores acidos extrahimus, id quod multi tradiderunt, & nos *in nostra Pharmacopœa Spagyrica*. Ejusmodi acida vegetabilium succis acidulis longe sunt præstantiora, si rite usurpantur; etenim a corruptione humores vindicant, longe valentius incidunt, & attenuant, valentiore vipollent refrigeratoria, iratorum spirituum ferociam retundunt, illisque pacem conciliant: quin crudos humores fermentant, eosque ad expulsionem præparant.

CAPUT XXXIV.

De diversis aquis pro potu in febribus.

NOn ubique & omni tempore vina granatorum, cerasorum, & similium reperiuntur: Quocirca eorum loco accipimus Tincturam rosarum cum aqua communi, puta unciam unam tincturæ pro qualibet lib. aquæ. Gratior erit palato, si duas, vel tres uncias dictæ tincturæ indideris. Tincturæ rosarum præparatio habetur in *nostra Pharmacopœa Spagyrica*.

Maxima etiam cum utilitate usurpamus Aquam, in qua bullierint radices acetosæ sativæ, cui saporis gratia additur saccharum ad unciam unam, vel duas pro qualibet libra. Ex aliis rebus variæ possunt parari decoctiones: ut ex santalis, violis, floribus, & foliis boraginis, acetosæ, & scorzoneræ, &c. Aquæ stillatitiæ parari possunt in Balneo Mariæ. Item jusculæ carnium cum acetosa, boragine, cichorio, pimpinella, &c. quibus omnibus miscere possumus essentiam, seu spiritum vitrioli; habet enim summam vim refrigerandi, & resistendi putredini, &, quod majus est, iratos spiritus coercendi.

FINIS.

PETRI GUISSONII

DOCTORIS MEDICI.

EPISTOLICA DISSERTATIO

DE

Anonymo Libello (Circa Abbreviatum Veræ Medicinæ Genus) ubi potiſſimum eventilatur Principiorum Chymicorum Hypotheſis.

Ad Clariſſ. & Elegant. Virum D. Mignardum, Doctorem Medic. & in Aquenſi Collegio Aggregatum.

E Rubeſcerem, mi Mignarde, amicorum optime, ſi quem non ita pridem noviſti vel ſititorem novitatis inexplebilem, is ego tibi derepente viderer tanto laſciviens otio, ut & Camœnas & artem præter ſpem me neglexiſſe ſuſpicareris. Creſcit medius fidius cum annis juvenilibus amor ſapientiæ, & ſi faverent mihi Superi, frequenti ingenioſorum hominum colloquio, Doctorum librorum lectione, experimentorum felici occurſu, & libertate meditationis, utique audires aliquando Guiſonium tuum furente zelo ſibi non peperciſſe in ſtudendo. Nec mireris amato, accepiſſe me nunc ibi nihil de hoc libellulo, quamvis ſedulo percunctantem, quem tamen Avenioni Typis mandatum primis tuis literis intellexi; quippe etiam noſtros apud Medicos & bibliopolas etiamnum de illo altum ſilentium: Sed e contra eſt, quod mirer, ubi illum Aquis-Sextiis ſuppeditaſti mihi legendum, te & primas paginas & authoris nomen, ut mihi non innoteſcerent, abſtuliſſe. Quicquid ſit, ut g[illegible]m tibi morem, qualemcunque veternum meum excutiam, ſumpto fritillo tentabo aleam; & roganti quid de illo cogitem, reſponſionibus meis currente calamo faciam ſatis.

Quadrifariam venit mihi conſiderandus hic libellus: primam partem deſignant principia, quibus univerſum mundi & humani corporis fabricam ſuperſtruit. Altera horum principiorum ſecretionem in animali, ſive coctiones perſequitur. Tertia aliquot morborum pathologiam attingit his fultam principiis, ſicut & quartana, quæ quorundam, ſi non volueris omnium, eſt θεραπεία.

Licet autem hujuſmodi apum mella non placeant, abſit ut opera data excitare velim aculeos, ſingulorum enim hominum mentes una caſſide velle concludere nihil ineptius: quæ dicam, non cum ſupercilio, & ut vellicem, dicam; ſed in amicitiæ teſſeram candide tibi, cui Titan de meliori luto finxit præcordia.

Video in ipſo limine authorem hunc malleos inter & incudes non niſi ſpirantem ignes, & antiquitatis calculo comprobatam Elementorum quadrigam, fruſtra reclamante Peripatho, ἀποδιδάκτως condemnantem: ſum aliunde quidem minime neſcius, nec valde moror, in dies ad eclipſin declinare effata Ariſtotelica, & celebriora Europæ Athenæa tralatitiis veterum commentariis ſapere dedignata, pro ſummo controverſiarum judice Stagiritam amplius non venerari in foro Philoſophi-

sophico; siquidem patet omnibus Veritas, nondum est occupata: multos priscorum errores sapientior proles tanquam spongia absterst, & propitia fortasse magis pallade (licet urente invidia) naturam coluit. Admittit hic tria illa hypostatica Chymistarum principia, Sal, Sulphur, Mercurium, illisque inædificat suum illud abbreviatum veræ Medicinæ genus. Excutienda illa nobis sunt, tanquam operis basis; culpanda enim illa epoche, ubi præbetur assensus, & non convincitur. Unde deperimus nos γεωμετρικοτάτην illam Philosophiam; quæ spreta luxuriante novitate verborum, Mathematica Syntheſi vel analysi non rerum corticem, sed medullam perspicue demonstrat.

PRIMA PARS.

QUinque potissimum argumentis breviter evinco falsam illam fusilis Philosophiæ principiorum triadem. *Primo*, cum ea sint omnium corporum principia, in quæ singula corpora resolvuntur, (analysis enim est genuinum heterogeneitatis criterion) multaque corpora sint, ultro fatentibus post infinita experimenta ipsius Chimiæ Antistitibus, Paracelso, Helmontio, Quercetano, quæ catholica illa duo dissolventia Ignis & Aqua, vel quicquid aliud notum, ad illa 3. principia reducere non possunt; adamantem intelligo, Talcum Venetum, Selenitidem Moscoviticam, Vitrum, Aurum, ℂ. Osteocollam, arenam & alia ejusmodi; consequens igitur est in multiplicibus corporibus de ☉, ☿, ♀, non constare, neque proinde 3. illa rerum esse prima principia. *Secundo*, quam belle cultro Spagyrico varia genera corporum e qualibet familia in 5. partes heterogeneas partimur, & sic augemus principiorum numerum in officina Vulcani. Sit adinstar omnium facilis inventu Tartari vexamen chymicum, si enim pulveratum immittatur in retortam ad furnum reverberii, mox igne leviori stillabunt in aptatum excipulum insipidæ, flexiles & congelationis participes particulæ, quas phlegma sive aquam vocamus. Tum adacto igne subsequentur sapidæ; volatiles & naturæ fermentescibilis partes, quas ex apice capitelli striatim decidentes indigitamus spiritum. His proxime incumbunt acriori Vulcano unctuosæ, inflammabiles, & jucundæ dulcedinis, quibus intelligimus oleum; sulphur dixeris, ne arti fiat injuria in technicis nomenclaturis. Ultimo tandem patentibus undique regiſtris & furentibus flammis albescit coadunatum fixiori compage Tartari Colchotar; qud eductum e retorta, dissolutum in aqua limpida & per chartam trajectum emporeticam, terram friabilem & acerbam relinquet filtri parietibus adhærescentem; & sal sive ficca, rigida, sapidave & coagulationis facilis substantia, facta levi dissolventis evaporatione ad arenam, immutata albescet.

Nec locus ingenio est, sensus te judice vincent.

Similia encheiremata suppeditabunt fuligo, Vitriolum, Nitrum, Sal marinus, Succinum, Buxus, Sanguis animalium, Urina, Cornu cervi, & alia non pauca e mineralibus, vegetantibus & animalibus, quæ quinque esse mixtionis principia, tria liquida, & duo ficca vel capitosioribus Hermeticis evincent. Horum autem naturam & indolem perscrutari, suamque (ut hariolari, nec sine fundamento possumus) cuilibet assignare figuram, hujus loci non est. *Tertio*, scire momenti erit, an ignis sit genuinum, adaquatum, & universale mixta corpora resolvendi instrumentum & analysta: Anathema artis esset qui de hoc vel leviter dubitaret, Chymici enim Sibyllæ folio verius id clamitant; ego autem, ni me meæ fallant conjecturæ, falsum reor & demonstro. Constat superius allato priori argumento, non pauca esse mixta, quibus dissolvendis ignis impar est; purum enim aurum, & argentum trimestri spatio in vitraria fornace ad fluorem continuum conservata, vix hoc duodecimam sui ponderis partem amittet, illud vero plane nihil: tantum abest, ut principiorum solvatur unio. Insudavi ego alias pluribus septimanis per sublimationes volatilisando talco Veneto, oleum tamen perdidi & operam, totque laboribus exantlatis,

latis, nimiam duntaxat in calore observare datum est mutationem. Vitrum ex sola salis & terræ in plantæ exustæ cineribus restitantium fusionem confectum, cum positum sit ipso auro magis extra labefactationis aleam, nobis offert pensitanda duo; alterum, posse ignem bina corpora, uti sunt Sal & Terra, ita arcte colligare, ut ex his fiat mixtum indissolubile; proindeque dare nobis suspicandi ansam, plurima, si non omnia, quæ vi ignis in simplicia principia, existimantur divisa, esse adhuc composita, ut fuliginem, quæ e ligno combusto separata, in quinque tamen partes heterogeneas per analysin spagyricam rursus dispescitur: alterumque, non industriam minus in compingendo esse naturam, quam ignem, tamque strictim unire posse heterogenea corpora, ut sint ignis spiculis & pistillis undecunque impervia. Patet & illi, qui vel primoribus labris chymiam delibarit, vulgare Sulphur in vasis clausis per sublimationes sensim volatilisatum, sursum totum efferri in formam siccorum & insipidorum florum, qui tamen si inflammentur in paropside ad apertum aerem, penetrantem emittent fumum, qui sub campana vitrea detentus in acidum illum tandem concrescet liquorem, oleum sulphuris per campanam vulgo nuncupatum. Ex quo evidens est, igne posse eandem ipsissimam materiam sortiri variorum indolem corporum, neque proinde illam dividere (adinstar analystæ) in priucipia hypostatica, sed in novas potius, ut de fuligine jamjam dictum est, digerere contexturas. Fusa simul & mixta invicem puriora duo metalla facile segregat nitri spiritus, quod vel aurifabros consulenti respondebitur, ignis vi fieri nequaquam posse: Et ut ille nitri spiritus illibato auro dissolvet argentum, quidni etiam partes aliquas non separabit ignis e mixto, cæteris illibatis. Et hercle tantum abest ignem esse universale dissolvens, ut ex ipsis etiam in arte antesignanis Medico-mastix ille Helmontius post Paracelsum, (penes quos tamen sit fides) liquorem habuisse se glorietur, quem barbaro nomine (ut illis ad fucum & admirationem excitandam solemne est) alkahest vocant, quo carbonem quernum in vitro hermetice clauso, spatio tridui totum reduxerit tepore balnei in geminos liquores, (ablato menstruo & situ & calore varios, quibus simul ad arenam destillatis, vitri fundus, ut ait, æque purus apparuerit ac si recens e vitrario clibano fuisset allatus. Idem proclamat circa metalla, marcasitas, vitrum, lapides, vegetantia, & qualiacunque mixta, quorum caput mortuum hoc agente resolvitur in liquores: an amabo, duo hæc liquida, erunt principia composita, vel illa duo sicca? patet equidem latius hoc dissolvens quam ignis. Imo ait idem Helmontius, (quod notatum velim) Saxum & Lapides omnes in merum salem, suo Saxo aut Lapidi æquiponderantem reducere se posse absque omni prorsus sulphure, aut mercurio. *Quarto*, nec immerito quæri potest, an ea corpora sive principia, quæ vi ignis a composito separata sunt, in illo præexstiterint eo modo quo abinvicem discreta percipiuntur, & celebrem illam æmulentur Anaxagoræ homœomeriam. Ratio dubitandi est, quod in Philosophia saniori, materia, quam Geometræ, qui nec fallere nec falli possunt, triplicis dimensionis substantiam definiunt, pro ratione magnitudinis, figuræ, motus, quietis, situsque partium, variam sortita naturam & indolem, in hac universitate rerum exerceat histrioniam, & omnigena corpora constituat: ejusmodi etenim variis larvata texturis, diversos (nec ibi discutiendum tam nobile Thema, sed supponendum) in nervorum fibrillis polydædali corporis animalis excitat motus, sensationes & cogitationes circa objecta. Unde si composita corpora non nisi vario discrepent contextu, a magnitudine, figura motu, quiete, & artificiosa particularum compage, emergente, rationi non erit absonum, concipere unam ipsissimamque materiæ portionem variis alterationibus & texturis ita posse concinnari (gignendis autem illis qualitatibus, quibus principia denominantur, sufficit vel minima mutatio) ut illis sensationibus, quas excitat in animali, nomen olei phlegmatis, spiritus, salis, & terræ interdum mereatur. Juvat ad majorem expli-

ca-

cationem aliquot in hoc argumentum deliberare experimenta, & inprimis illud Helmontii. Posueram, inquit, in vase terreo 200. lib. terræ in clibano arefactæ, quam madefacit aqua pluvia, illique implantavit truncum salicis 5. lib. ponderantem: ac tandem exacto quinquennio arbor inde prognata 169. lib. & circiter uncias tres pendebat, etiam non computato foliorum per quatuor autumnos deciduorum pondere: Vas autem terreum sola aqua pluvia vel destillata (ne obtruderetur πανσπερμία) semper irrigatum est, eratque amplum, terræque ad superficiem defossum, & ne pulvis circumvolitans terræ commisceretur, lamina ferrea stanno obducta, multisque pervia foraminibus, vasis labrum tegebat. Exsiccavit iterum tandem terram vasis, eademque ad duas circiter uncias minus repertæ sunt 200. lib. ex aqua ergo sola surrexerunt 164. lib. lignorum, corticum & radicum. Idem in peponibus & cucurbitis experiri nemo non potest; observavi ego alias cum nobilissimo Boyleo, dum in Oxoniensi Anglorum Academia degerem, summitates menthæ, pulegii & melissæ, probe immissas in vireas phialas aqua fontana, quæ nunquam mutabatur, repletas, explicasse se in radices numerosas & luxuriantia folia; & cum in debitam excreverant pro indole magnitudinem, immittebantur in retortulam, & urgente igne phlegma, spiritum, sulphur, sal & terram artistæ suppeditabant. Idem & in piscibus probavit uxor Rondeletii, quibus evincitur horum mixtorum constitutionem, germinationem, & incrementum esse aliud nihil, quam puram aquam vi peculiaris alicujus fabricæ seminis, plantæque, animalisque, poriorum subactam, sive modificatam vario motu, quiete, magnitudine, figura, & situ partium; Argillæ adinstar, quæ a figulo per diversos adacta modulos, multiplices ipsissima eadem concinnatur in formas; ut & id natura suis aliquo modo nobis subindicat meteoris; nubes enim, pluvia, grando, nix, gelu, glacies, pruina nil nisi modificata pura puta aqua sunt, idque sibi quis facilius suadebit, qui in amputatione vitis verno tempore debite facta ingentem e vulnere aquæ copiam exstillare observabit.

Si autem aqua propter peculiarem plantæ & animalis texturam in varias secetur & effingatur partes heterogeneas, quare non poterit illud ipsum ignis præstare; & ut a multis vegetantibus sine ullo additamento vitrum elicit, quod in ipsis præexstitisse nemo sanæ mentis dixerit; cur ea corpora, quæ a mixto educit, in illo præextitisse sub his formis tam obstinate afferemus, neque dubitabimus ea esse, ut vitrum, Vulcani cudentis opus? Ad ampliores thesis hujus dilucidationem excursim attingere lubet petitum e cera Virginea familiare experimentum; illius enim modicum ubi ex apiario educitur alveo, sapit mellis dulcedinem, florum redolet fragrantiam, apparet sub suo colore, extenditur in suam magnitudinem, sua terminatur figura, durum est ac frigidum, tactus organum non ferit acriter, & si concutiatur, emittit sonum. Interim si experiatur ignem, sapor ejus odorque pereunt, variatur color, magnitudo turgescentia ampliatur, figura deperditur, liquescit massa, incalescit, vix tangi potest, & quamvis concussa non edit sonum. Ita ut quæcunque prius sub quinque sensitoria cadebant, eadem remanente cera perierint omnia, novæque prorsus igne genitore prodierint qualitates. Adeo verum est hoc agente corpora tot & tantis obnoxia esse alterationibus, ut aliquando ita universim immutentur, ut alia omnino percipiantur a sensibus; & de iis superesse videatur aliud nihil, quam quod ingenioso Philosopho Metaphysica meditatio. Forte idem præstat ignis dum arietat in corpora, atque operantur aliqua instrumenta mechanica, quibus lignum utimur, illud enim in partes dividunt magnitudine, figura, scabritie, lævore, aliisque qualitatibus diversas; ut limæ serræque comminuunt in pulverem, secures & cunei in partes majores & solidas dissecant, in tenues, latas, longas, ac flexibiles dolabra abradit, circinat in concavo cylindricas terebra, & sic de aliis. Discrimen vero salis V.G. ab aqua ratione consistentiæ, cæterarumque proprietatum, supra explicatam illius; Architectonicem non damnat, cum ab ovi geminatis liquori-

bus non discrepent minus pipionis plumæ, nervi, membranæ, tendines, ossa, & reliquæ partes, quas multiplicibus combinationibus congruenter actis, animalis incubantis, vel clibani ad thermometrum graduatus calor ex vitello & albumine efformavit. Ignis æque naturale est agens ac semen; si non omnes, saltem plurimas mixti partes heterogeneas fortassis suo malleo & incude compingit, quas quis ad errorem credulus in mixto præextitisse arbitratur. *Quinto*, Quis, amabo, se mihi exhibebit vadem præter suppositia illa crassiorum Chymicorum elementa, subtilioris naturæ particulas non inesse mixto, quæ fugaces admodum per vasorum stillatitiorum poros & juncturas utut sollicite luto obductas sibi viam extra faciant ad minimum calorem & inobservate foras elabantur? quis jure non suspicabitur multa esse posse corporum genera, quæ nulli sensuum nostrorum sint objectum immediatum, ut testantur emanantia illa e magnete corpuscula, effluvia succini, gagatis, aliorumque electricorum corporum evaporationes, quæ mixtum tanquam partes principes ingrediuntur? quam ingeniosis (superi) circa res naturales hariolationibus meditari Philosophus potest, & quam sapienter sentiet qui nullam, vel minimam, si aliquam in illis esse asseret apodixim.

Addam mantissæ loco stimulare me scrupulum, quem parit inter ejusdem generis principia observata diversitas. Phlegma vitrioli valet ad ustiones, non autem phlegma aceti; hoc extrahit e plumbo saccharinam dulcedinem, illud vero non item. Spiritus sanguinis curat epilepsiam, provocat sudores spiritus urinæ, cordi opitulatur in agone spiritus fuliginis, deobstruit spiritus Tartari, spiritus therebintinæ potens est extrudendæ renum saburræ. Sulphur, seu oleum cinamomi, seminis anisi, caryophyllorum, demerguntur aquis; oleum vero nucis myristice supernatat, sicut & rosarum. Quantum discrimen inter sales fixos & volatiles, Salem Tartari & Salem cornucervi! Primus ita fixus est, ut violento igne cum mira colorum varietate fusionem patiatur, alter vero mediocri calore avolet: quantum etiam inter se discriminantur salia volatilia! Sal cornu cervi in excipuli parietibus parallelipipedi figuram æmulatur, Rhombi vero sal volatile sanguinis humani: Sal fixum absynthii extenditur in figuram ellipticam, Sal vero cranii humani in exagonam. Quam varia salia variis conducunt ægritudinibus! Alcali absynthii laudatur in imbecillitate ventriculi, euphragiæ in debilitate visus, guajaci ad morbos venereos, succini ad epilepsiam, levat alvum sal tartari, & nostris (quod a nemine adhuc observatum intelligo) constat experimentis in trigonas tam belle coalescere crystallos. Idem evincunt variæ notæ testæ probatrices in terra damnata, sive in ossium & lignorum, omni exausto sale, cineribus. Præterquam quod liquor ille stillatitius, quem spiritum vocant, mihi suspectum admodum semper fuit; forsitan enim aliud est nihil, quam portio phlegmatis sale volatili aculeata, quandoquidem exstillatus supra fixum, V. G. Tartari Sal quilibet spiritus ferme totus abibit in aquam insipidam, & ex portione ejusdem spiritus facta erit aliqualis accessio ad pondus salis Tartari post destillationem; ita ut in hoc encheiremate succedat secretio duorum horum principiorum spiritum constituentium, quorum alterum fixatur sale Tartari, alterumque onere suo liberum vi caloris avolat: imo ad arenam vel id ipsum in quibusdam spiritibus sine Tartaro expertus sum. Sicut e contra repetitis cohobationibus plurima salia volatisantur in spiritum, illumque proxime æmulantur. Nova non sunt ordinanda systemata, nisi omnia phænomena solvantur.

Allata superius per anacæphaleosim repetenti probasse mihi videor: *Primo*, Plurima esse corpora, quæ dividere in hypostatica tria principia non possit ignis. *Secundo*, Esse mixta non pauca, quæ distinguat in quinque partes heterogeneas. *Tertio*, Neque constare ignem esse universalem & adæquatum corporum Analystam. *Quarto*, Nec immerito dubitari, an eo modo præextiterint in composito partes heterogeneæ, quo a mixto separatæ ignis ope visuntur. *Quinto*, Mixto inesse posse genus aliquod partium, quæ sint sensiteriis nostris imperscrutabiles; & ex his

demum

demum omnibus κατὰ τὴν ἀριθμητικὴν ἀναλογίαν eviciſſe dubium admodum, ſi non falſum principiorum ſyſtema Chymicum.

Neque profecto moveret me Thraſonica fuliginoſorum quorundam myſtarum jactantia, qua, ſonanti & tinula voce ſtreperi nihil non ſublime & inauditum garriunt, & ex ſua Arcanorum Tripode, ſtupenda (ſi Diis placet) de principiis Technoergemata pollicentur. Artis quidem filium me non eſſe fateor, neque illis ſumme initiatum myſteriis, Eleuſinis, Taciturnioribus, quæ veris adeptis, ut ajunt, ſacra ſunt: ubi tamen a ſcutica receſſi hypodidaſcali, aliqualem huic ſtudio nec ſine voluptate navavi operam, & inde (quæ quæ mea eſt emporia) cum Feureis, Chauveautiis, Barletis, Williſiis, Marcaſſuis, Dygbæis, Boyleis, Glauberis, Schroderis, pluribuſq; aliis ætatis noſtræ Chymicis primoribus familiariter contuliſſe glorior; ſed ſancte affirmo ab illis audiviſſe, vel præſtitum vidiſſe nihil; quod vulgarem Spagyricorum principiorum hypotheſim potuerit aperte demonſtraſſe.

SECUNDA PARS.

DIruto hoc fundamento corruit reliqua tota machina, nec enim (niſi ut promiſſa procederent) attingenda videretur eorum in animali ſecretio principiorum, quæ nulla eſſe oſtenſum eſt. Idem timeo, ne authori eveniat quod Ixioni, qui cum Junonis potentiæ Deæ loco, cujus ſibi concubitum animo deſignarat, cum evanida nube rem habuiſſet, Centauros progenuiſſe fertur & Chymæras.

Varias in hac altera parte coctiones perſequitur, ubi, *Primo*, Coctionem definit puri ab impuro ſeparationem. *Secundo*, Quatuor eſſe aſſerit in animali coctiones, ſeparationem ſulphuris a ſale & mercurio in ſtomacho, excretionem mercurii a ſale in hepate, ſalis ſegregatione in renibus, & in ſingulis partibus Tartari ſequeſtrationem. *Tertio*, Coctionum harum inſtrumentum eſſe Archeum, corporis coquum, & naturæ laboratorem Spagyricum. Ad *Primum*, non bene definita videtur eſſe coctio per ſeparationem puri ab impuro, cum, ne altius in caſſum philoſophemur, in ipſa elixatione & aſſatione de contrario conſtet in culina; inibi enim omnia confuſa manent, nulla ſeparatio, nec ullum vas excretorium. Aptius coctionem in animali dicerem eſſe digeſtionem aut fermentationem, qua alimentorum heterogeneæ particulæ ſoluto mixtionis vinculo in novas ſubiguntur moleculas, ſive in alia materiæ ſchemata animali nutricando idonea: impuri vero ſeparationem & excretionem famulari diſtributioni coctorum alimentorum. Ad *ſecundum*, Principiorum triade evincitur (argumento ut ajunt ab hominem) non eſſe niſi triplicem in animali coctionem, ſive trium principiorum ab invicem ſeparationem. Præterea ſi puri ab impuro ſeparatio foret coctionis characteriſmus, utiq; plures eſſent quam quas retulit in animali coctiones: non tantum enim peracta chylificatione craſſiores alimentorum portiunculæ, quas recrementa vocamus, motu periſtaltico per interanea foras eliduntur, dum puriores mobilioreſque ſubeunt hiantia lactearum venarum oſtiola: non tantum ad renum parenchymata delatus per arterias emulgentes urinoſus liquor ſtillatim depluit, in fornicatam eorum pelvim per papillares novem carunculas totidem aptatas tubulis, quibus patet alveus ad uritides angiportus: non tantum inquam arteriolis per corporis habitum ſeparatur in modum vaporis ſeroſior ſanguinis pars: Verum etiam ex inſertis ventriculi inteſtinorumque tunicis, arteriæ cæliacæ & meſentericæ ramulis percolatur phlegma tam acidum quam inſipidum, quo tanquam periſtromate albeſcunt eorum parietes & molleſcunt. Felleus humor ad jecinoris parenchyma per portas & bilarias arteriolas pedetentim transportatus elutriatur, partim in porum bilarium, partim in cyſtidem felleam, unde per choledochum emungitur dodecadactylon inter & jejunum; quo vel ſaltem non procul exonerat ſeſe ſeroſa ſua illuvie (lactearum & arteriæ cæliacæ recremento) Virſungicus pancreatis canalis: filtratum per cordis carnes & arterias coronarias ſerum ſeſe diffundit in pericardium: per ductus ſalivales e glandulis maxillaribus & paroditibus excernitur in os ſalivalis

Ju-

liquor, per membranam anteriorem & posteriorem pituitariam sub osse sphænoideo, perque alia e septem oris scaturiginibus colatoria, quot & quam varii filtrantur & separantur humores; taceo, auriumque, oculorumque & dispersarum per universum animalis corpus glandularum excretiones, quibus omnibus non modicum fieret incrementum numero coctionum. Tertio, ex allata definitione non coqueret stomachus, qui nihil excernit, sed coqui vites potius subirent intestina. Ultra quod nec admodum nasutus videatur hic author in anatomicis, qui chylum per venas mesaraicas ad hepar, ut evadat in sanguinem, deferri in fide majorum credat; oppido certissimum est, illam chyli transfretationem ex intestinis per asellianas Mesaræi lactes, thoracicosque Pecqueti ductus gemina fieri scaturigine ad subclavios ramos paulo infra jugulares venas, axillariumque cataractas, & exinde per ascendentis cavæ truncum in dextrum cordis thalamum exundare; itemq; hæmateseos officinam non esse jecur vel unicum illud declarat experimentum, quo in prima animalis formatione hepar est delineatum inter ultimas internarum partium, nec oculis deprehenditur, nisi ubi jam corpus turgescentibus fluente sanguine tubulis, ejusque purpurisso longe antea rigatum & solidatum est, ut non semel familiaribus meis demonstrasse pluribus extispiciis mihi contigit. Quarto, omnigenorum principiorum particulæ observantur in qualibet coctione, & in quibuscunque excrementis, igitur per coctiones non succedit illa principiorum separatio. Quinto, inter litandum genio anatomico animalium hecatombis, eorum fella propriis etiam inclusa vesiculis in lapillulos sive salem fixum concrescere non infrequenter observare eveniet: ex quo succos amarulentos & animalium fella de natura salis non parum participare concludere eo magis est, quod ex absinthio, centaurio minore (fel terræ vocant botanici) similibusque aliis amaris simplicibus ingentem salis copiam facta incineratione educimus. Imo inde fortassis est, quod tanta lanionum cura ut incorruptum & cum genuino suo colore aliquandiu servetur hepar, neque felleus emungatur humor e cystide, neque extrahatur e parenchymate vesicula; e contra vero fracescit mox & putrescit, si cum bile sua nucleus evellatur: proprium etenim salis est carnibus aliquam sine corruptione conciliare perennitatem; felque propterea merito inaugurabitur hepatis balsamum. Quidni etiam subodoretur aliquis (hæsitanter tamen ibi loquor) bilem succedaneas ideo clysmatis agentem vices: quod (uti accidit e sale Tartari & marino levantibus alvum) illa sale suo sollicitet motum intestinorum peristalticum, quo coacervata in eorum meandris alimentorum magmata foras extrudantur? unde, ni fallor, aperte contra definitionem allatam evincitur, non in renibus tantum, sed & alibi fieri salis excretionem. *Ad tertium*, coctionum, nutritionis, vitæ, & mortis instrumentum esse Archeum, sive naturæ protopræsidem, qui unicuique cum microcosmo tum megalocosmi parti jus suum reddat, profecto Pythia vate, aut Carmenta obscurius mihi canere est. Fragilis & laborioſa mortalitas in naturæ secreta raro pervadit, adeoque miracula putat illa, quorum rationes causasque ignorat; & cum veritatem occupare non potest, ad commenta recurrit. In physiologiæ scenam inducere Archeum, Tragicum agere est, qui cum explicare argumenti exitum non valeat, Deos advocat in Theatrum, ut solvant nodum fabulæ; & ita si fide careat, admirationem saltem implet. Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus inciderit.

Veræ Philosophiæ primus est ille canon; Nulli credendum propositioni naturali, quam clare & distincte non perceperit intellectus. Nemini autem in mentem veniet decantata pridem a pluribus chymicis fabula illa de Archeo, nisi cui non supperet in explicandis rerum phænomenis æqua naturæ, ejusque ordinis cognitio (cujus vis atque majestas in omnibus momentis fide caret) vel ipse τὸ πᾶν Deus. Absit hercle ut Thesim illam excutiam, quam æque falsam sine argumentationibus, ut fuse alibi possem, prætereo; ac author veram sine probatione, suo more obtrudit: in confutandis

enim hujuſmodi figmentis pretioſiſſimo tempori vel tantillum detrahere eſſet religio, & eventilare fabulas non Philoſophum ſaperet, ſed Poetam.

In hac aſſertione Archei verſatur difficultatis cardo, circa coctionis inſtrumentum; Illud autem fermentum eſſe paucis evinco: Ructus acidus in eupepſia, ejuſque privatio in apepſia ſubeſſe innuunt in ſtomacho fermentum aliquod acidum, ratione cujus elaboretur prima coctio; ut enim oleum ſulphuris limaturæ chalybis inſperſum, ſulphureum ſtatim & tætidum elevat odorem; ſic ratione inverſa, quia medicamenta chalybeata ore deglutita nidorem excitant in gula ſulphureum, non ſecus ac ſi ova cocta ad duritiem fuiſſent comeſta; inde eſt quod acidum in ventriculo nidulans fermentum ferrum corrodere, & hunc elevare nidorem auguremur. Implantatum autem ſtomacho fermentum aliud eſt nihil, quam chyli confecti quoddam reſiduum, quod ejus plicis adhæreſcit, ibidemque aceſcens fermenti naturam induit; ut accidit in panificio & cereviſia, pro quibus conficiendis aſſervatur portio maſſæ frumentaceæ fermentatæ & ad acorem ſervatæ, floreſque jam confectæ cereviſiæ. Idem eſto dictum de cordis fermento, cujus occurſu ſanguis impetuoſe efferveſcit, juxta ac cum voluptate viſitur in enchiremate tartari vitriolati, martis adſtringentis, bezoardici mineralis, vel in affuſione ſalis armeniaci ad quam ſtygiam; idem de particulis genitalium, aliorumque partis fermentativis, nemo non poteſt concludere ſine Archeo.

Ut autem ars varia excogitavit cribrorum, ſetaceorum, filtrorumque genera, ad excernenda diverſæ magnitudinis & figuræ grana atque corpuſcula, ita & ſolers natura omnigena compinxit, tenuia in animali colatoria, per quæ e ſanguine (multiplicium corporum ſeminario) foras aliqua detruderentur, aliis intus præ contextura neceſſario reſtitantibus. Sic renum parenchyma ſubit ſerum, ratione figuræ ſuarum particularum, illorum aptatarum porulis, quos adire non poteſt ſanguis alterius fabricæ: Sic cyſtidos, & pori fellei oſtiola bilis ingreditur, per quæ non patet aditus ſanguini. Nec ad has excretiones magis ſollicite advocandus eſt in ſubſidium Archeus, quam ad diverſorum granatorum ſeparationes, quæ per cribra variis donata foraminibus accidunt, vel ad ſeparationem aquæ dulcis, a Sale in aqua marina, trans arenæ cylindrum exſtillantis. Scio per implantata ex hypotheſi his parenchymatis fermenta præcipitantia rem quoque facile explicari poſſe, *uti evenit lacti mediante acido, & ſoluto ſulphuri antimonii mediante aceto*; ſed hæc omnia aliter atque excurſim velle perſequi, ratiocinationum eſſet nunquam ſatis.

TERTIA PARS.

PHyſiologicis innituntur pathologica; ſuſque deque everſis rerum & corporis animalis præſuppoſitis principiis, non poteſt niſi proprio pondere collabeſcere, his ſubſtructa morborum ratiocinatio! huic ergo tandem diſſertationi meæ colophonem libenter imponerem, Vir Clariſſime, niſi ſignificare tibi vellem aliquot niſi animadverſionibus totum libellulum percurriſſe me, uti imperaſti.

Sibi potiſſimum duo vindicat hæc pars: alterum, Archei exorbitantis vel deficientis ope coctiones labefactari, ex quibus morborum ilias; alterumque, vi ſua magnetica quamque corporis partem pro indole ſua & genio ſibi attrahere & diſponere alimentum, ex eoque purum ab impuro ſeparare per coquentem Archeum.

Ad primum hic profecto hærere mihi penitus aquam ingenue fateor, & quamvis terna geniculatione votum facerem vel Hermeti, vel Æſculapio, nullam aliam eformare mihi poſſe præſumerem ideam ex grandiorbus illis & inauditis (Archei exorbitantis vel deficientis) verbis, quam ſibi quis effingeret ex iſtis (deficientis vel exorbitantis Pallados:) Neque verendum ratione minus nervea ne præaſſentur alimenta in ſtomacho ex Archeo exorbitante, quam ne accedantur in cerebro Spiritus animales ex exorbitante Pallade. Sic error errorem ducit; Verba pura puta hæc ſunt, quæ ſignificant nihil: luditur aliquando ſub verborum ſeſquipedalium ambagibus, ut elegantius lædatur inſolubilis difficultas. Atramento aquam inficit,

cit, quæ nimirum fuerat audax ſepia, ut ab expanſis piſcatoris invigilantis retibus ſeſe caute expediat.

Ad alterum. Qui qualitates magneticas impugnat, non eſt amicus Cæſaris; (impudentis, inquit Julius Cæſar Scaliger, hominis eſt, occultas negare qualitates, & revera ſi magnetiſmum tollis & νοερότητας agentia, medicinam nudam facis, præſidiorum jejunitate languentem) impudentis ſiquidem hominis eſt multa negare, quæ imperſcrutabilia & occulta ſint humano ingenio; at occultis qualitatibus reſolvere velle difficultates & ſuam his verbis argute velare inſcitiam (ſpace Cæſaris dixerim) impudentiſſimi eſt. Quis amabo, arguerit in magnetiſmum, niſi qui non viderit unquam magnetem? Nec tamen inde occulta qualitas eſt virtus illa magnetica; Sex enim & triginta experimentis ita perſpicue illius naturam demonſtrare poſſum ſecundum mechanicæ leges, ut æque facile & æque aperte intelligatur, [illegible] nomate horologico regulatu rotarum, æquilibrii, & indicis motus: imo quod ſapiet parodoxon, clarius & intellectu facilius videtur eſſe mihi nihil in Phyſicis quam virtus magnetica; in qua nihilominus cum nulla ſit attractio, opinio magnetiſmi nullo prorſus modo conducit explicandæ animalis nutritioni. Illius autem œconomia facile comprehendi poteſt abſque tot amagibus, ſi ſupponatur ſanguis, ut reapſe eſt, omnigenarum particularum ſeminarium; & ex circulationis legibus ſingulas corporis partes ſuis fluctibus alluere: arteriæ ſiquidem in qualibet diaſtole ſuos dilatant porulos, per quos elixir data porta modicum ſanguinis, tanquam per rivulos ſecundum filamenta membrorum quibus contexitur animal; In ſyſtole vero iidem pori conſtringuntur, & extravaſatus ille ſanguis grumeſcit, quo perficitur nutritio. Varia autem illa eſt, tum ratione curſus ſanguinis ad certa loca collimantis, tum ratione diverſæ magnitudinis, & figuræ, ſanguinis particulis patet & non aliis aditus.

QUARTA PARS.

IN Therapetiam collimat tandem noſtra ultima velitatio, quam ille Machaon felici Medicinæ Apolline abſolvit unica perigraphe (Arcanum ait, ad Majorem Dei Gloriam, & ad ſingulorum utilitatem charitative trado. Rec. Salis Hermetici uncias duas, acidi tartari uncias tres, cryſtalli calcinati unciam unam cum dimidia, tartari vitriolati drachmam unam, ſantali rubri drachmam unam, cum dimidia, Spiritus vitrioli quantum ſatis. Fiat pulvis. In juſculo bubulo aut gallinaceo ſumi debet, quo facto fata & natura ipſa viam invenient, qua ejiciant.)

Plerique Pyrotechnici (longe abſit, ut de hoc authore id cogitem) ſub nomine Jehovæ precioſius ſuas merces vendunt; religio prætexitur, aurum quæritur: ita & ſæpe cum rebus humanis tam male geritur, utqui Curios ſimulant, non infrequenter vivant bacchanalia. Arcanum orbi tradit. Apage rhabarbaricos & triobolares medicos, Cotonianam & Hippocraticam Medicinam? Nihil impræſentiarum circa ægros decernatur quod non ſapiat Hermetem, Magiſterium & Elixirem? Tria potiſſimum in hac deſcriptione notanda judico; Primo, ubi ſe coram explicuit author ad majorem Dei gloriam & proximi affectum velle ſe adverſus Arthritides, crudeles aculeati ſale volatili feri fœturas, neſcio an non adverſus ad unum omnes morbos, ſtrenuum & panchreſtum revelare nobis & poſteris medicamentum, tum præſcribit Sal Hermeticum, hoc eſt, ſi non illi, ſaltem nobis ſal incognitum: quis non videt ibi deſiderari bonam fidem. Præterquam quod morborum ille graviſſimus cum luſerit hactenus Coam & Mauritanam manum, verendum profecto eſt, ne ſit quoque luſurus Germanicam. Secundo, ſi ſit ibi hariolandi locus, ſal illud eſſe poterit Armeniacum Philoſophorum, panacæa, clyſſus, ſive, ut ajunt Artiſtæ, Balſamica, perfecta, fuſilis, & catholica Medicina; ubi rejectis inertibus & paſſivis elementis ſit

taxat activorum unio, & ubi fixum ex volatilis præponderantis internodio volatiliſatur. An ſic univerſum loquendo ſolverimus nodum, authori dijudicandum relinquimus: quidquid ſit, ſi ſuccedat nobile aliquod medicamentum, eſſe debet de genere volatili, ut & ad ſanguinem & ad affectas remotiſſimas corporis partes extra vaſa penetret. Verum huic effectui ſeſe mox opponunt propter fixitatem præſcripta reliqua medicamenta; cum enim ex præponderante volatili fixum evadit in volatile evaſurum erit in fixum. Dein cui, amabo, uſui niſi ad polipharmaciam in tanta aperientium imo & deferentium medicamentorum doſi inſervire poterit medicum ſantali rubri, cæteroquin inertis & inter album & citrinum reliqua ſantala magis refrigerantis ac adſtringentis? Tertio, Ubi ſpiritus vitrioli guttatim depluit in liquorem tartari per deliquium ſoluti in cella vinaria, fit extemporanea ebullitio, & tam recte duo illa ſalia maritantur, ut ad vaſis imum præcipitentur in albiſſimum coagulum, quod, peracta levi ſuperinnatantis liquoris evaporatione, tartarum vitriolatum nuncupamus. In hac medicatione author bis præſcribit medicamentum, tartarum enim adhibet vitriolatum, & poſtea acidum tartari cum vitrioli ſpiritu, quæ nihil item aliud ſunt quam tartarum vitriolatum. Ne pluca advertam, exhibet hunc pulverem ad libitum in juſculo bubulo aut gallinaceo, primum eſt craſſum & obſtruens, alterum vero aperiens & detergens: quo autem modo hæc concilientur, omnino me latet? Dato pulvere, (perſequitur,) fata & natura viam invenient qua ejiciant, ita ratiocinari, medicamenti ſui vires & davam parum intellexiſſe videri eſt. Has qualeſcunque animadverſiones meas ad pulvinaria tua tandem depono Vir Humaniſſime; Majora debebam equidem, ſed majora in hoc argumento dare pro brevitate temporis nec potui, nec volui, ut aptato ſtatim calamo reſcriberem imperanti: tibi enim uni locutus ſum, & non multis, quippe ſatis magnum alter alteri theatrum ſumus. Spirantem altius hunc authorem incerta ferme omnia, & inter ſe non bene cohærentia, ſubnotaſſe mihi ſatis ſit, tutumque & extra teli jactum ſub Vulcani præſidio ſe exiſtimantem, veluti de altiori ſcena, vulgari in callum allatraſſe Medicinæ, nec majori quidem cum ſucceſſu veteres abrogare voluiſſe leges ſalutis. Hermeti propterea non valedico, ut ſolo adhæream Hippocrati; utrumque colo ex animo: juvat χειροφιλὸν ambabus manibus eſſe armatum, & ubi certaminis urget neceſſitas (quæ prudentia ejus eſſe debet) vel iſta vel altera, cæſim vel punctim ingenioſe pro magnitudine periculi dimicandum. Si belle cedunt omnia clariſſimis & nuſquam non deprædicandis Doctoribus, Domino Joachimo le Vieux, Domino Henrico de Felix, Leonardo de Forteiſſon, aliiſque non paucis, quos ſeniores in artes viros & Atlantes, Emeritoſque ſub utraque Pallade veneratur Avenio: Neque proinde in tantos ac ſummates civitatis hujus Medicos cauſam iſtam magnam partem fabam eſſe velim exiſtimes, quos in Chymia verſatos eſſe neminem latet. Chymiatris equidem multa debet ſanctior & purior Medicina, ſed non omnia; & erunt ſemper non pauca (nimirum infauſto fortaſſis omine) quæ ad longos annos ab illis deſiderabis. Interrum diſſerentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ, ubi abſunt ſales illi acerrimi, ſycophantiæ & illa ſermonis amarulentia; illos (ita me amet Dieſpiter) e qualibuſcunque his quiſquiliis meis abdicare volui, & prorſus abdicaſſe puto; nihil enim gravius mihi cordi eſſet, quam ſi de me quis ſentiret. Anonymo quidem obſtiti in ſcrutinio veritatis, nec illaudabiles tamen ejus etiam irritos judico conatus; lauda tu & meos (vir Doctiſſime) etiamſi judicaveris irritos! Vale & me ama. Avenioni datum pridie id. Febr. anni ab Æra Chriſtiana M.DC.LXV.

FRI-

FRIDERICI HOFFMANNI

TRACTATIO BREVIS ET LUCULENTA

DE

FEBRIBUS.

CAPUT I.

De Febribus in genere.

NUllus morbus est, qui corpora nostra frequentius violet majorique molestia afficiat, atque insigne vitæ discrimen inferat, quam ipsa febris. Aliis morbis facillime ipsa sese adsociat, ut nullus ferme sit, qui non febrilis motionis speciem præ se ferat, adeo communis ille affectus est, quod etiam suo ævo jam approbavit *Hippocrates libr. de flatibus*; Et cum omnes alii morbi unam vel alteram obsideant partem, una febris totum occupat corpus: adeo ut his rationibus compulsi veteres Romani Deam esse febrem crediderint, sacellaque in honorem, ne noceret forte, & corpus affligeret, erexerint, teste *Valer. Maximo*; nihilominus familiarissimus hic affectus quoad ejus causas, ortum, periodorum explicationem, aliorumque accidentium rationem, tantis, hucusque difficultatibus ac dubiis immersus latuit, ut dici vix queat. Equidem quivis ferme celebris Medicus, secundum principia sua, quibus addictus est, hypothesin quandam formare allaborat, qua perspicuam reddat febrium perplexam doctrinam. Attamen si exactius, quæ hactenus adducta fuerunt, expendimus atque examinamus, illa obscurum hoc negotium minime clarum reddere, & difficillimorum occurrentium phænomenorum explicationi sufficientem lucem affundere deprehendimus. Ratio potissimum mihi hęc videtur, quod plerique hanc rem aggressi fuerint non sufficienti practicæ experientiæ cognitione instructi, cum tamen practica medicinæ pars, non tantum ad usus humanos, verum etiam ad formandas rationes contemplative, præcedere debeat. Quocirca neglecta experientia solidiori & attenta, item contentis veterum libris, & observationibus, ex quibus tamen unice genuinæ praxeos ita & theoriæ fundamentum peti debet, in medium adduxerunt circa historiam febrium talia, quæ raro vel plane non contingunt, quæ autem fiunt, illa ipsa quoad circumstantias potissimum omiserunt, unde non potuit non nasci ex suppositis practicis falsis falsa etiam theoria atque speculatio; quæ deinde praxi minime accommodari potuit. Altera ratio, quod doctrina de febribus hucusque prolata tantis laboret difficultatibus ac dubiis, hæc mihi esse videtur: plurimi ex principiis imaginariis ac figmentis cerebrinis, neque intelligibilibus, atque in re ipsa inveniendis suppositis condiderunt theoriam & pathologiam medicam. Paucissimi ex simplicissimis, quibus totius naturæ operationes & effectus continentur mechanicis, materia & motu, rem aggressi sunt. Sicuti autem Physicus, ita etiam Medicus ad rationes mechanicas seu simplicissimas quantum fieri potest, omnia reducat, & ex ipsis dubia solvat atque phænomena explicet. Sapientissime hinc dicit *Hippocr. libr. de steril.* πειρῶ τι φύσικος εἶναι: Conare ut Physicus evadas. Nos itaque remotis omnibus præjudiciis, supposita febrium tam in genere, quam in specie historica cognitione & genuina

practica experientia eo allaborabimus, ut sicuti hactenus tentavimus in aliis, omnia quæ occurrunt in doctrina de febribus explicanda, ex principiis clarissimis intellectu facillimis, ipsis mechanicis, ducamus atque derivemus, adeo ut ex illis quæ perplexa, abstrusa & recondita hactenus circa hoc negotium aliis fuerunt, clarissimę, mea sententia non tantum, jam intelligi & demonstrari queant, verum etiam secura, certa & vera via habeatur felicissime sanandi omnis generis febres. Deus autem ex alto nobis & nostris conatibus clementissime adsistat!

Dimisso autem nomine, quod Latini a fervore, Græci ἀπὸ τῦ πυρὸς derivarunt, ad febris naturam & indolem investigandam properabimus. Sed priusquam hoc aggrediamur, opus erit, ex historia morbi quædam præmittere, quo legitima fiat connexio, collatio atque diductio theoriæ ex praxi.

Primum itaque notandum: Nullam febrim dici posse, ubi non ratione pulsus & motus sanguinis quædam inordinationes sentiantur, ita ut in omni febre pulsus a naturali respectu ipsius ægrotantis deflectat & inordinatus fiat, potissimum quoad celeritatem, frequentiam vel inæqualitatem. *Galen. 1. ad Glaucom* 5. inquit: In omnibus febribus esse quandam inæqualitatem pulsus. 1. Nulla existit febris, ubi calor corporis temperatus, proportionatus & æqualis est, sed in omni febre observatur calor excessivus improportionatus, adeo ut ob hanc rem febrim veteres per calorem corporis totius excedentem, vel intemperiem calidam & calorem p.n. definiverint, & ubi calor molestus non observatur, non dicenda affectio febris est, sed magis ad spasmodicas passiones per periodos redeuntes est referenda. 3. Nulla observatur febris, ubi extrema corporis & cutis secundum naturam se habent. Inter initia atque sub ipsa accessione conspicitur ut plurimum constrictio pororum cutis; ipsa apparet rigida & arida, vasa minera fiunt, & detumescunt extrema, livore afficiuntur, transpiratio imminutior fit, & sensus horripilationis & frigoris adest, postea habitus corporis intumefactus est, vasa rubent ac tument, sanguis ebullit æstu maximo afficiunt membra, cor palpitat insolentius, denique sudor largior profluit, quę variæ cutis affectiones, tam ratione temporis, quam ratione febrium in specie multum differunt. 4. Nulla febris est, exceptis quibusdam malignis, ubi non urina a statu suo naturali, vel ratione coloris, quantitatis aut sedimenti vel contentorum deflectat & in fine febris coctio quædam non appareat. 5. Nulla febris est ubi non actiones vitales magis vel minus lædantur, quo respectu etiam vel benignæ vel malignæ audiunt. Et hæc jam adducta essentialia & pathognomonica febrium solent esse signa, quibus præsentibus, febrem certo adesse & corpus affligere judicium ferendum est. Præterea febribus obnoxii plerumq; sunt homines insensibilioris texturę, activioris ingenii, quorum cutis ex facili causa horrorem vel dolorem percipit, qui complexionis sanguineę & cholericę sunt, ad intempestivas animi motiones proclives, item qui ætatis juvenilis vel virilis sunt, hi enim magis præparati sunt ad febres quam senes. Deinde observamus, nulla singulari causa præexistente materiali, a solo terrore vel nausea, dolore acerbiori in sanis corporibus crebrius suscitari motiones febriles posse, interdum etiam a minima mole contagii originem suam ipsas habere. Pro explorato pariter habemus, præsertim ab occlusione meatuum cutis, a suppresso sudore vel transpiratione (sive a causa interna sive externa, frigido & humido aere, rigidis ventis, & aliis constipantibus, id fiat) frequentissime excitari pro diversa natura ægrotantium, varii generis febres. Constat quoq; frequentis experientiæ fide, ex vitiis digestionis atque erratis in diæta commissis, cibo difficulter dissolubili & cum nausea adsumto, retentione vomitus & evacuationum aliarum consuetarum, suppressione nimirum sudoris, hæmorrhagiarum, mensium, retropulsione exanthematum pullulare febres varii generis. Postremo etiam attentione dignum est, quemvis paroxysmorũ febris, vel etiam totam febrim ut plurimum sudore, vel expulsione vitiosæ materiæ ad peripheriam corporis cum pulsu molli atq; undoso, qui optimus est, terminari, in aliis subjectis etiam per urinam, per hęmorrhagias,

gias, salivationes, utut rarius id fiat, quæ autem ita non terminantur, sensibili quadam evacuatione, facilius recidivant, vel in febrem lentam aut pejorem & diuturniorem morbum transeunt. Sæpius febricitantes absque ullis remediis restituuntur spontaneis evacuationibus, exemplo rusticorum, infantum vel nauseabundorum, qui nihil plane assumunt. In genere sudorifera ferme omnia, cum regimine & coacte, nec certo tempore administrata, pernitiosissima sunt, vel enim æstum, vigilias & delirium augere solent, vel continuum sudorem efficiendo vires magis prosternunt, & ad lentas disponunt febres. Contra omnia blandiora diaphoretica, diluentia ac liquida congrue debite administrata præsentissimam opem in omni febris curatione ferunt, dum æstum & sitim imminuunt, transpirationem juvant & omnia mitiora efficiunt. Quo enim liberior transpiratio ac calor foras magis exit in febribus, eo melior status, quo pori ac meatus corporis magis sunt clausi ac constricti, eo pejora ac magis verenda sequuntur symptomata.

Hisce ex ipsa praxi, quæ optima veritatis magistra, suppositis, præmittamus quoque ad nostrum negotium spectantia ex physiologicis quædam necessaria.

Primum autem compertissimum habemus, causam caloris, tam qui secundum, quam qui p.n. accidit, esse motum sanguinis. Nec puto quenquam esse, qui non experiatur a motu corpora nostra calefieri, dum nimirum fluidæ corporis partes celerrima motione sive intestina illa sive magis progressiva & circulari solidarum partium fibras vehementer atterunt, movent, & ita æthere interspersо, rarefacto & quasi ignito ipsas calefaciant. Hinc optime etiam *Aristoteles 1. Meteor. 13.* fieri calorem judicat, ubi colliduntur in sese corpora, ita ut aer rarefiat & igniatur. Sanguis autem quo plus abundat partibus oleosis, sulphureis, inflammabilibus, tenuioribus, hoc majorem & vehementiorem exerit calorem atque æstum, si motu attritivo vehementiori agitatur; & vice versa, partes viscosæ acidæ crassæ immobiles, quo magis exsuperant in sanguinis massa, eo lentior ac segnior producitur calor corporis, unde Cholerici per motum longe magis incalescunt quam ipsi phlegmatici. Tandem inconcussæ veritatis principium est, quam diu motus fluorum machinæ nostræ vitalium in circulum abiens, salvus, liber, æqualis est, tam diu omnia in œconomia animali bene se habent, sanguis manet fluidus & a putredine defenditur, ipsasque solidas partes a putredine & corruptione arcet atque tuetur, calor blandus mitis ac naturalis est, respiratio & transpiratio bene se habet, & excretiones ordinariæ legitimo quoque se habent modo, mentis quoque & actionum animalium est integritas, uno verbo: homo vitalis & sanus est; simulac autem inæqualitas inordinatio in motu hoc circulari deprehenditur, statim morbus præsto est, & turbatio vel impeditio actionum vitalium maxime ratione pulsus, caloris proportionati, excretionum, sudoris, urinæ, se exerit. Sanguinis autem circularem motum efficiunt partim cordis musculi, qui mechanica constructione & sanguinis fluidioris vi motrice fluidoque nerveo sufficienter instructi, adjuvante pulmonum organo, & adminiculante arteriarum structura, quaquaversum ad omnes corporis partes sanguinem impellunt, partim etiam tonus musculosarum partium (qui tam a structura fibrarum quam a spirituum elasticitate dependet) ad motum circularem contribuit, quo renisu sanguinis repulsus ac reditus in venas, & ex ipsis in cordis thalamos promovetur. Qui duo motus, unus impulsorius, alter repulsorius, salvi, mutuo invicem conspirare & ad æquabilitatem dispositi esse debent pro circulo sanguinis conservando & vita sana servanda; In altetutro si vitium est, statim illud ipsum redundat in sanguinis motum vitalem corporisque sanitatem, quæ exinde pendet.

Ex hisce adductis & probe perpensis clarum evadit, febrem minime dicendam esse intemperiem calidam sanguinis vel cordis p.n. secundum veterum sententiam. Quandoquidem febris etiam temperatissimis subjectis accedit, imo citra sanguinis præcedentem quandam intemperiem vel alterationem, a solo animi motu, vel corpusculo minimæ molis ab extra contagio accedente ad corpus febrilis motio in corpore produci potest. Deinde etiam

calor p. n. magis effectus, quam proxima causa febris existit; tacemus in quartanis nonnullis mitem & non adeo excessivum esse calorem, sed magis frigus, rigorem, ibi habere locum, item calida tam alimenta, quam medicamenta, copiosissime assumta, nulla ratione per se facere febrem posse, in aprico est. Neque satis cogitatione assequi possumus, qua ratione juxta *Avicennam* febris dicenda sit calidum innatum in corde accensum & per venas & arterias in totum corpus distributum; nullum enim datur substantiale calidum, ut tale, multo minus innatum, sed omnis calor efficitur a motu, qui relatus ad sensum menti variam ideam caloris vel frigoris exhibet. *Helmontiani* febris naturam per archei accensionem vel furibundum ejus motum explicant, dum ajunt febrem esse impuritatem ex una parte Archei qui propterea ira & indignatione afficitur, talesque motus excitat, verum in omnibus morbis spasmodicis convulsivis similis concitata spirituum sive Archei motio præsens est, cum tamen spasmus et convulsio proprie differat a febre. Accedit Archeum sive naturam ex deliberato quodam consilio, instituto atq; electione, neutiquam talismodi motiones contra causam morbi instituere posse, quamvis non negandum sit, motionem impetuosam ac irregularem sanguinis, quam febrilem dicimus, certum in finem, nec citra sapientissimi machinæ nostræ Architecti singularem mechanicam coordinationem ac rationem institui, qua nimirum illud quod infensum & non miscibile sanguini & humoribus est, vel corrigatur, alteretur, ad temperiem naturalem revocetur, vel etiam educatur, ita tamen ut omnia fiant ex necessitate materiæ et natura ac legibus motus, quos DEUS constantissima sua voluntate operibus injunxit, & illum ordinem in omne momentum conservat.

Neq; porro febris ebullitio vel fermentatio p. n. sanguinis et humoribus inducta secundum *Willisii* mentem dicenda commode est, utpote fermentatio proprie dicta, qualis observatur in vegetabilibus, nullo modo locum habere potest in sanguine, qui fermentationi neutiquam auscultat, cum requisita ad fermentationem necessaria ipsi desint. In sanguine gelatinosa ac mucosa deprehenditur substantia, quæ mora quidem in putrilaginem facessit, minime autem ad fermentationem parata est; Neque ullo artificio ex sanguine vel chylo spiritus parari poterit inflammabilis; resistit etiam fermentationi celerrima sanguinis per solidas partes illasque angustissimas trajectio, cum potius fermentescibilia indigeant quiete aerisq; sufficiente appulsu.

Deinde etiam si febris esset sanguinis fermentatio, sequeretur: semel inceptam uno tenore continuare debere, cum contra naturam fermentationis et fermentescibilium sit, ut semel fermentatione liquidum subactum de novo illud facile fermentescat; quoniam vero febris certis paroxysmis et periodis redit, imo plenarias intermissiones habet, nullo modo vel ratione consequi possumus, quomodo ad tam crebras de novo fermentationes sanguis queat disponi.

In dubium sic vocata fermentationis existentia in sanguine, unico quasi ictu cadit adsertio illa recentiorum de fermentis febrem inducentibus. Tacemus concipiendi impossibilitatem, qua ratione fermentum, summe, uti dictum, activum, sine actione tamen quietum, integra ejus textura manente in parte quadam solida vel minima cujusdam nervei aut lymphatici tubuli valvula hærere, certoque saltem tempore in motum excitari possit. A sanguinis enim fluidique nervei et lymphatici celeri ac perenni motu per solidarum etiam partium minimos meandros non poterit non immutari, alterari, in motum cieri, vel etiam eliminari e corporis sphæra. Equidem dicunt certum ac singularem ætherem, qui ingressum inveniat in ejus poros, ad evolvendum fermentum tale requiri; at vero æther cum simplicissimum sit elementum, prorsus capi non potest, quomodo peregrinam naturam ac indolem inducere queat, licet ipse, prout materia, in qua & per quam agit ratione magnitudinis figuræ ac texturæ variat, specificum edere aptus sit effectum. Multo minus audiendus et illos existimamus, qui in omni febre humorem venenata qualitate infensum incusare volunt, declarare enim

neu-

neutiquam possunt, in quonam ratio virulentæ qualitatis consistat, & quænam ejus sit origo. Obstat & hoc, quod solo intempestivo & vehementiori animi motu, vel etiam graviori in partibus sensibilibus dolore, & quidem a causa externa suborto, in sanissimo corpore febris subnasci queat. Qui in concitatiori sanguinis circulatione febris ponunt essentiam, nec illi mihi videntur satisfacere, quoniam omnia illa quæ sanguinis circulum augent potius febrem tollunt, & contra quæ impediunt illum, febrem producunt. Videmus etiam partes inflammatione tactas, per quas sanguis impeditius circulatur, intensissimo æstu, rubore ac colore affici.

Tandem nec recentissimorum mihi perplacet sententia, qui turbatam sanguinis mixtionem cum ataxia & perturbatione spirituum pro formali causa omnis febris habent. Quamvis itaque non eamus inficias, in febribus commotionibus sanguinem & humores quoad crasin multam esse turbatos, potius enim affectus febris hæc turbatio est, dum a calore nimio ordo & situs partium sanguinem componentium invertitur humidum dissipatur & spissatur.

Absit enim ut abstruamus in omni febre unionem partium sanguinis intime violatam esse, quod saltem accidit, per gradus tamen, in malignis, putridis, hecticis: Difficillime itidem concipitur, qua ratione, materia quædam tenuissima peregrina immediate in sanguinem fluidum agere possit, ejus poros invertendo, destruendo vel obstruendo, nisi simul insigni peccet quantitate, cum magis probabile existimem, miasma virulentum exiguæ molis immediate agere in spiritus ceu rectores corporis nostri, quibus vitiatis in crasi ac motu, sanguinis etiam mixtura ac motus pervertitur, quod in peste & malignis morbis accidit.

Hisce discussis firmiter statuendum esse existimamus, febrem esse turbatam & inæqualem sanguinis circulationem a motu cordis, arteriarumque, aucto nec non vitioso partium solidarum tono productam ad materiam vel quantitate vel qualitate, vel etiam solo motu atque activitate fluidis machinæ nostræ partibus infensam, exterminandam aut subigendam.

Inæqualis circulationis sanguineæ clarissime in febribus conspicimus notas, dum mox temporis frigoris & horroris a cortice & peripheria corporis coarctata sanguis repellitur ad interiora, unde a cessante impulsu sanguinis in partes extimas frigoris atq; horripilationis sensus observatur, habitus corporis detumescit ac subsidet, venæ disparent, nec amplius sanguine refertę conspiciuntur: represso autem & desiliente ab extremis partibus sanguine ad interiora colligitur & accumulatur in vasis majoribus, in corde, pulmonibus, & anxietatem oppletivam efficit maximo impetu cordis musculos atque arterias distendens pulsum celeriorem atque citatiorem producit. Rursus sub tempore caloris relaxato externo cutis habitu, vehementi impulu cordis sanguis a centro ad peripheriam concitatissime movetur, unde æstus, intumescentia atque insignis rubor in partibus observatur extimis, habituque corporis, donec obstructionibus in cute remotis sanguini liber atque æqualis suus circulus restituatur, quo tempore statim pulsus fit naturalis respiratio, liberior transpiratio, fortior calor temperatus, vires iterum eriguntur & omnia secundum naturam se habent, quod finito accidit paroxysmo. In intermittentibus febribus quovis paroxysmo conspicitur clarissime circulationis sanguinis inæqualitas & reciproca illa sese mutuo excipiens motio a peripheria ad centrum, & a centro iterum ad peripheriam corporis. In continuis statim ab initio vel etiam ipso in statu ante criticas evacuationes vel symptomata graviora familiares solent esse rigores & refrigerationes partium extremarum, & calor sua habet incrementa & decrementa, quamvis penitus non intermittat; & quando probe atque attente symptomata, quibus afficiuntur febribus continuis atq; ardentibus laborantes, observamus, certe deprehendimus varias & sensibiles quoad ejus motum alterationes, ex quibus etiam symptomatum mutationem atque vehementiam deducere promtum atque expeditum est. In hecticis & lentis febribus & subitaneæ refrigerationes atque horrores corporis & subsequentes

inca-

incalescentiæ identidem observantur a curiosis & attentis practicis frequentissime.

Essentiam itaque febris ponimus in inæquali motu progressivo sanguinis circulatorio, reliqua omnia dum certis periodis ipsa febris revertitur vel paucis diebus finitur vel diutius durat vel continuo affligit aut cum putredine, humorum, sive destructoria sanguinis elementorum secessione conjuncta sit, vel varietate symptomatum atque vehementia differat, ad accidentia febris & differentiam earum specificam quadrant: In essentiali autem & uno seu liberiori sanguinis motu impedito & ab æquilibrio naturali deflectente omnes conveniunt atque conspirant febres. Quod autem hæc sententia non recens nata sit, sed quod etiam antiquissimi & sapientissimi Medicorum easdem circa hoc negotium foverint cogitationes, testem instar omnium in medium produco *Hippocratem, qui in tractatu de Flatibus Sect. III* §. 10. *& seqq.* non obscure hujus rei facit mentionem, ibi nimirum asserit: *Spiritus seu* partes *corporis impetum facientes* (a quibus omnium morborum ortum deducere assolet) *obstructo inferiori ventre ad sanguinem refertas corporis partes illapsos, ea refrigerare, quibus refrigeratis totum corpus horror occupat, & quo majori copia flatus* (quos sic spiritus concitato motu ad partes ruentes appellat) *irruperint, eo major rigor, horror & tremor partium consequitur. Sanguis porro,* paucis interjectis inquit; *præsentem horrorem metuens per totum corpus perreptat, & ad maxime calidas partes concurrit, atq; hi sunt ejus saltus. Desiliente autem ab extremis corporis partibus sanguine & viscera & carnes contremiscunt. Aliæ enim corporis partes copioso sanguine refertæ, aliæ exsangues tunc existunt. Atque exsangues quidem ob frigus minime conquiescunt, sed concutiuntur, quæ vero sanguine replentur, ob sanguinis copiam contremiscunt, & inflammationes excitant. Coacto enim cumulatim plurimo sanguine aer ipse qui sanguinem refrigeravit, a calore superatus rursus incalescit incensusque ac velut igneus existens in toto corpore calorem excitat, ad id etiam subserviente ipso sanguine. Quod enim incensum est, ex eo spiritus oritur, quoad corporis meatus irrumpente sudores fiunt.* Quibus tota doctrina febrium accuratissime, quam unquam factum est, traditur. Sicuti enim totius physiologiæ fundamentum mechanismus sanguinis est, quo salvo & ad æquilibrium composito, omnia ad naturæ leges instituuntur. Ita etiam in pathologicis principale fundamentum & unica regula, secundum quam omnia præter naturam obvenientia symptomata judicanda sunt, existere debet sanguinis circulus. Deinde nobilis atque eximius locus inæqualis in morbis circulationis exstat apud *Pergam. l. 2. de causis sympt. c. 5. Est quædam,* inquit, *ex primis & principalissimis motionibus ipsa naturalis caloris intro foraque delatio multas animi passiones sequens: simul autem cum ipso & spiritus & sanguis modo intro & ad principium feruntur ac contrahuntur, modo foras distenduntur & funduntur. Et licet motus hos evidenter perspicere cum in aliis multis tum in ipsis animi perturbationibus e. gr. terrore & ira ille intro & ad principium spirituum & sanguinem una cum refrigeratione corporis superficiaria subducit & contrahit, hæc vero foras agit fundit & calefacit.* Videntur etiam veteres in febrium causis explicandis indigitare motum sanguinis, utut ille quoad specialia ipsis fuit incognitus, dum pro subjecto febris unico & vero cor cum arteriis constituant atque habeant. Nos simul spiritus adjicimus, qui tonum partium solidarum, a quo sanguinis motus & circulus varie motificatur, conservant atque tuentur & varios efficiunt spasmos atque motiones humorum irregulares.

Causa quare sanguis in febrilibus insultibus maxime ipsorum initiis ab extremis partibus ad interiora majori impetu ruat atque feratur, vel potius ad vasa interna regurgitet, sicque liber sanguinis itus & & reditus impediatur, est obstructio vel clausio meatuum, quos fabricavit natura in integumentis corporis ad separanda per evaporationem & translocationem serosa excrementa. Obstructio autem hæc vel a quantitate humorum & plenitudine sanguinis fit, replente & condensante poros & meatus, vel a materia qualitate magis infensa, acri, acida, constringente,

uti

uti in impuris corporibus ſcorbuticis evenit, vel a ſolo motu anomalo & inordinato ſpirituum ſpaſmodica quædam conſtrictio accidit, ſicuti id evenit a præpoſteris animi affectibus, ira, terrore, abhorreſcentia. Unanimi ferme conſenſu omnes veteres in prohibita perſpiratione corporis febrium cauſas poſuerunt; eleganter id exprimit ipſe *Hippocr. libr. de Locis in homine p.* 88. dum inquit: *At vero febres hanc ob cauſam oriuntur, cum pituita bilisque concluſa conquieverit, nihilque refrigeretur, neque exeat, neque moveatur, neque aliud quid ſubeat.* Per hæc verba nihil aliud intelligit quam tranſpirationem corporis in febribus prorſus eſſe impeditam. Reſpicit enim eo ipſa in cura, dum inquit: *cum laſſitudo febris & plenitudo detinuerit, multa aqua lavandum, & liquido illinendum & quam maxime calefaciendum, quo calor aperto per ſudorem corpore exeat, undique enim apertum corpus, & reſpirans, ac motum, quod facit, conducit. Galenus lib. 9. methodo medendi meatuum obſtructiones febrium cauſas credit, quare omnia frigida in curando damnat, vid. Mercurial. in Commentar. lib. Hippocrat. de arte pag.* 17.

Cauſa æſtus & caloris intenſiſſimi, qui in febribus obſervatur, eſt ipſe motus tam inteſtinus quam impulſus ſanguinis vehementior ad peripheriam & habitum corporis quodammodo anguſtatum. Etenim quando regurgitat atq; repellitur ſanguis ſub meatuum cutis conſtrictione, copioſius colligitur & concentratur in majoribus vaſis internis, unde reſpiratio concitata & pulſus celer a corde perpetuo irritato dependet, portio autem aeris ſubtilior, cum copioſius reſpiratione citatiori intro ſubeat pulmones ipſumque ſanguinem penetret, per ejus poros obſtructos & denſatos, non libere & recta linea pertranſire poteſt, hinc in omnia latera refringitur, unde motus vorticoſus & inteſtinus particularum ſanguinem conſtituentium exſurgit vehementiſſimus; qui ſanguinis partes mirum exagitat, confundit, humidas diſſipat, ergo æſtus internus maximus fit. Cum autem ſanguis inteſtine ſic motus ac rarefactus expanſiva ſua vi obſtructa removere ac reſerare ſoleat, accidit, ut primum per poros cutis adhuc anguſtos ſumma celeritate percurrat, unde ex colliſione atque attritione partium ſolidarum a celerrimo ſanguinis motu æſtus fit maximus, cum autem tandem meatus magis dilatentur ſub ſanguinis interno calore evenit, ut pleno impetu in laxatam cutim intro foras ſanguis procedat, unde habitus corporis tumidus, rubicundus, undoſus evadit, ſubſequente liberiori tranſpiratione atque ſudore bono critico; reliquus enim magis ſymptomaticus eſt, & dependet a ſubſiſtente in habitu corporis ſanguine. Ex reciproca hac ſanguinis motione atque translatione omnia, quæ diverſis in ſpeciebus febrium eveniunt ſymptomata atque phænomena, pro diverſa indole humorum atq; varietate cauſarum quam feliciſſime explicari poterunt, uti ſpecialiter in inferioribus breviter depromere id volumus. Unica meliori examine digna quæſtio, de qua jam in prioribus aliquid reperitur; adhuc occurrit, utrum nimirum in febrilibus paroxiſmis propter pulſus celeritatem circulatio ſanguinis aucta ſit; Dicimus: cordis conſtrictionem non tam ab in & effluxu ſanguinis, quam influxu ſpirituum dependere, quoniam nervis ad cor tendentibus diſciſſis ipſum motum ſuum amittit. Deinde etiam cor avulſum & a ſanguine liberum pulſationes adhuc quaſdam agit, ut adeo ſanguis a corde ſaltem ejuſque motu reciproco accipiatur & reddatur; adeoque & cor licet craſſus & frigidus ſanguis ſit, vel etiam nimis calidus, motus ſuos exerere poſſit. Fit itaque magis motus celeritas a ſanguine reſtagnante in arteriis & corde, a cujus copia ſe exonerare vult crebris pulſationibus, quamvis in caſſum, non ſecus ac ſtagnantis ſanguinis copia in pulmonibus ad reſpirationem citatam thoracis muſculos ſtimulat.

Quoniam autem omnis Theoria traditur propter praxin & curationem, hinc priusquam particularem tractationem febrium aggrediamur, neceſſe erit, brevibus ſtrictimque adjicere, quinam ſcopus in genere febres ſanandi proficiat, & quænam præſidia ex datis cauſis indicentur atque proficua ſint; quæ autem minime.

Facile

Facile itaque conſpicua ratio eſt, quare V.S. non genuinum ad tollendas febres ſit remedium exceptis ſanguinis febribus, ſynochis dictis, vel etiam ardentibus, ſi plethorici & quibus ordinariæ evacuationes ſuppreſſæ fuerint, ipſis corripiantur, ubi ad præpedienda ſæviora ſymptomata ſumme utilis ac neceſſaria eſt. Alias obſervatum, malignas diſſipatis viribus magis incrementum a v. ſ. ſumſiſſe & intermittentes lentas magis diuturnas & rebelles factas fuiſſe. Sanguinis evacuatio per ſe ad obſtructiones reſerandas, quæ cauſæ inordinatæ febrilis motionis ſunt, nihil efficit; Nec video, quomodo purgantia, præcipue fortiora, circulum ſanguinis in ordinem atque æquabilitatem reducere, & obſtructiones in habitu corporis conſiſtentes tollere ac tranſpirationem debitam efficere parata ſint; idem tenendum eſt de vomitoriis. Ad commodiorem & expeditiorem autem curam conferre poſſunt, quando turgent inteſtina & ventriculus ſaburra vitioſorum humorum, quod in intermittentibus ſæpius accidit, repletus eſt, ubi ut plurimum inteſtinorum canalis primaque regio fovet peregrinum illum humorem, ſeu fomitem febrilem, qui ſucceſſive ad ſanguinem delatus obſtructionis & circulationis impeditioris cauſa ac parens eſt. Quod attinet ſudorifera fortiora cum regimine calido præſcripta, maxime circa tempus horroris & in principio febris exhibita nocentiſſima ſunt, omnia enim ſymptomata exaſperantur, anxietas præcordiorum major, intenſior calor, ardor & oris ſiccitas & ſitis inexpugnabilis fit, nec non irrequieta membrorum jactatio & inquietudo corporis exurgit, quoniam occluſis poris ſubcutaneis major in ſanguine facta rarefactio & turgeſcentia efficit majora ſymptomata. Prudentis itaque Medici eſt, a calidioribus ſudoriferis perpetuo, quod ego ſoleo facere, abſtinere; nunquam enim tuta vel ſecura deprehendi. Taceamus ex catarrhalibus hac ratione facile fieri continuas, petechiales, ex tertianis intermittentibus, continuas ardentes, ex lentis, hecticas &c. Neque diuretica maxime illa, quæ ſerum præcipitant a ſanguine, vel calido principio fundente inſtructa ſunt, laudabilem uſum præſtare poſſe, perſpicimus, illa enim ſanguinem ſero amico fluido, quod ſervandum erat, privant, & intenſiorem æſtum ſub paroxyſmis febrilibus inducunt.

Refrigerantia vulgo dicta tam virtute quam actu externe & interne adhibita, item omnia acida, aquea in magna copia admiſſa, quoniam meatus magis obſtruunt atque condenſant, nocivam vim in quavis ferme febre exerunt, unde prudenter *Galen. lib. IX. meth. med.* omnia frigida, quoniam craſſos humores efficiunt, in cura damnat, laudat autem illa quæ obſtructos meatus reſerant, abſque multo tamen calore. Referri huc quoque debet adſtrigentium internorum v.gr. chinæ chinæ, vitriolaceorum, aluminoſorum, uſus, quæ intempeſtive inter initia morbi exhibita ventilationem ſanguinis impediendo, & firmando obſtructiones, ac figendo materiam, pernitioſiſſima eſſe ſolent, dum vel intermittentes in pejores morbos, nimirum in lentam febrem, hecticam, hydropem, aſthma eos præcipitant, vel remanente materia virulenta majorem putredinem ipſamque mortem in malignis cauſari poſſunt. Poſtremo excutienda etiam venit illa quæſtio, utrum copioſus potus in febribus officiat? Dicimus paucis: liquida & humida febricitantibus maxime convenire, juxta *Aph. 16. Hipp. lib.* 1. Solidos autem cibos peſſimos eſſe, juxta *Aphor. XI. Sect.* 1. maxime ſi febres periodicæ ſint, quæ poſt alimenta aſſumta ingraveſcunt, rationem perpulchram & noſtris principiis accommodatam reddit *Heurnius in commentario ad eund. Aphor. nam eo tempore*, inquit, *reflui ſunt cuncti ſucci ad centrum corporis, unde opprimitur, anxia fit reſpiratio, ac alvina regio ab impuris ſuccis incurritur, ſi cibum tunc dederis, in impuritatem ille abit, ac diſtento hypochondrio opprimitur pectus: unde anxia reſpiratio ac calor major: his adde, quod a pepaſmo ad pepſin male avoces naturam; in ſe incrementa ducit morbus, ſive ille ſit phlegmone, obſtructio; vel a plenitudine, aut putredine natus. Opprimitur enim horum mole.* Tandem dici vix poteſt, quantum mulierculæ in omnibus febribus, præcipue malignis & lentis, no-

noceant juſculis ſuis confortantibus, alimentoſis, nutrientibus, dum ipſæ ægrotos perpetuo ſollicitant ad ea aſſumenda. Frequenti experimento edoctus ſum, a copia horum præſente adhuc morbo non tantum exaſperata fuiſſe ſymptomata, & vim morbi auctam, verum etiam ipſius mortis cauſam præbuiſſe ipſa. Etenim alimentoſa hæc, dum a natura nec regi, ſubigi, atque dirigi rite queunt, potius faceſſunt in impuritates, optime enim *Hippocrat. Sect. VII. aphor. 62. Si quis febricitanti dederit cibum, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.* Quod itaq; generalem curandi febres ſcopũ atque methodum attinet, cum ipſæ febres ſint motiones impetuoſę ac inordinatę partium fluidarum, corporis ad illud, quod tam quantitate vel qualitate moleſtum eſt, ſubigendum & alterandum vel evacuandum, hinc turbare, præpedire & inhibere iſtos motus penitus & præpoſtere adſtringentibus, figentibus, acidis minime licet, neque nimium iſtæ motiones calidis commoventibus augendæ atque acuendæ ſunt, ne vires nimis diſſipentur, & ſymptomata lethifera accerſantur, ſed potius cum Natura, effato *magni Hippocratis, optima morborum Medicatrix ſit*, allaborandum Medico eſt, ut imitetur ipſam & ad ejus motus reſpiciat, ad tempora, quibus ad ſanandum uti ſolet, attendat, ipſamque in operando juvet; nam felix medicatio, cui adjutrix natura ſuccurrit, irrita vero, quæ repugnante natura legibus conſentaneas eſſe debere dudum antiquiſſimi & optimi Medicorum notarunt. Prudens enim mea ſententia eſt ille medicus, qui naturæ motus bene obſervat & novit, quando, quomodo motus inſtituendi, vel nimii ſedandi ſint in morbis. Per naturam autem hic minime ens quoddam cognitione, arbitrio & libertate præditum intelligendum eſt, ſed potius mechaniſmus totius corporis a ſapientiſſimo Architecto Naturæ, tam benigne ac provide ita conſtructus atque coordinatus, ut totum corpus motu a variis cauſis p. n. tueri atque defendere poſſit. Conſentit & jam hic ipſa ratio & experientia, dum videmus ipſa tali motione p. n. quæ febrilis vel morboſa audit, illud quod infenſum ſanguini eſt expelli, & perfectæ ſanitati reſtitui hominem, ut adeo febres, modo prudenter dirigantur & gubernentur, revera optimæ ſint medicinæ, & ſanguinem impurum depurare atque obſtructiones inimicas expugnare poſſint. Quandocunque autem attendimus, qua ratione & qua via utatur natura in ipſis curandis, deprehendimus ut plurimum id fieri diaphoreſi ſpontanea, qua vel ipſi paroxyſmi febrium, vel tota febris terminari ſolent. Quo circa etiam prudentiſſime & ſecuriſſime illi Medici agunt, qui primum removent illa, quæ liberam tranſpirationem & diaphoreſin præpediunt, ſive lateant in primis viis ſive in corporis habitu, adeoque præmiſſis ſi opus fuerit. V. S. evacuantibus, deterſivis, abſtergentibus, & corrigentibus totum negotium conficiunt blandis diaphoreticis, & omnia illa quæ ad ipſam promovendam faciunt, obſervant. Laudatiſſima autem hic ſunt tempora, quod ante omnia attendere convenit, & ſub aere temperate calido ambiente liquida, maxime calide adſumta & ſufficienti in copia, talia ſunt decoct. C. C. citratum, ſcorzoneræ, rad. chinæ, quorum vehiculis adſumi poteſt Tinctura Bez. temperata nimirum ex ſpiritu tartari & vitrioli, utroque volatili conſtans, mixtura ſimplex eſſentiæ ſcordii, cardui benedicti, diaſcordium liquidum, Eſſentiæ florum ſambuci, corticum citri, theriacalis vel nitrum cum camphora ſumtum, theriaca cœleſtis, ſpiritus ſalis ammoniaci cum ſale ſuccini redactus in præſtantiſſimum aperitivum & diaphoreticum &c. Quæ præſentiſſima ſunt antifebrilia atque alexipharmaca, eadem quoque cum aquis deſtillatis, v. g. Aqua ſcorzoneræ, borraginis, florum ſambuci, acaciæ, ceraſorum nigrorum, Herb. ſcordii, ſcabioſæ aſſumi poſſunt, item fixiora, uti Antimonium diaphor. Antihect. Poterii, cinnabaris antimonii, regulus antimonii medicinalis, ſalia vegetabilium fixa nitroſa CC. philoſophice præp. mater Perlarum, oculi cancri, immiſceri. Si ſitis nimium urget, acidula volatilia, uti ſpiritus nitri dulcis, ſpiritus vitrioli dulcis, tinctura roſarum, violarum, bellidis, cum potu, cereviſia temperata una miſceri

ri possunt. Certissimum est, quod cæteris paribus omnis generis febres diaphoreticis prudenter, nimirum dosi, tempore, ordine & forma exhibitis securissime, compendiose & certissime non tantum mitigari, verum etiam perfecte expugnari posse, semper tamen beneficio temporis, cum revera quivis morbus pro causæ magnitudine peculiare suumque tempus ad curandum, requirat. Cæterum quoad diætam tenuissimæ & humidæ omnibus febricitantibus semper optimæ & tutissimæ consentiente *Hippocrate* sunt.

CAPUT II.

De Febre Ephemera s. Diaria.

CUncta, quæ huc usque perspeximus in genere de febrium natura atque curandi ratione, breviter strictimque diximus. Res jam & ipse ordo postulat, ut specialiora & febrium differentias variamque curandi ipsas methodum spectemus, atque perlustremur, initium autem capere placet a febribus diariis, quia communissimæ sunt omnium, & omnia corpora his ferme subjecta sunt, antecedunt quoque alias putridas, hecticas & facillime curationem admittunt. Dicitur diaria, quoniam ratius ultra diem naturalem sive spatium 24. horarum durat, si autem longior est, Synochus simplex audit, & differt saltem majori gradu & curatione longiori. Invadere solet cum horrore levi. Pulsus autem p. n. auctus, dolor capitis cum pulsatione, sitis inappetentia, nausea, respiratio concitata, facies rubicunda ac tumida, urina non multum differt a naturali, utut interdum coloratior quodammodo fiat. Quæ symptomata omnia in Synocha majora & diuturniora. Aggreditur præcipue corpora raræ texturæ, biliosa, & sensibilem cutis texturam possidentia. Oriri solet ex terrore, ita, dolore graviori, æstu nimio solis, transpiratione propter intensum frigidus impedita, a motu corporis vel etiam animi vehementiori, assidua vigilia. Terminatur utplurimum per sudorem spontaneum vel etiam arte adjutum.

Ex quibus omnibus colligere licet, febrem hanc esse inordinatam & impetuosam sanguinis circulationem, a concitatiori spirituum animalium motu atque influxu in cordis musculos ex levi transitoria causa obortam.

Inordinate autem & concitatius moveri solent spiritus sive corpora tenuissima aerea machinæ nostræ, vel ipso animæ & corporis motu & labore vehementiori, vel magis a causa materiali, dum per transpirationem quodammodo impeditam serum tenuius salsius remanens in corpore ad motum spiritus p. n. sollicitat. In curatione primum attendenda est causa, quod si a nimio dolore, motu animi intempestivo, vigilia diuturniori ortum ducit, emulsiva humectantia ac blande demulcentia omne absolvunt punctum, nimirum parata ex amygdalis, seminibus quatuor frigidis, papavere albo, aquis cordialibus & analepticis. Si a pororum obstructione, videndum, ne degeneret in continuam per transpirationem impeditiorem redditam a frigidis copiosius assumtis, sed potius blanda diaphoretica, uti diascordium nostrum liquidum assumptum in aqua florum sambuci, addito nitro preparato, convenientissima sunt. Unico enim sudorifero dissipari potest ephemera & præcaveri continua, quæ etiam avertitur per leniora evacuantia, maxime si alvus adstricta fuerit, quod sub largo sudore frequenter contingit.

De Synocho simplici, s. Febre sanguinea veterum.

Dicitur febris hæc a veteribus inflativa synocha simplex sine putredine, sanguinea, quia succi plenos & sanguinei temperamenti invadit. Bene dicit *Galenus l. IV. meth. med. cap. 3. In omnibus corporibus indifferenter hæc febris consistere non solet, neque in gracili nec frigido corpore; sed sanguineis & corpulentis, voracibus, otiosis, vino dulci gaudentibus, familiaris est.* Invadere solet maxime illos, qui sanguine superabundant, habitus corporis laxioris & spongiosioris sunt, turgentia habent vasa, & cerevisia crassa & vinis dulcibus oleosis delectantur, quæ sanguinem in venis multum adaugent; inprimis tempore vernali mense Majo, & sub auroram, ubi sanguis & humores magis in orgasmo con-

conſtituti ſunt, aggrediuntur, pulſus ſolet eſſe magnus & celer, urina primis diebus tenuis, quarto autem cum ſedimento, calor eſt halituoſus ac mitis, nec ita acris, ſicuti in febribus putridis ac acutis, ubi cutis arida & exſucca magis obſervatur. Cauſas vehementiores habet quam diaria, ad dolores enim graviores, vehementiores animi motus conſequitur. Cutis magis adſtricta & conſtipata exiſtit ab externis frigidis conſtringentibus, vel etiam ab internis, tam copia quam qualitate infenſis humoribus, maximeque ſanguinis; pro explorato enim conſtat, ex evacuationibus ſanguineis, ſolemnibus, conſuetis ſuppreſſis, v. g. menſium, narium, hæmorrhoidum, vel V. S. in plethoricis & adſuetis neglecta propullulare hanc febrem, poſt nimiam corporis incaleſcentiam, ſi ſubito frigidus aer corpus petit, ſæpiſſime quoque obſervata fuit a Practicis: Reſpiratio quo liberior eſt, eo melior res, & contra, quo major anxietas, anguſtia & reſpiratio quaſi ſuffocatoria, eo pejor imminet rei ſtatus. Febris hæc ſi V.S. intermittitur & calidis fortioribus tractatur, degenerat facile in pleuritidem aliaſque inflammationes, in ſenibus in affectus ſoporoſos, ſi vero nimium refrigerantia data fuerint, in lentam & hecticam abire ſolet. In impuro, & ad putredinem diſpoſito corpore ſimplex hæc ſynocha lubentiſſime mutatur in putridam. Notabile potiſſimum eſt poſt adminiſtratam V. S. calorem ſenſibiliter imminui & ſudorem quoque promptius proſequi.

Ex quibus colligitur febrem hanc oriri a ſanguine copioſo, qui vaſa capillaria cutis ejusque poros infarcit, obſtruit, & liberiorem ventilationem ac tranſpirationem impedit, unde ſpaſmus in cute facillime excitatur, concurrente maxime cauſa externa, frigido aere &c. Regurgitat ſic ſanguis copioſus ad vaſa interiora, ubi anxietatem oppreſſoriam, dolorem dorſi, pulſationem arteriarum circa tempora producit, ſi fortioribus calidis magis exagitatur, inflammatorias ſtaſes, impetuoſius in ſolidas partes adactus facillime cauſari poteſt. In lentam tranſit, ſi copioſus ſanguis refrigerantibus denſus, craſſus & viſcidus redditur, unde ventilatione humorum & liberiori ætheris per ejus poros motione plus impedita lentus exſurgit calor. Cuncta quæ ad ſanguinis copioſi generationem faciunt, ſicuti temperamentum ſanguineum, ætas juvenilis, tempus vernum, diæta lauta & vinoſa, otium, dulcia copioſe aſſumpta, item ſpirituoſa dulcia ingignunt hanc febrim. Facile ex hiſce apparet, optimum auxilium hujus morbi eſſe venæ ſectionem mature inſtitutam, poſt eam, alvum quæ ſicca & ſegnis plerumque eſt, ducere convenit, ſive externo ſtimulante aut enemate, ſive infuſo laxativo interno. Veteres conſultum duxerunt evacuans præmittere V. S. ne impuri humores prima in regione collecti tranſeant celerius in vaſa exinanita. Vinum in hoc morbo niſi in declinatione, plane exulet. Veteres itidem uti ſolebant balneo aquæ tepidæ ad poros obſtructos aperiendos & victum humectantem & refrigerantem concedebant. Ceterum leniora diaphoretica v. g. lap. cancrorum, mater perlarum, antimonium diaphor. nitrum præparatum, Diaſcord. Fracaſt. cum aqua ſcorzoneræ, florum ſambuci &c. mixta, præſentiſſimam opem ferunt, non omiſſo ad potum decocto C. C. infuſo herbæ thee &c. Ita quarto die ut plurimum terminatur, vel etiam 7. ſudore ſæpius largiſſimo, nonnunquam etiam in ætate juvenili per hæmorrhagias. Victus tenuiſſimus ſ. potius abſtinentia commendanda in hoc morbo maximopere etiam eſt.

De Febre ardente, bilioſa, Cauſo, Tertiana continua.

Febris hæc ſuas quotidie exacerbationes habet; adoriri ſolet poſt ſolſtitium vel æſtivum, vel hybernum, ubi periculoſior eſt. Menſe Julio, & Auguſto frequentior. Levis præcedit horripilatio, ſuccedit calor torridus, citra madorem, quam ob cauſam dicitur Cauſus ſ. combuſtio, adeoque major æſtus complicatus eſt Cardialgiæ, & dolores acerbi in præcordiis per intervalla urgent. Adeſt capitis dolor, nox inſomnis, pulſus celer & debilis, dejicere ſolent & quidem bilioſa, flava, fœtida per alvum & critice & ſymptomatice. Quando alvus conſtricta eſt, majores patiuntur anxietates & ſeviora

ſym-

ſymptomata ; urinæ tenues , pellucidæ imprimis , ſi cum delirio junctæ ſint , peſſimum ſignum præbent , hinc bene monet *Galenus : nullum ſe vidiſſe delirantem , in quo talis urina obſervata fuerit , ſanatum .* Poſtremo peſſimum ſignum præbent extremorum horrores & refrigerationes internis æſtuantibus , *vid. aph. 48. ſ. 4. Hipp.* Sudor ſi non æqualiter per corpus profluit , ſed tantum in capite vel ſuperioribus partibus ſubſiſtit , nec ad inferiora tranſit , identidem malum indicium eſt . Terminari ſolet , & quidem in ſalutem ut plurimum die ſeptimo , ſive per hæmorrhagiam narium in ſanguineis & ætate juvenili , vel per dejectiones bilioſas in Cholericis , ad iracundiam proclivibus & liberaliori vino olim ſe replentibus , vel per ſudorem in viris & ſubjectis magis pituitoſis . Notandum autem , quod juxta *aph. 56. ſect. IV. Hippocr. febricitanti crebri ſudores ſi ſupervenerint , febre remiſſionis experte , calamitoſum eſſe : protrahitur enim morbus & excrementitium multum humorem ſignificat.* Tranſit perfacile in pleuritidem , item in anginam vel etiam anxietates cardialgicas , imprimis ſi tranſpiratio a cauſa quadam externa impedita , & interne calidiora adminiſtrata fuerint , vel etiam ſi alvi ſuppreſſa dejectio fuerit : ſalutariter deſinit in icterum juxta *Hippocrat. aphor. 64. lib. IV.* indicio cauſticam , bilioſam , acrem materiam a ſanguine ſecretam beneficio naturæ ad corticem corporis expulſam fuiſſe , unde icterus ille eſt criticus . Quoad exacerbationes obſervatur , morbum hunc tertianarum typum ſervare , ita ut calor quidem continuus , aſt ſymptomata alternis diebus exacerbentur . Infeſtat hæc febris maxime bilioſos , macilentos , corpora rarioris texturæ , juvenes , viros , raro ſenes vel infantes , ex iracundia , nimio motu , ſudoris ſuppreſſione , exanthematum repulſione , potu liberariori vini , dulcium abuſu , originem ſumit , & quando jam præſens eſt , hiſce quoque mirabiliter exaſperatur . Obſervavimus febres catarrhales cum tuſſi in ſubjectis bilioſis deſiiſſe tandem in tertianas continuas . Ægrotantes plerumque ſolent eſſe præcipitantes , loquaces , impatientes , ad iram ex levi cauſa proni . Ex hiſce omnibus probe perſitatis conſequitur , febrem hanc oriri a copioſis partibus bilioſis , acribus , cauſticis , ſulphureis , partim in ſanguine exiſtentibus , & jam eo ejus contextu atque involucro ſe liberantibus , partim per ductus biliarios in inteſtinum duodenum magna copia effuſis , unde ſyptomatum hunc febri familiarium ratio facillime peti poteſt . Veteres identidem accuſarunt bilem flavam intra vaſa putreſcentem & validum fervorem concipientem .

Hiſce conſideratis in promtu eſt concludere , quænam ad curationem ardentis febris potiſſimum conferant . Placet autem ſequentes cautelas hunc in finem ſubtexere : 1. Vitanda ſunt hoc in morbo omnia fortiora commoventia , cujus generis ſunt , purgantia , validiora ſudorifera , ſpirituoſa , vinum , ſalia volatilia oleoſa , hæc enim motu atque calore ſulphureas , copioſas , peregrinas partes in ſanguine magis accendunt & vehementiora proferunt ſymptomata , in ſpecie anxietates , cephalalgias , ſudores ſymptomaticos continuos , delirium , aſſiduam vigiliam , & quæ a ſimili cauſa pendent . Pro generali enim inſervit regula : tutius multo eſſe in ardentibus mitioribus medicamentis perpetuo rem agere quam validioribus . 2. Si unquam etiam pro *Galeni* ſententia *lib. XI. meth. med.* ſaluberrima eſt V. S. certe in dicta febri , præſertim ſi perſonæ temperamento ſanguineæ vel ſanguineo-cholericæ ſint , aut intemperie bilioſa morboſa laborant , at vero mature inſtituatur conſentientibus ætate ipſisque viribus . Ita natura levata eo , quo veluti ſarcina premebatur , facilius quod reliquum eſt vincere atque ſecernere poterit . Accedit quod ſanguis exſuperans fortiori motu exagitatus anxietates oppreſſivas , inflammationes periculoſas aliaque vereenda ſymptomata ordinarie producat . 3. Conſulto alvus aperta ſervanda eſt mollientibus clyſteribus , & nunquam diarrhœæ ſpontaneæ adſtringentibus terreis vel opiatis ſupprimendæ ſunt ; etenim frequens obſervatio fidem mihi fecit , ſemper præſtare alvum hac in febre eſſe laxam , fluidam quam conſtrictam , ad hanc enim conſequi ſolent cardialgicæ anxietates ,

ſin-

singultus, delirium, vigiliæ, oris inflammationes, linguæ siccitas & nigredo, et ejusdem generis plura. Quinimo observavi potius nitrosa cum præcipitantibus et diluentibus exhibita non nocuisse in dejectionibus crebris, sed potius insignem utilitatem attulisse. 4. Si nimiæ fuerint hæmorrhagiæ die 4. vel etiam 7. plerumque infestantes, nunquam illæ sisti debent vel externis vel internis, et frigus quoque omne arcendum ab illis est; quo plus enim in calore temperato et diaphoresi temperata æger servatur, hoc tutius procedimus. Convenit autem tunc temporis refrenare paululum impetum sanguinis emulsionibus, item nitrosis absorbentibus remediis. 5. Transpiratio ac diaphoresis blanda tota morbi decursu, præsertim circa dies decretorios, nullo impedienda modo est; hinc cane pejus et angue fugienda extrinsecus applicata frigida, maxime dorso, copiosus frigidus potus, cibi solidi remedia constringentia, opiata, terror subitaneus, similiaque. Aurea enim a veteribus notata regula est, cujus veritas quotidiano adhuc confirmatur experimento: in vigore morbi acuti quietem habere oportet, nec corpus ullo pacto exagitare, ne naturæ impetus impediatur. Quando 11. die madores in cute roscidi apparent, et urina aliquando concoctior, 14. plerumque decretorie sudare solent, qui sudor promovendus sufficienti potu decocti cornu cervi citrati. Plerumque uti proditum est ab *Hippocr. libr. 2. aph. 13.* nox gravis et inquieta præcedit iis quibus crisis perfecte fit. Sudorem in copiosum per universum corpus erumpentem ordinarie solvitur morbus, interdum etiam cum sudore ad aliquot dies larga, biliosa, et corrupta dejiciuntur. 6. Optima hujus morbi præsidia sunt humectantia, demulcentia nitrosa, leniora diaphoretica, acidula et mixturæ ex aquis scorzoneræ, borraginis buglossæ flor. tiliæ, sambuci, nymphææ, papaveris rhœados, item nitro purificato vel regenerato, oculis cancri, matre perlarum, conchis præparatis, diascordio Fracastorii, spiritu salis vel nitri dulci, tinctura rosarum, julepo rosarum, syrupo ganatorum pro re nata concinnandæ, vel etiam cum aquis prædictis et seminibus 4. frigidis emulsiones præparari possunt egregie demulcentes et humectantes.

De Febribus putridis malignis petechialibus.

Sævissimi omnium morborum genus humanum misere interficientium certe sunt febres malignæ veteribus dictæ putridæ, quæ brevi tempore exitiabili symptomatum agmine stipatæ totam œconomiam corporis pervertunt et vitæ mirum insidiantur. Dignum notatu est, quod frequentius inter initia tam levibus symptomatibus incedant, ut non tantum a Medicis ægrius cognoscantur, verum etiam ipsos in prognosi sæpe numero fallant. Ingens autem observatur symptomatum hisce in morbis discrepantia, utpote non paria in omnibus individuis cernuntur, sed contraria interdum et inter se pugnantia, prout nimirum & malignitatis causæ & ipsa corpora, ratione temperamenti, ætatis, victus, cœli inter se differunt. In hoc tamen convenire potissimum videntur omnes maligni, quod subitus virium prolapsus sive corporis & animi in robore suo defectio, mentis cum assidua vigilia turbatio, pulsus arteriarum exilior, imbecillior & inæqualior, urina sine coctionis signis sanorum similis, præcipua, atq; specifica malignitatis indicia constituant, cætera omnia accidentalia sunt. Ita in aliis apparent exanthemata, in aliis autem non, in aliis anginæ & oris inflammationes ardentes visuntur, in nonnullis anxietates intensissimæ præcordia occupant, item caput truculentissimi invadunt dolores, quibusdam deliria, quibusdam etiam soporosi affectus accedunt; præterea cernimus etiam non levem symptomatum differentiam pro diversitate complexionum. Ita qui temperaturæ humidioris existunt & corpus magis laxum & spongiosum nacti sunt, æstum sentiunt leniorem, delirium longe remissius est frigidis, & copiosis & debilitantibus perfunduntur sudoribus. In pectore tussiculosi & catarrhosi aliquid percipitur, sitis in ipsis est pauca. Ex adverso qui sulphureis in san-

guine abundant partibus & vulgo Cholerici audiunt longe intensiorem in corpore ardorem, internarum partium incendium, sitim inexplebilem experiuntur, in his quoque facilius succrescunt inflammationes meningum unde phrenitis; orificiorum ventriculi, unde cardialgiæ; vel etiam intestinorum, unde diarrhœæ fœtidissimæ bilioſæ natales suas agnoscunt. Diversum quoque horum morborum est ingenium diversaque malignitatis causa, prout scilicet tempestatum præcedentium constitutio diversa est, quæ plerumque epidemias pernitiosas has affectiones progignunt. Sapientissime scripsit *Hippocr. aphor. 8. Sect. III. Constantibus anni partibus si tempestates convenienter succedunt, bene morati facilis ac secundi judicii incidunt morbi. At incertis, male moratis malequè constitutis temporibus adversi difficilisque judicii incidunt morbi.* Item *aphor. 1. Sect. III. Mutationes defectioneſque temporum maxime pariunt morbos, & quæ in singula anni tempora incidunt, insignes mutationes frigoris aut æstus, cunctaque alia sua natura.* Ita observatione constat, ferventissimam diu durantem æstatem sub principium autumni sequi dysenterias & diarrhœas malignas, febres quoq; inflammatorias, ardentes, putridas, quandoquidem continuo ardore succi corporis corrumpuntur acredinem causticam concipiunt, & copiosa insecta (quæ exhalationibus venenatis salino causticis atmosphæram inficiunt, generantur, cunctaque alimenta peregrinam induunt naturam. Eadem ratione tempestas nimis humida, ventis qui aerem ventilant destituta, cœlum perpetuo nebulosum ac pluviosum in mollibus atque humidis corporibus facillime excitant putredines: etenim spiritus qui regunt & movent sanguinem nostrum, illumque in crasi & mixtura sua servant & a putredine defendunt, omni vi ac robore tunc destituti sunt, unde sub tali tempore nascuntur febres putridæ cum copiosis excretionibus per tussim & sudorem conjunctæ, vires magis prosternuntur & interiora uruntur, exteriora autem ardent quod sphacelosis viscerum inflammationibus semper fere accidit; Cæterum delirium est mite, calor in externis partibus mitis: Quo casu sedula attentione opus est, ne Medentes curam lentarum aut catarrhalium febrium summo cum ægrotantium periculo instituant.

Quando subito post diuturnam & humidam aeris temperiem sequitur frigus intensum, morbi maligni identidem excitari solent, experientia etiam testatur, malignos morbos tam febres quam variolas & morbillos plerumque evadere pertinaciores, quo magis gelu urget, & quam primum remittit gelu, remittere etiam malignitatis vim.

Notanda etiam porro venit malignitatis indoles ratione magnitudinis, dum alia minor, minus acutum, vires tamen prosternantem producit morbum, alia major, acutum, imo acutissimum, ad pestis naturam accedentem (quæ nil nisi febris maligna acutissima est) progenerat. Observandum & porro in dictis morbis interdum exanthemata, anthraces, bubones, quod in peste fit, in partibus glandulosis, aliquando maculas, præsertim in pectore, in dorso, collo exiguas, parum in medio elevatas & asperas, summa cum virium prostratione suboriri, quod in febribus, quas petechiales appellamus, accidit, nasci, aliquando vero in summa malignitate non apparere tales excretiones. Notandum autem hic malignas has maculas bene distingui debere tam a maculis scorbuticis, quam a variolis & morbillis, nec non purpura, vulgo Prieſel, ab exercitato Practico, quod fieri potest, si attendat ad illud malum, quod epidemice tunc temporis grassatur, & respiciat quoque ad signa singulis his morbis specifica & familiaria; Postremo alia malignitas est nativa & primordialis, quæ generatur in ipsis corporibus, alia est adventitia; quæ ab extra accedit sanis corporibus per ipsum contagium. Pro explorato itaque constat in impuris corporibus scorbuticis, cachecticis, hystericis, pituitosis, obesis, gravidis mulieribus, infantibus & qui corpora habent minus perspirabilia, facillime generari dispositionem humorum ad putredinem & malignitatem. Deinde quoq; nihil magis obvium est, quam quod corpora sive laboribus nimiis, sive diuturnis morbis, sive etiam affectibus animi, mœrore,

tristi-

triſtitia, item fame exhauſta, uti militum ex caſtris accedentium, admodum proclivia ſint ad generationem morborum malignorum. Malignitas quæ ab extra accedit corporibus, eſt a contagio, quando ſani homines cum infectis converſantur, qui hauriunt minimæ molis, aſt ſummæ activitatis mediante aere effluvium, quod cum ſaliva ad primas deſcendit vias, nauſeam primum, imo vertiginem, anxietatem cardialgicam & ſyncopem producit, poſtea cum ſanguine & fluido nuptum in tota œconomia corporis motiones tam vitales quam animales pervertit atq; confundit, more omnium venenorum, quæ immediate operationes exerunt in ſpiritus rectores ac moderatores motuum corporis noſtri.

Quod originem malignitatis morborum concernit, deduxerunt hanc priſci Medicorum ex putredinis excellentia, actiones vitales deſtruente, unde etiam peſtilentes febres dixerunt putridas, & hoc non ſine cauſa: nam putredo nil aliud eſt quam diſſolutio partium mixtum intime conſtituentium, unde per putredinem corporum textura, craſis, forma, virtus penitus deſtruitur, ſimile evenit in ſanguine & cæteris machinæ noſtræ fluoribus, dum mixtura horum penitus diſſolvitur & elementa ſanguinem ad vitam aptum componentia a ſe invicem ſecedunt. Sanguis naturaliter ex partibus, ſenſu teſte conſtat: 1.) aqueis fluidis, 2.) oleoſis, pinguibus, inflammabilibus, 3.) terreis quæ cum aqua mixtæ viſcoſitatem generant, & 4.) ſalinis quæ cuncta ſanguinis elementa mutuam unionem inter ſe reſpuunt, intime autem uniuntur, miſcenturque mediante motu, quo non tantum recrementa, ſalino-ſulphurea, aquea ſuperflua, per congrua evacuatoria a ſanguine liberantur, verum etiam diſtinctiſſimæ ſanguinis ſubſtantiæ intima copula miſcentur atque uniuntur, ut liquor fluidus inſipidus ſenſu teſte homogeneus ad perficiendas vitales & animales functiones aptus evadat. Hic genuinus contextus hæc nativa ſanguinis craſis non modo valde turbatur & vitiatur, ſed ferme deſtruitur in febribus, quæ audiunt malignæ; accidit autem illud partim ob defectum ſpirituum, qui ſanguinem vitaliter movere & ejus mixturam motu progreſſivo conſervare debebant; partim ob motum illorum valde irregularem & turbulentum a miaſmate virulento inductum, unde inordinatæ ſanguinis motiones & ſecretiones non poſſunt non ejus mixturam naturalem valde turbare & invertere, vel etiam impuritas ſanguinis in majori gradu, ſive accumulatio magna ſordiū ſeroſo ſalinarum ſulphurearum ad corruptionem vappeſcentiam & putredinoſam ſanguinis deſtructionem valde diſponit. Remanet igitur ut demonſtremus, dictis in morbis revera adeſſe ſanguinis & humorum corruptionem, item ſeceſſionem elementorum ſanguinem homogeneum componentium, illud autem teſtatum maxime faciunt copioſiſſimæ excretiones ſeroſi humoris per ſudores colliquativos, malignis familiariſſimos; quid enim hi aliud indicant quam violationem vinculi quod intercedit cum ſanguine & ſero? Porro nihil familiarius eſt, quam ut in malignis morbis urinæ copioſæ dilutæ ſecedant, quod funeſtum ſemper indicium notavi. Antiqui Medici ejuſmodi urinas indicare phrenitidem prodiderunt, cum exiſtimarent rapi bilem ad caput; & reſpondet quoq; ipſa experientia, tametſi allegata ratio hic non commodum inveniat locum, ſed potius copioſæ urinæ de ingenti teſtantur ſeceſſione ſeri a ſanguine, unde ipſe craſſior redditus per venas anguſtiſſimas cerebri non bene circulatur, ſed inflammationem ibi parit. Rurſus diarrhœæ male olentium humorum malignis frequentiſſime conjunctæ, item ejectiones copioſi per tuſſim ſeri, quæ in principio petechialium ſæpius catarrhales febres mentiuntur, nihil aliud notant, quam elementa ſanguinis invicem moliri ſeceſſionem. Porro autem intimam ſanguinis corruptionem in peſtilentialibus, malignis & acutiſſimis febribus teſtantur ſphacelationes & corruptiones viſcerum, ventriculi, inteſtinorum, hepatis, cerebri, quorum exempla ubivis occurrunt apud attentos obſervatores. Inflammationes ardentes, anthraces, bubones, petechiæ, puſtulæ nonne a ſale ſumme acri corroſivo cauſtico ex ſanguinis corruptione producto ortum ſuum habent? Male olentes urinæ & fœtentes alvi ſordes corruptionis

præsentiam non possunt non sufficienter manifestare. Ita porro etiam putredo verminosa hisce morbis quandoq; complicatur, confirmat hoc ipsum *Forestus l. obs. 4. in scholiis*, videlicet omnes febre maligna, quę per æstatem grassabatur, ægrotantes, vermes cum fętido alvi profluvio dejecerunt, qua de re conferri potest *Kircherus de peste s. 2. cap. IV. it. M. N. C. Decad. 2. ann. 5. obs. 99.*

Perspectis sic causis atque origine malignitatis evoluta opus jam est, ut transeamus ad curam, quæ in eo potissimum consistere debet, ut primum spiritus seu partes secundum *Hippocrat.* impetum facientes, in quibus vis naturæ & motuum tam vitalium quam animalium consistit, & quæ morborum medicatrix & vitæ conservatrix est, omni studio ac ratione servemus, generemus atque custodiamus. Spiritus enim maxime patiuntur in malignis, unde perpetua defectio virium, quę a defectione spirituum est, malignis jungitur; Deinceps putredinosa corruptio & secessoria elementorum sanguinis destructio tam medicamentis quam rerum non naturalium usu omni ratione impedienda & avertenda est, & potius crasis ac mixtura sanguinis turbata restituenda.

Ut autem hisce indicationibus faciamus satis, & felicem in cura effectum adsequamur, notari & memoriæ imprimi merentur sequentes saluberrimę cautelæ. 1) Prudens Medicus in omnibus malignis, quantum fieri potest, cito succurrat auxilio suo, quicquid enim laudabile hic præstatur, id in principio maxime fit. Optime *Hippocrates sect. 1. aphor. 29. Si quid movendum vel evacuandum est, illud semper ab initio morbi, ubi vires vigent, fiat.* Si itaque vomitoria, si purgantia, si sanguinis missiones indicantur, quod tamen rarius fit, dum ipsa materia peccans non tam turgeat vel quantitate peccet, sed magis qualitate tenuitate, duobus prioribus diebus id fieri necesse est. 2) Quantum possibile, blandissime ac leniissime in vigore morbi semper procedat medicus, nec nimium moveat aut irritet, unde omnes purgationes, sudores coacti, remedia volatilia, spirituosa multum motus in sanguinem introducentia omni studio vitanda sunt, utpote frequentissima observatione constat, hisce æstum & delirium magis accendi, vel sudores resolutivos induci, aut benignas febres in malignas verti. Spectat huc illud *Livii lib. 22. cap. 18. Medicos interdum plus quiete quam movendo vel agendo perficere.* Hinc prudentissime illi Medici faciunt, qui in omnibus morbis malignis, & a putredine ortis a violenter commoventibus abstinent, sed magis naturæ negotium relinquunt, & saltem blandis diluentibus, temperatis diaphoreticis, leniter & sine calore refocillantibus, subinde utuntur. 3) Medicus expertus & judiciosus attendat maxime ipsius naturæ motus criticos, quos nunquam turbet vel supprimat vel ante tempus accersat, *quo enim natura vergit, eo ducenda est*, uti scientissime prodidit *Hippocrates*. Quare circa dies sic dictos criticos caveat Medicus, ne medicamenta in contrarium operantia præscribat ægrotantibus, it. ne incongruis & copiosis alimentis, aere frigido, affectuum intempestivo usu, remediis acidis, opiatis instantur excretiones criticæ laudabiles, sicque mors vel recidivæ pejores a retrogrado materiæ vitiosæ motu accersantur.

Notari hic velim, ægrum debilem nunquam diu, maxime autem circa criticas evacuationes, in positura erecta relinquendum esse; facile enim animo deficiunt, dum propter motum cordis debilem sanguis perpendiculariter in cerebrum ægre ascendit, & ita summa corporis refrigerantur, constringuntur, exanthemata jam in cute existentia repelluntur, vel critici sudores supprimuntur, summo semper cum vitæ discrimine, quod non semel, sed repetitis vicibus in praxi mea observavi. 4) Qui sapienter vult mederi epidemiis malignis affectibus, ante omnia necesse est, ut noscat morbi genium ac mores, & ipsius originem, præterea constitutionem ægri, habitum corporis, ejus consuetas excretiones, victum familiarem, & loci, quo degit, naturam. Diversa enim malignitatis indoles est, hinc una eademque medendi methodus in omnibus non obtinet: Morbi enim epidemii toto differunt cœlo, unde optimum monitum

nitu eſt felicissimi Practici *Sydenhamii l. de morbis endemiis. In tam spissa hac rerum caligine nil mihi prius est, quam, quando novæ febres grassari incipiunt, cunctari paulisper & ad magna remedia, non nisi tardius procedere, diligenter interim illarum ingenium & mores observare, quibus itidem præsidiorum generibus ægri juventur vel lædantur, ut quam primum his repudiatis illis utamur.* 5.) Omnium securissimam sanandi ex malignitate ortos morbos ego annotavi sequentem methodum: (1.) Parum respicio in cura ad symptomata neque ad vigilias, anxietates, neque ad diarrhœas, tusses, sopores, cephalalgias & similia. (2) Abstineo per totam curam ab omnibus sudoriferis volatilibus, purgantibus, nisi quod interdum clysteres admittam, etiam omnibus emeticis, nisi ad præservationem & statim in principio, si morbus a contagio fuerit; it. ab opiatis & omnibus narcoticis. (3.) Aerem tam hypocausti quam lecti temperate calidum & æqualem purumque commendo. (4) In blanda diaphoresi ipsum ægrum per totum morbi decursum retineo, quo fine in principio morbi familiariter utor sequenti pulvere ℞ Pulv. bezoard. Senn. aut Ludovici (vel compositi ex matri. perlarum, lap. cancror. C. C. sine igne, antimonii diaphoret. p. æqual.) drachmas duas nitri optime purificati scrupulos duos vel etiam tres, camphoræ grana sex, theriacæ cœlestis tria, misce, fiat pulvis, dosis est drachma una, reliquo tempore mixturas & emulsiones ordino bezoardicas & analepticas, quæ e. g. compositæ sunt, ex aqua scorzon. card. bened. scordii, cerasor. nigrorum, flor. acaciæ sambuci, flor. aurantior. pulveribus variis bezoardicis, pulvere Marchionis quibus pro re nata additur nitrum vel mixtura simplex ad aliquot guttas, vel etiam confectio alkermes, aut spir. nitri vel vitrioli dulcis, quæ Julapio rosarum, vel syrupo granatorum edulcorari possunt. (5) Per totum morbi cursum pro potu commendo decoctum C. C. citratum vel calide vel frigide sumtum, cui interdum addi potest spir. nitri dulcis, vel etiam essentia scordii, in scordio enim & camphora præcipua et excellens vis residet alexipharmaca. (6) Reliqua omnia committo naturæ, et bene attendo ejus excretiones criticas, in quibus prudenter movendis, vel si opus est, sistendis judicio opus est solido ac firmo. Ita divina adspirante gratia plures ægrotantes petechiis, acutis putridis febribus, variolis, morbillis, febribus purpuratis mali moris decumbentes felicissime ac tutissime in praxi mea sanavi atque restitui, probe gnarus, quæ et quanta damna atque incommoda alii Medici perversa sua et vulgari methodo ægrotis suis intulerint.

De Febribus intermittentibus.

Quænam sint genuinæ continuarum et malignarum febrium causæ, et quomodo quis recte has curare debeat, copiose multaque ratione docuimus in superioribus. Nunc vero ad intermittentes progrediendo, antequam ad specialem tractationem & harum curationes perveniamus, quædam hic generatim præmittenda esse duximus. Habent autem easdem causas cum continuis, quandoquidem irregularis atque inæqualis humorum motio, identidem in ipsarum paroxysmis observatur, non secus ac in continuis; differunt autem in hoc, quod per intervalla redeant illarum paroxysmi, tempore intercalari a motione talismodi irregulari libero, pro quo interstitio diverso, diversa febres accipiunt nomina, & vel quotidianæ, tertianæ, quartanæ dicuntur, quintanæ enim & sextanæ rarius observantur. Deinde in continuarum principio semel tantum frigus ac horror invadit, in intermittentibus autem quovis paroxysmo frigus, horror vel rigor præcedunt, subsequente calore, qui tandem sudore largo vel transpiratione resolvitur. Præter ea etiam intermittentes differunt causa; etenim in continuis vitiosus humor sanguini vel spiritibus admixtus & intra vasa collectus continenter producit motiones irregulares, donec ipse correctus vel secretus fuerit. In intermittentibus videtur ille magis consistere extra venas, maximeque in ambitu corporis, & porosa substantia cutis, ubi tam copia

quam nocente qualitate ſpaſmodicas partium ſolidarum & irregulares ſpirituum & ſanguinis producit motiones. Antiquitatem in hiſce prorſus conſentientem deprehendimus, dum continuarum cauſas veteres ſtatuunt materiam febrilem intra vaſa hærentem corruptam, intermittentes autem ab humore extra venas putreſcente, & in habitum corporis poſtmodum propulſo deducunt. Optime *Fernelius libr. IV. cap. 9.* ſcribit: veterem eſſe opinionem, humorem, qui continens et proxima eſt intermittentis febris materia, in ſolo corporis habitu et extra venas computreſcere. Hunc acceſſionis initio e venis majoribus, in quibus conditus erat ſanguini permixtum in minores, ex hiſce in corporis habitum propelli. Hoc impetu ſummas corporis partes, quarum exquiſitior eſt ſenſus, ferientis humoris occurſu vel inhorreſcere vel rigere. Eo mox ſenſim illic incaleſcere, inflammari, & mox caloris vi diſſipari in ſudores, ſicque acceſſionem finiri, dum nova ſimiliter recurrat. Varia autem Medicorum eſt opinio, quæ ſit ſedes & origo remota humoris vitioſi febrem excitantis, dum alii dicunt, quod ſit ſimpliciter in ambitu corporis, nonnulli autem, quam ſententiam etiam nos amplectimur, illius originem ponunt prima in regione, ubi facile ſordes propter concurſum bilis, ſalivæ, ſucci pancreatici, atq; diverſæ naturæ alimentorum concipi poſſe, nemo eſt qui dubitet; mea ſententia in plicis ſive valvulis conniventibus & tunica interiori villoſa glanduloſo-nervea inteſtinorum tenuium minera ac fomes intermittentium exiſtit. Etenim quando amurca ſive bilioſa ſive acido-viſcida, ſive pure viſcida tunica ſpongioſa repleta eſt, chylus & lympha tranſiens in ora lacteam venarum perpetuo inficitur, & quoniam ſanguini propter materiæ irregularitatem non miſcibilis eſt, neque etiam excretoriis partium poris bene reſpondet, in ipſis, nec non corporis cortice & glandulis ſubcutaneis ſubſiſtit, & juſta quantitate vel qualitate accreſcente, ſpaſmum, cujus natura eſt conſtringere & anguſtare poros, ibi excitat, & febrilem ſive inverſam ſanguinis motionem a peripheria ad centrum primum, deinde rurſus a centro ad circumferentiam corporis impetuoſe ſemper gignit.

Ex hiſce peſpicuum eſt, quare in cura intermittentium ante omnia primam regionem Medicus reſpicere, illamque a ſordibus ibi ſtagnantibus, ſive per vomitoria ſive evacuantia aut ſalia abſterſiva alcalia ſive potentiora mercurialia, martialia, & antimonialia remedia liberare debeat. Experientia enim compertum habemus, ſæpe unico vomitorio, purgante, vel aliquot doſibus ſalis abſterſivi expugnari intermittentem poſſe. Colligitur autem in alimentorum canale diverſa febris minera, ſive ex ingeſtis vitioſis, quod ſæpius accidit, ubi tamen facilior cura eſt, ſive ex vitio & obſtructione viſceris cujuſdam vicini vel lienis, pancreatis, hepatis, vel ex ipſius lymphę & ſanguinis impuritate, dum per glanduloſam tunicam ex arteriis meſaraicis inſtillatur, vel per ductum choledochum aut pancreaticum advehitur, quo caſu, ſi nimirum humores univerſali diſcraſia laborant, vel ex veteri viſceris obſtructione vitioſus propulſudat humor, non tam facilis curatio febris, ſed potentiora potius deobſtruentia requiruntur, & tempore longiori opus eſt, item aere, qui ſubtilitatem ſanguini atque activitatem corpori conciliare poteſt.

Ex hiſce etiam facile colligitur, qua de cauſa ex antecedente temporum p. n. conſtitutione vel mutatione intermittentes populariter graſſentur.

Quæſtio rurſus eſt, an dentur intermittentes malignæ & contagioſæ epidemice graſſantes? quod utique aſſerendum exiſtimamus, cum libri medici ſimilium obſervationum pleni ſint, & ipſa experentia hoc comprobet; graſſari autem tunc frequentius ſolent, quando febres petechiales, variolæ malignæ, & putridi funeſti morbi alii ob ſummam temporis præcedentem intemperiem corpora affligunt. Obſervavi malignas intermittentes evenire in perſonis quæ potiſſimum denſum, craſſum & melancholicum habent ſanguinem, hic enim propter firmitatem non tam facile a miaſmate virulento ſolvitur & putreſcit, excitat proinde ma-

gis

gis intermittentes, attamen non citra virium proſtrationem, ſyncopen, pulſum ſub æſtus vigore debilem, vel etiam exanthematum eruptionem; Interdum etiam intermittentes malignam aſſumunt naturam, in ſubjectis ſcorbuticis vel ſumme debilitatis, aut etiam culpa ipſorum Medicorum, qui præpoſtero nimis draſticorum uſu, & vires ægrotantium proſternunt, & varias turbulentas agitationes in corporibus efficiunt.

Proximum jam eſt, ut explicemus ac ſolvamus quæſtiones maximi momenti, quæ diu etiam fatigarunt nobiliſſima Medicorum ingenia; prima eſt: Cur febres quædam ſingulis diebus, quædam alternis vel quarto tandem ſuſcitentur. Secunda, cur periodos atque ſtata tempora, quibus revertuntur, exacte ſervent; Ut autem clarum hoc negotium evadat, neceſſum eſt, ut in anteceſſum notemus, materiam vitioſam febrilem primis in viis ſtabulantem non ſemper eſſe eandem, ſed differre qualitate noxia, ſ. eſſe magis vel minus ſalſam, acrem, bilioſam, viſcidam, acidam, ſeroſam, & quantitate atque mole quoque delinquere. Exiſtimamus itaque, in quotidianis, quæ revera ad lentarum naturam accedunt, & ſub veſperam cum pulſu tardo & raro invadunt, corpore mox calore, mox frigore correpto, delinquere copiam ſeri, ſive diſcraſiam quandam ſanguinis viſcidam: hinc etiam diuturniores ſolent eſſe hæ febres, nec facile curantur, & niſi cachexiæ ſimul obviam eamus, vertuntur in hecticam. Quotidianæ ergo febres, recte notantibus Practicis, non dantur, ſed potius tertianæ duplicatæ vulgo dicuntur quotidianæ. In tertianis judicamus humorem peccantem acredine quadam bilioſa eſſe imbutum, quæ quo major & volatilior eſt, tertianam duplicem vel etiam tertianam continuam ſuſcitat; ſi autem remiſſior acredo eſt eum ſero viſcidiori, tertiana notha naſcitur, in qua æſtus non tam acris, ſed mitior, urina non tam flammea, ſed cum ſedimento, & omnia ſymptomata leniora obſervantur, ob id etiam febris hæc tardius curatur; ubi autem major viſciditas delinquit acido ſtiptico ſale referta, quartanæ producuntur; quo itaque mobilior & acrior eſt humor peccans, hoc breviori tempore efficit motiones inordinatas; quo immobilior & ſegnior, eo longius requirit tempus. Eadem jam eſt ratio, quare tempore verno & æſtivo magis familiares ſint tertianæ ſimplices & duplices, in autumno ac hyeme quotidianæ ac quartanæ. Item cur illi, qui ſanguinem ſeroſum poſſident, febribus lentis, qui craſſum, & denſum quartanæ, bilioſum ſalinum tertianis tam ſimplici quam duplici potiſſimum laborent.

Cum itaque pro diverſa conſtitutione materiæ febrilis febrium rypi vel accelerentur vel retardentur, fluit exinde, alterata & mutata materiæ morbificæ figura, mole vel motu febrium paroxyſmos vel anticipare vel poſtponere, item unam febrem converti poſſe in alteram, quod in praxi ſæpenumero experimur. Sic obſervavi, ab acidorum, it. Chinæ Chinæ abuſu non ſolum longe pertinaciores factas fuiſſe febres, ſed & tertianas tandem mutatas fuiſſe in quartanas: Deinde nihil magis familiare eſt, quam ut ex tertiana, ſimplici tertiana duplex, vel bilioſa ardens fiat nimio abuſu volatilium & calidorum.

Alterum quod ſpectat phænomenon ſolvendum, cur nimirum ſtato die ac hora recurrere ſoleant febres, dicimus ſupponi certam ad febrem quantitatem ac qualitatem materiæ morbificæ, quæ apta ſit movere ſpiritus, inordinate atque ſpaſmodice. Cum autem in omni paroxyſmo maxima pars materiæ morbificæ diffletur, neceſſe eſt, ut requiratur certum tempus, quo iterum fiat certa collectio materiæ vitioſæ aptæ ad motum inſtituendum febrilem. Cum autem, uti, in tota rerum natura, ſic quoque in microcoſmo omnia certo numero, pondere, & tempore, fiant, & circulatio ſanguinis quoque juſtos ſuos rhythmos ſervet, facile inde colligere pronum eſt, cur certo ſaltem temporis ſpatio generetur proportionata materia febrilis: deinde tribuendum quoque eſt hic multum conſuetudini, quoniam ſpiritus animales ſive Natura, ſi motum aliquoties certum inſtituerunt, facillime ipſum repetunt,

quamvis, in quo illud consistat, determinare difficillimum sit. Sic notum est, quando quis consuescit certa hora vigilare, somnū vel cibum capere, certo isto recurrente tempore etiam ipsi non cogitanti obrepit somnus vel vigilat, vel appetitus adest cibum capiendi: Sic quoque multi morbi sunt periodici, nimirū: dolores, hæmorrhagiæ, quæ per certum mensem vel etiam annum recurrunt. Patet quoq; inde, cur menses vel hæmorrhoides exacte typos suos servent. Sæpissime etiam contingit, licet omnis causa febrilis absit, & febricitantes bene sese habeant, recurrere istum motum spirituum in ordinatum febrilem. Juvat tunc contria impressione horum motum immutare & alio vetere, quo fine practici commendant acria vesicantia, dolorem excitantia, opiata; Ita quoque variæ impressiones per amuleta, affectus animi, terror, tristia, ira, ebrietas & alia sæpe curant febres. Quæ omnia luculentissime testantur, subjectum febrium principaliter esse ipsos spiritus, qui irregulares istas motiones sanguinis & spasmos in febribus concitant.

Ex hisce jam adductis clarissimum esse judico, felicissime intermittentes tunc curari, quando materia peccans febrilis primis in viis consistens vel corrigitur vel aufertur atque evacuatur. Deinde quando illud heterogeneum, quod sanguini immixtum fuit, secundum naturæ ductum diaphoresi tam subigitur quam expellitur; Et tandem omnia evacuatoria, & principaliter meatus subcutanei excretorii roborantur, & illorum tonus nimis relaxatus, valde destructus, restituitur. Primę indicationi satis faciunt varia correctoria, absorbentia, præcipitantia sic dicta, incidentia, & attenuantia, salina absersiva, it. evacuantia, emetica, laxantia; Omnium autem optime aufertur materia viciosa per inediam vel abstinentiam, hæc enim optime febrium intermittentium curatrix est. Certissimum enim febris diu duraturæ indicium est, si ægrotantes multum appetunt & comedunt, cum contra inedia & sanguis crassus dividatur, subtilisetur & transpiratione expeditiori reddita materia superflua melius subigatur & expellatur. Si ex obstructis emunctoriis aut visceribus febrium fomes propulsulat, deobstruentia locum inveniunt, & non tantum salina, verum etiam potentiora, scilicet martialia, antimonialia, & mercurialia, in usum trahenda sunt; Secundam complent indicationem diaphoretica temperata, maxime liquida, tempore quo natura diaphoresin excitat, sub declinatione exhibita, & videndum maxime, ut toto intermissionis tempore meatus cutis placide ac blande serventur aperti. Denique ad naturalem tonum ac robur omnibus excretoriis poris ac glandulis, principaliter meatibus cutis fœnerandum, non excellentius datur præsidium quam famigeratissimus cortex chinæ, qui revera specifici titulum in curandis febribus meretur. Agit autem, ut veteres locuti fuerunt, tota substantia, complectitur enim cortex chinæ, uti analysis chymica docet, particulas amaras, item terreas constringentes, & resinosas blande balsamicas, quæ omnia juncta illud efficiunt tam roborando quam corrigendo, quod singulis solis & sibi relictis negatum est. Ceterum sequentes cautelæ circa ejus usum merentur attendi. 1.) Nunquam exhibendus est cortex Chinæ, præsertim in substantia, corporibus plethoricis & quorum prima regio copia & colluvie vitiosorum humorum scatet. 2.) Nunquam dandus est alvo adstricta, cute existente arida & transpiratione impedita, nunquam porro in principio statim febris; vel etiam ante paroxysmos. 3.) Ubi scirrhositates & obstructiones viscerum adsunt, & discrasia acido-viscida febribus conjuncta est, cautissime cum ejus usu mercandum. Sed potius convenit expurgata probe prima regione, præmissis deobstruentibus mobilem materiam reddentibus, succedente diaphoresi, & ubi jam aliquot paroxysmi præcesserunt, & febris mitior facta, & ubi magis spirituum impetu sistendus quam promovendus est, maximeque diebus intermissionis, repetitis vicibus, dosi autem pro una vice non adeo larga. Si subjecta teneriora fuerint & ventriculus debilis existit: conferunt melius essentiæ & infusa ejus, quam pulvis in substantia, qui tamen revera

ob

ob partes adstringentes magis est specificus. Eædem cautelæ tenendæ etiam sunt circa usum aliorum constringentium, febriles paroxysmos suffiaminantium, qualia sunt aluminosa, opiata, vitriolacea, liquor martis, tinctura sulphuris vitrioli, terra japponica, nux moschata, radix tormentillæ, pentaphylli, plantaginis, viscus quercinus; quibus tamen propter dictas superius rationes est longe multumque præferendus cortex chinæ. Quo circa a præpostero & intempestivo horum usu & febrium citiori suppressione, ante correctam & evacuatam materiam febrilem gravissima excitari solent pathemata, v. g. lentæ febres, hecticæ, viscerum infarctus atque indurationes, & exinde producti icterus, hydrops, malum hypochondr. porro alvi adstrictio, dolor colicus, cardialgicus & hujus generis plura consequuntur.

De Febribus tertianis.

Quod attinet tertianarum historiam, illæ præ aliis hoc peculiare possident, quod invadant maxime ætate juvenes atque viros, temperamento sanguineos & Cholericos, anni tempore verno atque æstate, interdum etiam autumno, quo tempore gignuntur pertinacissimæ. Deinde in tertianis æstus semper solet esse major, ita ut nonnunquam vigilia & delirium in calidioribus complicentur. Horror ordinario est vehemens, quem comitari vel subsequi solent cardialgiæ, nauseæ, vomitiones, præsertim prioribus sub paroxysmis & finito rigore. Priusquam horror invadit, spasmodicæ tensiones atque constrictiones artuum, dorsi, pandiculationes pedum, dolores ostocopi contusivi fiunt. Ipso frigoris tempore ægroti pallent, habitus corporis subsidet, facies depressa ac macilenta apparet, venæ disparent, cum contra succedente æstu totum corpus spongiosum, laxum, inflamatum, rubicundum, cum æstu vehementiori, arteriarum celeri pulsatione observetur, & quo minus illud accidit, hoc graviores angustiæ atque anxietates circa præcordia, inquietudines, corporis jactationes, cephalalgiæ similiaque percipiuntur. Ad declinationem quando vergit paroxysmus, spontanea visitur diaphoresis vel largus etiam sudor, qui inter initia febris & paroxysmorum vis observatur: Post sudorem symptomata remittunt, pulsus naturalis iterum evadit, vires recolliguntur, appetitus bonus; somnus quietus, urina quæ in paroxysmo flammei coloris citra sedimentum mingebatur, jam sedimentum crassum deponit. Illud præterea notabile est, in tertianis, si nullus fluit sudor, nec vomitu nec diarrhœa, nec urina emittitur materia peregrina, pessimum esse indicium, utpote talismodi febres ut plurimum degenerant in continuas, si subjecta fuerint sanguinea & cholerica, si pituitosa in lentas & hecticas, si crassum sanguinem in venis alunt, in quartanam, hydropem, quod etiam accidit, si præmaturæ constringentium & chinæ chinæ abusu tertianæ supprimantur, atque materiæ flebilis correctio & secretio impeditur. Quod si in tertianariis ulcuscula in ore vel labiis apparent, bonum est indicium, utpote tunc materia heterrogenea biliosa caustica a sanguine incipit secerni, quæ hærens in spongiosis partibus continui solutionem producit. Quando urina in copia emittitur crassa & cum ardore transit urinarias vias, itidem bonum signum est. Terminari etiam solet in icterum, materia biliosa acri præcipitata quasi ad habitum corporis. Quandoque etiam symptomatice icterus conjungitur, & notat vitium hærere in biliariis viis. Interdum tertiana septimo paroxysmo sponte finitur nonnunquam ad decimum quartum & ultra se extendit. Si autumnalis est, ad menses aliquot & amplius exporrigitur. In cura observamus, tertianariis admodum nocere remedia calida volatilia, acria, aromatica, dum simplices facile vertunt in duplices, vel etiam continuas, æstum intensiorem atque delirium provocant, vel biliosis cholericas efficiunt, præprimis autem calida nocent Senibus, in quibus comatosos affectus, Cephalalgias vel etiam marasmum producunt. Observatione quoque constat, nimia

acida,

acida, refrigerantia, julapia, terrea constringentia, præcipitantia nocuisse, quandoquidem facile alvi adstrictionem contumacem, colicam convulsivam, cardialgiam ictericam & recidivas periculosas excludunt. Optima medendi hisce febribus ratio est, si præsente indicatione & inclinatione ad vomitum illud, & quidem in forma liquida asseratur, vel tempore intermissionis vel aliquot horas ante paroxysmum, quamvis ultro oriente calore oriantur ipsæ vomitiones. In aliis prima regio per epicrisin lenioribus purganda & liberanda a sordibus biliosis acido-viscidis est, cui scopo inserviunt maxime salina detersiva, nitrosa, verbi gr. nitrum antimoniatum, arcanum duplicatum, terra foliata tartari, solutio oculorum cancri, tartarus vitriolatus, flores salis ammoniaci, nitrum præparatum, quæ cum aliquot granis diagridii & antimonii diaphoretici commodissime misceri possunt. Si febris rebellior, aliquot grana mercurii dulcis addenda sunt, quæ tamen cum salibus non exacte triturandæ sunt, sed saltem admiscenda, ob metum corrosivitatis, sputationes & diarrhœas ex facili provocantis. Vel etiam infundi possunt vino radix gentianæ, h. cent. min. absinth. card. bened. Scordii, Rhabarbar. quibus addi possunt nitrum, tartarus crudus, sal tartari, pastulæ, omni mane bonus haustus sæpius feliciter sine recidiva febrem sustulit. Quibus præmissis ipso in paroxysmo tempore maxime æstus, imo in declinatione, mixturæ, propinari possunt correctoriæ & leniter diaphoreticæ, quæ compositæ sunt verbi gr. ex decoctum C. C. aqua florum sambuci, acaciæ, scordii, cardui bened. antihect. Poterii, lapidum cancrorum, matre perlarum, nitro præparato, syrupo papaveris, rhœados, quibus etiam addi possunt pro re nata sal absynthii, diascord. Fracastorii, vel mixtura simplex aut theriacæ cœlestis, vel etiam spiritus nitri dulcis. Aliquot paroxysmi si ita præcesserunt, & materia vitiosa ad excretionem vergit, totum negotium absolvendum prudenti exhibitione chinæ chinæ, quæ commodissime affertur in Electuario, si nimirum ejus pulvis cum julepo rosarum & rob juniperi vel sambuci misceantur. Si rebellior materia est, reiteranda priora remedia sunt, imo si autumnalis febris, salibus magis absterſivis pugnandum, ex quibus optimum est sequens mixtum: Rec. Salis absynthii, nitri præparati, nitri antimoniati ana drachmam unam, florum salis ammoniaci drachmam semis, salis succini scrupulum unum: Dosis est scrupulus unus, cui etiam admisceri possunt grana aliquot panaceæ Conerdingianæ, vel grana decem reguli antimonii medicinalis, quæ duo potentissima sunt deobstruentia, & lymphæ coagulum dissolventia. Præterea instar omnium victus parcus & tenuis, quo solo sæpe, teste *Celso* & *Willisio*, ipsaque experientia, tertianæ profligantur, commendandus est. Præterea si maligni aliquid immixtum, camphoræ parum addatur, si æstus maximus & febris est cholerica, nitrosa cum diluentibus satisfaciunt; si epidemicæ febres, diaphoretica theriacalia majori in usu sunt.

De Febre quartana.

Omnium morborum nullus tam lentus, tam contumax est, quam febris quartana, quæ etiam multorum seculorum decursu in ludibrium transiit Medentium. Differt ipsa ratione symptomatum, durationis, medendi methodi, pro individuorum climatis, ætatis temporum mutatione atque varietate. Gignendæ huic febri admodum apti sunt frigidi ac sicci, hirsuti, qui gracili & glabro sunt corpore, sanguinem crassum fovent, senes, vel ætatis consistentis homines, qui ad actiones ingenii & corporis segniores sunt, curis & mœroribus confecti, & cibis olim addicti crassis, terrenis atque acidis fæculentis. Succrescit hic morbus præsertim autumno, regione cœlique statu inæquali existente; quando ad brumam usque manet, per totam hyemem liberari ægri non solent, sed interdum ad

æta-

ætatem adultam durat. Frigus in quartana intensius est, quam cæteris intermittentibus, & rigor universum fere corpus occupat, dentes stridٍent, articuli vero & ossa quasi pondere obteruntur, pulsus accessionis initio multo quam naturalis languidior, minor, tardior ac rarior, postea vero satis validus ac celer, & interdum inæqualis, calor non tam vehemens sicuti in tertiana, urina primis diebus tenuis, alba, aquosa, postea vero & calore & contentis mutata, alvus utplurimum segnissima & constricta. Præterea memorabile est, quartanam intempestive fortioribus catarrhicis vel sudoriferis volatilibus vexatam transire in sævissima interdum symptomata, cephalalgiam gravativam, anxietates summas, virium prostrationem & ejusdem generis alia. Decrepitis ordinarie ferme funesta esse solet. Si quartana diuturna est in melancholicis & hypochondriacis, & qui dextro latere dolorem sentiunt gravativum, in hydropem, melancholiam hypochondriacam, icterum nigrum, in macilentis in hecticam, in senibus in marasmum, in Cachecticis in pedum tumorem & inflationem, in Juvenibus ex malo regimine diætæ, vel abusu exagitantium in duplicem quartanam lubentissime transit.

Solvuntur quartanæ frequentissime urinis crassis, largis, ad nigredinem vergentibus, præsertim in illis qui crassum & rudem fovens sanguinem, in plethoricis fœminis per menstrua, in senibus & adsuetis per hæmorrhoides in juvenibus per narium hæmorrhagiam, in cachecticis per abscessum in crura, in scorbuticis, scabiosi quid interdum apparet, vel ulcera erumpunt, bonum in finem, de qua re legi meretur *Bal. lonius in libr. Ephemerid.* it. *Langius Epistola XVII. libr. 1. pag. 70.* qui ita scribit: *vidi plus centies scabiem per aliarum febrium, tum præcipue quartanæ crisin obortam sponte exolescere citra omne medicamentorum subsidium*. Si nimis cito consolidantur ulcera, vel scabies retropellitur, facile comatosi vel convulsivi quid corporibus accedit. Malum est, si appetitu nimio laborant, nec bonum observavi signum, si effusas habeant quartanarii sudationes cum alvi profluviis, nisi sint criticæ. Tandem quartanæ frequenter sunt epidemiæ. Memorat *Sennertus de Febrib. lib. 2. cap. 20.* Accidisse talem toti Germaniæ & Wittebergæ tam familiarem, ut etiam infantes modo natos corriperet, & vix domus aliqua esset, in qua non quartanarius unus vel etiam plures decumberent. Circa curam in genere illud notandum, quod fortiora commoventia evacuantia minus commode ferant, nam simplex quartanæ hisce convertuntur in duplices, vel in senibus transeunt in cephalalgias graves aut sopores profundos. Præpostero chinæ chinæ vel aliorum constringentium abusu, priusquam materia fluida & mobilis facta fuerit, in suffocativum catarrhum, icterum nigrum, tumorem crurum, scirrhum hepatis, tumorem lienis, hydropem, facili abeunt negotio. Optime ferunt leniora evacuantia, per alvum emollientia, detersiva salina, mucum incidentia. Vomitoria & drastica purgantia ob acidi humoris efficaciam vix operantur.

Ex quibus omnibus adductis promtum ac facile est judicare, quartanam potissimum oriri ex accumulatione materiæ tenacis viscidæ, immobilis, crudæ cum sanguine non miscibilis & poris excretoriis non respondentis, sive illa collecta fuerit in intestinorum canale, sive etiam jam totum sanguinem discrasia acido-viscida infecerit, hanc jam ipsa Natura motu febrili quasi critico corrigere, subigere, & secernere gestit, quod negotium naturæ optimum, quantum potest Medicus, promoveat aptis & convenientibus remediis, nec in contrarium operetur aut in naturam, ut ita loquar, cum veteribus ab opere suo avocet. Prima itaque Medentis intensio esse debet, visciditatem attenuare atque evacuare, sed semper blandissime; secundo perspirationem sanguinis & per consequens totius corporis promovere, & tandem robur excretoriis poris viscerum atque cutis sub diuturnis

nis paroxysmis nimirum lassatus & a tono suo dejectis restituere. Primam indicationem adimplent remedia detergentia, uti sunt nitrosa, arcan. dupl. nitrum regenerat. sal polychrestum, quæ liquando & fundendo visciditatem egregie opitulantur. Accedit, quod salia hæc tum alvinas, quam urinarias vias stimulent, per quas tamen commoda humoris peccantis fit evacuatio. Hisce præmissis per inferiora optime educitur mobilis materia. Veritissime scribit *Hippocrates in libr. IV.* §. 9. *Melancholicos liberalius pleniusve per inferiora purgabis*. Hinc passim in observationibus, legitur, Diarrhœas, imo dysenterias spontaneas quartanis supervenientes illas solvere, quapropter omnibus veteribus consentientibus, lenientia, emollientia, quæ per epicrisin purgant citra ullam vehementiam, omnium optima sunt contra quartanam præsidia. Ita solum fol. S. S. S. infusum cum rhabarbaro, addita manna & tartaro tartarisato in aqua fumariæ, præsentissimum est remedium mitigans paroxysmos & plane etiam tollens. Alvus enim mollis semper servanda, quoniam quartanarii suapte natura alvos mire adstrictas habent. Bene monet *Galenus* 1. *ad Glaucon. libr.* 2. Initio utendum esse clysteribus, deinde descendendum esse ad interna.

Vomitoria nisi insigni adsit ad vomitum inclinatio, & vomere ægri consueverunt, vel quartana notha, id est, bile mixta, quæ sub finem æstatis accidere solet, sit, parum auxiliis vel utilitatis afferunt. Quod si humores austeri, acidi, styptici sunt, uti illud fieri solet in hypochondriacis, splenecticis, & melancholicis, potentiora acidum destruentia in usum vocari debent, cujus generis sunt martialia, v. gr. limatura martis in tenuissimam pollinem redacta, crocus martis aperitivus cum salibus, antimonium martiale cachecticum, quæ vel sola, vel melius cum salibus vegetabilium fixis, aut si potentiori aperiendi facultate pulverem instruere velimus, quando veteres in visceribus latitant obstructiones, cum Regulo antimonii medicinal. vel etiam cinnabari aut mercurio dulci vel mercurio diaphoretico amico connubio jungi possunt, additis guttulis aliquot olei carminativi aromatici, Talis pulvis in rebellibus quartanis non intermissis leniter evacuantibus & convenienti diæta tenui præstantissimam fert opem, si omni mane exhibeatur, vel post ejus usum instituatur motus. Alii ad acidum in primis viis infringendum oleum tartari p. d. subinde instillant potui, vel etiam spiritus salis ammoniaci urinosum cum aqua factum, admiscent ordinariæ cereviſiæ non citra effectum. Præterea ad alteram indicationem absolvendam convenit maxime in quartanis sudor, qui tamen nunquam vi eliciendus est, vel remediis calidis vehementioribus aut regimine nimis calido, præsertim in senibus, sed quoniam ipsi paroxysmi posteriores sua sponte terminantur in sudorem, hinc ille ipse omni opera promovendus potu congruo valide adsumpto, quique simul facultatem habet sudorem eliciendi, talis indolis est Decoctum C. C. citratum vel cum essentia scordii, nisi æger fastidium habeat, aut nitro & pauxillo vini remixtum, Crocus & theriacalia ad sudorem hac in febre movendum commodissima etiam sunt. Et notabile hic est potum omnem in paroxysmo vel ante ipsum anxietates insignes efficere, quando autem Sudor incipit fluere, illum ipsum esse optimum. Veteres ad perspirationem corporis promovendam, quæ sicuti in omnibus febribus: ita & hic utilissima & indicatissima est, utebantur linimentis oleosis emollientibus & penetrantibus, quibus inungebant totam nucham, postea fortes instituebant frictiones cum pannis calidis, ut eo melius pori aperirentur. Juvat quoque, ut perspiratio fiat expeditior, abstinere ab omnibus solidioribus alimentis, cibis crassis, flatulentis, carne suilla & qui tardiorem habent exitum, item acidis salsis & omni cibo copioso. Commendandi magis sunt cibi boni succi ventrem emollientes, tenues, una cum abstinentia, quæ febrium intermitten-

tentium optima est medicatrix. Perpetua enim regula est: Quo plus comedunt & majori appetitu gaudent quartanarii, eo diuturnior fit febris; quo magis abstinent, eo citius sanatur. Tandem vitandus est aer crassus, frigidus, gravis ac densus, sed eligendus serenus, lucidus, tenuis. Patet hinc ratio, quare tempore verno & æstivo sponte febres quartanæ & facillime isto tempore sanantur, quoniam tunc temporis corporis perspiratio longe liberior ac promptior est. Confert quoque motu exercere, cum ille ipse revera magna sit medicina sanguinis crassi, dum ipsum tenuem ac subtilem reddit.

Tandem ad satisfaciendum tertiæ indicationi, si febris hisce omnibus observatis non abigitur, consulum est, maxime si signa coctionis appareant & obstructiones potissimum reseratæ fuerint venire ad specifica corroborantia, topica item externa, accidit hac ratione ut gravissimæ febres illis quam facillime cadant. Specifica autem sunt interna, cortex Chinæ in infuso vel in substantia exhibitus, de cujus legitimo usu atque exhibitione dictum jam fuit in prioribus. Inter externa condemnantur vulgariter remedia juncturis manuum & pedum applicata ex vesicantibus erodentibus composita. Ita famigeratissimum est linimentum, quod constat ex terebinthina, fuligine, camphora, araneis contusis, oleo scorpionum, flammula Jovis: quo solo sæpius profligata fuit febris.

Dicta hac methodo qui procedunt sedulissime & certissime pertinacem hunc morbum profligare poterunt, maxime si ipsum tempus anni respondeat & faveat medicamentorum operationibus, quod ferme principale existit, ut etiam ex hisce videat Medicus vires Medicamentorum non agere ex se, & ratione activitatis suæ, sed sub favore naturæ & multarum rerum externarum.

Ultimo illud adhuc meretur memoriæ commendari, quod si quartana ex suppressis hæmorrhoidibus vel etiam retentis mensibus proveniat, ut, quantum fieri potest, in ordinem redigantur hæ excretiones ordinariæ, & juvat etiam, quando plethora adest, venæ turgent, corpus gracile est, sanguinem minuere per venæ sectionem.

Accidit interdum, ut omnibus frustra tentatis, remittentibus etiam symptomatibus gravioribus, febres tamen periodos suas repetant, ubi nihil consultius est, quam ventriculum roborari & blandam chyli spirituascentiam perpetuo promovere: sic febris tandem imminuitur & sponte cessat, successive enim per benignum & balsamicum chylum corrigitur sanguinis discrasia. Optimam autem elixiria balsamica, & quidem nostrum paratum ex radice Zedoariæ, chinæ chinæ, gentianæ, diascordii, cort. aurant. citr. recent. nucista, succino, oleo caryophyllorum, croco, camphora, myrrha, spir. sal. ammon. & spir. menthæ, quod etiam in aliis affectibus diuturnis opem fert præstantissimam.

FINIS.

INDEX

INDEX OBSERVATIONUM.

A.

De affectibus inassuetis, raris & deploratis 25. 35. 61. 64. 99. 174. 178. 182.
De Affectu fœdo & horrendo 173.
Virgineo, raro, inveterato & deplorato 186
de Angina 52. 53. 120.
De Apoplexia, Paralysi & imminuta memoria 192
De Apostemate insigni in crure 271.
De Arthritide 33. 51 60. 87. 143. 195. 241. 254. 255. 256. cum febre & aliis 33. 183. 280.
inveterata cum tophis & nodis 279.
ejus rara species. 188.
De Asthmate 78. 146. 219.
deplorato cum cordis palpitatione & mensium suppressione 119.
inveterato 145. 155.
De Auditu deperdito 91.
De Aurium surditate cum ulcere 209.
tinnitu cum pruritu & gravi auditu 128.

C.

De Cachexia, antiqua ventriculi imbecillitate & febre lenta 193.
cum Ascite incipiente & febre lenta 233.
Leucophlegmatia post insignem hæmorrhagiam 231. 241.
De Cacochymia, ventriculi intemperie 54.
De Calculo 69. 259. 261. 278.
renum 263.
vesicæ 259.
De Capitis dolore 125.
acerrimo sesquitertianæ febris periodus servante 202
brachii paralysi & aliis 82.
inveterato 205.
per intervalla recurrente 201.
raro & funestissimo 171. 185. 191.
in quo caput rigidum nullo pacto flecti poterat 204.
De Carcinomate 153.
in labiis septuagenariæ 158.
lingua 212.
utero 240.
De Carunculis 69.
De Catarrho 11. 91. 274.
cum febre lenta & virium imbecillitate 134.
nervorum imbecillitate 169.
inveterato 275.
falso 29. 44.
incurabili habito 117 152.
De Clauda muliere a biennio 59.
De Cœcitate cum oculorum dolore 124.
De Colico dolore 35. 81. 226.
cum continuis vomitibus 222. 224.
De Contractura 88. brachii 79.
cum ulceribus 85.
De Cordis palpitatione 38. 119. 271.
De Costarum dolore 82.

D.

De Defluxione capitis 47. 189. 200.
contumaci 103. 109.
De Diarrhœa insigni 161. 264.
De Dolore 198.
abdominis 137. 138.
matricali falso habito 225. 227.
acerbissimo 75.
corporis totius 176. crurum 144.
faciei non observato 206.
cui nares mira magnitudine incrassantur, & mira fœditate in pomum granatum augentur 210.
Tibiarum 269. Vagante 32.
De Dysenteria 48.

E.

De Epilepsia 79. 148.
De Erysipelate a medelis male adhibitis 96.

F.

De Fame canina 277.
De Febre 177. 243. acuta 55. 107. icteritia flava, catharrhali fluxione molestissima 109. alba 48. ardenti 80. cum vehementissimo ardore ventriculi 150. continua & ardente 90.157. cum calculo 69. cum gravissimis symptomat. 160. regio morbo & aliis 46. Hectica 41. 56. 268. cum tumore ventriculi 21. cum ulcusculis in faucibus 264. marcore insigni incurab. habita 109. Lenta 49. 106. 123. 128. 169. 173. 187. 193. 211. cum tussi, ventriculi imbecil. 168. Maligna 45.50. cum sævissimis symptom. 71. 167. Nocturna cum sudore & tremore cordis 113. Quartana 86. 248. duplici 229. 245. cum principio hydropis 193. in muliere utero gerente 247. Quotidiana mensium suppress. &c. 57. Tertiana duplici 58. 62. 68. 78. 83. 246. cum atrocissimo dolore capitis 125. cum horrendo symptom. 58. cum tumore lienis 72. 125. 126. viscerum 36. arthritide & strumis 87. immodico sanguinis fluxu 74. cum atrociss: dolore ventriculi 120. Notha 32. 135.
De Fistulis 230.
De fluore albo 110. sanguinis & puris per alvum, a biennio inveterato cum febr. lenta, marcore 173.

G.

De Gangræna cum marcore & paralysi &c. 190.
De Gibbositate in sene cum dolorib. 138.

H.

De Hæmorrhagia 74. 161. per omnes meatus corporis erumpente 156. uteri 241.
De Hæmorrhoidibus dolorificis 163.
De Hemicrania inveterata 203.
De Herpete contumaciss. conclamato in facie, collo & tibiis 254. inveterato incurabili habito 253. maligno &c. 88. 99. ulcere nares depascente 266.
De Humore salso circa anum luxuriante, hæmorrhoidibus dolorificis 163.
De Hydrope 16.92. Ascite 84.235. cum Anasarca 232. febre lenta, macie, duabus fistulis in crure 230. tumore lienis, febre lenta, mensium suppress. 115. ventris 172. quartana duplici, lienteria 229. cum Asthmate 132. febre acuta, siti, vigiliis, &c. 107. Leucophlegmatia & ascite a catharticis male adhib. 130. macie & febre lenta 49. in sene 42.234. post immodicam sangu. reject. per os 278.

I.

De Icteritia alba 48. flava 65 77. 108. cum principio hydropis, summa virium jactura, vigil. 220.256. In septuag. 243.
De Ictero, cognatove morbo 35. 71. cineritio 48.
De Inflatione corporis repentina, cum pustulis exiguis, pungenti dolore, febre lenta 123.
De Intestinor. lævitate diuturna 138.
De Iliaca passione 180.
De Ischiat. pertin. 114. 116. 135, 140. 183. 275
De Ischuria 73. 121.

L.

De Leucophlegmatia 231. 235. 241.
Lienis curatio 72. 125. 126.
De Lienteria 229.
De Linguæ affectu raro 212. Carcinom. ib.
De Loquela amissa 115.
De Loquendi impotentia sesquianno contracta cum anhelitus difficult. 214 215.
De Lue venerea 93.280.281. cum hydrope 26. 122. inveterata 74. Latente cum graviss. sympt. 30.
De Lupia in capite 78.

M.

De Marcore insigni 49. 56. 99. 107. 109. 128. 184. 187.
De Melancolico affectu cum cordis palpitatione, vertigine, & aliis 38.
De Mensium fluore immodico 276. cum Leucophlegmatia 238.

De

De Menſium ſuppreſſione 28. 31. 63. 115. 119. 236. 239 ventris dolore, aſcite, Lienteria & aſthmate 238.
De Morte repentina 249. 250.

N.

De Narium ulcere peſſimo 270. naſique aucta magnitudine c. ulcuſculis erodentibus ibid.
De Nephritide 62. 66. in facie noli me tangere dicto 38. maligno 29. 80. & falſo catarrho 29. Narium 270. Telephios 40.

O.

De Oculorum dolore 32. 124. 162. 207. 222. cum magnitudine aucta 207. 208. inflammatione 170. cum febre, ungula, epiphora 111.
De Oris tortura, linguæ paralyſi, contin. vomit. 188.

P.

De Paralyſi 35. 60. 82. 92. 192. cum febre lenta, inappeten. vigiliis 211. hydrope &c. 92. Linguæ Oris tortura, cont. vomit. 188. & brachii 166. inveterata 77. 251. marcore inſigni, diuturnis vomit. inappetentia, gravedine, vigiliis 184. Symptomat. graviſſimis 126. ventriculi imbecill. 250.
De Phthiſi 194. 215. 216.
De Pleuritide 75. 76. in ſeptuagenario 151.
De Polypo 252
De Pſora contumati 141. 142. 267. lepræ finitima 258.

S.

De Scabie fœda 165.
De Singultu lethali 147.
De Strumis 87. in collo, marcore inſigni & lenta febre 128.
De Suffuſione 37. 73.
De Surditate cum aurium ulcere 207.

T.

De Tabe cum febre 89. inſigni frigiditate ventricul. 70. 268
De Tentigine inveterata 65. 106.
De Tibiarum dolore inveterato et continuo 269. 270.
De Tortura oris, Linguæ paralyſi, contin. vomit. 188.
De Tumore abdominis 64. in facie 53. palpebræ oculi nato 171. pudendis mulierum 240.
De Tuſſi 168.

V.

De Ventriculi angore 106 ardore 150. attritione 138 conſtitutione mala 40. 54. 70. 90. 168. 193. 227. 250. dolore 84. 120. 227. 228. cui ſuccedit dolor colicus 226. paroxyſmante 41. poſt cibum in ſene 227.
De Vertigine 38.
De Vigiliis continuis 106. 107.
De Virgineo morbo 48.
De Ulcere capitis, quo omnium emarcuit ſponte in muliere octuag. quo ſana cæca evaſit 133.
De Ulcere chironio 67. 68. 99. in facie 265. horrendo 46.
De Ulceribus ferinis 58. in tibiis 272. Phagadænis utrumque genu obſidentibus cum nervorum retractione, febre inſigni &c. 154.
De Vomitibus diuturnis 184. 188.
De Vomitu, Lienteria & febre continua ab aqua forti epota 159.
De Uteri affectu 110. raro 117. 242. prolapſu 273. Tumore 240.
De Vulnere ſclopo illiſo 98. in facie, citra ſuturam curando 168.
De Vulneribus capitis 166. junctura rum c. oſſium fractura, inaſſueta methodus 131. 132.

INDEX RERUM.

A.

ABstinentiæ utilitas 16. 591. in Febribus 277.
Acetosum esurinum quid? 375. 379. Acetum Bezoardicum 321. Minerale 95. 191. Acida inimica nervis 39. Ossibus 58. Vulneribus 86. 132. Menstrua quænam dissolvant? 360. Mineralia in Febribus 570. Eorum abusus 65. 84. 111. in Febribus 170. 187. 588. Icteri causa 243. 248.
Acidularum usus 117. Acidulorum usus in Athritide 262. Febribus 51. 36. 58. Adstringentium abusus in Erysipelate 38. Febre Hectica 41. Febribus 588. Hæmorrhagiis 161. 230. 238. 242.
Ægrorum decubitus qualis? 533.
Æquinoctia morbos nonnullos exacerbant & solvunt 127. 172. 178. Aer æstivus salia acuit 206. Autumnalis ad diarrhæas quomodo disponit? 179. Febres quartanas disponit. 87. 248. Hypochondriacis noxius 184. Frigidus noxius 182. 206. in raucedine 214. Paralyticis quinam salubris 252. Potens est menstruum 294. 359. Salibus gravidus noxius 218. Ejus accessu impedito vegetabilia a corruptione præservantur 317. 360. Ascensus per spinalem medullam quid? 33. 67. Effectus in spiritus 283. Inæqualitas noxia in Acutis 55. Arthritide 177. Catharris 16. 117. 275. Mutatio salutaris in Febribus & morbis Chronicis 178. 246. 248. varia secundum anni tempora 55. 87. 275. Necessitas 20. 283. Pluvialis noxæ 48. 50. 87. 158. Sereni utilitas in Febribus 87.
Alexipharmaca 45. 49. 51. 72. 85. 99.
Aloeticorum abusus 164. Alvi adstrictæ causæ 39. 109. in Vulneribus 131. dejectio fœtida in febribus malignis 595. in febribus unde 530. Sabulosa 189. 197. laxæ causa 45. utilitas in Catharris 117. Omni curatione 45. Febribus ardentibus 593. Nephritide 62. de Alumine ejusque præparatis 373. Ejus dulcificatio unde? 374. 556. Purificatio 374. Spiritus ibid.
Amygdalæ amaræ egregie præservant a Calculo 290. Anagallidis fotus in exulcerationibus 11. Succus in Maniacis 319.
Anasarca quid? 20.
Anginæ signa lethalia 53. 121.
Angli cur Asthmati & Phthisi obnoxii 218.
Animi passionum vehementiorum noxa 36. 45. 98. 255. 583. 588. 589. iis quinam obnoxii 160. Anodyna quid præstent? 15. 48. 50. in Asthmate convulsivo? 220. Calculo? 69. Doloribus? 89. Oculorum? 124. Febribus? 98. Hæmorrhagiis? 74. 242. de Antidotis 459.
Antifebrile 50. 63. 68. 71. 92. 110 552. & seqq. Præstantissimum quodnam? 248. 588. Purgans 492. Specificum ex capite mort. flor. sal. armon. mart. 125. 245. Universale in putridis 552.
Antihecticum ejusque usus 216. 414.
Antimoniata quomodo sanguinem purificent? 258. de Antimonio ejusque præparatis 50. 63. 385. Crudum non est venenum 387. Ejus acetum ibid. Balsamum 390. Butyrum pro causticо 272. Cinnabaris 103. Decoctum 103. 297. Fixatio 385. Flores ibid. Purgantes & Vomentes 16. Mercurius 386. Oleum 387. in ulceribus cancrosis 153. Regulus 153. 386. 389. cum sale communi liquatio vim vomitoriam tollit. 235. Medicinalis usus 388. in Febribus 248. 388. Hydrope 108. 180. 388. Mens. suppr. 28. Morbis cutaneis 142. Sal 386. 399. Sulphur 368. 389. Glauberi correctum 63. Tinctura sicca 388. Volatilis 389. Vitrum 385.
Antivenereum Poter. 63. 74.
Appetitus nimius in morbis chronicis noxius 277. Aqua menstruum efficax est in tribus regnis 297. 316. 320. 346. 358. 359. Salita cur non conglacietur? 297. Aquæ chalybeatæ usus 290. frigidæ potus in arthritide 242. 279. Potus in febribus 566. Purgantes an dentur? 361. quænam salubres? 283. 306. Rarius sunt puræ 283. ex Saturninis mineris noxa 297. de Aquis destillatis & variis destillandi modis 304. Animalium 311. Metallorum 315. Minera-

lium 313. Odoriferis 310. Saporiferis ibid. Aqua Antepilept. & apoplect. 307. Caponum 311. cardiaca in malignis 306. cinnamomi 309. febrifuga 308. fortis 314. 368. formicarum Hartmanni 556. fumans 315. in hydrope pulmonum 18. Hydrotica 308. hysterica 307. Ligni aloes 308, Myrrhæ 46. Nephritica 307. Petrofelini lithontripticum est subtile 261. Ranarum 312. Regia 315. Sanguinis humani 313. stercoris animalium ibid. Vitrioli 314. Zinziberis 251. de Argento ejusque præparationibus 403. Ejus arcanum quid? 73. causticum 54. 207. dealbatio 56. cum Venere mixt. 408. deauratio 389. dissolutio cum Ol. Vitriol. 406. Flosculos conficiendi modus 383. 405. Magisterium quid? 133. usus in dolore capitis 205. præcipitatio ex Saturno 383. sublimatio 406. Tinctura ibid. Vitriol. alb. ibid.
Arbor Philosophica quid? ibid. Arcana quid sint? 67. 90. 95. 131. Medicorum vera quænam 105. Arthritici cur facile fiant calculosi & vice versa 197. Eorum lympha cujus naturæ? 197. 255. 181. Arthritis sæpe habetur pro lue venerea 281. Ejus fomes hæret in ventriculo 51. 188. 241. signa antecedentia 255.
Ascites quid? 20.
Asthmatis variæ species 119. 220.
Astrologia Medico an necessaria? 14.
Atramentum sympatheticum 383.
Auditus gravis unde? 210. de Auro ejusque præparationibus 398. & seqq. Ejus amalgama in aqua insipida solvendi modus 297. depuratio 402. destructio an possibilis? ibid. Magisterium 351. cum Mercurio præparatio 177. Præcipitatio ex argento 383. 278. Sublimatio 358. 402. Tincturæ 368. 398. de Auro diaphoretico ejusque usu 197. 18. 26. 36. 39. 65. 76. 70. 77. Aurum & argentum cur vehementissimo igne in calcem non abeant? 294. a fermento gastrico non solvitur, hinc parum virtutis medicamentosæ continet 402. fulminans ejusque operandi ratio & usus 40. 203. 351. 402. Axungiæ humanæ cum oleo caryoph. usus in contracturis 60.

B.

Balneorum operandi ratio 15. 123. 262. noxa in Arthritide 183. in Calculo 69. in hydrope 149. Plethoricis 116. usus in alvo adstricta 222. Calculo 84. 265. 262. dolore Colico 225. Febre Synocha 593. Iliaca passione 181. Ischiatico dolore 114. Ophthalmiæ 112. Singultu 148. Balsamus Antimon. 80. 212. 162. coctus Philosoph. 355. Locatelli 133. 168. Mercurialis 128. 159. Saturni 11. compos. in Gonorrh. 418. Sulphuris 380. 384. cum oleis destillatis noxæ 215. temperatus 194. Vitæ 475. Vitrioli 79. Vulnerarium 168. 329. 384. Holmense 330.
Bezoard. mineralis & solaris usus in febribus 556. Bilis æruginosæ vitia 149. 188. causa 176. atræ causa 31. defectus in intestinis colici doloris causæ 36. potius quam abundantia morborum causa 97. 139. est humorum acrium vehiculum 64, necessitas 55. 139. vitia varia 55. in diarrh. 162. hypochondriaco affectu 139. Ictero 109. Tertiana. 135.

C.

Cachectici cur asthmatici sint? 220. hæmorrhagias incurrant? 231. 276. 278. paralysin incidant? 92.
Cachexia quid? 29. 78.
Cadaveris apoplexia defuncti dissectio 192. asthmatici dissect. 146. Cholera defunct. 264. Colica defunct. 227. Diarrhœa defunct. 264. dysenteria defunct. ibid. Epilepsia 149. Febre quartana 86. 193. 230. Fluore albo 111. Hydrope 95. 108. 233. Hypochondriaco affectu 184. Ictero 224. 233. 243. Iliaca passione 182. Lue venerea 27. 122. Mensium suppressione 57. Phthisi 218. Pleuritide 151. Scrophulis 129. Singultu 148. Splenetici dissectio 139. Ventriculi dolore 43. Vomitu Sanguinis 278. de Calcinatione 357. Calculi generatio 260. ex acido primarum viarum 62. in intestinis unde? 219. in pulmonibus & excretio 79. 229. in vesica fellea 221. 233. præsentis indicia 262. 264. remedia specifica 62. 67. 161. sæpe

ſæpe perverſe uſurpantur 693. ſymptomata ſimulant ſæpe dolorem. Ischiaticum & colicum 262.
Calloſitates ulcerum 29.
Caloris ſubterranei cauſa 382.
Damphoratorum uſus 38. 58. 70. 74. 121. 124. Ea ſunt optima alexipharm. 83.
Capillorum defluvium unde? 153.
Carbones foſſiles ſi oleo privantur, non amplius flammam concipiunt. 339. Caries cranii. 201. in ulcere aurium 209.
Caro ſpongioſa unde? 58.
Carunculæ unde? 70. 121.
Cataplaſma in Ophthalmia 207.
Sphacelo 98.
Catharri epidemici unde? 275. etymolog. 12. frequentes Phthiſeos cauſæ 218. quibus ſint? 14. 15. 274. ſæpe ſunt luis venereæ ſoboles 281. ſpecies variæ 12. Veteribus quid? 218. unde? 275.
Catheteris uſus 262.
Cauſticorum optimum eſt lapis infernalis 272. Cauteriorum abuſus in Catharro falſo 44. Hydrope 235. Ohpthalmia 163. uſus in doloribus 206. in dolore dorſi 138. Iſchiatide 136. ophthalmia 191. 201.
Centaurium minus excellens antifebrile 310
Cephalica quid? 35.
Chinæ Chinæ abuſus 23. 73. exhibendi modus 55. 68. 70.
Chirurgicotum remediorum uſus & abuſus 167.
Chymicæ operationes quibus modis abſolvuntur? 357.
Cinnabaris cujus naturæ? 397. in epilepſia non ſemper proficua 79. cum ſalibus mixta corroſiva evadit 209. ſuffitus in ulceribus 272. Veneris 408. uſus in dolore capitis 172. Iſchiatico 276. Epilepſia 397. Lymphæ vitiis 397. Scabie 108. Salivam movet 397.
Clavi pedis diſſectio ſphaceli cauſa 212. de Glyſſo 289. Clyſterum uſus in angina 121. colica convulſiva 137. 224. 229. diarrhæa chronica 162. dolores capitis 88. febribus ardentibus 593. Hyſterica paſſione Iſchuria 121.
de Coagulatione 362.
Cochlearum teſtæ calcinatæ, in nephritide 62. 67. Colici doloris variæ ſpecies 225. cauſa 36. Colicus dolor Iſchuriæ cauſa 121. Paralyſis cauſa 135. 251.
Colli ſpaſmodice contracti hiſtoria 127.
Collyrium 97. 112. 171. 207. 301.
Color quid? 29. de Confectione Alkermes 449. 456. Cinnamomi Regiæ 449. Hamech 453. de Conſervis 437. florum aurant 439. Roſarum 435. Violarum 439.
Conſuetudinis ratio 44. 71.
Contractura ex conſenſu 80. 135. 251.
Contraria quomodo contrariis curentur? 108.
Corallia uſta in nephritide 62, 67. 420. de Coralliis 421.
Corallorum eſſentiæ præparatio 15. 29. uſus 11. 15. 29. 38. Sal 421. Spiritus ibid.
Cordis contracti a diuturno mœrore hiſtoria 262. Corpora debilia quænam? 191. robuſta quænam? ibid.
Coſmeticum ex folle animalium 327.
Crocus metallorum Authoris quid? 108. 236. emeticus & diaphor. 108. 131. 236. de Cryſtallo ejuſque præparat. 424.
Cucurbitularum uſus in doloribus 176. Ischiatide 276. Ophthalmia 125. 171.
Cupri generatio ex ſulphure & ferro 377. 382. Decocta quando, quomodo & quibus conveniant? 286. uſus eorum 15. 238. 285. de Decoctis in genere 285. ſpecie 287. ſeu infuſis mineralium 296. 316. Decoctum Antimonii 103. Antipleuricum 288. Aperiens 119. 236. in Arthritide 87. 280. Attenuans 82. Cardiacum 288. Catholicum 80. 291. Cephalicum 39. 44. 59. 287. Cholagogum 291. in Colica 219. Cornu Cervi citratum in febribus 589. 593. Diaphoreticum 44. in Dyſenteria 49 Epilepſia 79. Febribus 85. Gingivis & Dentibus conſervandis 291. 374. Hectica 21. 26. 43. 57. Hepaticum 289 Ictero 45. 221. Ligni Quajaci ejuſque abuſus 41. 174. 292. in Catharro falſo 28. Lue venerea 30. 95. Scabie 254. Lignorum 292. in dolore ventriculi 229. Scorbuto 65 89. in Lue Venerea 281. 292. purgans 293. Melanagogum 44. 58. 85. 291. Mercurii Crudi 103. 177. Nephriticum 62. 290. in Ophthalmia 113. Paralyſi 60. Pectorale 288. Phlegmagogum 85. 291. in Phthiſi 188. 218. 288. Purificans ſanguinem 69. 142. ſimplex ſæpe præſtat compoſitis 295. Spleneticum 327. Succoladæ in ventriculo robotando 57. in Ulceribus ſordidis 291. Vulnerarium 97. 131. 294.
Deliquium ab aere quænam patiantur 359. 377.

D

Deſtillari quænam poſſunt 306. 361. de Deſtillatione 361. ſine igne ibid.
Diabetes quid? 83.
Diaſcordium liquidum 321.
Ejus confectio 448.
Diæta in Catharris 117. 152. Eryſipelate 266. in Febribus 564. 589. Hecticorum 268. Hodierna & Vetus 201. Hydropicorum 42. nimis ſtricta noxia 70. Patalyticorum 252. Perverſa noxia 144. Reconvaleſcentium a gravis morbis 169. 189. 277.
Diarrhæa in hectica 265.
Malignis 593.
Digeſtionem quænam patiuntur? 306. Diuretica quænam? 67. Eorum abuſus in Calculo 140. 262. Febribus 588. Iſchiatide 140. Ophthalmia 113. uſus in Catharris 274. Hæmorrhoidibus nimiis & ſuppreſſis 164 Dolores crurum a lue venerea quomodo curandi? 145. 269. cur nonnulli ſenſibiliores 207. 224. Oculorum & capitis cur conjungantur 207. œconomiam corporis turbant 15. 140. 200. Vagi unde? 177. 255. Veteribus quid? 195. 196. 198. 200. 203. Eorum cauſa 35. cura generalis 182. Paroxyſmi unde? 43 203. 255. Dulcium abuſus in Aſthmate 147.

E.

Efferveſcentia frigida ex ol. Vitriol. & Spir. Sal. Armon. commixtione 377.
Effluvia balſamica pulmonibus proficua 215. Subterranea quid? 343. Virulenta malignitatis cauſa 50. 72. 582. Phthiſin producunt 218. Eorum effectus 191. de Electuariis 448. Electuarium Antifebrile 499. de Baccis Juniperi 493. chalybeatum 57. de Croco martis 492. Deobſtruens 139. 179. 230. in dolore capitis 204. Hydrope 235. Ictero 109. Lienis tumore 126. Nephritide 62.
Elix. Balſamic. 15. 57. 72. 90. 117. Ejus deſcriptio 139. ſtomachicum 72. 90.
de Emplaſtris varii generis 486. Emplaſtrum Cephalicum 167. in dolore Iſchiadico 114. 184. 487. Mercuriale in doloribus 75. Polychreſtum 132. 487. de ranis cum Mercur. egregium reſolvens 214. ſtomachicum 229. 486. Empyreuma quomodo tollendum & præcavendum 362. Emulſionum in Arthritide uſus 197. febre Synocha uſus 590. ardente uſus 593 Epilepſia duplex 79. hyſterica unde? 118. Sedes in ventriculo 149.
Epithema cordis 167. Eryſipelatis acceſſus quomodo differat ab acceſſu peſtis? 266. cauſa ibid. quomodo differat ab inflammatione? 270. Eſſentia herbarum 354. quinta 353. Scordii Theriacalis 99. Succini ambrata 128. Euphorbii uſus 68.

F.

Fæces induratæ a fumo lythargyrii 224. Nigræ in hypochondriacis unde? 179. 184. Earum infarctus in inteſtinis Iliacæ paſſ. cauſa 182. Febres continuæ ſuos habent paroxyſmos 160. 585. Peſtilentiales ex Orientalibus plagis cur ad nos transferantur? 158. quomodo ſalutares dicendi? 589. de Febribus 581. Intermittentibus earumque cauſa & cura 597. & ſeqq. malignis 83. 598. Quinam iis obnoxii? 176. 582. Febricitantium ſanguis minus ſalis volatilis continet 86. Febris quid? 583. & ſeqq. Ardens 292. Ejus cura 90. 559. in Arthritide unde? 34. Cauſa an ſit motus vel putredo 503. Definitio 498. 585. Doloribus ſuperveniens unde? 203. Ephemera 514. 589. Eſſentia an conſiſtat in calore? 500. 583. Spiritibus? 521. 524. Turbata ſanguinis mixtione? 585. in quo conſiſtat? ibid. Etymologiæ 21. 497. 582. Hecticæ cauſæ 23. 215. 563. gradus 265. ſigna 516. lethalia 41. Humoralis 514. Maligna unde? 593. Natura 508. 517. Putridæ cauſa an ſit obſtructio? 503. Signa 515. Quartana ejuſque cura 561. 604. Ovibus familiares? 194. 246. Tempore æſtivo cur ſæpe ſponte cedat? 178. Ejus longitudo unde? 86. 229. 246. Quodnam morbi genus? 505. Signa 507. Synocha quid & unde? 540. 590. Ejus cura 557. Tertiana 601. Notha unde, ejuſque cura? 589. vulneribus ſuperveniens unde? 127. Febrium calor unde? 24. 25. 500. 583. Cauſæ 582. Criſis 532. Cura 536. & ſeqq. 544. 589. Differentia 22. 506. 502. 510. Frigus, horror & tremor quid? 149.

In-

Incendium unde? 518.
Intermittentium male curatarum symptomata 169 187 588.
Magnitudo unde? 508 564.
Malignitas unde? 45 50 72 582 594.
Malignarum cura 595. & seqq.
Paroxysmi quid? 24 598.
an statim tollendi? 68.
in partibus nerveis manifestantur 59.
Pertinacium cura 37 83 245.
Prognosis 391 509. & seqq.
Sedes 37 506 581 588. Lentarum 114.
Flamma quid? 358.
Flatus Colici doloris causa 224.
Iliacæ pass. causæ 181.
Veteribus quid? 24 586.
Fistulas curandi methodus 408.
Fluoris albi causa 111.
Fonticulorum usus & abusus 44.
Fontium salubrium novorum operandi ratio 279.
Fotus quomodo operentur? 15 in Angina 53 Brachio contracto 79 Colico dolore 81 Iliaca passione 182. Inflammatione 70. Isciatide 135. Ischuria 121. Ophthalmiæ 112. 171 208. Paralysi 59. Pleuritide 75. 151. Uteri procidentia 274. Vulnere junctura rum 131. sclopo illiso 98.
Frigus nervis inimicum 39.
Fructuum horræorum noxa 72. 252.
Fulgur quomodo febris causa 59.

G.

Gangliorum anatome 54.
Gangræna in hydrope unde? 235.
Gelatina Corn. Cervi in Phthisi 215.
Gelatinas parandi modus earumque usus 311. de Gemmarum origine & colore 420. præparationibus 419.
Virtutibus 466.
Gibbosi quibus obnoxii 138. Gonorrhæa benigna plerumque est scorbutica 281. Scorbuticis, arthriticis & nephriticis familiaris est ibid.
Graciles cur non ita morbis obnoxii ac obesi 91.
Gravidæ cur non raro fiant hydropicæ 239.
Gravida Febre quartana correpta partu liberata 248. Earum pulmones cur sero viscido repleantur 214. transpiratio & circulatio humorum post partum liberior fit 248.
Gravitatis causa 50.
Gummatum usus 63. 238.
Gustui ægrotantium an gratificandum 70. 90. Gutta rosacea quid? 270 Ejus remedium euporiston ibid.

H.

Hæmorrhagiæ unde? 74 nimiæ hydropis & icteri authores 203 231 278. indicant obstructiones viscerum 161 238 241. 279 278. quibus frequentes 161. 218. 231 278. suppressæ noxæ 119. 193 205. 225. variæ historiæ 87.
Heliotropium quid? 253.
Helleborus quibus particulis constet? 61.
Hepatis calor unde? 218. vitium in Asthmate 220. in hæmorrhagiis 225. Hydrope 161 233. Herniæ ex colico dolore 81. Iliacæ passionis causa 179.
Herpetis differentiæ 266. Hirudinum applicatio in lingua 213. Humorum præparatio quomodo instituenda? 11. 549. status in sanitate 15. de Hyacintho 428. de Hydromelitis usus in Febribus 567.
Hypochondriacus affectus quid? 39. 70. 84. 140. 184. Hypochondriaci quibus obnoxii? 116. 118. 135. 179. 189. 191. 227. 231. Hystericæ mulieris historia 127.
Hysterica passio eadem est cum affectu hypochondr. 186 est affectus spasmodicus 242. Ejus causa est acidum & viscidum 243.

I.

Icteri causa 65. remedia 109 Icterus est vel criticus vel symptomaticus 46. 592. Inflammatio oculorum cur præ aliis conspicua? 112. quomodo differat ab Erysipelate 270. ulcera præcedit 266. Ejus causa ibid. de infusis 298. Infusa metallorum 300. Intemperies non est viscerum, sed humorum 97. Ira anginæ causa 121. ad arthritidem disponit 188. Ejus effectus in intestinis 182. Julepi attenuantes in acutis proficui 56.

L.

Lacticiniorum noxa in Paralysi 252.
Lactis usus in calculo 279. Asinini usus in arthritide 197. chalybeati usus in Aq. Fort. potu 163. de Lapide armeno & Cya-

Cyneo 432 Bezord. factitio 349. Lazuli 432. quodam incognito 433. de lapidibus minus pretiosis 428. Lapis infernalis sive argentum causticum 54. est optimum causticum 272. de Lapidum cancror. generatione 430. operandi ratione 62. præparatione 419.
Lepra Græcorum quid? 141. Ejus signa 174.
Lien non semper tumoris causa in hypochondrio sinistro 37. Ligna omnia acidum spiritum continent 321. Linguæ inspectio cui usui? 45. 213. Structura 213. Liquor balsamicus in Gangræna 191. Livor unde? 31. Loquelæ amissæ causæ 274. variæ historiæ ibid. Lues venerea & Arthritis quomodo dignoscantur? 183. 280. qualis morbus? 92. 280. 282.
Lunæ phasium effectus 172. 252. Lymphæ corrosivæ effectus 47. 65. 66. 111. 197. in spiritus 88.
Lythargyrii fumi noxæ 224.

M.

Machinæ Papinianæ usus 311. 358. de Magisteriis 349. Animalium 350. Mineralium 311. Magisteria cur fiant ponderosiora? 358. Gemmarum & Perlarum 351. 424. Lignorum 349.
Magnesia Saturnina quid? 77. 78. 115. 149.
Ejus usus in Epilepsia 149.
de Marte ejusque præparatis 410.
Martialia basin constituunt pulverum cachecticorum 413.
exhibendi methodus 233.
vina 237. 246. 289. 304.
Eorum operandi ratio 126.
usus in Catharris 78.
Febribus 109. 248. Hydrope 42. 55. 180. 257. Hypochondr. affectu 179. 227. 271. Ictero 65. 109.
Morbis Cachecticis 78.
tumore abdominis 64.
viscerum infarctu 114. 125. 126. 220.
Martis Croci abusus 41 65. 126.
Limaturæ usus 20 28 57 413.
solaris Liquor in febribus intermitt. 125, substantia duplex 222. 412.
Materia perlata Krugeri 389.
Medendi vera methodus 105. 137. 212. 240. 268.
Medicamenta amaricantia cur destillari nequeant? 309.
Artifebrilia vid. Antifebrilia. Antihydrop. 108. Antihysterica 118. 187. in Arthritide 197.
Balsamica 50. 55 63 78.
Blandiora quibus conveniant? 105. 135 143 180 240 284. in malignis necessaria 596.
Calculi specificæ 62. 67.
Calida noxia in Apoplexia 93.
Arthritide 144. 256. Colica 225.
Doloribus 15. 69. Febribus ardentibus 593 599. Hydrope 95 180.
Ischiatide 116 140. Lepra 174.
Ophthalmia 113. Scabie 254.
Scorbutica acrimonia 166.
Spasmis 127. Cardiaca in malignis quænam? 288. 559. in Catharris specifica 274. Cephalica quænam & quotuplicia? 287.
Chymica sunt satis tuta 284.
Confortantia 134.
Consolidantia 59.
Emmenagoga specifica 119.
Emollientia 159.
Empirica sæpe præferenda prætiosis 60. 218 284. Epileptica duplicis sunt generis 307. Galenica vel sunt Chymica 284. & Chymica necessaria 69 120 135. 143 284. in Gonorrhæa specifica 281.
Guttas rosacea 270.
Hepatica quænam? 289.
in Ictero 109.
Incrassantia noxia 146.
Melanagoga quænam? Morbis debent. esse proportionatæ 136 142 287.
Negligentes cur æque curentur? 105. 153. Nephritica quænam? 290.
in Paralysi & quomodo exhibenda? 252. Pectoralia sæpe sunt diaphoretica & Nervina 214.
Quænam & quomodo operentur 288.
Eorum abusus in Asthmate 147.
ex Regno animali 60 283.
Minerali eorumque operandi ratio & usus 19 66 83 131 135 142 177 231. 254 258 283.
Quibus conducant? 87 135 166 197.
Vegetabilia sunt optima specifica 115.
Sanguinem depurantia quænam 317.
Simplicia plus sæpe præstant compositis 295.
Solventia quomodo dignoscantur? 25.
Specifica an dentur? 253 287.
Sphaceli specifica quænam? 134.
Splenetica quænam 289.

Sto-

Stomachica sunt remedia universalia 228.
Styptica egregia 240. 378.
Ulcera ad sordida 291.
Vulneraria quænam & quomodo operentur? 214.
Medicamentorum copia & mutatio sæpe noxia 26 88 107 240.
Perversorum noxa 51 72 48 50 51 72. 87 107 205. in Febribus intermittentibus 65.
Refrigerantium noxa 57 85 89 109.
Erysipelate 266.
Febribus 171 187 248.
Hæmorrhagiis 161.
Scabie 166.
Repellentium noxa 124.
in Podagra 212 218.
Scabie 166.
Virtus unde dependeat? 287 343 356.
Media praxis rationalis & Vulgaris distinguenda. 25 255 268.
Medicina Vetus & hodierna qualis? 284.
Medici imperitia 26. 257.
Rationales quinam? 212 224.
Speculativi nimis Theoretici cur raro boni practici? 105.
Theoretici quinam boni? 217.
Titulo indigni quinam? 178 84.
Eorum copia ut plurimum damnosa 153.
Medicis medicamentorum præparatio competit 285 Melancholicus humor per inferiora evacuandus 246.
Veteribus quid? 193.
Mensium suppressorum noxæ 28 48 57. 185 188 205 214. de Menstruis 358.
Menstrua insipida agunt in metalla 177. 297 316. quomodo operentur? 358.
quotuplicia 359 519. solutis aliquid affricant 358 de Mercurio 390.
Mercurialis spiritus 396.
Mercurii amalgama cum ferro 393. æte ibid. Coagulatio cum vitriolo 376. 379.
Corrosivitas unde? 105 177.
Decoctio Cosmetica 396.
Depuratio ibid.
Inunctiones quomodo instituendæ 182. 396. Magisterium 394.
Solaris usus in Lue venerea 95.
Sublimati præparatio 315.
Suffumigia 27 74 137.
Vitæ usus 114.
Usus in Lue venerea 27 74 281. 390. & seqq.
Mercurius diaphoreticus Jovialis 83 248. 392 396. dulcis cum salibus fixis mixtus corrosivus evadit 76.
Ejus usus & abusus 205.
Fixus in magnis morbis magnum præsidium 231.
Laxativus 555.
Philosophicus quid? 391. 390.
Præcipitatus albus 393. ruber 392.
Regeneratus 391.
ex Regulo Antimonii 390.
Virgineus 396.
Vivus in cerebro inventus 205.
Metallicolarum symptomata 137 218 224.
Metallorum principium est Sulphur 381.
Minera Lunaris quid? 19.
Mithridatii Andromachi descriptio 461.
Mixtura ad ulcera Scorbutica 47.
Molæ viriles quid? 252.
uterinæ quid? ibid.
Morbi endemii unde? 129 170.
nonnulli cur viris potius, quam fœminis familiares & vice versa? 236.
Pectorales unde? 288.
Morborum ab incantatione cura 337.
cognitio necessaria 30 40. 95. 211.
Latentium cognitio 30. Hæreditariorum causæ 118. 220. Lethalium causæ 148 Longitudo unde? 55. 72. 74 90. 106. 109. 117. 184. 189. 193. 218. 230.
Magnorum parva sæpe initia 212.
Mortis repentinæ variæ causæ 249, 250.
Moschus ex latrina odorem suum recuperat. 338. Motus corporis utilitas 16. 146. & animi vehementior noxius 36. 45. 98. 166. Terræ explicans experimentum 384. Moxæ usus 136.
Mumia mineralis quid? 494.
Murmura in præcordiis quid? 39.
Myrrhæ usus in Phthisi 215.

N.

Natura quid? 589. Naturæ motus consuetus quomodo avocandus 92. critici non sunt sistendi 157. 162. Ordinarii conservandi 140. 220. Nausea in cibis sumendis ad febr. disponit 582. Nepenthes aureum quid? 459. Nervorum genus debile doloribus facilius obnoxium 177. 185. 255. Recurrentium usus 214. de Nitro ejusque præparatis 368. Nitri Antimoniat. usus in febribus 188. Chrystallisatio 369. usus 45. 67. 69. 121. 125. in febribus ardentibus 593.

In Hæmorrhagiis 14. 232. Ischiatide 276. Fixatio 368. Lapis prunell. 370. Sal ex capite mortuo Spiritus cujus figura? 369. Spiritus 368. abusus 49. Nitrum purificat aurum & alia metalla 370. cur additis carbonibus in crucibulo fluat ibid.

O.

Obesi quibus obnoxii? 91. Observationes medicas tradendi methodus 95. Earum utilitas 205. 218.
Oeconomiæ animalis mutuus consensus 90.
Oculus index animi & corporis 163.
Odores cur inebrient? 167. suaveolenti Hystericis noxii 191. 242. Paralyticis noxii 242. in vulneribus capitis & nervorum 167. de Oleis animalium 336. Aromatum eorumque adulterationibus 335. destillatis 331. Florum 333. per expressionem parandis 475. infusionem parandis 329. 475. Lignorum 331. Mineralium 339. Seminum 334.
Oleosorum abusus in acutis 56. erysipelate 38. 311. 266. Scabie 166. Ulceribus 67. 132. differentia unde? 332. Empyreuma quomodo tollendum? 331. Oleum anisi cur facile concrescat? 335. per expressionem 335. Buxi 333. Camphoræ ibid. ex Radice Cinnam. ib. Caryophyll. in carie ossis 58. Ceræ 338. Cinnamomi 335. Hyoscyami in dysenteria 49. Podagra 338, Hyperici 333. Inunctionis Sacræ 475. Ligni aloes 305. 332. Rhodii ibid. Picis 332. Rosarum 234. Serpentum in oculorum hebetudine 339. Succini 332. 333. Talci 341. Vulnerarium 133. compositum 329. Ophthalmicum Specificum 171. de Opiatis 459. Laudani descriptio 459. 463. & seqq. Antifebrilis descriptio 557. Eorum abusus in Asthmate & hydrope 146. diarrhæa & dysenteria 148. Malignis 15. 596. correctio 89. 112. 203. cum purgantibus commixtio 207. 222. usus 89. in ardores ventriculi 150. Hæmorrhagiis 238. Iliaca passione 182. Opium conficiendi & præparandi modus 311. destillari an possit? 308. Os cribriforme an aliquid transire possit? 205. Ossis Putridi & carioši signa 58. Ossium nutritio 176. structura 58. 175. Tabes 207. Ova febricitantibus noxia 246. Oxymel in Asthmate 145.

P.

Panacea an detur 255. Conerdingiana quid? 236. 389. Glauberiana quid? 63. 72. 142. 389. Ejus usus in febribus 248. hydrope 180. lymphæ acrimonia 389. Hypochondriacorum 271. Earum virtus in quo consistat? 131. 258. Panacæa Zittaviensis quid? 260. paracenthesis quomodo instituenda? 234. Paralytica membra cur tumeant vel marcescant? 93. Pediluviorum usus 92. de Perlis & Unionibus earumque præparatis 423. Pharmacomania quid? 88. Philonium Romanum 462. Phosphorum præparandi mod. 313. 334. Phrenitis unde? 595. de Pilulis omnis generis 600. Pilulæ de Agarico 52. Aggregativæ ibid. Alophanginæ 72. cum opio mixtæ 256. Anthelminticæ 464. Antifebriles 465. Antivenerea ibid. Becherianæ 164. 233. Cachecticæ 464. Catholicæ 31. 43. 45. 81. de Cynoglossa 201. 241. Emetic. purgantes 465. in Fluore albo 111. Gonorrhæa 465. Helleborinæ 71. Hypochondriaca 465. in Hysterica passione 119. Martiales 203. Marthiæ Anglicæ sive Starkianæ 112. 200. 203. descript 464. in Mensium obstructione 237. Mercuriales 14. in Ophthalmia 208, Nepritide 62. Polychrestæ 494. Ventriculi dolore 228. Viscerum tono roborando 233. Wildeganšii descript. 464. usus 89. 112. 200.
Plantarum cognitio quatantenus Medico necess. 253.
Plethorici quibus obnoxii? 35. 68. 76. 92 193. 238, Pleuritidis veræ & spuriæ signa 82. Podagræ suppressæ noxæ 252. Polypus cordis quid? ibid. Eorum cura 253. Potus congruus in febribus necessarius & qualis 85. 591. copiosus in febribus an prosit? 588. ante febrium paroxysmos noxius 246. frigi-

frigidus in febribus noxius 541.
Pulmones an coſtis naturaliter adhæreant 220. 221. Eorum textura qualis 321.
Pulſus in Febribus 530. 582.
de Pulveribus varii generis 470.
Pulvis antifebrilis 245. 433. 470. Antinephriticus Volkan. 62. Antipodagricus 51. in Cancro exulcerato 159. Cancrorum fluviatilium 348. Cephalicus pro cucupha 59. Diaphoreticus 29. Halecis 348. Polychreſtus 370. Purgans 76. 125. Ranarum 347. Tackenii in Mania & Melanch. 205. Traumaticus 59. 133. Vermium terreſtrium 347. Viperinus 103. 108.
Ptyſana in Febribus 568.
Ptialiſmus in Arthriticis unde? 255.
Puncturæ tendinum ſymptomata 212. veſpæ ſymptom. ibid.
Purgans infuſum Antifebrile 247. Juſculum 107.
Purgantes aquæ an dentur? 361.
Purgantia exhibendi methodus 155. 246. cum Alexipharmacis mixta in principio malignarum 151. Alterantibus mixta 292. Leniora Hypochondriacis proficua 180. Melius infunduntur, quam decoquuntur 286. 291 298 231. Paralyſin produxerunt 135. Specifica an dentur? 191. 246.
Eorum abuſus 116. 155. 175. in Arthritide 34 144. colica 158. Febribus malignis 244. Quartanis 246 Febre Hectica 41. 43. Hydrope 16. 116. 223. Menſium ſuppreſſione 57. Ophthalmia 113. 125. 170. Paralyſi 252. Pectoris morbis 76. ſtrumis 129. mixtio cum opio quid præſtet in Arthritide & Colica? 112. 256. diarrhæa & dyſent? 148. Doloribus? 207. Febribus? 231. Hemicrania? 203.
Operandi ratio 19. 116. 227. 320. 361.
Uſus in acutarum initio 55. 91. Angina 121. Arthritide 188. Catharris 47. Febribus 125. 546. & ſeqq. Hæmorrhagiis 161. 238. Hydrope 42. 71. 173. 180. Ictero 116. Iſchiatico dolore 114. Lue Venerea 123. Menſium ſuppreſſione 63. Nephritide 62. cur Venæ Sectioni præmittendus? 63 161 238. in Ulceribus 38. Vis a ſalibus intenditur 144.
Puſtulæ in facie unde? 63.
Putredinis cauſa 50. 317. 346. 360. verminoſæ cauſa 595. De Putrefactione 360.

R.

Recidivæ cauſa 42.
Reſina quid? 321.
Reſpiratio in Febribus 532.
Ros Majalis aptiſſimum eſt menſtruum 306.

S.

Sacharum quid? 153 Ejus abuſus ibid. Magneticum quid? 41. Metallinum quid? 32. 88. Roſaceum in Hectica. 43.
Sal eſt acidum vel alkali. 343. Acidum quid? 343. 346. Alkali quid? 343. Antimonii Tartarum in febribus. 248. aperitiv. ſtomachicum & Antifebr. 368. 372. Tackenii 188. Armoniacum fixiſſima ſublimat. 358. 371. Ejus flores ex Alumine. 373. Digeſtivum quid? 372. Eſſentiale quid? 344. Fixum quid? 343. Neutrum quid? ibid. Univerſale eſt naturæ Tartareæ. ibid. Volatile quid? ibid. humores a putredine præſervat. 86.
de Sale Armoniaco. 371. Communi. 366. Ejus conficiendi copiam ex Salinis arcanum. 368. mutatio in Alkali. ibid.
Salia abſterſiva quænam? 188. Eorum uſus in febribus. 248. Animalium quid? 343. Fixa ſunt egregia deobſtruentia. 55. 126. 180. Mineralium quid? 343. quomodo a putredine præſervent vegetabilia? 360. ſunt univerſalia naturæ fundamenta & inſtrumenta? 343. Vegetabilium quid? ibid. Volatilia non ſunt corroſiva. 160.
Salis acidi in corpore abundantis indicia 197. armoniaci martialis liquor in febribus intermittentibus ſpecific. 125. 248. Cryſtalli dulces. 368. Figura 197. Generario non eſt a calore. 12. 207. ex aere. 374. in corpore unde? 13. 15. 32. 117. 143. 154. 197. Scorbutici effectus. 58. 63. 85. 124. 165. 172. 189. 205. 210. 215. Spiritus. 315. Succini uſus. 74. volatilis abuſus in dolore capitis. 205. Febribus ardentibus. 593. Scorbuto. 166. deſtillatio. 334. ex animalibus. 397. Seminibus oleoſis. 334. Oleoſi uſus in menſium ſupp. 57. ophthalmia. 208. ſuffuſione. 37.

Salium diversitas unde? 343. 344. 346.
excrementitiorum in sanguine retentio causa Catharri. 274. fundamentum est sal acidum. 290.
Salivæ causticæ symptomata. 213. Deglutitio in locis contagiosis noxia. 72.
Salivationis usus 27. 72. in dolore capitis. 205. Podagra. 197.
Sanguis depurandus quomodo? 15. 44. 211. 245. ex quibus particulis constet? 595. Leprosorum? 174. Lue venerea infectorum qualis? 122. Scorbuticorum qualis? 189. Ejus calor unde. 583. Circulatio unde. 483. 587. an in febribus aucta sit? 587. mixtura in malignis est turbata 595. Sanitatis ratio. 15. 587. de Sapphiro. 428. Saturni balsamus. 11. 67. 416. Oleum. 88. 417. Sacharum. 417. medicamenta parum tuta sunt. 418. Noxa in febribus. 90. fumo 418. in vulneribus nervorum & ossium. 132. usus in Emplastris. 416. Scarificationis usos 191. in Cephalalgia. 202.
Scorbuti causa. 15. 65. remedia. 65.
Ille sæpe luem veneream refert. 282.
Scordium quid? 83.
Semen aquosum unde? 282.
Semen daturæ quid 459. Semicupium in dolore Ischiatico 114. 103. Paralysi & Gangrenæ 190.
Signatura in plantis inutilis 26.
Singultus in febribus. 530.
de Smaragdo 428.
Solis ardor febris causa. 37. 48.
de Solutione. 358.
Spasmus quid? 24.
Ejus remedium specificum. 134.
Sphacelus in dysenteria. 49.
Ejus cura 98.
Spiritus Anticolicus Mich. 370.
Ardentes ex Vegetabilibus parandi 301. quid 332. ex sanguine an destillari possint? 584. Balsami Peruviani fragrantissimi 310. Carminativus Mich. 225. Cochlear. in Scorb. 65. C. C. Succinatus. 99. Corporis humani quid. 520. Eboris balsamicus. 92. Fuliginis. 99. fumans ex Sulphure. 383. in hydrope cerebri 18. Nitri 368. dulcis. 370. Rectificati quænam dissolvant. 360. ex Sacharo Saturni ardens. 418. Salis 366. dulcis 370. Fumans 368. 414. Ammoniaci. 65. 119. noxa in ophthalm. 113. & Urinæ cur cum Spiritu Vini dephlegmato in coagulum abeat. 337. Vini vulgaris in nonnullis Tincturis & extractis præstat Rectificato. 298. 320. Vitrioli acidu 377. volat. ibid. Volatilis oleosi aromat. usus in chyli exaltat. 90. ex Terris argillaceis. 363. Urinosi quænam dissolvant. 360.
Sputum Phthisicorum corrosivum existit. 215.
de Stanno ejusque præpar. 414. & seqq
Steatoma quid. 54
de Stercorum animalium vario usu. 313.
Sterilitatis causa. 111.
Stomachicum quid. 40. 64. 65. 70. 81. 153. 268.
Strumæ cur endemia. 129.
Styli dentifricii. 472.
de Sublimatione. 358.
Auri. ibid.
de Succis vegetabilium. 317.
Eorum conservæ. ibid.
Depuratio. ibid. Usus. 319.
Sudor colliquativus unde. 114. copiosus quomodo provocandus in Ischiatico dolore. 114. in Diarrhæis salut. 162. Febribus salut. 36. 527. Hecticis. 265. Spirantes acidum in arthritide. 197.
Sudoris sanguinei historia. 157.
suppressio unde. 380.
Sudorifera fortiora nocent in acutarum principio 51. 56. 853. 860. Arthritide. 133. Cachexia. 24. Febribus intermitt. 178. Ischiatide & Plethora. 116. 184 Venæsect. & purgat. 28.
Eorum usus in diarrhæis. 162. Acutis. 244. Febribus 582. 590. & seqq. Ophthalmia. 208. de Sulphure. 379.
Sulphur Antimonii. 368
Embryonatum ex Magnesia Saturnina 142. Hydroticum. 71. Martiale quid? 222. Metallorum quid. 16. 19. 22. 130 231. 203. 257.
Sulphuris balsami Terenbinthin. abusus. 28. balsamum. 381. 384. temperatum. 194. Depuratio. 382. Flores. 379. Eorum correctio. 149. usus in Arthritide. ibid. Hepar. 383. Lac. 94. 155. 379 Magisterium. 379. Olum acidum. 64. 381. Balsamicum. 38. Spiritus. 380. Tinctura. 384.
Symptomata primario quænam respicienda 89. urgentia quænam 30.
Eorum multitudo sæpe ab una radice dependet. 184.

Syncope hysterica in Febribus. 168. de syrupis variis 441. & seqq.

T.

Tabaci cinis est consolidans. 59. fumus epilepsiam curavit. 149.
Tamarindi quibus particulis constent 55. de Tartaro. 521. Ejus arcanum 47. 60. 74. Balsamus. 60. Terra foliata. 114. 188. Salis volatilisatio & fixatio. 60. 346. 371.
Tartarus Vitriolatus 378. de Terrarum medicinalium variis speciebus earumq; præparationibus & proprietatibus. 362. 364.
Terra Zeilonica Sal & Spiritum volatilem continet. 363.
Terra Argillaceæ Spiritum æthereum acidulum cominent. ibid.
Terroris effectus in Spiritus. 59. 77.
Theriacæ confectio. 438. cœlestis usus. 89. contractior. 459. Metallorum. 49. 494.
Thermarum usus. 103.
de Tincturis. 298.
Tinctura Anodyna. 389. Anticteritia. 46. Antimonii. 387. sicca. 388. Antiphthisica Grammanni. 418. 413. Aperitiva. 78. Mœbii. 368. Auri. ibid. Bezoard. camph. 99. 321. Calcis vivæ. 67. Cærulea Helvetii. 408. Colorata an possint destillari. 361. Corallorum cum Spir. Sal. dulc. 368. 370. Croci. 298. Florum Papaveris. 299. 324. Martis pomata. 57. Zuvelfferi. 114. Metallica 103. Nephritica ex auro. 402. Rhabarbari. 299. Rosarum. 298. Saturni Philosoph. 129. 266. Tartari in nephritide. 67. Veneris. 408. 409. Violarum. 299.
Tomus partium quid. 35. 220. 274.
Transpiratio est commune naturæ emunctorium. 48. 89. impedita defluxionum causa. 92. 275. diarrhæa causa. 162. est in Febribus & ad eas disponit 114. 582. 586. pro diversa aeris mutatione diversimode mutatur. 275.
de Trochiscis varii generis. 470.
Tumor fungosus in oesophago. 47. Eorum varia nomina. 54.
Tumoris in Lingua historiæ. 213.

U.

Vapores subteranei quid. 345.
Venæsectio in Plethoricis cur purgantibus præmittenda 325. 591.
Ejus abusus. 16. 19. 38. 10. in Cachexia. 247. Capitis dolore. 201. Febribus. 83. 160. 588. Mensium suppressione. 28. 119.
Usus. 28. 38. 53. in Angina. 121. Apoplexia. 193. Dolore Capitis. 87. Colico. 225. Ischiatico. 114 116. 140. 276. Evacuationibus consuetis suppressis. 247. Febribus 588. Acutis. 244. 541. Ardentibus. 593. Quartanis. 247. Synochis. 591. Nephritide. 69. Ophthalmia. 125. 170. Passione hysterica. 127. 243. Pleuritide. 75. 151.
Venarum tumor unde. 32.
Venena quomodo operentur. 123.
de Venere sive Cupro ejusque præparatis. 406.
Venus alba. 408.
Ejus Oleum. 409. Spiritus. ibid. Tinctura. 410. sive viridis æris ustio in fistulis curandis. 408.
Veneris abusus. 79. 83. 144. 160. 164. Usus. 187.
Ventriculi constitutio post graves morbos. 169. Digestio in omnibus fere morbis læditur eorumque causa existit. 40. 69. 89. 90. 106. 114. 125. 139. 114. 194. in Arthritide. 268. 188. 241. in febre Hectica. 268. 269. in Hæmorrhagiis nimiis 161. 170. 238. in Hypochondriaco affectu 117. 184. 271. Fermentum corrosivum in Affectu Hypochondriaco 189. 228. Frigiditas unde 70. Imbecillitas & Vomitus a capite læso 251. Sensus Gravativus unde 71. Tumor unde. 24.
Vermes in ulceribus 61.
Victus Hodiernus & Vetus 201. Gumidus qualis 41. 57. in Febribus 246. 564. 589. Plenus in Febribus noxius 246. 589. Tenuis in Febribus acutis. 55.
Vina ex mineralibus composita 303.
Vini abusus 143. ad Hydropem & Icterum disponit 231. in Arthritide 197. Usus 57. 81. 90. 119. 112. in Febribus 158. 567. an Hecticis conducat 265. in Ophtalmia 163. Phthisi 215. Potus cur Paralyticos facile inebriet 167. Spiritus in Febribus malignis 158. de Vinis Medicatis 300.
Vinosi liquores ex succis 301.
Vinum acidum præstat infusis Vomitoriis parandis 297. Granatorum in Febribus. 569.
Viperarum caro in sanguine depurando 267

Virium proſtratio in Malignis unde 595.
Viſcerum debilitas quid. 97. Vitæ ſedentariæ noxæ 117 143. de Vitriolo 374.
Vitrioli arcanum 26 47. 375. Balſamus 79. 375. Colcothar 375. Cypriani noxa in Ophthalmia 113. Artificialis præparatio 377. Martis uſus 32. 64. Olei uſus 16. cum ſanguine mixtio colorem luteum illi inducit 105. Dulcis uſus 19. 39. Phlegma 375. Sal ibid. Dulce quid. ibid. Vomitorium 378. Spiritus 375. Dulcis 60. Cur argentum non ſolvat. 314. Sulphur 49 Narcoticum 37,. Tinctura ibid.
Vitriolum Veneris & Martis 220. 377.
Vitri rubinei præparatio 414.
Ulcera aurium utplurimum cum carie oſſis juncta 210. Ejus hiſtoria 128. Cachexiam tandem producunt 59. Externe & interne curanda 272. Inflammationes ſæpius ſequuntur 265. 41. Narium quibus familiaria 271. Parva Scorboticorum menſium ſuppreſſ. & lue Venerea laborantium in magno ſæpe abeunt 272. Pedum ſancta ulceris pulmonum cauſæ 216. Quænam difficilius ſanentur. 67. 156. 272. Quibus frequentia. 81. 272
Ulceris pulmonum ſigna 194. Eorum fundamentum ut plurimum in ventriculo hæret 154. Ultramarinum quid 433.
Umbilici rupti hiſtoria 173. de Unguentis varii generis 479. & ſeqq. Unguentum antifebrile 605. Antiſpaſmodicum 127. 480. Balſamicum in vulneribus nervorum 68. 80. ad Carunculas in pene 70. Cordiale 168. in Eryſipelate 211. Iſchiatide 135. Mundificans 129. 154. Ophthalmia 171. in Paralyſi 191. Vitellorum 12 67 80 88.
Unicornu foſſile quid 365. 431. Vomitoriorum uſus 49. 52. 72. 90. 107. in Arthritide 188. 243. Aſthmate 220. Calculo 262. Epilepſia 149. Febribus 553. 588. 604. cum Opio mixtorum in Dyſenteria, Diarrhæa & Febribus 148. 285. in Podagra 188. Vitriolaceorum 227: 378. an Hecticis conducat 90.
Vomitus acidi in affectu hypochondriaco unde 189. Bilioſi non ſemper a bile 55. in calculo renum unde 84. Diuturni prognoſis ibid. Sanguinei cauſa 278. unde 224.
Urinæ Calculoſorum quales 264. Cruditates quid indicent 37. in Febribus 530. 582. Malignis quales 595. Pellucidæ quid portendant 592.
Uteri procidentiæ hiſtoria 273. Subſtantia qualis 241.
Vulnera nervorum & oſſium quomodo curanda 132.
Vulneraria quænam 258.

FINIS.